Wiaka to noc do Pana Jezusa dob[illegible]
Jego S. ~~[illegible]~~ przychodz[illegible]

Rozni sie nocy NN nie tak materialne iako [illegible]
znayduią są iedne nocy ktore sam Pan Bog stworzył [illegible]
tenebras noctem Gen: I. I wtych nocy ~~[illegible]~~ Pan Bog [illegible]
[illegible] venit ad Jesu nocte, Boc otych owe trzy Pacho[illegible]
wpiecu Babilonskim spiewaią Benedicite noctes et dies
Jakosz noc siła nam dobrego dobrego przyniosła kiedy ~~[illegible]~~
sie, wnie Narodziel Zbawiciel swiata Jezus Cum medi
silentium tenerent omnia et nox in suo cursu medium iter pageret

WiMN
Opole
2394 st

Insza noc iest iesz niewinnie nocą nazwana ata nie insza
iest tylko ~~[illegible]~~ ta ktory Job S. Noctem verterunt in diem
Jakosz siła takowych iest ktorzy pod czas nocy to biesiady to
pyatyki sprawuią a wednie to noc odprawuią bo sie wczasuią
noctem verterunt in diem Mogłoby sie o takowych rzecz co napisał
Poeta Polski Wednie spisz wnocy czuiesz a co to za zgoda
Nie iestesz ty naszynie ales Antypoda
ale wte nocy kto o Pana Boga dbac będzie darmo wtakowe
nocy do Pana Boga etc etc etc

Ale znayduie sie iesze noc insza iak ia Ewangelia S. Rzym
mina Qui peccat odit lucem
nox sicut dies illuminabit
Dobrze wte noc chodzic do Pana Jezusa bo sie nazywa ~~[illegible]~~
Ego sum lux mundi qui venit ad me n ambulat in tenebris
sed habebit lumen vitae
Psalm Accedite ad eum et illuminamini et facies vestrum
confundentur
Insza Noc iestnie widziec chwały Bozy ~~[illegible]~~
~~[illegible]~~ videre altitudinem ~~[illegible]~~
et lumen oculorum meorum ~~[illegible]~~ meorum Jus ten psze rzecz
przedał
Intenebrosis Collocavit me in obscuris sicut mortuos
Insza noc iest umbra mortis ~~[illegible]~~ Noc owa ktora smierc
na oczy nasze kładzie ~~[illegible]~~ zasypaią y zasniemy wszyscy tak
twardem snem ze sie nie ocuciemy aż na straszny sąd Boski
kiedy na nas zatrąbią surgite mortui

1757
997
600



PARS HIEMALIS CONCIONVM

Pro Festiuitatibus CHRISTI, B. VIRGINIS & Sanctorum.

A prima Januarij, vsque ad vltimam Iunij

Auctore

M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI

In Vniversitate Cracouiensi S. Theologiæ Professore, Canonico S. Floriani

Eccl: Cathedralis in Arce Cracouiensi.

Concionatore

CRACOVIÆ
In Officina Hæredum Francisci Cesarij Sacræ Regiæ Maiestatis nec non Illustrissimi ac Rendissimi Episcopi Cracouiensis Typographi
Añ: Dñi 1666.

Joan: Chrisost: Prossowski delineauit. *Joan: Alex: Gorczyn sc.*

Sum possessor Rg. Alexandrus Kuszynski [illegible]

WiMB
Opole
23948



PARS HYEMALIS CONCIONVM PRO FESTIVITATIBVS, CHRISTI, B. VIRGINIS ET SANCTORVM.

A prima Ianuarij vsq; ad vltimam Iunij.

AVCTORE

M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI,
In Vniuersitate Cracouiensi Sacræ Theologiæ Professore, Canonico S. Floriani, Ecclesiæ Cathedralis in Arce Cracouiensi,
CONCIONATORE.



CRACOVIÆ,
In Officina Heredum Francisci Cezary, S. R. M. Nec non Illustriss. ac Reuerendiss. Episcopi Cracouien. Typog. Anno 1666.



V. 96/77 | Star.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO,

D. ANDREAE TRZEBICKI,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA.

EPISCOPO CRACOVIENSI,

DVCI SEVERIÆ.

REGNI POLONIÆ SENATORI

PRVDENTISSIMO.

ACADEMIÆ IAGELLONIANÆ CANCELLARIO

DIGNISSIMO.

DIuino forsan afflatus Spiritu non nemo Principum, in suis Numismatibus Olorem Capite coronatum posuerat, cum inscriptione: **Olor inuictus virtute diuina:** Tuæ hoc Illustrissime & Reuerendissime Princeps virtuti debetur elogium, qui Olore, pedo & Tiara Pontificali, mitra & gladio Ducali coronato insignitus, nihil quod ad Ecclesiæ Sanctæ commoda pertinet, prætermittis. Diuina Te vt video vndiq; virtus fulcit, & vtroq; humero patriam, ac Ecclesiam Atlantis in modum sustentantem, continuo labore frangi non patitur, nec maleuolorum inuidiâ quicquam moueri: quippè culicem haud curat elephantus indicus. Catholicam enim Religionem, ex vtero Mosaicæ legis tractam, vatum oraculis illustratam, doctrinæ consensione auctam, sanguine Martyrum sacratam, infinitis miraculis confirmatam, cuius Deus ipse Optimus Maximus est Auctor, Filius Dei Magister & Doctor, Spiritus Sanctus Propagator, mirificè promoues. Cumq; sene-

scente iam mundo, & propiùs ad suum occasum vergente, turbari pietatis ritus incipiant, & ambitio eorum, qui Dominum non metuunt, Ecclesiarum gubernacula inuadat, in id totis viribus incumbis, vt pristinam Ecclesiæ immunitatem vindices, & conserues.

Memor hoc præcipuum munus Pastorum esse, vt se pro Ecclesia, & populo sibi commisso opponant tanquàm murum. Propter quod S. Basilius constit. 3. cap. 23. Episcopos Apostolos, & personam Christi gerentes appellat: *Nihil*, inquit, *aliud est Antistes, quàm is, qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & homines, eorum qui in officio ipsius sunt, salutem sacrificans Deo.* Hinc Deus exprobrabat Prophetis Israél Ezechielis 12. *Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israél, vt staretis in prælio in die Domini.* Debet inquam opponere se Pastor, precibus, sacrificijs, indictis publicè ieiunijs, iram Dei à populo auertendo. Quemadmodùm fecit Beatus Austresigilus Bituricensis Episcopus: cùm enim ex Palatio Theodorici Regis, Guarnerius homo sæuissimus, auaritiæ & turpi lucro addictus, superbiâ tumidus, ad vrbem Biturigensem accederet, ab ea tributa nomine Regis exacturus, Sanctus Episcopus, tanquàm bonus Pastor, curam Ecclesiæ, & plebis sibi commissæ peruigilem gerens, ad Deum se contulit, diurnis atq; nocturnis precibus eius aures continenter pulsans, vt populum suum hac vexatione liberaret. Ad vrbem verò iam aduentante Guarnerio, Sanctus Episcopus illi obuiam iuit, atq; pro commisso grege murum se opposuit, paratus etiam si res postularet, Christi exemplo pro ouibus suis animam ponere, & sic populum ab illa nimia & insolita exactione liberum fecit.

Quid hic pijssime Præsul, de tua sollicita vigilantia loquar? vidisti fluentes egentium lachrymas, squalidos Sacerdotes, & gementes, dùm à domo Dei exoriretur diuini iudicij vindicta. Dùm Martis & Bellonæ Filij, spretâ Regis & Legum Maiestate, soluta militari disciplinâ, confœderatione ligati, crudelitate Neronem, impietate Copronymum, flagitijs Heliogabalum referentes, haurirent, & deglutirent Reipublicæ patrimonium, sacræ profanæq; opes eis in prædam cederent. Vt præ nimia exactione homines fame passim enecarentur, rapiente milite, si quid vspiam parati erat; immò sæuiente etiam in corpora, vbi rapinæ non esset materia. Indoluisti vehementer ad tantam hominum eiusdem linguæ, eiusdem gentis barbariem; tentasti cum Rege & Republica omnes possibiles modos, quibus hæc degenerum filiorum audacia compesceretur. Arcebas illos à Sacramentorum communione, & quo citiùs ad

melio-

meliorem mentem redirent, sæpiùs indictis publicis supplicationibus, cum toto Clero, & populo, diuino Numini ardentissimè supplicabas, donec tandem optata concordia cœlitùs concederetur.

Quid de reformanda in Clero seueriori legum obseruantia commemorabo? euanuerat iam ex parte honestas sacerdotalis, dispensationes pauperum ad propria oblectamenta, munerumq; largitiones absumentibus ijs, qui non salutis animarum, sed turpis questus, & licentiosè viuendi causâ, beneficia Ecclesiastica, inuadebant potiùs, quàm suscipiebant. Multi enim dicunt hodiè: Admitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis, ignorantes officium sacerdotale duas habere partes, vna est cura animarum perpetuo cum labore coniuncta; altera est temporalium rerum sustentatio. Prima est principalis, secunda accessoria; sed de accessorio fit hodiè apud nonnullos principale. In quos seriò animaduertit S. Bernardus Serm. 76. in Cantica. Terribilis inquit sermo, & qui possit etiam impauida quorumuis tyrannorum corda excutere: quia cura animarum inæstimabile depositum est. Propterea attendite vobis, quicunq; opus ministerij huius sortiti estis: attendite vobis, & pretioso depositio vestro, quod vobis creditum est. Ciuitas est, vigilate ad custodiam: sponsa est, studete ornatui: oues sunt, intendite pastui. Meritò nomine depositi significatur anima hominis pretiosa, quoniam alterius est Domini, ea lege nobis ad custodiendum tradita, vt incolumem suo tempore proprio Domino restituamus. Quòd si culpâ custodis perierit, ipsius anima stabit pro anima illius, iuxta illud 3. Reg 10. *Custodi virum istum, quòd si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Si ergo Regum œconomi, quibus concreditur pretiosa, summæq; æstimationis supellex, licet illa clauibus ac signis munita seruetur; semper tamen thesauri iacturæ timentes, insomnes noctes ducunt. Quid animarum custodiendum restabit? cùm vnius animæ æstimatio ac dignitas, omnia mundi pretiosa, & si quæ sunt inæstimabilia, vincat ac excellat; vniusque animæ perditio tantam habeat iacturam, vt nulla ratione possit æstimari. Vnde S. Chrysosthomus homil. 3. in Acta exclamat: *Etenim, si vnius animæ salus tanti est, vt obhanc Filius Dei fieret homo, tantaq; pateretur, perditio cogitata quantam conciliabit pœnam?* Elanguerat canonum exacta diligentia, dùm vni multa beneficia, simul tenere, per licentiam peccandi fas esset; alter verò licet Ecclesiæ Dei multum proficuus, vix non emendicato viuere cogeretur. Quasi verò in pluralitate beneficiorum vicariâ operâ munus pastorale adimpleri possit. Non sufficit curato (vt cum doctissimo

Hugone in cap. 1. Epistolæ D. Iacobi loquar) habere bonos & sufficientes coadiutores, quorum diligentiâ & solicitudine nitatur, nisi præsens ipsemet resideat. Quia multa passim eueniunt in cura animarum, quibus sola opera & industria ministri non sufficit. Sic Eliseo non satis fuit Giezi puerum suum misisse cum baculo ad suscitandum filium viduæ, qui licet omni celeritate & solicitudine perrexerit, & iussa Prophetæ expleuerit; puer tamen non reuixit, nisi præsente Eliseo, & se super defunctum puerum incuruante, ac suo calore spiritum & vitam eidem impertiente. 4. Reg. 4. Moyses pariter licet ipsius Dei iussu & voluntate, Aaronem suum coadiutorem in regimine populi constituerit; ipso tamen absente, populus relicto vero Deo, ad idololatriam vituli deflexit, dicens: *isti sunt dij, qui eduxerunt nos de Ægypto.* Et Christus quousq; humanis oculis conspiciendus cum hominibus conuersaretur, non per alium, sed ipsemet curam Pastoralem exercuit, & non nisi post suam resurrectionem eam Petro commendauit. Tu Illustrissime & Reuerendissime Princeps, pastorali Tua vigilantia, ita ad pristinam normam omnia reuocasti, vt nemo quidquam auderet, nisi quod liceret. Nam in promouendo diuino cultu, & implendis ad amussim sacrorum conciliorum sancitis, ita Te omnibus in exemplum proposuisti, vt quicunq; vitam Tuam spectaret, innocentissimum: si mores? sanctissimum: si mentem & animum? candidissimum: si denique pia opera? Religione in Deum, meritis in patriam, liberalitate in pauperes, integerrimum Te agnosceret. Neq; mirum? quid enim in Te vel leui censura dignum inueniri potuit, qui ab ipsa statim inuenili ætate sirenas præternauigasti.

Taceo summam Tuam prudentiam, in deligendis ad pascendum gregem Domini, aliasq; functiones Ecclesiasticas pro dignitate sustinendas viris. Neminem enim ad hoc munus admittis; nisi literis & moribus benè excultum: probè sciens quantum exoriatur damnum, quando desunt, qui gregem Domini scientiâ pascant. Tunc enim iuxta desiderium cordis sui nemo non ambulat, malitia omnem excedit mensuram, plebs emendari non sustinet, dùm ignorantia offunditur mentibus. Multarum quidem rerum ignoratio est pernicioſa, sed diuinarum & salutem humanam concernentium pernicioſissima. ideò non pateris coruos luscinijs honoratiores fieri, sed quos doctrinâ & pietate conspicuos vides, illos summo amore prosequeris; quibus autem scientiæ, & vitæ inculpatæ talenta desunt, in eos laudabili zelo seueriùs animaduertis, ne simul cum iniquitate crescat peccandi studium.

Verùm

Verùm, ne diutiùs tua prohibente modestia excurram, ad meum opus Concionatorium redeo, quod Tuæ ILLVSTRISSIMÆ Celsitudini humillimè consecro & dedico. Cui enim meliùs opusculum istud potuit offerri, quàm Tuæ Celsitudini, qui toties ipsemet verbum diuinum (vt antiquos illos Sanctos Antistites, Ambrosios, Augustinos, Basilios, Chrysosthomos, Gregorios, Cyrillos ad viuum repræsentares) cum tanto feruore prædicasti, vt nemo qui aderat, & audierat, non melior abiret. Rarus hic est in nostra Polonia Antistitum Zelus, & eam ob causam tantò in maiori admiratione ac veneratione habendus, quòd verè Apostolicam perfectionem secum trahat. Hoc enim primario à suis pastoribus requirit Deus. Hieremiæ 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Adeò vt teste Gregorio Nazianzeno eum qui pastoris munus suscipit, non sufficiat à scelerum contagione purum, & ad summum virtutis fastigium euectum esse, nisi simul scientiâ & sapientiâ plenus habeatur. Quod comprobat S. Hieronymus super Epistolam 4. ad Ephes: *Neq; ait in Ecclesia quisquam quamuis sanctus, pastoris munus sibi vsurpare debet, nisi possit docere eos, quos pascit.* Hinc meritò D. Paulus pastores & Doctores copulatiuè coniunxit. 1. ad Timot. 3. *Oportet Episcopum Doctorem esse.* ad ostendendum (vt ore S. Thomæ loquar) quòd proprium officium pastorum Ecclesiæ sit, docere ea quæ pertinent ad fidem & bonos motes. Quis hoc in Tua Illustrissima Celsitudine omnibus numeris absolutissimum non agnoscit? Qui non tantùm humanam scientiam exhausisti, sed & sacratum literarum peritissimus haberis, adimplens monitum D. Ambrosij in Epistola dedicatoria ad Apologiam Dauid: *Nemo*, inquit, *loqui potest, nisi qui scripturas omnes penitus exsuxerit, imbiberit, concoxerit, tantoq; vsu contexerit, vt in naturam abijsse videantur.* Vt profectò vas legis, & sacratum scripturarum armarium dici merearis, & quod olim de S. Augustino dicebatur, quòd eum nullum Scripturæ sacræ oraculum lateret, Epistola 3. ad Volusianum: *Legi deest, quidquid Augustinus ignorat*, hoc de Tua Reuerendissima Celsitudine meritò dici possit. *Legi & Sacris Canonibus deest, quod Trzebicius ignorat.* Accipies itaq; benigna fronte, Conciones à tuo Concionatore, quem ex Tua Perauguſta Cathedra tot annorum spatio prædicantem attenta aure auscultasti. Accipies Ecclesiasticum opus vt Antistes à Sacerdote, vt Doctor à profitente doctrinam, vt Cancellarius Academiæ Cracouiensis, à Professore eiusdem Vniuersitatis.

FACVL-

FACVLTAS MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.

PArtem Hybernam Concionum Admod. Reuerendi D. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI, *Sacræ Theologiæ in Academia Cracouien. Professoris. Canonici S. Floriani, Concionatoris festiuitatum in Ecclesia Cathedrali Cracouien. nullius erroris suspectam esse, imò multiplicem eruditionem continere, SS. Patrum, & Ecclesiæ Catholicæ conformem, & Apostolicum Spiritum vbiq; redolentem, cum luculento testimonio nobis comprobassent ij, à quibus summa diligentia hoc Opus reuisum, & examinatum fuerat, proinde ad communem omnium vtilitatem imprimi permisimus. Datum ex Ædibus nostris ad S. Florianum, Die 10. Septemb. 1666.*

M. STANISLAVS JVRKOWSKI, S. T. D. & Professor, ad S. Florianum Præpositus, Opatouien. & S. Georgij in Arce Crauouiñ. Custos, Academiæ Cracouien. Procancellarius, & GENERALIS RECTOR

APPROBATIO.

PArtem Hyemalem Concionum pro festiuitatibus Christi, Beatæ Virginis, aliorumq; Sanctorum, continentem Conciones à prima Ianuarij vsq; ad vltimam Iunij, ab Admo. Reñ. M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI *in Vniuersitate Cracouiensi Sacræ Theologiæ Professore, Canonico S. Floriani, Ecclesiæ Cathedralis in Arce Cracouiensi Concionatore, conscriptam legi, & examinaui, nihilq; in ea Catholicæ fidei, aut bonis moribus aduersum contineri vidi, quin imò mira eruditione refertam, & ad Concionatorum vtilitatem summè accommodam perspexi; proinde vt in Publicum prodeat, iudico.*

M. ALBERTVS PAPENKOWICZ Vstiensis, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Custos, Prothonotarius Apostolicus, Cancellarius Lancicienſis. mp.

COnciones *de Sanctis à* M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI *conscriptas, à Festo Circumcisionis Domini, vsq; ad SS. Apostolorum Petri & Pauli, mihi specialiter ad reuidendum commissas, attente legi, nihilq; in illis à sancta doctrina alienum, sed omnia ad mores in melius formandos vtilia, & accommodata reperi; idcirco vt typis mandentur, dignas iudicaui.*

M. NICOLAVS SVLIKOWSKI, In Vniuersitate Cracouiensi S. T. D. & Professor, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Canonicus.

DIE



DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI,

CONCIO PRIMA.

Postquàm consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer. *Lucæ 2.*

Ostenditur, scopum Circumcisionis Domini hunc fuisse, vt diuina sponsalia cum Dei Filio, mediante hoc signo, Anima fidelis contraheret, & ad regium sponsæ fastigium eueheretur.

LEGE Diuinâ præscribente, octauo Die Circumcisionem fieri debuisse apud Hebræos nouimus ex Sacris literis. Gen. 17. *Infans octo dierum circumcidetur ex vobis.* Gen. 17. Et Leuit. 12. *Die octauo circumcidetur infantulus.* Leuit 12. Imò & in nouo testamento, palam id fatetur Apostolus Lucæ 1. *Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum.* Lucæ 1. Tum ideò, quia dies ille, spiritualem & æternam vitam indicabat, vt Diuus Cyprianus Serm. de circumcisione, & D. August. Serm. 15. de verbis Domini. alijq; testantur. Circumcisio cur octauo die prescripta. Tum quia ille dies, erat maximè salutaris, cùm post septimum, qui criticus, & feralis dicitur, sequeretur: & in quo iam infans esset firmior, ac vegetior ad dolorem sustinendum, vt vult S. Thomas 3. p. q. 70. art. 7. ad 3. S. Thom. Verùm, dùm circumcisionem in sacratissimo Christi corpore, octauo die peractam esse considero, stupore obruor. Nam circumcisio, ad expiandam originalem culpam, primò instituta est, vt constat ex capitulo *Maiores*, de baptismo, & communi consensu Theologorum, qui id deducunt ex Scriptura Sacra Gen. 17. *Masculus, cuius præputij caro, octauo die, circumcisa non fuerit, delebitur anima eius de populo suo.* Gen. 17. Circumcisio instituta ad delendum originale peccatũ. Cùm autem Christus immunis fuerit à labe originariâ, videtur minimè decorum fuisse, vt circumcideretur. Hinc D. Bernardus non sine graui admiratione, infantem IESVM alloquitur Serm. 1. de circumcisione. S. Bernar. *Ad quid tibi circumcisio necessaria, qui peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quòd ipse non feceris, ætas manifestat; quòd non contraxeris, multò certiùs probat, & Patris diuinitas, & matris integritas.* Fuit præterea instituta circumcisio, ad populum Hebræum ab alijs gentibus distinguendum, & diuino cultui consignandum: ita enim loquutus est Deus ad Abrahamum Gen. 17. *Hoc est pactum meum, quòd obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te, circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, &* Gen. 17.

m, *& vos.* Et clariùs id teſtatur Ioſephus Hebræus lib. 3. Antiquitatum, de circumciſione ita ſcribens : *Voluit Deus hac corporali notâ inſigniri gentem noſtram, quâ ſcilicet manifeſtè ſecerneretur, & ſegregaretur à cæteris gentibus, videlicet, ne cum illis permixta & confuſa, flagitioſos quoq; earum mores, fœda inſtituta, iniquas leges, impias ſuperſtitiones ſequi vellet.* Cui ſententiæ ſubſcribunt Theologi cum S. Chryſoſth. hom. 39. in Gen. Theodoreto. q. 3. alijſq; Patribus, aſſerentes circumciſionem ordinatam fuiſſe, in ſignum diſtinctiuum populi ab alijs gentibus. Hæc autem ratio locum in Chriſto habere non potuit, cùm eius humanitas hypoſtatico nexu diuinitati coniuncta, omni perfectiſsimo modo ſancta, & impeccabilis reddita facta eſſet. Proinde ſignum circumciſionis, ad illum diſtinguendum ab alijs gentibus, ne earum prauis moribus inficeretur, diuinoq; cultui addiceretur, impertinens videtur eſſe. Præſertim cùm Chriſtus ab æterno Patre, ad omnes ſuo ſanguine redimendos mitteretur, vt docet S. Paulus Rom. 1. *Non eſt* inquit, *diſtinctio Iudæi & Græci: nam ipſe Dominus eſt omnium*, ergò non videbatur ei conuenire, ſignum diſtinctiuum circumciſionis. Fateor equidem, Chriſtum non fuiſſe ſubiectum præcepto circumciſionis, tum quòd eſſet Deus & homo, immunis ab omni maculâ peccati. Tùm, quòd non ex virili ſemine conceptus eſſet, ſed Spiritu Sancto obumbrante; lex autem circumciſionis eos duntaxat ſtringebat, qui ex ſemine virili, conſueto modò geniti eſſent. Vt ingeniosè obſeruat Gerſon, verba illa, *vt circumcideretur puer*, explicans Serm. de circumciſione tali modo. *Verba hæc* ait, *obligationem quandam inſinuare videntur, ſed opportunitatem & congruentiam, vt circumcideretur Chriſtus, reperio; obligationem verò nequaquàm : niſi fortaſſè aliquis hic arbitretur, quòd circumciſio originalis criminis labem expiabat; at hic prorsùs ab eadem ſemper extitit alienus. An, quia Mater ſuſcepto ſemine conceperat? At hæc reſpondebit : quoniam virum non cognoſco.* Nihilominùs, decuit Chriſtum circumcidi. Vt docet S. Thomas 3. p. q. 37. art. 1. imprimis ex eo, vt oſtenderet veritatem carnis humanæ, contra Manichæum, qui aſſeruit eum habuiſſe corpus phantaſticum : & contra Apollinarium, qui tenuit, corpus Chriſti eſſe diuinitati conſubſtantiale; & contra Valentinum, qui dixit, Chriſtum de cœlo corpus attuliſſe. Præterea, vt Chriſtus approbaret circumciſionem, quàm olim Deus inſtituerat, vt ingeniosè aduertit Euſebius Emiſſenus homil. in Octaua Natiuitatis Domini : *Ideò* inquit, *Chriſtus circumciſus eſt, vt legem compleret, & bonam eſſe oſtenderet, cum eſſet actus religionis, & actio ad diuinum cultum ordinata ex Dei inſtituto.* Deindè, vt comprobaret ſe eſſe de genere Abrahæ, qui circumciſionis mandatum acceperat in ſignum fidei, quàm de ipſo habuerat. Sic cenſet D. Auguſt. lib. quæſt. noui teſtamenti, q. 22. vbi dicit : *Ideò debuit circumcidi, vt ipſe probaretur eſſe, qui promiſſus Abrahæ eſſet, ita vt cæterorum circumciſio ceſſaret, impleta promiſſione.* Tum, vt Iudæis omnem præriperet excuſationem, ne eum reciperent, ſi eſſet incircumciſus. Vt rectè obſeruat Sanctus Epiphanius lib. 1. hæreſi 30. inquiens : *Vt non haberent Iudæi excuſationem : ſi enim non fuiſſet circumciſus, poterant dicere, non potuimus Chriſtum ſuſcipere.* Tandem, vt legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret, iuxta illud Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Quocirca in hodiernâ concione, conabor oſtendere, Chriſti circumciſionis, non alium finem fuiſſe, niſi vt diuina ſponſalia, cum Dei Filio, mediante hoc ſigno, anima fidelis contraheret, & ad regium ſponſæ faſtigium eleuaretur.

Magnis difficultatibus, & impenſis, ſponſalia pluribus ſtetêre : Oedipus non priùs Locaſtam Laij Regis Thebarum Viduam, in coniugem ſimul cum regno accepit, donec ænigma il-

Ioſephus.

S. Chryſo. Theodore.

Chriſti humanitas perfectiſsimo modo impeccabilis.

Rom. 1.

Chriſtus legecircumciſionis non tenebatur.

Gerſon.

Chriſtus quinq; de cauſis circumciſus eſt.

Euſebius Emiſſen⁹.

S. Auguſt.

S. Epiph.

Galat. 4.

Sponſalia difficillima.

gma illud, quodnam animal esset, & quadrupes, & bipes, & tripes, dissoluisset. Dauid non priùs Michol filiam Regis Saul, in vxorem accepit, donec ducenta præputia Philistinorum à se cæsorum, Regi præsentasset. 1. Reg. 18. *Et Percussit ex Philistijm ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt esset gener eius.* Nulli tamen pluris coniugium stetit, quàm Christo cum anima fideli, quàm vt sibi in perpetuum desponsaret, seipsum exinaniuit, præputio carnis suæ illam cóêmens, vt testatur Apostolus Philipp. 2. *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quid opus erat Christum, de sum̃a illa gloriæ, splendoris, diuitiarum, atq; deliciarum suarum plenitudine, seipsum exinanire? Nonne satis erat, quamcunq; diuitiarum suarum partem homini largiri, quin sese totum in illum euacuaret, atq; diffunderet? Num forsan quia non est moris Deo, minutatim se & per partes erogare, quin totum se dedat? sic puto, non nemo opinatur: potissimùm ex eo fundamento, quòd natura Christi, ita summè benefica ac Regia sit, vt in benefaciendo mensuram nesciat, sed vltra supplicum vota, dona sua & beneficia promoueat: eoq; liberaliorem se exhibeat, quò de tenuioribus, ijsque, qui vicem ipsi reddere non possunt, optimè meretur. Sic protestatur Apostolus Ioan. 3. *Non enim dat Deus Spiritum ad mensuram.* Quasi apertiùs diceret: Deum non parcè, & ad mensuram, sed profusâ liberalitate, dona sua distribuere, vt eleganter discurrit S. Cyprianus Epistolâ 2. ad Donatum inquiens: *Non enim, qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere cælesti, mensura, vel modus est, profluens largitor Spiritus multis finibus premitur, nec cóercentibus claustris, inter certa metarum spatia frenatur, manat iugiter, exuberat affluenter.* Quod maximè corroborat illud Euangelistæ dictum, Lucæ 6. *Mensuram bonam & confertam, & coagitatam,*

1. Reg. 18.

Philipp. 2.

Deus non consueuit se per partes erogare.

Ioan 3.

S. Cypria.

Lucæ 6.

A *& supereffluentem, dabunt in sinum vestrum.* Vbi incomprehensibilium Dei beneficiorum, ea inducitur mensura, quæ sine mensurâ sit: dùm non solùm bona, quòd ad mensuræ rationem, tantummodò requiritur; sed coagitata etiam, & supereffluens, quæ modum nesciat, sed excedat, asseritur. Vt argutè notat Theophylactus inquiens in hunc locum: *non enim parcè remetietur Dominus, sed opulenter; sicut igitur mensuras farinam, accumulas, concutis, exundareq; facis, non quidem absq; parsimoniâ metiri vis, ita & Dominus mensuram magnam & exundantem dabit tibi.*

Theopylactus.

B

Quod omnino ita esse, certis conijcite documentis: bonus ille latro, eodem tempore cum Christo cruci appensus, solùm orabat, vt Christus post suam passionem, regno & dominio in vniuersum mundum potitus, eius non immemor existeret. *Memento mei Domine, dùm veneris in Regnum tuum.* Lucæ 23. At verò Christus, humilem eius petitionem benignè suscipiens, non tantùm se illius recordaturum aliquando respondit, sed qui supplicum preces & vota excedit, regnum suum, eodem̃et die liberaliter donaturum, pollicitus est: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso.* Quæ verba S. Ambrosius lib. 10. in Lucam ita exponit: *Vberior est gratia, quàm precatio: semper enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur, ille rogabat, vt memor sui esset, de Domino autem sequitur, hodiè mecum eris in paradiso.* En quanta Christi beneficiorum mensura, coagitata, & supereffluens in sinum boni latronis effusa est. Quid est pro Deum immortalem! duo petitores in conspectu Christi Domini crucifixi, bonus scilicet latro, & malus, clamabant. Malus sic orationem suam orsus est: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* bonus verò dicebat: *Domine memento mei, dùm veneris in regnum tuum.* Et tamen vtroq; orante, ad priorem, quasi eius vocem non exaudierit, nihil Dominus fertur respondisse; cùm tamen bono

Lucæ 23.

C

Ibidem.

S. Ambro.

D

Lucæ 23.

statim annuerit, respondens : *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso.* Causam non aliam video, nisi quia malus latro, sola temporalia petebat, & ideò ad eius petitionem, clausas aures Dominus habuit. Ostendens, nihil eum petijsse, qui malè peteret. At verò boni latronis oratio, cùm in cœlestia & æterna tenderet, perniciſſimo volatu ad Dominum peruenit. Audite Venerabilem Drogonem hac de re discurrentem, Serm. de Sacramento Dominicæ passionis:

Drogo. *Latro* inquit, *fuerat, quandò latebat ante confessionem, iustus autem post orationem. Quid enim orauit? Memento mei, dùm veneris in regnum tuum, ô magna fides, ô magna spes, o magna charitas : orat pro futuris, non pro præsentibus : non vult de cruce deponi, sed in regno Christi reponi; quid enim est aliud dicere, nisi cum D. Paulo obsecrare : Cupio dissolui & esse cum Christo.* Sic est Catholici mei, sic : non exaudiuntur à Domino, qui pro temporalibus orant. Quod ingeniosè deducit S. Augustinus, in illo Psal. 21.

Psal. 21. *Clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Ostendens, homines, siuè felicitatem, sub diei nomine orantes; siue ab aduersitate, quæ noctis vmbra denotatur, se liberari petentes, magno iure, nec minori pietate, non exaudiri, eò quòd insipienter petant, neq; noui testamenti asseclæ esse videantur. Sic enim Epistolâ 120. de gratia noui testamenti, ad Honoratum scribit : vnde sequitur Psalmus & dicit : clamabo ad te per diem, & non exaudies; & nocte, etiam hic subauditur, nec exaudies. Sed vide quid adiungit, & non ad insipientiam mihi.

S. August. *Hoc ergo dicit, nonne quidem exaudies clamantem per diem; id est; in rebus prosperis, vt eas non amittam; & nocte; id est, in rebus aduersis, vt prospera, quæ amissa sunt, redeant verùm hoc mihi non ad insipientiam facies, sed potiùs, vt sapientiam, quid iam per noui testamenti gratiam à te expectare, quid desiderare, quid poscere debeam.* Ergò dùm rectè petimus, dùm æterna & salutem concernentia postulamus, Deus nostris orationibus facilè annuit.

Sumite & alterum istius supereffluentis Dei beneficiorum mensuræ documentum. Dùm Christus à tumultuante Pharisæorum satellitio capi deberet in horto, Petrus inconsulto amore Magistri accensus, Christi passionem armis impedire voluit. *Extendens manum exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Mat. 26. Matt. 26. Quid autem clementissimus & patientissimus IESVS? non ad pugnam incitauit discipulos, sed vt gladium reponeret, Petro imperauit percutienti, *conuerte gladium tuum in locum suum.* Ibidem. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum.* Ad quid obsecro duodecim legiones Angelorum? nonne paulò ante, omnes illos satellites, vnico verbo prostrauit, vt retrorsùm caderent? nonne vnum tantùm Moysi promisit Angelum, debellaturo Chananæorum Amorrheorumq; populos innumerabiles, vt filios Israèl ad terram promissionis introduceret? cur ergo tunc Patrem duodecim Angelorum milliones missurum asseruit? Si ipse rogasset. Si enim de custodia suorum amicorum res agebatur, nonne vnus Angelus ad id præstandum suffeciſſet? Ita quidem : sed magna vis amoris atq; solicitudo erga amicos, parum faciebat vnum, nisi legiones ad amicos custodiendos sanctissimus mitteret Pater. Si verò de inimicorum ageretur debellatione, vnus tantùm sufficientissimus æstimaretur. Hinc ad expugnandos Chananæos, vnus Angelus destinatus; ad custodiendum verò amicos, eorumq; animos sedandos, non vnus, sed Angelorum legiones promittuntur. Quemadmodùm discurrit Sanctus Chrysosth. homil. 85. in Matthæum : S. Chryso. *Etenim si vnus Angelorum, centum octoginta quinq; milla armatorum hominum interfecit, quid facerent duodecim legiones in mille viros. Ita ad imbecillitatem atq; timorem eorum, qui ma-*

tu iam

tu iam semimortui erant, orationem accomodauit. Verùm, quoniam tunc vndecim erant Apostoli cum Christo, cur legiones duodecim mittendas à Patre intulit, ad quid enim duodecima? Respondet Laurentius de Aponte tom. 1. in Sap. Salomonis, ad custodiam ipsiusmet Christi Domini: qui licet Princeps ac Dominus esset, soloq; antea eos flatu prostrasset; tamen vt amicus egit, nec plus videri appetijt, quàm vnus ex illis, quod signum amicitiæ perfectissimum est. Tantum ergò Christus æstimabat suos amicos, vt non plus custodiæ propter se, quàm propter illos desideraturus esset, nec æstimaret amplius patrem missurum proter se; quàm propter amicos. Quoniam igitur vndecim erant Apostoli, & ipse Dominus duodecimus, ideò duodecim legiones missurus erat pater, ad eos custodiendos.

Christus cur duodecim legiones Angelorum a Patre mittendas asseruit.

Quis hæc capiet? prospiciebat æternus Pater Christum in dæmonis manibus, quandò super montem & templi pinnaculum cum secum tulit, & tamen tunc nullos submiserat Angelos, reputans solum Christum sufficturum. Cùm autem in hortum turba satellitum ad eum capiendum descenderet, tot Angelorum legiones pater submissurus erat. Ne miremini: crudelius enim & potentius bellum est cum hominibus malis, quàm cum ipsis dæmonibus, ideò, non vno Angelo, sed millionibus Angelorum, opus contra illos. Sic cum Iacob, non cum dæmone, sed cum homine bellum haberet, fratremque pertimesceret, non vnum Angelum, sed castra Angelorum misit Deus. Quod eleganter obseruans Procopius ita fatur: *castra apparuerunt Iacobo, ne formidaret Esau fratrem, scilicet cogitando, quòd Dominus exercituum ipsum protegat, eiusq; sit adiutor, & auxiliator Deus Iacob.* Vt ergo fratrem non timeret, non quomodolibet se ostendere voluit Deus, sed Deus exercituum, hoc est; potentissimus, fortissimus. Ita sanè terribilis est homo, ita bellum eius formidabile, vt ne vincatur iustus, necessarium sit, vt in medijs consistat Angelorum castris, non tantum vt ab illis defendatur quomodolibet. Audite D. Hieronymum, appositè ad id alludentem, *ad fratrem* inquit, *iturus inimicum, Angelorum se comitantium excipitur choris.* Cui subscribit S. Chrysosth. *Postquàm ait, cessauit timor Labani, excepit eum timor fratris, propter hoc misericors Deus animare iustum volens, & omnem metum eius discutere, fecit vt Angelorum castra videret.* Cùm igitur de vitæ ipsiusmet Christi incolumitate ageretur, ille non in sui, sed in suorum discipulorum tutelam, Angelorum legiones impetrare paratus erat, ne Apostolis, vt humano modo loquar, auxiliares manus deessent, sibi quodammodò Angelicum obsequium denegans. Quoniam charior illorum; quàm propria vita ipsi erat: Vnde nefarijs satellitibus, qui eum comprehensum veniebant, dixit: *Si ergo me quaritis, sinite hos abire.* Ioan. 18. Imò cùm duodecim Apostoli essent, non duodecim tamen legiones, sed plusquàm duodecim, ad ipsorum munimentum ex Christi dispensatione diceret affuturas, quòd scilicet non fuerit solitus beneficia ad mensuram dare, sed cumulatissima, ac supereffluens eius mensura sit.

S. Hiero.

S. Chryso.

Ioan. 18.

Procopius.

Hinc Dei Filio proditor Iudas grauiter infensus erat, quòd de ipsius bonitate ac beneficâ naturâ, tàm malignè anguste; sentiret, vt ipso sese liberaliter diffundente, & quòd caput rei est, pro nostrûm omnium salute exinaniente, vnguentum illud pretiosum, à Maria Magdalena in caput eius effusum, singulis minutatim vellet diuendere. Matth. 26. inquiens: *Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multis, & dari pauperibus.* Vnde D. Ambro. lib. 1. de virginibus, cùm de hoc vnguento exinanito dixisset: *Ipse Dei Filius iam corpore, tanquàm in vase odorem primò cohibebat, suum operiens tempus, venit hora, aperuit os, exiuit vnguentum, quando virtus de illo exibat.* Mox ad virgi-

Iudas cur Christo infensus.

Matt. 26.

S. Ambro.

nes sermonem conuertens subijcit. *Accipe vas tuum virgo, & accede, vt possis hoc vnguento repleri. Accipe vnguentum æstimatum, trecentis denarijs, sed gratis datum, non venditum, vt gratis haberent. Gratis virgo vngere, noli contristari sicut Iudas; quia hoc vnguentum effunditur.* Sed audi ô maligne Iudas! totus auaritiæ turpi deditus, homo nimis angusti animi, tibi ipsi non constans. Si enim Christo magnam excellentiam inde tribuis, quòd pretiosum illud vnguentum, super caput ipsius effusum sit, cur hinc regiam ipsi liberalitatem & magnificentiam denegas, dùm istam effusionem perditionem vocas? Quòd enim sese totum ipse diffundat, & non potiùs lucrum è nobis sibi faciat, certum nostræ redemptionis documentum est. Cùm talis modus benefaciendi, soli Deo competat, qui solus assumptâ humanitate nostræ Author salutis & redemptionis esse potest. Vt testatur D. Iacobus cap. 1. *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Græca autem & Syriaca versio legit: *dat omnibus simpliciter.* Quomodò obsecro ista secum poterunt stare. *Simpliciter dare, & dare effluenter.* Quippè posterius hoc splendidam largitionem, prius illud parcam & quamcunque. Hoc secundum, superefluentem mensuram; illud primum, simplicem & iustam denotare videtur. Verùm si rem attentiùs perspexerimus, non diuersa duo illa, sed antilogiam sapientia inueniemus. Quid namq; aliud est, dare simpliciter, nisi affluenter dare. Non est profectò simpliciter, dare vtcunque, docente id Apostolo Rom. 12. *Qui tribuit in simplicitate.* Quæ verba duplicem sensum habent, vnum, vt qui tribuit, candidè id præstet, non respiciens ad retributionem: qui mos pluribus est, vt non alio fine tribuant, nisi quæstum ex donatione quærentes. De quibus Plinius Iunior lib. 9. Epistolâ 30. scitè nimiùm pronuntiat. *Volo enim eum qui sit verè liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis, sed amicis dico pauperibus: non vt isti, qui ijs potissimùm donant, qui donare maximè possunt, quos ego viscatis hamatisq; muneribus, non sua promere puto, sed aliena corripere.*

Dare itaq; simpliciter, est dare ex motiuo siue animo dandi, ipsâ liberalitatis specie, atque pulchritudine, nullâ verò aliâ externâ ratione, aut causâ, impellente; sub quo & simpliciter, & affluenter dare, conueniunt. Qui enim eo fine dat, vt det, & benefaciat; non parcè, & anguste, sed affluenter, & liberaliter tribuit; ad dandi splendorem & pulchritudinem, non ad causas, siue rationes, ob quas parciùs donet, respiciens. Talem in conferendis beneficijs modum, præscribit ipsemet Saluator noster. Lucæ 14. *Cùm inquit, facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; vicinos diuites, ne fortè te & ipsi reuocent, vt fiat tibi retributio: sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, cæcos, & claudos, & beatus eris.* Quia non placent Redemptori nostro amantes munera, & quærentes retributionem, cùm ille affluenter & superabundanter dare soleat. Hanc supereffluentem eius beneficentiam, pulchrè expressit S. Ioannes, patentes tàm militantis, quàm triumphantis Ierusalem portas describens. Apocal. 21. *Ab oriente* inquit, *portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab occasu portæ tres.* Ostendens quàm peruius, facilis, obuiusq; omni vitæ ætate, omni tempore, omni horâ, omni ratione, & modo, singulis hominibus, ad inexhausta Dei beneficia percipienda, aditus pateat. Sic ipsemet testatur Malachiæ 1. *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris.* Paraphrasis Hebræa vertit. *Ait Deus Sanctus, & benedictus Israëlitis: Filij mei, aperite mihi aperturam vnam pœnitentiæ, quantum est foramen acus, & ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas poterunt intrare currus atq; quadrigæ.* En, quot & quanti diuinæ affluentiæ thesauri,

Idem qui supra.

Iacobi 1.

Syriaca versio.

Quid sit dare simpliciter.

Rom. 12.

Plinius.

Lucæ 14.

Apoc. 21.

Malach. 1.

Hebræa versio.

sauri, de diuinis manibus in veros pœnitentes effundendi promittuntur, quasi de latissimis quibusdam canalibus, qui velut amplis curribus, atq; quadrigis, id est, magnis peccatoribus, omni criminum atq; delictorum pompâ, siue pondere onustis vndequaq; pateant. Nos profectò ingentibus vitijs onerati, tales incorpore vnigeniti filij Dei, ferro, clauis, lanceâ, spinis, fecimus aperturas, vt per eas currus, atq; quadrigæ possint intrare. Quia cûm illo, omnia nobis pariter donauit Pater æternus. Vulneratur hodiè infantile Christi corpus, vt sua in nos beneficia sine mensurâ effundat. Hæc est mens D. Ambrosij in Psal. 38. S. Ambro. *Semetipsum* inquit, *exinaniuit, vt nos repleret, atq; in carne hominis plenitudo diuinitatis habitaret.* Fundit sanguinem ex infantilibus membris IESVS, quo nostra fœtida crimina abluantur, vt erudite alludit Rupertus lib. 5. de diuino officio cap. 20. Rupertus. *Carne* inquit, *nostrâ, quasi linteo, cuius vtiq; materia nascitur è terrâ, præcinctus, sanguinem suum velut aquam effundit in peluim, atq; inde quotidiè lauat pedes nostros, cùm illum in remissionem peccatorum nostrorum sumimus.* Vulneratur innocens & infans IESVS, vt de vulnerata eius carne, efficacissima ægrotantibus nostris animabus medicina paretur, iuxta illud Cantic. 1. Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.* S. Ambro. S. Ambro. vertit, *exinanitum euacuatum.* Ita discurrit S. Bernardus, S. Bernar. Serm. 15. in cantica: *Et quid mirum ait, si sponsi effusum sit nomen, cùm ipse quoq; effusus sit? nam semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Effusa est plenitudo diuinitatis, habitantis supra terram corporaliter, vt de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, acciperemus, ac vitali odore repleti diceremus, oleum effusum nomen tuum.*

Quid obsecro causæ, quòd sapientissimus Salomon, Dei Filium, non alio, nisi vnguenti nomine Deum intitulet? quod aliorum medicinæ, voluptati, & delicijs destinatur. Nisi quòd velit innuere, vnigenitum Patris sese totum humanis vsibus exhibuisse, vt sua exinanitione, gloriâ, honore, & omnimoda voluptate repleremur. Sic censet D. Ambrosius qui odoriferi vnguenti metaphoram premens, lib. 3. de virginibus dicit: *Vnguentum exinanitum est, vt spiraret tibi.* S. Ambro. Quasi cum Plinio, immensum odoramentorum pretium carpens, simulque admonens, res odoriferas plus alijs, quàm ei, qui secum illas defert, deseruire: quoniam hic, præ consuetudine odorem vix sentit. Audite Origenem homil. 1. ex quatuor in Cantica: *Vnigenitus* inquit, *Dei Filius, cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, & formam serui accepit: exinaniuit autem de plenitudine sine dubio, in qua erat. Illi ergo qui dicunt, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, ipsi sunt adolescentulæ, quæ de ea plenitudine, ex qua ille se exinaniuit, & factum est vnguentum exinanitum nomen eius percipientes, dicunt post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* O mira res! *Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret.* Tertullia. inquit Tertullianus. *Totum se effudit, cùm se nostrâ mortalitate contexit, vt nos suâ immortalitate donaret. Tunc se totum nobis per viscera suæ pietatis effudit, cùm pro nobis circumcidi, & vel crudelissimè mori non recusauit; suâ enim sponte, se pro salute nostra deuouit. Hoc est nomen illud effusum, summa charitas, ardentissimus amor creatoris ad creaturam. Mortalis venit, vt nos redderet immortales: passus est aliquandò, qui semper est impassibilis, ne nos semper pateremur. Mortuus est semel, ne nos in perpetuum moreremur: descendit ad ima, vt nos tolleret ad superna, exinanitus est Dominus, vt excellentissimè dominaretur & seruus.* Chaldæus Paraphrastes in citatum scripturæ locum. Chaldæus. *Oleum effusum nomen tuum*, alludit ad oleum vnctionis, quo vnguntur capita Regum, & sacerdotum, vt ea ratione appareat, Dei Filium esse exinanitum, vt *nos gens sancta, & regale sacerdotium* essemus. Petri 2. Petri 2. Hinc meritò exclamat Ambr. lib. 2. in Lucam. *Ille igitur paruulus, ille infantulus fuit, vt tu vir posses esse perfectus; ille inuolutus in* S. Ambro.

tus in pannis, vt tu mortis laqueis sis absolutus, ille in præsepibus, vt tu in altaribus, ille in terris, vt tu in cœlis; ille alium locum in diuersorio non habebat, vt tu plures haberes in cœlestibus mansiones.

Erubesce ò homo, dùm Christum infantem in præsepio positum, vilissimis pannis inuolutum, & circumcisum consideràs, tui enim causâ hæc omnia incarnatus Dei Filius pertulit, teste Apostolo 1. Corint. 8. Corint. 8. *Scitis gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis.* Mira verborum emphasis, potiùs enim dicendum videbatur, *vt illius diuitijs vos diuites essetis*: quis enim alienâ inopiâ ditescere potest? verùm benè subsistit Angeli locutio: nam vt Christi diuitijs formaliter diuites reddamur, ad id humanæ salutis Sacramentum fuit, vt quò Dei Filius diuinitati suæ debitas diuitias in nos transferret, pauper ipse atque egenus fieret, vt eleganter id elucidat S. Gregor. Nazianzenus orat. 1. de paschate: Gregorius Nazianz. *Pauper* inquit, *factus est Christus, vt nos illius paupertate ditescamus; serui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus, descendit, vt euehamur; tentatus est, vt vincamus; contemptus est, vt nos gloriâ afficiat, mortuus est, vt seruet; ascendit, vt ad seipsum trahat, humi prouolutos in peccati lapsu.* Cui consentit D. Ambrosius lib. 1. in Lucam. S. Ambro. *Meum* inquit, *paupertas illius matrimonium est, & infirmitas Domini, mea virtus est, maluit sibi egere, vt omnibus abundaret.* Quid elegantius dici potuit, quàm paupertatem Christi, nostrum esse patrimonium. Patrimonium quippè, hereditas est à parente relicta, siue ius in paterna bona. Ergo è paupertate Christi, nostrum ius ad cœlestem gloriam oritur, dùm immortalitatis iura in nos ipse transmittit. Audite D. Bernardum Serm. 3. de Annuntiatione, Deiparam his verbis alloquentem: S. Bernar. *In te* ait *sola, Rex ille diues, & prædiues, exinanitus, excelsus, humiliatus, immensus, abbreuiatus, & ab Angelis minoratus est: verus denique Deus, &* A *Dei Filius incarnatus est. Sed quo fructu? nempè vt omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate subleuemur, eius minoratione magnificemur: eius incarnatione adhærentes Deo, incipiamus vnus spiritus esse cum eo.*

Hic est finis, qui mouit Dei Filium ad tantam exinanitionem, atq; euacuationem, vt se ad cruentam circumcisionem demitteret, vt hominem non solùm à peccati dæmonisq; seruitute redimeret, sed etiam ad altissimum, sponsæ suæ gradum B & honorem proueheret, præputio suæ carnis, tanquàm connubiali annulo. Præclarè hoc edisseruit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 27. inquiens: Tertullia. *Conuersabatur Deus, vt homo diuina agere doceretur: ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset.* Ergone possibile hominem ex æquo cum Deo agere? possibile equidem: quoniam amicitia, æqualitas, & coniugalis amor, identitatem inducit. Proindè cum Deus animam hominis sibi C in sponsam voluerit assumere, eadem ductus ratione, ex æquo cum illa debuit agere, vt ipsa vicissim cum illo, ex æquo pariter ageret. hinc tanta exinanitione atque sui-ipsius euacuatione Dei Filio opus erat, vt etiam formam serui accipiens, vulgari hominis habitu inter homines nasceretur, & in similitudinem carnis peccati circumcideretur, quo facto abiectæ hominum conditioni coæquari posset. Vnde D. Epiphanius hæresi 55. Christum pro nobis omnia D in omnibus factum proclamat; vt vitam in nobis omnibus modis, qui nobis maximè vtiles essent, refunderet. *Pro toto* inquit, *mundo obtulit se,* S. Epiph. *ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ouis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, vt nobis vita omnibus modis fieret.* Quasi manifestiùs loqueretur, Dei Filius, summa pariter & ima in se coniunxit, vt dùm ipse & homo & seruus, & victima factus est, homo pariter Rex & Deus quodammodò fieret. Quæ

Christi paupertas est nostrũ patrimonium.

vnquàm

vnqnàm mens, tàm ambitiosa atque insatiabilis, tàm excelsarum cogitationum inuentrix extitit, vt sperare, aut cogitare posset, hominem ad Dei connubium aliquandò assumendum. Quod diuino Spiritu prædixit Isaias cap. 62. *Gaudebit* inquit, *sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* Quasi diceret; ardentî flagrabit amore, & te ô anima hominis in vxorem ducet, atq; optatis nuptijs perfruetur.

Isaiæ 62.

Hoc Christi connubium cum anima hominis, per Oseam prædixit Deus incarnatus: *Sponsabo te mihi in sempiternum & sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus.* In quibus verbis, promisit Dei Filius, ita sponsæ suæ se adhæsurum, vt non modò æqualis, sed vnum cum ipsa, in misericordia, & in miserationibus fieret. Ita eam excellenter nupturam, & in matrimonio Dei sui collocandam, vt adhærens Deo in iustitia & iudicio, vnus spiritus fieret cum eo, hoc est; diuinæ naturæ consors effecta. Promisit se strictissimum illud matrimonij ius ad Ephes. 5. descriptum, ad vnguem impleturum. *Propter hoc relinquet homo Patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Ergonè fieri potuit, vt æternus Dei Filius Patrem reliquerit, qui indiuiduam cum ipso naturam retinet? Equidem potuit fieri: quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Quid est enim aliud Dei Filio relinquere Patrem, nisi se ad humanam demittere conditionem, & ita cum anima hominis conglutinari, vt ambo vnum quodammodò fiant. Ita loquitur D. Anselmus ad citata Apostoli verba: *Homo* inquit *iste mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus significabatur, qui reliquit Patrem.* quandò semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. *Ita enim reliquit Patrem, non quia deseruit, & recessit a Patre, sed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri.* An non magna æqualitas, quandò Dei Filius, eandem serui formam, in qua existebat sponsa, accepit, & ad eius similitudinem atq; mensuram, sese contraxit, & composuit. Quod subtiliter enucleat Petrus Abbas Cellensis lib. de panibus Cap. 21. *Quia* inquit, *sponsus Gigas est magnitudine, sol pulchritudine, leo fortitudine, abyssus scientiæ profunditate, Deus æternitate: sponsa verò puella ætate, paruula quantitate, Ætiopissa coloris nigredine, femina debilitate, fatua in omni prudentia & arte, idcircò in thalamo contraxit se, paulo minoratus ab Angelis: exuit se vestimentis gloriæ, accinctus cilicio, deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate; abscondit sapientiam, vt in derisum esset omni populo, æternitatem dissimulauit, factus sub sole, vt quasi cum tempore temporaliter curreret, nec deficeret, os illud Altissimi collatum & coarctatum est modicitati oris Sponsæ; manus tornatiles, quæ cælos tetenderunt, affixæ sunt manibus vulneratis, conuulneratæ, pedes cum pedibus compeditis adhæserunt; venter vtri agglutinatus est.*

Ephes. 5.

S. Anzel.

Petrus Cellensis.

Inaudita prorsùs sponsalia, exinanitione Filij Dei inchoata, hodiè ipsa eius circumcisione consummantur, cuius exinanitionis ea conditio, & natura est, vt per illam non solùm sponsus, sponsæ suæ similis in forma serui fiat; sed sponsa etiam ad sponsi dignitatem & splendorem euecta, diuinæ naturæ consors euadat, vt homo maximè dignificatus fieret. Ita enim Deus seipsum exinaniuit, vt tantum homini deferret, quantum sibi detraxit. Vnde cùm olim diuina vestis, candidi coloris fuerit: *Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda* Daniel. 7. Humana autem sanguine infecta, sordida, ac rubra, quemadmodùm illam describit Isaias cap. 9. *Vestimentum* inquit, *mistum sanguine.* Dei Filius hodiè permutauit sua vestimenta cum homine, candida illi concedens, ipse verò de sanguine circumcisi corporis, rubra assumens. Sic de homine prophetauit

Daniel. 7.

Isaiæ 7.

Apocal. 3. S. Ioan. Apocal. 3. *Vestietur* inquit, *vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* De Christo autem Zachar. 3. Zacharias cap 3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis.* Exuit igitur se Dei Filius vestimentis gloriæ, tum vt ea cum sordidis sponsæ suæ vestibus commutaret, ad instar excellentis illius Principis Ionathæ, qui pretiosas & regias suas vestes, cum vilibus Dauidis comutasse fertur 1. Reg. 18. 1. Reg. 18. *Expoliauit se tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam Dauid.* Tum vt sponsæ suæ sordes in seipsum recipiens, pro ipsis, quod sibi esset glorioſum atq; splendidum, eidem impertiret, sanguinemq; suum, de circumciso infantili corpore, liberaliter profunderet, quo regia sponsæ purpura tingeretur. Vt ingeniosè subtilisat Petrus Cellensis, de sponsi thalamo sic loquens. Petrus Cellensis. *Ibi fiunt Sponsus & Sponsa vna caro, vna anima, & vnus spiritus. Sponsus refundit in sponsam, quidquid in se habet dulcedinis, quidquid honoris & poteſtatis, denuò mutua vicissitudine, resumit ab ea, quidquid paupertatis, quidquid amaritudinis, quidquid contumeliæ est, & passionis.* Ideò proinde candido maiestatis suæ vellere exui voluit, vt eò sponsæ suæ nuditatem operiret, & cohonestaret. Vt obseruat S. Hieronymus super cap. 53. Isaiæ. S. Hiero. *Qui non solùm sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, suâ veste calefaceret.*

Hanc ineffabilem felicitatem, quam ex hodierno connubio suscipit anima hominis, prædixerat olim sapiens Cant. 5. Cantic. 5. *Caput tuum vt Carmelus, & coma capitis tui sicut purpura, Regis vincta canalibus.* LXX verò, Theodoretus, & Græci legunt. LXX. *Caput tuum vt Carmelus super te.* Quasi dicere vellent: non aliter splendet caput tuum, quam si super te esset Carmelus, seu ea de causa, regio caput tuum ornatu splendet, quòd super te Carmelus insideat. Consulite mecum Hebraicas literas, & facilè ex ipsa nominum Hebraicorum interpretatione cognoscetis, Carmelum significare agnum circumcisum. Ideò Carmelus quid denotat. ergò capillos sponsæ, regiâ purpurâ splendentes, pronuntiat Scriptura sacra, quòd Christus vermis factus, siue Agnus circumcisus, hoc est, in similitudinem hominum exinanitus, sponsæ pro corona oblatus sit. Imò quid dico in similitudinem hominum, etiam in similitudinem carnis peccati, Dei Filium inuentum esse, proclamat Apostolus Rom. 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*, quòd Christi exinanitionem maximè demonstrat, & sponsæ dignitatem summoperè comendat. Quid enim Dei Filium magis dedecere videtur, quàm peccatoris imaginem præseferre. Quod accuratè videtur ponderasse Sanctus Euangelista, qui cùm non erubuerit Christi supplicia, & mortem sigillatim recensere, eumque grauiter illusum, palmis cæsum, Barabbæ posthabitum, à latronibus derisum, ac tandem in cruce, quòd summè ignominiosum erat, expirantem nobis proponere. Vbi ad circumcisionem ventum est, ipsum reapsè circumcisum fuisse, quodammodò erubuit referre. Sed calamo id surripiens, subintelligendam seu conijciendam potiùs, quàm literis apertè exaratam, Christi circumcisionem dereliquit, nam vbi protulit: *postquàm consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.* non subiunxit deinceps, *circumcisus est*: sed protinùs addidit: *Vocatum est nomen eius IESVS.* Quasi maximum circumcisionis ruborem referre subterfugiens; qui tamen palã & manifestè de Christo pronuntiauit: *Et hæc dicens expirauit.* Lucæ 23. Lucæ 2. Ibidem 23.

Opulentissimus Princeps Sichem, amore Dinæ Filiæ Iacob ardentiùs æstuans, illam sibi in vxorem à fratribus dari exposcebat, *conglutinata est anima eius cum ea.* Gen. 34. Gen. 34. Sed cùm fratres eius optimè nossent, primariam matrimonij legem esse sponsorum paritatem, siquidem inæqualitate periculosissimos latere scopulos, constans est omnium sapientum opinio. Hinc Socrates apud Valerium Max. lib. 7. cap. 22. dicere solebat:

Splendida coniugia periculosa.

lebat : *Splendida coniugia, vt aliquandò illustrant ; ita nonnunquàm funditùs domos euertunt.* Vnde illud Græcum adagium ortum est, quòd Solon apud Ausonium in Solone sic extulit : *par pari iugato coniux, quod impar est, dissidet.* Cæperunt recusare petenti, ne forsan cum soror eorum absq; dote esset, aut inæqualitas, aut inopia ipsi exprobraretur. Et licet ille, magnam sponsæ dotem, & quidquid ab ipso peteretur, libenter ac liberaliter se daturum pollicitus esset, inquiens : Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quod petieritis, tantùm date mihi puellam hanc vxorem. Textus Hebræus legit : *augete mihi valdè dotem.* Sed maiori emphasi Chaldæa paraphrasis exponit : *multiplicate nimis super me dotem.* Quasi diceret : monstrabo vobis modum, quo auferatur inæqualitas, quæ inter me, ac vestram sororem intercedit, regiumq; fastigium in quo sum constitutus, ad æqualitatem Dinæ dirigatur. Maximam atque splendidissimam è meis ego bonis dotem ei tribuam, vt dùm illa ditior, ego verò minus locuples, quam antea fuero, pares quodammodo sorte, & conditione maneamus. Non contenti tamen adhuc fratres Dinæ, nisi Princeps ad morem filiorum Abrahæ circumcidi vellet, responderunt, *Non possumus facere, quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso.* Vt sic eiusdem notæ ac characteris fiat cum sponsa sua Acceptauit libens & hanc conditionem : subdit enim Sacer textus ; *Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur, expleret ; amabat enim puellam valdè, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui.* LXX. verò legunt : *ipse erat glorioßissimus omnium.* Quis non videt in hoc facto, hodierni connubij, animæ hominis cum Christo figuram præcessisse ? vt enim æterni Principis incarnatus Dei Filius, animam hominis sponsam duceret, videns eam pauperrimam, ampliſſimam dotem, suam nimirum diuinitatem ei tri-

Gen. 34.

Ibidem.

LXX.

A buit, quâ illa è seruili sorte ad regiam fortunam ascenderet : *semetipsum exinaniuit*, ac circumcisionem, quâ cæteris hominibus per omnia similis fieret, libens lubensq; suscepit. Vt meritò aurea voce exclamet Chrysologus Serm. 72. *Et quidem Deitatis erga nos dignatio tanta est, vt scire nequeat, quid po issimùm mirari debeat creatura : vtrum, quòd se Deus ad nostram deposuit seruitutem, an quòd nos ad suæ diuinitatis rapuit dignitatem.* Chrysolo.

Quis ergò iam hominem con-
B temnere audebit, indissolubili connubio Filio Dei copulatum ? Fateor, si hominem primo intuitu, & leui oculo inspexeris, nihil ipso inanius, nihil vilius reperies, diuino id comprobante testimonio, Isaiæ 40. *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum statera, reputata sunt.* Ergo homo apud Deum momentum stateræ esse inuenitur, quòd vna ex parte per se expensus sese ipsemet deperdit, dùm pro fastigio se suo non metitur, & animam suam teruncij di-
C uendit, proinde minimi, nulliusque pretij ac ponderis sit. Si tamen ipsum accuratiùs introspiciamus, attentiùsq; expendamus, nihil illo pretiosius, illustrius, nihil diuinius comperiemus. Multum enim apud Deum valet, & vt quòd res est affirmem, non nisi diuinitate ipsâ, quodammodò metiendus sit. Quoniam in statera cùm Deo appensus, adeò fit momentosus, vt bilances dirigere, seu ad æqualitatem redigere, certa quadam ratione videatur. Quid
D enim Redemptionis nostræ opus, à Deo iustissimo rerum pensitore, munerum suorum, vt liberali, ita non prodigo largitore, nec suimet iniquo æstimatore, perfectum denotare dixeris ? Nonne Dei Filius pro hominis salute, ac redemptione solemni contractu inito exinanitus, & in statera appensus est ? vt ingeniosè fatur Eusebius Gallicanus homil. 2. de Symbolo, crucem bilancem faciens, in qua hinc hominis anima; illinc Dei vita, tanquàm pretium pro ea persolutum, velut in trutina

Isaiæ 40.

Eusebius Gallican. suſpendantur. *In trutina ergò crucis,* ait, *non aurum, vel argentum, non corpus aliquod Angelicum, ſed ſemetipſum paſſus eſt auctor ſalutis appendi, vt homini, qui à ſtatu degenerauerat, naturæ ſuæ dignitatem, vel ipſa oſtenderet pretij magnitudo.* Iure ergò momentum inſtatera homo dicitur, dùm pro ipſo, Dei vita, in trutina appenditur, & bilanci appoſita, in qua Chriſti ſanguis ſuſpenditur, æquilibrium quodammodò facere videtur. Hæc inæſtimabilis pretij magnitudo, pupugit vehementer D. Bernardum, vt præ ſtupore Epiſtolâ 54. exclamet; S. Bernard. *Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt: grauis animæ caſus, quæ non niſi cruce Chriſti potuit reparari.* Pupugit non mediocriter & D. Auguſtinum, qui in Pſal. 102. ex ratione contractûs, & ex legibus commutatiuæ iuſtitiæ, infinitum ſanguinis Chriſti, quem in circumciſione & in paſſione ſuâ effudit, pretium ita elicit, hominem alloquens: S. Auguſt. *Redempta eſt vita tua de corruptione, iam ſecurus eſto: initus eſt bonæ fidei contractus; nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumuenit, nemo premit; egit hic commercium, iam pretium ſoluit, ſanguinem fudit, ſanguinem inquam fudit vnicus Dei Filius pro nobis. O anima, erige te, tanti vales.*

Agnoſcite igitur Catholici, immenſum Dei erga vos amorem, qui ſe totum ſuper nos effudit. Circumcidi infantulus voluit, vt nobis, per omnia ſimilis fieret, animaſq; noſtras ſanguine ſuo ablutas, ad infantiam, doli & iniquitatis neſciam reuocaret. Magno pretio nos redimere voluit, quod non æſtimatur ære, ſed ſanguine: quia vt ore D. Bernardi loquar, Epiſt. 109. S. Bernard. *Diligit nos tanquàm viſcera ſua, tanquàm fructum pretioſiſſimum crucis ſuæ, tanquàm dignißimam recompenſationem effuſi ſanguinis ſui.* Et quoniam compenſatio, ex mente Iureconſultorum, eſt debiti & crediti inter ſe contributio, ideò agnoſcentes tantum Dei erga nos beneficium, agnoſcentes eius exinanitionem, noſtri cauſa in eius circumciſione factam, agnoſcentes demùm animas noſtras, per myſterium circumciſionis, Dei Filio eſſe deſponſatas, & ad regiam eius dignitatem euectas, & quodammodò deificatas, ne immemores & ingrati exiſtere videamur diuini beneficij, per humilem deuotionem, & ſpiritualem animarum noſtrarum circumciſionem, id compenſare ſtudeamus.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer. *Lucæ 2.*

Cauſæ circumciſionis Chriſti recenſentur.

NOn eſt in finibus humanæ mortalitatis, qui inſcrutabilia hodiè ſacri myſteria Euangelij perpendens, attonitus pænè non hæreat? Dùm ſpectat hinc infantulum, cuius tota ætatis menſura eſt, anguſtum octo dierum ſpatium; illinc verò audit eundem puerum, eſſe magnum, admirabilem, æternum, ante omnem diem permanentem, & omnem diem creantem. Quomodò ergo dicit ſacrum Euangelium; conſummatos eſſe dies octo, vt circumcideretur puer, cùm Philoſophorum Princeps, cum omnibus Peripateticis aſſerat; *Tempus eſſe numerum motus, ſecundùm prius & poſterius.* lib. 6. Phyſico. Puer autem hic, Deus eſt, qui ea pars motionis eſſe nequit, vt ipſemet teſtatur Malachiæ 6. *Ego Deus & non mutor.* quomodò ergo fieri poteſt, vt tàm exiguo tempore octo dierum menſuretur? cùm dicat de ſemetipſo Iſaiæ 48. *Manus quoq; mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos.* Deum autem cælorum ſpatia metientem, cæli motu definiri quis vnquam audiuit? Proponit nobis hodiernum Euangelium infantulum, adeò tenellum, vt præ frigore tremat, & horreat, qui tamen ſimul tàm va-

Aristoteles 6. Phyſic.

Malach. 6.

Iſaiæ 48.

tàm validus est, vt in cælo sonet, & horrenda fulmina mittat. Sistit obtutibus nostris puerum ita imbecillum, vt strictâ fascia ligetur; qui tamen pariter est adeò immensus, vt vniuersum cœli & terræ ambitum impleat. Hier. 23. *Cælum & terram ego impleo.* Producit infantem mortalem, & doloribus expositum; quòd signum ægrotantis est, simul tamen ostendit eundem esse natum de Virgine Matre, quòd signum est benè valentis. Atq; hæc duo contraria, in vno simul cohærentia puero, quem non conturbent? Deum esse, & tamen circumcisionis gladio subijci, quis non obstupescat? cùm sanguinem fundere alienum sit à Deo. Vnde Alexander Magnus, cum se Iouis filium mentiretur, transfixus tamen postea sagittâ in prælio, illico respuit, & errorem suum dignoscens, contra adulatores exclamauit. *O fallaces adulatores & impostores iniqui: sanguis me non esse Deum, manifestè clamat;* Sed quid recenseo Alexandrum, cùm & ipsimet Angeli, Christum in cælos ascendentem, propter sanguinis effusionem non agnouerint, cum admiratione loquentes Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra.* quasi dicerent, vt exponit Sanctus Hieronymus; Quis est iste, qui in nostra diuertit palatia, habitu purpureo, & amictu sanguineo. Edom enim idem sonat, quòd rubrum. Et licèt illis respondisset Christus. *Ego qui loquor iustitiam.* ibidem. Nihilominùs tamen instant. *Quare rubrum est vestimentum tuum:* quasi dicerent; quomodò si Filius Dei es, tantùm fudisti cruoris, vt vestimenta tua sanguine madeant: quoniam fundere sanguinem nequaquam Dei Maiestati conuenit. Vnde etiam Mellifluus Bernardus de Christi circumcisione sermonem instituens, Christum his alloquitur verbis. *Ad quid tibi Domine Iesu circumcisio qui nec peccatum fecisti, nec contraxisti: quòd non feceris ætas manifestat, quòd non contraxeris multò certiùs probat Patris diuinitas & integritas Matris.* Sed non mirum: quia puer hic Deus & homo, infans & verbum est, proinde quod diuinitati ex natura repugnat, in assumpta humanitate exequitur. Scisciabimur itaq; hodie cur Christus circumcisionem susceperit.

Hiere. 23.

Ibidem.

S. Bernar.

Indubitatum est apud omnes, circumcisionem loco baptismatis apud Hebræos institutam fuisse, quia vt docent S. Bernardus Serm. 2. de Assumptione, & Hugo Victorinus libro 1. de Sacramentis, p. 12. per circumcisionem in lege scripta peccatum originale remittebatur. Vnde non leuis oritur quæstio, quomodò Christus Dominus subijt circumcisionem, siquidem postea constat illum baptisatum fuisse à Ioanne, Sacramentum autem idem institutum, nequaquam reiterari debet, cum imprimat characterem indelebilem. imò quomodò Christus Dominus se ipsum passus est circumcidi, cùm omnino à peccato originali immunis esset. Sed facilè istius mysterij rationem vel ex ipsis Philosophiæ, arcanis possumus venari, docent Philosophi medium esse duplex, aliud per participationem vtriusque extremi, sicut est tepidum quod & de calore & de frigore aliquantum participat, aliud est per abnegationem vtriusque extremi. Christus igitur Dominus quia venit tanquam verus mediator non solùm Dei & hominum, quos vult omnes saluos fieri, sed etiam venit, vt esset mediator vtriusq; legis, & scriptæ, & gratiæ; idcirco voluit de vtraq; lege participare, & de lege scripta circumcisionem, & de lege noua baptismum, voluit quoq; simul esse medium per abnegationem vtriusque, vt scilicet circumcisionem penitus aboleret, & peccatum originale à se ipso remoueret, & totum restauraret mundum, quemadmodum docet S. Augustinus de Ciuitate Dei. *Quid aliud* inquit, *circumcisio significat, vetustate exuta, nisi naturam renouatam.* Per Christi itaq; circumcisionem renouata est tota hæc rerum vniuersitas, teste Augustino. *Omnia* inquit, *resonant nouitatem.* restaurata

Circumcisio loco baptismi.

S. Bernar. Hugo.

S. Augustin.

est religio, quia annihilata vetus Synagoga, & in locum eius consurrexit diffusa per totum orbem Ecclesia. vt fatetur S. Ioannes Apocal. 12. *Vidi ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo.* Hæc erat potissimum causa, quare Christus Dominus circumcidi voluerit, vt scilicet Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ daret initium, & Synagogæ finem imponeret, & circumcisionem omnino terminaret. Manifesta est hæc veritas in Sacra scriptura. Nam verbum diuinum, antequam humanam susciperet naturam, illud cum Abrahamo fœdus inierat. Vt Abraham circumcisionis initium, verbum autem incarnatum vltimatus existeret terminus, iuxta illud. Gen. 11. *Statuam pactum meum inter me, & te.* Sicut ergo Abraham primus legem circumcisionis executus est. Nam postquam illam Dei legem audiuit. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Gen. 17. Licèt iam esset ætatis nonaginta nouem annorum, statim tamen seipsum circumcidit Sanctus senex, & cum ipso tota eius familia. Ita quoque Christus sua circumcisione eandem terminauit, vt docet Sapiens Eccl. 44. *In carne eius stare fecit testimonium.* quasi diceret; in carne Christi non solùm circumcisionis, sed reliquas omnes veteris testamenti cæremonias Deus abrogauit, nostro totum hoc bono operans: sustulit enim Christus circumcisionem materialem, sed vult in nobis spiritualem remanere, hoc est; *Circumcisionem cordis, circumcisionem non manu factam.* Rom. 8. Vult inquam in nobis perseuerare circumcisionem illam, quam libera voluntas se ipsam abnegans operatur, illicitos omnes appetitus procul à se remouens: sic docet Sanctus Augustinus, tract. 30. in Ioannem. *Quid est* inquit, *circumcisio, nisi carnis expoliatio?* quod comprobat Philo Hebræus lib. de circumcisione inquiens. *Per circumcisionem significari arbitror excisionem voluptatum quæ mentem fascinant.*

Si igitur ipsemet Christus, qui nihil habebat immundum aut superfluum in castissima humanitate, amaram & molestam subijt circumcisionem, quis non iudicabit consentaneum esse, vt quilibet in hoc turbulentissimo mundi oceano degens, innumeris vndique imperfectionibus obsessus, eas tanquàm superfluas amputet, & radicitùs euellat? Gaudet quispiam nobilitate, sed insolentiæ ventis abreptus, luxui deditus est: immodicas expensas moderetur prudenter, & quas turpiter viuendo prodigit, ad egenorum subleuationem conuertat. Gloriatur mulier vultus elegantiâ, & oris maiestate: fastum inanem redolentia abijciat ornamenta. Extulerunt quempiam opes in summa honorum fastigia, & summè potentem fecêre: arrogantiam declinet. Fortuna Regibus amabilem, & supremæ maiestatis comitem fecit: seueritatem procul fugiat. Ecclesiæ Sanctæ regimen alius suscepit: vagationes deserat, & quod mundi est, penitus detestetur. Quisquis demum impuro corde est: circumcisionem spiritualem arripiat, quâ laxatas inordinati appetitus habenas coerceat. Nam si rerum experientia & ipsamet Philosophia docet, in motu corporeo, quandò is violenter fit, necessum esse omnino, vt rei motæ auctor motionis, aut saltem virtus eius assistat, altero enim deficiente, protinus subsistere, & cæptum rei motæ interrumpi motum, immò & retrolabi necessum est. Sic planè, qui ex animo Christianus esse cupit, semper aduerso flumine nauigat, opponens se fortiter vitiorum omnium seu passionum torrenti. Sed quia motus hic violentus est, vt potè sensui inclinationum aduersus, & rationi rebellis, cùm primùm fortitudo illa animi & vis, quam sibi facit, passionibus ob spiritualem circumcisionem reluctans, cultum mortificationis, quâ vitia tolluntur, manu demittat, protinus mens eius ab incepto, bono opere resilit, & quæ priùs ad diuina surrexerat, excisione vitiorum, ingraueſcente rursus corun-

Apoc. 12. — Cur Christus circumcidi voluit. — Gen. 11. — Ibid. 17. — Eccl. 44. — Rom. 8. — S. Augustin. — Philo Hebræus.

eorundem renascentium pondere, A mortalium nati procul fugiant delicias, qui Filij Dei adoptiui nominari & esse cupiunt. Filij hominum mollibus vestiuntur, amicti byssinis & sericis incedunt, saginato corpore voluptatibus dediti. Dei verò Filius, pannis inuoluitur, frigoris asperitatem, cæli iniuriam tolerat, & in tenella carne sua, dolorosa læditur circumcisione, vt infirma caro nostra sanetur. Talem Christi futuram in mundo tractationem prædixerunt olim Prophetæ Isa. 53. *Desiderauimus* Isaiæ 53.

2. Cor. 4. *Mortificationem* inquit, *Iesu Christi in* B *eum virum dolorum.* vt scilicet & totus mundus in doloribus & afflictionibus, suæ salutis auctorem sequatur.

corpore nostro circumferentes. quasi diceret: Mortificatio Christi debet nos vndequaq; circumdare, & omnes tam corporis quam animi partes cingere, atque confortare. Nam circumcisio est, quasi in circulo facta cæsio, vt scilicet per illam, visûs, gustûs, tactûs, & omnium sensuum fiat reformatio.

Sed eheu quàm pauci sunt viri dolorum in mundo, & potissimùm hac nostra ætate; viri autem odorum vbiq; innumeri. Quid aliud sunt isti, nisi incitamenta Veneris, instrumenta libidinum, & merissima voluptatum mancipia. Non hæc est intentio venientis in terras Dei Filij, potuit & ille redimere genus humanum, suscipiendo naturam hominis,

S. Thom. Eusebius Emissenus, Alteram Christi circumcisionis causam affert S. Thomas 3. p. q. 27. art. 6. & Eusebius Emissenus 8. Natiuitatis, qui dicunt ideò Christum C nullis aduersitatibus aut passionibus obnoxiam, atq; ita potentem, vt imperio & diuitiarum affluentiâ omnes reges & imperatores superaret. Potuit in ictu oculi hominem à miserijs liberare, cum quodlibet ex eius operibus infiniti valoris esset; & tamen sui pretiosissimi sanguinis atq; vitæ impendio, operari nostram redemptionem atq; libertatem voluit, vt & ipse homo infinito eius amore illectus, legibus diuinis in omnibus obsecundaret. Planè hoc Christi Dominum circumcisionis seueritati se ipsum submisisse, vt nobis esset exemplo, quantam obedientiam diuinæ legi debeamus exhibere. Quæ res non in tanta admiratione haberetur, si Christus vt cæteri mortalium purus homo esset, sed cum homo simul & Deus existat, ideò illum pati dolorem, & sanguinem fundere, omnem hominum & Angelorum superat admirationem. Mortalium proles, quia nascuntur filij iræ, si circumcisionis amaritudinem subeant, D mini in operanda nostra salute desiderium, optime figurabat Ionas Propheta. Qui cælum imbribus & nubibus turbidum, vndequaque assurgentes mundi procellas, atq; furentes ventorum turbines animaduertens, iamq; præ naufragij imminentis periculo consternatis, & omnino deficientibus nauium gubernatoribus, extremè periclitantes sic allocutus est. *Si propter me orta est tempe-* Ionæ *stas, proijcite me in mare*: statim enim sedabitur ventus, & turbulenti marit impetus conquiescent.

nemo miratur. Vbi enim culpa præcedit, ibi pœnam subsequi necesse est. At verbo incarnato, quod est origo sanctitatis & omnis iustitiæ, cur pœna imponenda aut inijciendus dolor, cum potiùs tam desideratus hospes, omnibus delicijs excipiendus esset, sic planè si mundi legibus standum esset, foueri deberet Dei Filius. Sed cùm longè diuersa sit ratio diuinarum, quàm humanarum legum, voluit Pater æternus vnigenitum suum rigorem circumcisionis subire, vt

Grauis-

Grauissima orta fuit tempestas in hac rerum vniuersitate, ab ipso statim mundi creati initio. Cum enim Angelus reuelatũ haberet futuræ incarnationis mysterium, suæ id excellentiæ quasi debitum superbè arrogans, & homini inuidens, quòd Deus fieri vellet homo, & non Angelus, seduxit hominem in paradiso, vt appeteret sapientiam mali. Dei ergo Filius cùm esset increata sapientia, & propter se hanc seditionem inter hominem & Angelum ortam esse sciret, videns non solùm cælorum, sed etiam terrarum orbem peccato tumultuantem, ne calamitati adderetur calamitas, & vnum damnum multa sequerentur incommoda, si tot perditis Angelorum ordinibus, homines quoq; necessario remedio menerent destituti, suum intentum æterno Patri aperuit. si inquit propter me orta est hæc tempestas, proijciar ego in mare ærumnarum & dolorum, ne genus humanum penitus absorbeatur. Venire itaq; voluit mortalitati & passionibus obnoxius, vt in dolorum amplissimum mare proiectus, nos à profundo miseriarum & calamitatum pelago erutos custodiret. Et quoniam ex scientia medicorum contraria contrarijs curari debent, cùm grauissima hominum infectio ab inobedientia legis, & præuaricatione diuini præcepti traxisset originem, ideo Christus opus nostrę salutis, ab obedientia legis voluit inchoare, circumcisionem suscipiens, iuxta illud Isaiæ 9.

Isaiæ 9. *Et factus est principatus super humerum eius.* Paraphrastes vero Chaldæus

Chaldæus. vertit. *Et recipiet super se legem ad obseruandum eam.* Nam licèt Christus Dominus esset supremus legislator, noluit tamen mundi Principum consuetudinem sequi, qui legibus non tenentur. vt docet iurisconsultus lege 5. §. de legibus. *Princeps* inquit *legibus solutus est.* Sed statim legi se-

Iustinian⁹. ipsum subiecit, vt quisq; etiam potentissimus leges diuinas cum timore obseruet. Quod ipsemet Iustinianus lege 4. Codice de legibus his verbis expressit. *Digna* vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Hinc Deus primo homini in paradiso, non aliud, quàm legem seruandam præcepit, Gen. 2. inquiens. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali non comedas.

Sanctus Augustinus super Genesim hæc verba explicans, ita cum Domino Deo loquitur. *Dic mihi obsecro* S. August. *Domine, arbor quam creasti, aut bona erat, aut mala; si mala cur creasti? si bona cur vetuisti.* Cui quæstioni respondet idem Doctor, quia Deus iam dederat corpori cibum, quando dixit: *De omni ligno comede:* voluit quoq; animæ nutrimentum assignare, ipsam legum obseruantiam. Prohibuit igitur de ligno scientiæ boni & mali comedere, non quòd arbor illa mala esset, sed quòd scientiam mali bono coniungere, scilicet vitia in consortium virtutum vocare pessimum sit. Non ergo ampliùs oblatet Valentinus Hæreticus, contendens Christi carnem non ex humana, sed ex cælesti materia compositam. Non desipiat Apollinaris, asserens diuinitati carnem impassibilem & consubstantialem esse vnitam. Non amplius blasphemet Manichæus, affirmans, Christi corpus esse phantasticum. Nam per circumcisionem, Christi humanitas eiusq; perfectio & veritas luculenter comprobatur. vt proinde meritò dixerit S. Ioannes, Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant* Ioan. 6. *in terra; Spiritus, aqua & sanguis.* vbi per spiritum non debet intelligi Spiritus Sanctus, sed halitus vt exponit S. Epiphanius lib. 2. de duplici Martyrio. S. Epipha. *Spiritus* inquit, *est flatus seu halitus, quo Christus ipse sicut cæteri mortales respirabat.* Ex hoc spiritu centurio Christum agnouit esse Deum. Matt. 15. *Videns* inquit, *quòd cum* Matt. 15. *clamore spirasset, exclamauit, verè hic homo Filius Dei erat.* vox enim ita potens & penetrans, minimè fieri potest, vt à corpore exangui & spiritu iam ferè carente prodeat, nisi diuina virtus ei esset vnita, quæ à tam debili

bili corpore clamorem tàm magnum eduxisset. Aqua pariter quæ ab oculis eius profluxit, veram eius humanitatem testata est, nam & in resurrectione Lazari guttas aquæ fudit, Ioan. 27. *Et lachrymatus est Iesus.* vastitatem quoq; & ruinam ingratæ vrbis deplorauit. Lucæ 19. *Videns ciuitatem fleuit super illam.* lachrymari autem soli naturæ humanæ proprium est. Sanguis demum in circumcisione fusus, verum humanitatis eius testimonium fuit. *Hi ergo tres vnum sunt*, inquit Sanctus Ioannes, quasi diceret, spiritus, lachrymæ, & sanguis, testes sunt fide dignissimi; qui vna & eadem voce, Christum hominem verum contestantur.

Ioan. 27.

Lucæ 19.

Hic tandem quæstio consurgit, quisnam circumciderit Christum Dominum? Respondet Abulensis super Josue, circumcisionis ministrum non fuisse certum, vt patet ex capite 4. Exodi, & cap. 1. lib. 1. Machab. Sanctus Hieronymus tomo 4. & doctissimus Optatus Maximus censent Christum à Iosepho fuisse circumcisum. Bernardus autem Serm. de circumcisione, Sanctissimam Virginem hoc officium exercuisse. *Virgo* inquit, *Christum genuit, lactauit, & octaua die circumcidit.* Nihilominus tamen verior sententia, quæ docet, ministerium circumcisionis ad solos pertinuisse sacerdotes, vt potè maximum sacramentum.

S. Bernar.

Sed ecce hanc molestam circumcisionem, summus comitatur honor, sacratissimum scilicet nomen IESVS. Consueuit enim sæpè Deus requiei præmittere laborem, & post ignominiam, dare gloriam. Vnde frequenter contingit, vt calamitati succedat felicitas; cuius rei luculentissima testimonia ex Sacris literis habemus. Michæas Propheta, quòd liberè suum regem admoneret, alapâ percussus & in carcerem detrusus fuit, eò quòd vera Regi prædiceret. *Hæc dicit Rex, mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Sed inde eductum Deus in summum honorem

3. Reg. 22.

A cuexerat, 3. Reg. 22. venundatus est Ioseph in Ægyptum, atq; falso circumuentus testimonio in vincula coniectus, sed breuî post, illam ignominiam in tantum honorem conuertit Deus, vt Ioseph de compedibus, ad purpuram vocatus, totius Ægypti prorex crearetur. Sic planè æternus Pater, die hodierna cum suo vnigenito procedit. Spectat eum sanguine manantem, & stigmate peccatoris notatum, hoc est; circumcisionis signo. & ecce mox tantum B dedecus summo honore exornat, imponendo illi nomen IESVS, quo nullum nec in cælis nec in terris pretiosius aut admirabilius haberi potest.

Non alio autem die, nisi octauo decebat Christum circumcidi, vt legem Circumcisionis Hebræis datam adimpleret. quoniam Gen. 17. n. 12. Leuit. 12. n. 3. Lucæ 1. n. 19. Deus præceperat Hebræis, vt infantem natum octauo die circumciderent; tum quòd dies illa spiritualem & æternam vitam indicaret, teste Diuo C Cypriano Sermone de Circumcisione. & Diuo Augustino Sermone 15. de verbis Domini. tùm quòd dies ille esset maximè salutaris, cùm post septimum qui feralis & criticus dicitur, sequeretur; & in quo iam infans esset firmior & vegetior ad dolorem sustinendum, vt obseruat Diuus Thomas 3. parte q. 70. art. 7. ad 3. Et quoniam sicut apud nos baptismus cum nominis impositione coniungitur; ita apud Hebræos eodem die circumcisio & nominis impositio D concurrerent, eam ob causam vt docet Theophylactus in cap. 1. Lucæ quia quo die quis nascitur, Deo per gratiam, eodem æquum est, vt nominetur, & in cælestis militiæ album referatur. Vbi etiam rectè aduertit nominatus Auctor, non solùm circumcisionem, & nominis impositionem eodem die concurrere, sed etiã priùs circumcidi puerum, & postea nomen imponi. *Quia prius* inquit *suscipiendum est signaculum Dei, & tum humanum nomen, seu quia nullus nisi priùs abijciat carnalia, dignus est vt nominetur*

Gen. 17. Leuit 12. Lucæ 1.

S. Cypria. Augustin.

S. Thom.

Theophyl.

Idem.

miles Dei, & in libro calorum scribatur nomen eius. Sic D. Paulus veteri depositο, vt ptimum carnis operibus renuntiauit, nomen nouum accepit, vt sub nouo Duce Christo Domino deinceps militare crederetur. vt ingeniosè D. Chrysostomus homil. de reprehensionibus ferendis & conuersione Pauli in tomo 3. discurrit.

S. Chryso. *Quemadmodum* inquit *Dominus, qui seruum mercatus est, ostendere volens se Dominum serui nomen illius immutat; ita & Spiritus sanctus fecit, vbi Paulum captiuum accepit, vocabulum eius mutauit, vt etiam inde disceret Paulus, se habere Dominum.* Sic planè Christus Dominus, non priùs nomen sacratissimum IESVS suscepit, quàm post dolorosam circumcisionem, vt palam esset omnibus, neminem vita æternâ præmiandum, nisi post multas tribulationes: iuxta illud: Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Vocatum est Nomen eius IESVS.

Ostenditur, quanta sit excellentia, efficacia, & vtilitas Nominis IESV.

Sponsalia cur ab annulis incipiant.

MAgni nominis personę, primam desponsationem præcipuè incipiunt ab annulis, Auditores, idque ideo, vt quemadmodùm in annulo finem & principium inuenire difficilè est; sic & nubentium mutua annulo obsignata fides, finem intimi amoris reperiat nullum, præter solam animæ separationem à corpore. Nouam iniit desponsationem infiniti honoris & dignitatis æternus Dei Filius cum carne humana, ideoque non ampliùs interrumpendam inter Deum & hominem amicitiam, annulo sacratissimæ circumcisionis obsignare voluit. *Quid enim aliud circumcisio significat, nisi vetustate exutâ, renouatam naturam*, inquit Augusti-

Augustin.

A nus de Ciuitate Dei. Hic est verus & vnicus nostri cum Dei furore fœderis annulus, Sanctissima Christi caro, sanguine circumcisionis purpurata: tunc primùm ex inimicis Dei amici, è peccatoribus iusti, è captiuis liberi, è mancipijs diaboli, filij æterni Patris, per gratiam Christi facti sumus, cùm immensus in carne humana Dei Filius, carnem præputij circumcidere non erubit. vt dicit Sanctus Bernardus Serm. 2. de circumcisione. *Nec enim quærere est, cur vo-* S. Bernard.

B *luerit Christus Dominus circumcidi: propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus.* Agnoscit hoc Christi Ecclesia Exodi 4. in- Exodi 4.
quiens. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Septuaginta autem vertunt, *Stetit sanguis circumcisionis Filij mei* Vbi San- S. Epiph.
ctus Epiphanius lib. 1. & Cyrillus l. 2. S. Cyrillus
loquentem intelligunt Ecclesiam, quasi diceret: per hunc sanguinem æterne Deus, quem in tua profudisti circumcisione, tibi ego desponsata sum, & ex gentilium infidelitate,

C ad veram erecta fidem. Sed cùm pretioso annulo, excellentis & eximiæ celaturæ Smaragdus, aut Adamas inseri soleat, sic planè annulo sacratissimæ circumcisionis, fulgentissimum Chrysolitum, dulce nimirùm Nomen IESV inseruit Ecclesia. A quo nos, vt feliciter nouum exordiamur annum, illud nostris frontibus inserere conabimur, tria in illo considerando, excellentiam, efficaciam, & vtilitatem, quam nobis affert.

Nomen IESVS à solo Deo inuentum & impositũ.

D Sacratissimi Nominis IESV tanta est excellentia, vt à nulla creatura inueniri potuerit, nisi à solo Deo. Vnde sapientissimus Salomon, qui difficillima quæq; suo sagaci ingenio adinuenit, in ipso Nomine Filij Dei cognoscendo, penitùs obmutuit. Prouerb. 36. inquiens. *Stultissimus sum omnium virorum, & sapientia hominum non est mecum.* Quin immo & grandis illa Euangelistarum Aquila, quæ ingenij sublimitate omnem scientiam, tàm naturalem; quàm supernaturalem, creaturis comunicatam

Prouer. 6.

tam transcendit, in cognoscendo Nomine IESV, suam fatetur ignorantiam. Apocal. 19. vbi ait. Se vidisse hominem indutum vestibus rubeis, albo equo insidentem, qui duo gerebat nomina, *vnum quod nemo sciebat*, vbi communis interpretum sententia est, hominem qui equo vehebatur, incarnatum Dei Filium esse; equum autem candidum, castissimam eius humanitatem; vestimenta verò rubea, annulum circumcisionis sacratissimo eius sanguine perfusum. *Nomina eius duo, Verbum & Iesus.* primum cognouerunt Angeli ante creatum hominem, quia superbè eius sibi quasi debitam appetendo vnionem, lapsi sunt: secundum verò scilicet sacratissimum Nomen eius IESV, omni sub sole creaturæ penitùs ignotum erat, idq; ideò, quia nominum notitia, oritur ex cognita rerum natura. Cùm igitur Christum nemo nouit cognitione comprehendente, nisi solus Pater æternus. Matth. 11. *Et Filium quis nouit, nisi Pater.* Solus quoque hoc sacratissimum nomen Christo imposuit. Isaiæ 6. *Vocabit eum nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Hoc enim nomen, iussu Dei, Gabriel Archangelus reuelauit Iosepho, Lucæ 1. *Vocabis nomen eius Iesum.* Non ergo iam Theologi affirment, Deum proprio nomine carere, cùm ecce hodiè impositum sacratissimum Nomen IESV, vtrumq; in Christo, & diuinitatem, & humanitatem, perfectè significet, vt docet Bernardus super Cantica: *Cùm nomino Iesum, hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum, denique ipsum Deum omnipotentem, qui suomet exemplo sanet, & roboret adiutorio.* Etenim Nomen IESVS cùm idem sit, quòd Saluator, non potest significare purum hominem, hic enim iuxta veræ Theologiæ Regulas, genus humanum redimere nequaquam poterat, cùm opera eius non essent infiniti valoris, ac proinde non cum æqualitate ac rigore iustitiæ, pro mundi peccatis, æterno Patri exoluisset. Quid ergo? Oportebat, vt diuinitas Filij, assumptam carnem dignificaret infinitè, vt & deificata caro pateretur. Vnde Nomen IESV, Saluatorem nobis repræsentans, Deum simul & hominem exprimit, altissimumq; illud vnionis hypostaticæ declarat mysterium, quo diuina & humana natura, in vno supposito ineffabiliter secum copulantur. Agnouit sacri huius nominis excellentiam Paulus Apostolus, ad Philipp. 2. inquiens: *Donauit illi nomen, quod est super omne nomen. vt scilicet in hoc nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & inferorum.* Vnde inquit S. Bernardus, Serm. de circumcisione. *Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & Nomen Iesus quod est super omne nomen, gloriam indicat Maiestatis.* Nomen certè hoc super omne nomen est, quia & Reges, & Principes, & Magnates ad illud adorandum impelluntur, Psal. 148. *Reges populi, Reges terræ laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.* Excellens nomen hoc, quia nouum; cùm enim noua essent in terris, vnio hypostatica duarum naturarum, noua illius sine viri operatione conceptio, noua ex Virgine Matre natiuitas, nouum quoq; Nomen IESV habere debuit: quod iure meritò nouum dicitur, quia reliqua omnia, cùm dicitur, verbum, Filius Dei, Patris sapientia, æterna sunt: solum dulce Nomen IESV ab æterno quidem ordinatum, sed nouiter & primùm in ipsa circumcisione impositum est ei, tanquàm certum futuræ salutis præsagium: *ipse enim* (inquit Euangelista Matt. 16.) *saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Mensis ille, in quo olim Nehemias de instauranda Ierosolyma, & resarciendo templo cogitauit 2. Esdræ 1. apud Hebræos *Casleu* dicebatur, hoc est; Beda interprete, *spes:* quasi nouus aliquis bonæ spei fons, ab illo mense nasceretur. Nec imeritò: Magnam quippe apud omnes cælestium bonorum spem concipi oportebat

Apoc. 19.

Christi nomen omni creaturæ ignotum.

Matt. 11.

Isaiæ 6.

Nomen IESV & diuinitatem & humanitatem perfecte significat.

Bernardus.

Purus homo non potuit satisfacere pro peccatis.

Philipp. 2.

Bernardus

Psal. 148.

Matt. 16.

tebat in eo menſe, in quo Ieroſolyma, illa pacis vrbs, illa Dei aula, illa cæli ara, illa veræ pietatis, ac religionis officina, debitum Deo cultum præſtitura erigebatur. Fuit igitur menſis ille, ſi vel ipſa Hiſtoria ſpectetur, menſis bonæ ſpei, in quo non vulgaria emolumenta ex vrbe conditâ, temploq; extructo ab Iſráelitico populo ſperabantur. Sed longè maior nobis bene ſperandi occaſio conſurgit hodiè, dùm prima anni primordia auſpicamur ab hoc die, in quo non terreſtris, ſed cæleſtis Ieroſolyma, ciuitas magna Deo conſtruitur, & templum illud Solymæo longè auguſtius ac diuinius, myſticum Eccleſiæ corpus, in ſanctiſſimum Æterni VERBI domicilium conſecratur, atq; vniuerſalis Eccleſia, tanquàm ſponſa monilibus ornata, omnibus cæleſtibus donis referta, incarnato Dei Filio inæſtimabili eius circumciſionis dono, æternùm illi deſponſatur. Fateor quia in illo populo Ieroſolymitano clareſcebant Patriarchæ, vt Adamantes: flammeſcebant Reges, vt pyropi: vireſcebant Principes, vt Smaragdi, totaq; proauorum ſeries gemmea quadam venuſtate inſignis ſplendeſcebat. At nunc in Eccleſia Sancta, quod illi diuina gratia conflauit, pro omnibus gemmis, quæ terra marique prætioſiſſimè nutriuntur, (vt egregiè Clemens Alexandrinus in exhortatione ad gentes concludit) *Pulcherrima gemma, ipſe eſt pulcherrimus IESVS.*

Clemens Alexandri.

Sed iam ad conſiderandam Sacri huius nominis efficaciam progrediamur. Nullibi maior efficacia apparet, quàm in ſubleuando à peccatis homine, ſiquidem ibi ad ſtatum ſupernaturalem hominem erigere oportet, vt ſcilicet ſit potens & viuere ſupernaturaliter (id eſt per gratiam) & operari ſupernaturaliter, id eſt meritoriè in gratia, proinde omnipotentis virtute opus erat. Quis igitur hominem ad ima omnia demerſum, ad cælum vſq; ſuſtulit, ſolùm nomen ſacratiſſimum IESVS.

Efficacia Nominis IESV.

Nam ſi credimus Theologis aſſerentibus, nullam dari gratiam ſalutem in homine operantem, niſi ex meritis Chriſti, eo quòd iuxta ſententiam Scoti, ante omnem creaturam præuiſus & electus fuerit, in quo omnes poſtea, quotquot crearentur, ſaluari poſſent; quinimò & Angelicus Doctor conſentit huic veritati; inquiens. *Et de influentia eius recipiunt etiam Angeli.* quaſi diceret: ex meritis Chriſti ipſi Angeli, quemadmodùm & Beata Virgo, habuerunt, quòd præſeruati ſint, ne caderent, ex mentis IESV & peccatores habent, quòd multoties lapſi, præuenti eius gratiâ, & adiuti, reſurgere poſſint. Quod ſi ita eſt, iure dicemus Nomen IESV efficaciſſimum eſſe, quia hoc ſolum, omnipotenti ſua virtute, hominem ſaluare poteſt. Hoc ſacrum nomen Paulum ſæuientem equo deiecit in terras, cùm enim ab eo qui ſe proſtrauerat percontaretur. *Quis es Domine?* Act. 9. reſpondentis vocem audiuit. *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* ibidem. Vbi certè generoſitatem ſuam, & potentiam oſtendere voluit, dùm hoc ſacro nomine, in ſua obſtinatione victus reſpondit *Quid me vis Domine facere?* ô admiranda nominis IESV, fortitudo; quæ crudelem hoſtem in ictu oculi vertere potuit in manſuetum agnum.

Defacto nulla gratia datur niſi ex meritis Chriſti.

S. Thomas

Angelꝰ ex meritis Chriſti præſeruatus à lapſu.

Actor. 9.

Inter cætera Saluatoris noſtri nomina, primum illud recenſet Scriptura, *admirabilis*: Iſaiæ 9. *vocabitur nomen eius admirabilis*: Quia nimirùm tota eius vita, & mors, ſtupendum prodigium fuit, eius quippè conceptionem admirata eſt Virgo, reſpondens Angelo: *quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Duodecimo ætatis anno, Doctores eius ſapientiam ſtupebant: *Vnde hic literas ſcit, cùm non didicerit?* & in ipſa morte totus penè mundus attonitus hæſit, acclamante Dionyſio: *aut Auctor naturæ patitur, aut machina mundi diſſoluetur.* Et nihilominùs nomen iſtud, à Saluatore noſtro conceſſum fuiſſe Diuo Paulo ſcimus, dum in ipſa

Iſaiæ 9.

Lucæ 1.

S. Dionyſ.

ipsa assumptione ad Apostolatum, nomen Sauli in Paulum commutaretur, quod cognomen teste Salmerone, & S. Hieronymo, commentario in Epistolam ad Philippenses, admirabile significat, vt scilicet Paulus ob nomen Christi sibi communicatum; esset admirabilis in suis operibus. Arripite hic illud Isaiæ 4. *Et apprehendent septem mulieres virum unum, dicentes: panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodò inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Et quænam obsecro fuerunt illæ mulieres, & quis vir, cuius amorem ita ambiebant? quod nomen, quo tantoperè frui & gaudere cupiebant? Respondet ad singula antiquissimus Origenes homil. 4. in Isaiam. *Quid est, inuocetur nomen tuum super nos? ego sum sapiens, volo tuo nomine vocari, & ego sapientia dicit Iesus, vt intellectus & consilium magnum, & fortitudo, & scientia & pietas, & amor Dei, nominetur Iesus, vt omnia in omnibus nomen tuum fiat.* Septem ergo mulieres, sunt septem dona Spiritus Sancti: vir ille, cuius amorem auidè expostulant, est Christus Dominus: nomen quod super se inuocatum cupiunt, est Sacratissimum nomen IESV! vt per hoc vindicent se ab iniuria & opprobrio, quòd pati coguntur. Patiuntur quippè virtutes opprobrium graue, spectando vilipendium hominum, qui immersi rebus terrenis, & transitorijs, huius vitæ delicijs inescati, obliuiscuntur gaudiorum æternæ beatitudinis, ideo inuocari cupiunt super se nomen IESV, per quod in sua perfectione contineantur. En efficaciam sacratissimi nominis IESV. nomen illud *Admirabilis*, vni tantùm Paulo concessum fuit, quod illum ad maiora in dies virtutum omnium incrementa ducebat; at verò nomen IESV, toti hodiè mundo à Christo communicatur, vt omnia sanctitatem redolentia, in omnibus operetur.

Isaiæ 4.

Et ne efficaciam sacri nominis IESV, inefficaci potiùs obruam facundiâ, illud tantùm dicam, nominis IESV tantam efficaciam esse, vt omnis nostræ inopiæ, vnicum remedium & thesaurus sit. quod subtiliter effatus, est Ambrosius de nomine IESV. *Si mortem, inquit, times, vita est: si in calum tendis, via est; si febribus æstuas, salus est; si sitis, aqua est; si labore opprimeris, requies est; si in certamine versaris; corona est;* 1. Machab. 6. scriptura refert, lege diuina præceptum fuisse, vt dùm summus sacerdos offerre deberet sacrificium, pontificalibus indutus ornamentis, caput tegeret tiârâ, ex qua pendebat ineffabile Dei nomen, aureæ laminæ incisum. Figura hæc fuit Christi, qui est sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: is enim pontificalibus infantiæ suæ candidis vestibus tectus, purpureo sui sanguinis colore fulgidus, venit hodiè in templum, vbi vt primam placationis hostiam Patri offerret, in præpùtij carnè pro maiori excellentia & authoritate, deferre voluit honorificentissimum nomen IESVS, vt quod per Spiritum Sanctum fuerat prædictum, impleretur. *Et magnificentia illius, in diademate capitis eius.*

S. Ambro.

Sed iam vtilitatem istius nominis consideremus. Pulchrè hanc expressit Dauid Psal. 110 dicens. *Sanctum & terribile nomen eius.* Sanctum est propter virtutem, quia semel impressum homini, ampliùs in fronte eius deleri non potest, quemadmodùm testatur sacra historia de Sancto Paulo, quòd eius caput ceruice rescissum, ter saltando clamitabat, & repetebat, Sanctum nomen IESV. ecce potentiam: gladius ille qui animam à corpore separauit, nomen IESV à capite & ore eius amouere non potuit. Terribile nomen hoc quoad vtilitatem, quoniam ab eo cunctis animarum nostrarum morbis, medicina & salus prouenit. vtile est, quia hominem ab omni periculo eripit, teste S. Bernardo Ser. 5. in Cantica *Cui*, inquit, *in periculo palpitanti, & trepidanti, inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? cui in aduersis*

Pſal. 110.

Caput S. Panli amputatum ter Nomen IESV protulit.

S. Bernard.

diffidenti, iam, iamq; si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? tristatur aliquis vestrum, veniat in cor Iesus, & inde saliat in os. ecce ad exortum nominis lumen redit serenum. ad huius nominis vsum nos incitat Apostolus, ad Colos. 3. *Omne quodcunq; facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.*

Promittens quondam Deus suis Israèlitis auxiliatricem manum, sic per Prophetam locutus est. 1. Regum 12. n. 22. *Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum*: quasi apertius diceret; non solùm non destruet; sed etiam non deseret: non solùm supplicium non inferet, sed etiam præsidium non auferet, imò studiosissimum se præbebit populo suo defensorem, propter nomen suum magnum. At, cur obsecro non dicit, propter ipsius populi pœnitentiam? arbitror, ne populus superbiret, & suis id meritis arrogaret, quod diuinæ misericordiæ tribuendum esset. Sic ipsamet incarnata sapientia resoluit, Ezechielis 36. *Non propter vos ego faciam domus Israèl, sed propter nomen sanctum meum.* Sed quid est? propter nomen suum magnum? Respondent, primò Carthusianus, Abulensis, Vatablus: Propter famam suam, quæ de prouidentia & beneficentia diuina erga populum Israèliticum, etiam apud Ethnicos ferebatur. Quasi diceret Propheta: Non vos derelinquet Dominus; ne de illo gentes incipiant malè opinari, & suæ illâ beneficentiæ famâ apud exteras nationes periclitetur. Sic quondam Moyses diuinam erga populum misericordiam deprecando, hanc illi rationem proposuit, Exodi 32. *Ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxis eos, vt interficiantur.* quasi diceret: Ne patiaris famam, quam de tua erga hunc populum beneficentia gentes habent, interire. At verò D. Gregorius, per nomen suum intelligit magna misericordiam; *Non enim* (inquit idem Doctor,) *bonitas nostra, sed Dei fit, vt homo terrenus bonis cælestibus perfruatur.* bonitas enim seu misericordia diuina, nomen Dei est, attestante id Regio vate, Psal 43. *Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.* ex Hebræo autem legitur, *propter misericordiam tuam.* Sed melius quoad rem nostram Hugo Cardinalis, per nomen magnum, intelligit dulcissimum Nomen IESV. *Nam filius*, inquit, *dicitur nomen Patris, quia loquitur ipsum mundo; id est; manifestat.* Et ipsemet Christus hoc ipsum fatetur Ioan. 17. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Vbi D. Cyrillus Alexandrinus, *Conseruandi*, inquit, *virtutem seipsum ostendens, serua eos, adiecit, in nomine tuo.* quasi diceret: *in Filio tuo.* Quia vt præclarè argumentatur Sanctus Petrus Actor. 4. *Non est in aliquo alio salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Hinc cælestis sponsa, dulce hoc nomen oleum appellat. Cant. 1. *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum.* Oleum propter vtilitatem: effusum propter liberalitatem, vt exponit S. Bernardus Serm. 15. *Aridus*, inquit, *est omnis animæ cibus si non oleo isto infunditur, si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum: si disputes, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Et paulò post, huius nominis vtilitatem ostendens, sic concludit: *Iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius dedecoris fugat pruriginem.* Quid aliud tibi nunc afflicta Christianitas promittere possum, nisi de Nomine IESV sacratissimo, solatium illud, quod suis olim Israèlitis Samuel pollicebatur, quia *non derelinquet Dominus populum suum*, propter nomen suum magnum, propter Nomen IESV: ne forsan oprima illa fama, & huius nominis magni celebritas, apud gentes minuatur.

Sed à quo Sanctissime IESV, tàm excellum nomen accipis? non ab alio, nisi à Simeone Sacerdote de

tribu

tribu Aaron, hic te accepit in vlnas suas, hic benedixit, hic dulce nomen IESV super mel & fauum, ab æterno tibi ordinatum, imposuit. Bene est Auditores. ecce hodiè nouum habemus in templo Dei Simeonem, nouum inquam Sacerdotem, hic primùm hodiè salutare suum, abbreuiatum in carne humana Deum, in vlnas suas accipiet, hic sacrum Nomen IESV dulcissimo infanti benedicens imponet. Tibi certè pretiosus iste annulus Christi circumcisionis debetur, tibi fulgentissimus Chrysolytus, ipsamet assumpta à verbi diuinitate caro, sub speciebus panis & vini, in hunc annulum inserendus erit. Regem certè te hodiè dixerim, cùm Dominum dominantium, & Regem Regum, tuis manibus gestabis, sed parum est: nam hoc omnes Christiani habent, in te autem plus aliquid resplendet, ipsa sacerdotij dignitas. quemadmodùm dicit S. Leo Serm. 3. *Omnes* inquit, *in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges; Sancti autem Spiritus vnctio, consecrat* Sacerdotes. *Quid enim* inquit, *tàm regium, quàm subditum Deo animum, corporis sui esse rectorem: & quid tàm sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre.* Sex enim in te reperio talenta, propter quæ placuit immenso Deo, tuis gestari manibus; scilicet mansuetudinem atque clementiam, qualis fuit in Simeone iusto & timorato. Intelligentiam atq; prudentiam, qualis fuit in Salomone. Bonitatem, qualis fuit in Moyse. Continentiam atq; pudicitiam, qualis fuit in Iosepho: sapientiam, qualis in Dauide, deniq; perfectionem, quæ erat in Samuele. has virtutes Gregorius Nazianz. in carmine funebri Magni Milesij, Episcopi Antiocheni, in vero Sacerdote requirit. Quæ quia in te à prima infantia optimè radicatæ sunt, recipe iam annulum circumcisionis in tuos digitos, recipe in tuas vlnas infantem IESVM, & magnam eius reuerere excellentiam, toties coram illo incuruando genua, fruere efficaciâ, Deum in tuis digitis per verba consecrationis creando; gaude eius vtilitate vt te dulce hoc nomen IESV, & in illæsa mentis puritate conseruet, & in omnibus periculis feliciter tueatur. Nos verò, vt tantò feliciùs à tuo nouo hoc artificio, nouum exordiamur annum, te vnicè obsecramus, vt dulce hoc nomen IESV, super capita nostra benedicas, frontibusq; nostris velut adamantem inseras, cuius splendore mundi tenebras fugare, & æternâ frui claritate mereamur.

Apostrophe ad nouum Sacerdotem.

S. Leo.

Requisita Sacerdotis.

Gregorius Nazianze.

DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

CONCIO PRIMA.

Ecce Magi venerunt ab oriente, inuenerunt puerum cum Maria, & procidentes adorauerunt eum. *Matt. 2.*

Cum paupertate sapientia, & cum ignobilitate regalis præeminentia, quomodò cohæreat, deducitur.

DVo semper in maxima admiratione Orbis habuit, Auditores, pauperem Philosophari, & ignobilem regnare: etenim sapientia cùm sit præstantissimum quid, inter omnes mundi thesauros. non nisi magnis sumptibus potest comparari. Nam antequàm vel vnius artis principia optimè calleas, non vno peritissimo duce

duce magistro opus habes, librorum ingenti copiâ, necesse est multa peragrare regna, tranare marià, remotissima adire loca, in quibus optimũ sapientiæ studium viget; hæc autem quis vnquã sine opibus executus est: Testis est luculentissimus huiusce veritatis Magnus ille Alexander, qui suo Aristoteli tertiam partem regni sui prouentuum concesserat, eo tantûm fine, vt monstra marina, & belluarum, inuisibiles feras conquireret, atque naturas eorum & proprietates dignosceret. Difficilè est & ignobilem regnare, quià obscuritas generis facilè omnium despectui habetur: quod ex ipsa Dei scriptura nobis manifestum est. Legimus enim 1. Regum 8. Populum Israèliticum enixè regem efflagitasse, qui sibi imperaret, adeò, vt nec Samuelis precibus, nec portentis cælitùs immissis, ab incepta desistere vellent postulatione. Vbi cùm Deus fatigatus eorum precibus, ex parua familià procreatum Saul, vnxisset eis in regem, adeò illum despexerunt, vt continuò dicerent: 1. Reg. 10. *Num iste poterit saluare nos?* 1. Reg. 10. ac si apertiùs loquerentur. Numquid qui dudùm pastorali indutus strophiò, gregem regebat, nunc regiâ ornatus chlamyde, coronatusque, incedens populis dabit leges? Numquid rusticis moribus imburus, politica iura dignosce re poterit? Efflagitabat idem Hebræorum populus, continuis precibus ab æterno Patre, Christum Regem sibi mitti. Psalmo 19. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Sed quia illum postea in carne venientem videbat pauperem, vilem, & abiectum, confestim exclamare cæperant, illud Lucæ 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* sed quid est ô ingrati Hebræi! vobis venientem Messiam ignoratis, quem idololatriæ principes veniunt adoraturi: Magnum revera mysterium, quòd magi veniant ad IESVM. Quid enim Sancto Dei, cum carne mundi? quid infidelium tenebris, cum fidei Catholicæ lumine? Quid iustitiæ, cum idolorum cultu? quid sanctitati, cum infidelitatis canibus? Quid Magicæ arti, cum Sacrà Theologiâ? quid superstitioni, cum religione? quid auguribus, cum Prophetis? quid phantasticis illusionibus, cum reuelationibus? diuinum profectò mysterium? quia gens Hebræorum impia, pauperem vidit Christum, protinùs illum despexit; quia ignobilem censuit, regem suum ignorauit. verùm succedunt in locum eorum Magi, sacrilegi & malefici, manifesti diuini nominis hostes, publici gentilium cultores, Christi imperio sese submittunt? ad præsepe veniunt, vt à cælesti infante non in Cathedrâ sedente, sed in cunis iacente sapientiam doceantur; vt palam fiat, quomodò veri Christiani ad cultum diuinum sese debeant inclinare. idcircò quod mundo semper erat admirabilè, hoc apud Deum minimè censeri impossibilè, in hodierna festiuitate ostendam? dùm aperiam, quomodò & in paupertate sapientia, & in ignobilitate regalis præeminentia consistere possit.

Pſal. 19.

Lucæ 19.

Iudæi Christum non agnouerunt, quia pauperem videbant.

A B C D

Quod sapientia cum paupertate difficulter coalescat, non mirum: quia est Regis filia, ortam enim pòetæ ferunt ex sanguine maximi Deorum Iouis, quam cum ille vt potè iam adultam, in matrimonium locare vellet, duos illi pulcherrimos iuuenes proposuit, Neptunum, Maris Dominum, & Plutonem inferni præsidem; scire cupiens, quemnam sibi ex illis eligeret; respondit sapientia. *Neutrum.* Neptuni enim diuitias abhorreo, ne scilicet ille totus opibus immersus, sapientiæ negotia deserat; paupertatem verò Plutonis prorsùs odi. Anxius Iupiter, liberam electionem sapientiæ contulit, quemnam tandem sponsum habere vellet: sed cùm castæ Virgini diutiùs cum patre hac de re disceptare verecundia negaret, suum illa intentum, in velo, quo caput tegebat, aureis literis exarauit. *Pauperem simul & diuitem complector.* Mox recreatus Iupiter, Mercurium accersiuit: is enim dives erat

Sapientia iuxta pòetas, Dei filia.

Sapientiæ ſiponius pauper ſimul & dives.

erat genere, quia de stirpe Deorum: & simul pauper, quia Ioui obediens, hominibus inseruiebat, atq; illi sapientiam in coniugem iunxit. propter quod Pallas & Mercurius ludis literarijs præsunt. Ex qua ingeniosè, confícta fabula, duplicem esse pauperatem videamus; aliam quæ prouenit ex egestate, dùm aliquis ab omni penitus fortunâ destituitur: sed quia homini annexa est Plutonis auaritia, ideo eius consortium, fugit sapientia; quia is non appretiatâ sapientiæ præstantiâ, facilè illam aut pro aureo nummo, aut pro meri poculo venderet. Altera paupertas est voluntaria, quando homo licet magni nominis, spreto blandientis fortunæ lusu, & Deo libens obedit, & proximo sine felle inseruit. Et quisquis talis est, illi cælestis Princeps suam filiam, veram scilicet sapientiam desponsare pollicetur. Atque cùm Christi insigne non aliud fuerit, quàm paupertas; sic enim venturum eum prædixit Propheta Zachariæ 9. *Ecce veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper.* Et Dauid in personâ eius hoc ipsum cecinit, Psal. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Verùm quia paupertas in illo erat, non ex rerum indigentiâ procedens, sed ex spontanea voluntate, vt æterno Patri obediens, hominibus quoque in comparanda salute inseruiret: quia non erat in illo nuda paupertas, sed cum summis opibus deitatis coniuncta, dicente Apostolo, Corint. 8. *Egenus factus est, cùm esset diues.* idcircò vera sapientia, quia æterna, desponsationem cum illo iniuit: & quoniam sapientiæ amor etiam principum animos trahit, idcircò debebatur hoc incarnatæ sapientiæ, vt tanquàm æterni regis propagationem, non alij, quàm Reges venirent adoraturi, vt prophetico spiritu prædixit Dauid. *Apprehendite disciplinam.* Psalmo 101. quasi diceret, venientem in terras cælestem sapientiam venerabundis animis excipite. Vnde D. Bernardus, Sermone 3. Epiphaniæ, scisitatur causam Magorum aduentûs. *Vnde*, inquit, *vobis hoc alienigenæ? Sic vos non offendit vilis habitatio stabuli? non pauperies præsepij? non indigentia Matris? non lactentis infantia scandalisat;* si Saluatorem quæritis? *Veniet ad templum sanctum suum.* Psal. 2. ibi potiùs expectandus erat, non in stabulo sollicitè quærendus, verùm cessset admiratio, quia non est in limine expectanda sapientia, sed ocyùs obuiam eundum. Hanc rationem allegat, Leo Papa, Serm. de Epiphania, quia inquit sapientiâ conspicui erant, ideò diuinam sapientiam quæsituri venerunt. *Adorant*, inquit, *in carne Christum, in infantia sapientiam; in infirmitate virtutem; & in hominis veritate, Dominum maiestatis.* Non deterruit eos stabuli incommoditas, temporis rigor, frigoris inclementia, dùmmodo eos diuina sapientia repleret. Quisquis proindè sapientiam in paupertate acquirere vult, pauperem IESVM, pro illo quoque pauper factus, adeat; sed diuitias simul in conscientia, gratiæ cælestis retineat; & dubio procul votis suis potietur: si aspera, si grauia, si molesta quæpiam pro Christo pati non recusauerit. Pauperes erant Apostoli, sed quia Deo obedientes, mundi sapientiam superârunt; quia nihil eis denegat diuina potentia, quos mundi opulentia deserit.

Quærunt hic Doctores, cur intrantibus Hierosolymam Magis, continuò stella illa, quæ illos duxerat, disparuit. Tres hic rationes allegant Doctores: Primam, quià Hierosolyma sacerdotibus, & sacrorum voluminum peritissimis viris abundabat, à quibus de nato Domino optimè poterant edoceri: proinde cùm iam in terris haberent Magi, quos consulerent, nouæ stellæ debuit cessare miraculum. Deus enim semper vult homines ab hominibus edoceri: quemadmodum Diuo Paulo accidit, cui quamuis Deus vultum suæ deitatis detegeret; nihilominùs tamen ad Ananiam illum misit, Actorum 22. *Vade Damascum, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Quia licet Deus ipso

Paupertas duplex est.

Zachar. 9.

Psal. 39.

Corint. 8.

Psal. 101.

S. Bernard.

Psal. 2.

Leo Papa.

Stella quæ Magos adduxit Hierosolymã, cur disparuit.

Homo ab homine discere debet etiam fidei rudimenta.

seipso fidei rudimenta Paulum docere posset, cùm tamen Doctores suppeterent in terris, non opus erat diuinis miraculis, quia Deus quantum fieri potest, homines ab hominibus erudiendos ordinauit. Secundam rationem assignant, quià illa stella fidei lumen præsignabat, quæ in clara Dei visione locum non habet, iuxta doctrinam Apostoli 1. Corinthiorum 13. *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur id quod ex parte est*? idcircò quoniam Magi præsentem iam Deum inuenerant, apparitione stellæ, nequaquàm opus habebant. Tertiam apponunt rationem, quià stella hæc, (vt multi opinantur Doctores) non tantùm fidem significabat, sed particulares etiam inspirationes, hoc est, singularem sapientiam, quâ homines decorantur à Deo, idcircò quoniàm increatam inuenerant sapientiam, stella tanquàm signum eis disparuit. Et certè necessum erat, vt stella disparuisset, quò faciliùs absconditi in carne humanâ Dei maiestas proderetur: tàm diu enim Christi diuinitas latebat homines, quàm diu illum ex signis cognoscebant. hinc est quòd Athenienses, inter cætera falsorum Deorum simulacrà, quæ in templo posuerant, erexerint aram, cui titulum subscripsêre, IGNOTO DEO. Vbi scisciantur sacri Eloquij interpretes cur Athenienses diuini cultus haud ignari, ignotum Deum venerarentur. Respondentque aliqui, quia Athenienses omnes gentilium Deos, ex proprijs eorum sceleribus dignoscebant, quòd scilicet eorum crimina magis nota apud illos, quàm nomina essent. Hinc ex adulterijs Iouem, ex ebrietate Bacchum, ex rixis Martem, ex lasciuijs Venerè discernebant. At quià Christus ab omni culpa immunis erat, Attestante Apostolo 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, ideò ab Athenienses ignorabatur, & pro Numine ignoto colebatur. sed veriùs crediderim, Athenienses Christum vt verum Deum ignorasse, quia ex signis tantummodò in eius notitiam veniebant. Nam circumspectis tenebris, quæ factæ erant super vniuersam terram moriente Christo, Dionysius Areopagita vir Athenienses eruditissimus, atque Philosophiæ & Astrologiæ peritissimus, cognoscens tàm horrendam eclipsim, iuxta consuetas naturæ leges accidere minimè posse, in supremi alicuius Dei, orbem gubernantis, confusam cognitionem permouit Athenienses, atque vt aram ceu ignoto Deo erigerent, suasit. Ecce quantum passus mundus detrimentum, cum suum ignoraret Deum: sed illuxit hodiè feliciter diuina sapientia, & figuras in res, signa in præsentiam, ænigmata in apparentem visionem commutauit: dùm ipsa gentilium capita, Christum loquuntur Deum, falsitatem Deastrorum suorum irrident, & verum Numen mundo aduenisse prædicant. Hieremiæ 2. *Ecce nos venimus ad te: tu enim es Deus noster, verè mendaces erant colles, & multitudo montium.* Fatentur in carne tenera, absconditam Dei sapientiam 1. Corinthiorum 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Et licet pauperem, non fastidiunt, quia veritàtis & fidei lumine donantur, ab eo. Hic mihi venit in mentem illa Pòëtarum doctrina, qui docent sapientiam nusquam solitariam cohabitasse, sed cum Deâ Pallade, cui ab Ioue in tutelam, velut Regis filia reginæ commissa erat. Ecce mysterium hoc decantat hodiernum Euangelium. *Inuenerunt*, inquit, *puerum cum Maria Matre eius.* quia Christus erat sapientia increata, attestante scripturâ: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnes creaturas.* idcircò solitarius in terras venire non potuit, sed magnæ Deæ non iam Palladi; verùm Mariæ tutelæ commissus; proinde non alibi, quàm apud Mariam potuit inueniri. Et cur non dicit Euangelista Christum esse inuentum cum Iosepho, sed tantùm

1. Cor. 13.

Cur Athenienses ignotum Deum colebant.

1. Petri 2.

Dionysius Areopag.

Hiere. 2.

1. Cor. 2.

Sapientia nusquam solitaria manet.

Matt. 2.

tantùm cum MARIA? Hac vt videò de causa, ne fortè daretur aliqua prauæ suspicionis occasio gentibus, communi generationis modo, hunc infantem procreatum fuisse. Cùm enim satis constaret Sibyllarum oraculis, ex intactâ Virgine Christum nasciturum: Hoc enim de illo prædixit Sibylla Erithrea: *Hebræa, quem Virgo feret de stirpe Deûm.* Et Sibylla Samia: *Humano quem Virgo sinu inuiolata fouebit.* Et Sibylla Persica: *Ille Deus casta nascetur Virgine Magnus.* Et Sibylla Delphica, quæ vixit tempore Regis Priami & Troiani belli, sic de illo canit: *Videbunt Regem viuentem, & tenebit illum in vtero Virgo Domina gentium.* Augustinus lib. 8. de Ciuitate cap. 23. Ne ergo his vaticinijs, quæ gentiles sacrosanctè obseruabant, contrarium aliquid in Christi generatione venientes Magi putarent, diuino consilio factum esse putat doctissimus Rabanus, supra cap. 2. Matthæi, quòd tunc abesset Ioseph. Verùm quia vix possibile creditu mihi videtur, Iosephum ibi non adfuisse, cùm singularis esset Virginis & pueri tutor, verius existimo, Euangelistam solùm recensere MARIAM cum JESV, vt significaret recens natum infantem, Matrem solùm habere in terris, Patrem verò non nisi in cælis. Vel certè ideo dicit Puerum cum MARIA inuentum à Magis, vt palam fiat, omnium Christi mysteriorum, sociam ac indiuiduam comitem MARIAM semper extitisse: si enim rem pleniùs scrutemur, nullibi IESVM sine MARIA reperiemus. Nam si prædestinatus est IESVS ab æterno? certè non absq; MARIA, quia vt verus huius Matris Filius prædestinari debuit; si concipitur conceptus esse in tempore? certè nonnisi in visceribus MARIÆ, assensum Angelico nuntio præbentis. si nasci voluit in tempore secundum carnem? certè ex MARIA, intactâ manente eius virginitate. Si profectus est in Ægyptum, impij Herodis crudelitatem fugiens, & ibi in MARIÆ vlnis gestabatur. si pependit in cruce? & ibi MARIA affuit, iuxta crucem stans, velut immobilis columna. si sedet ad dexteram Patris? simul secum consedere voluit, & Matrem velut cæli Reginam, in vestitu deaurato circumdatam varietate. Ac denique si IESVS speratur venturus ad iudicandum viuos & mortuos? quis non contempletur affuturam eius lateri MARIAM. Quia igitur dies erat Christus, vt potè de auita æterni Patris prosapia veniens, & simul pauper, quia Deo obediens, & mundo salutem ministrans, idcircò æterna sapientia optimum cum illo habuit commercium, palam faciens non nudos pauperes, sed simul diuites fore sapientes.

Vaticinia Sibyllarũ de Christo.

S. Augustin.

Rabanus.

Cur non cum Iosepho, sed cum MARIA IESVM Magi inuenerunt.

Considerem us quoque, quomodò etiam in ignobilitate regalis præeminentia consistere valeat. Non me latet illud Pœtæ. *Curia pauperibus clausa est.* Nam olim apud Athenienses Solon inopes à publicis honoribus arcebat, teste Philosopho, lib. 3. Politicorum, cap. 10. Apud Carthaginenses publica lex pauperibus aditum ad magistratus præcludebat, vt refert Philosophus supra citatus cap. 9. Apud Indos, nonnisi ditissimus quis ad imperandum eligebatur, vt refert Plinius lib. 6. naturalis historiæ. Immo etiam apud Hebræos, ignobilitas à principatu excludebatur, iuxta illud Isaiæ 3. *In domo mea non est panis neq; vestimentum, nolite constituere Principem me populi.* vbi Propheta inhabilitatem & indignitatem ad principatum, non ex alio capite, quàm ex ignobilitate demonstrat, quasi indignus sit, qui regiâ potentiâ dominetur, quisquis magnâ rerum opulentiâ non abundat. Ex altera parte, video ignobiles feliciter regnasse. Nam in Arcadia regnabat Euander amabilis suis Ciuibus, & hostibus formidabilis, cùm tamen vilis esset iuxta illud Pœtæ 8. Æneidorum, *Tum res inopes Euandrus habebat.* Et D Thomas lib. 3. de regimine Principum cap. 14. docet etiam Principes huius sæculi de humilitate,

Pauperes à magistratibus excluduntur.

Isaiæ 3.

Paupertas feliciter regnat.

S. Thom.

& paupertate non mediocriter commendari. Quod probat Exemplo Codri Fabricij Cai Marij &c. qui in magna sui egestate, summa imperia feliciter tractârunt, atq; concludit Sanctus Doctor: *Sic omnes magni Principes & Monarchæ, cum humilitate subiugârunt mundum, sed cum fastu & elatione perdiderunt.* Cùm ergo ignobilitas alijs ad Principatum inuisa, alijs apta esset; ideo duplicem ego reperio ignobilitatem; veram, & apparentem. Ignobilitas vera est, quæ à vitijs ortum trahit. & cum hac nullatenùs regia potestas stare potest. quia criminibus repleta conscientia, & Deo inuisa, & hominibus ingrata esse solet. Altera ignobilitas est apparens, quæ cùm in se sit pulcherrimis adornata virtutibus, à maleuolis tamen velut abiecta habetur: & cum eiusmodi ignobilitate stat regia potestas, iuxta illud 1. Reg. 8. *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Sic Deus Dauidem, cùm pastor esset, Regem fecit; & Ioſephum cùm in seruitutem venundaretur, in regali constituit solio; sic Moysen cùm opilio esset, populi gubernatorem declarauit, Pharaonisq; Deum proposuit: sic gentes impietatis paupertati mancipatas, & in peccati stercore sedentes, bonis quæ Israëli præparauerat, cumulauit. sic humanam naturam, cùm in ipsum mortis profundum decidisset, assumpsit, erexit, & super omnem Principatum, & potestatem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non modo in hoc sæculo, sed etiam in futuro, collocauit. Talis ignobilitas apparens fuit in Christo Domino: cùm enim esset verus Dei filius, malitia tamen hominum oblatrare audebat, cum esse fabri filium; sed ecce cum hac ignobilitate, regalem eminentiam Deus coniunxit; vt proclamat Sapiens Prouerb. 8. *Primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ*, vt innotescat discrimen inter illum, & cæteros mundi Reges:

Ignobilitas duplex.

1. Reg. 8.

Prouer. 8.

A hi enim quamuis ad hoc, vt Reges essent, nati sunt; non tamen ex visceribus matris, statim prodeunt Reges: non regio diademate redimiti nascuntur; sed vt cæteri homines in hanc lucem veniunt, regiamque dignitatem aut armis, aut electione, aut hæreditate sibi comparant. At Christus ex ipsa sua Natiuitate, regnandi potestatem, in vniuersum mundum obtinet: quia natus est statim *Rex Regum & Dominus dominantium.* In cuius veritatis figuram, re-

B perio Deum iussisse duas quondam confici coronas. Ezech. 6. *Facies coronas & pones in capite Iesu* Iosedech, tum vt ostenderet, Christum duplici coronâ coronari debere: vnâ, quatenùs Regem; alterâ, vt Sacerdotem; tum vt significaret, Christum diadematum Dominum esse, qui non solum sibi; sed etiam alijs coronas habeat, atque impertiatur; vnde meritò de seipso dicit: *Per me Reges regnant.* Vnde quia Christus natus erat Rex, naturaliq; lure Prin-

C ceps Regum terræ factus, ideo & in præsepe positus Rex est, & pannis inuolutus Rex est, & in crucem actus inter latrones Rex erat. quia quemadmodùm cæteri, qui Reges non nascuntur, moriendo desinunt esse reges: ita Christus quia natus erat Rex, ideo etiam moriendo Rex esse non desijt. vt apertè indicabat illa crucis inscriptio: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* ô honorifica inscriptio! ô insigne glorioſum! quòd vt delerent, potentiam omnem adhibue-

D runt Christi hostes; nec tamen Iudicis animum poterant mutare. Sed quærunt hic aliqui, quare Pilatus suæ sententiæ tenaciter adhærens, iusserit titulum crucis tribus præcipuis in Orbe terrarũ linguis describi. Hebræâ, Græcâ, & Latinâ. Sed optimè respondet S. Cyrillus in cap. 19. Ioannis, vt constaret Christum Regem esse, non vnius nationis, sed vniuersi terrarum Orbis; atq; ideo titulum hunc super caput Christi iussit affigi, vt ostenderetur Regni eius firmitas & immobilitas. Quod certè

Christi corona duplex.

Cur inscriptio crucis Christi Græcè Hebraicè & Latinè inscripta.

in tre-

in tremendo Dei iudicio maximè confundet Hebræos; si enim Regem illum non agnouerunt, quando illum Pater æternus Filium suum prædicabat Matt. 17. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* aut certè si de Christi Regni firmitate vacillabant, quandò super thronum montis Thabor glorioſis splendoribus fulgebat? Aut dùm quinq; panibus, quinque millia hominum saturauit? Aut deniq; quando furentes maris vortices cõercebat? quassabat ventorum turbines? cæcos illuminabat? resuscitabat mortuos ad vitam? Certè tunc potissimùm Regem suum fateri debuerant, quandò infantulum trementem in præsepe, & adultum inter latrones morientem, hostes proprij Regem eum fateri cogebantur. tunc enim apertè liquebat eum Regem constitutum à Patre æterno, & regnum eius summâ potentiâ stabilitum; quando & mors ipsa quæ sceptra ligonibus æquat, imperij sceptrum è manibus eius diuellere non potuit. Beatiores profectò hodierni Reges, qui licet auctoritatis essent eminentissimæ; Regem tamen illum proclamant, *vbi est qui natus est Rex*, Matthæi 2.

Matt. 17.

Sed dicitè quæso ô pleni sapientiâ! si Christum natum tanquàm Regem venistis adoraturi, quænam intuemini regiæ dignitatis indicia in eo? vbi obsecro regia domus? vbi thronus regalis? vbi armati custodes? vbi famulantium caterua? vbi peristromata acu depicta? vbi aurea & argentea vasa; vbi serica & auro contexta sedilia? vbi proceres regni: Eritne forsan pro palatio stabulum? pro throno, præsepe? pro serico apparatu, aranearum telæ? pro splendido comitatu, MARIA & Ioseph? sed est profectò sufficiens noui Regis indicium, splendor Patris & figura substantiæ eius. si enim Plinius de egregio illo ac insigni Pictorum Principe Parasio refert, quòd is Athenarum Ciuitatem adeò subtili arte depinxerit, vt non solùm ciuium domus, vrbis mœnia, viæ, aræ, horti, flumina, riui, sed conditiones quoq; Athenieſium, & mores in ea imagine, sese ad viuum proderent. Nonne diuinissimus spiritus, prodigioso suæ omnipotentiæ penicillo, talem Christi vultum efformare potuit? vt in infantili illo corpusculo, tanta venustas & elegentia effulgeret, vt religiosè illum intuentibus, non leue esset, latentis in illo diuinitatis argumentum. solus proinde aspectus miraq; infantis pulchritudo, amorem pariter & venerationem in regibus conciliauit. Affuit regale palatium & thronus, ipsa sanctissima cælorum Regina: quia hæc ab æterno in purissimam domum increatæ sapientiæ ordinata erat, dicente Salomone Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Scilicet, MARIAM, in cuius crystallino sinu, velut in cælo suo conquiesceret, cuius vtero velut pretiosum margaretum, suo quasi insculptum conchilio, quiesceret. in cuius digitis velut adamas inæstimabilis annulo infixus delicioſè hæreret. Hinc est certè illud mysterium, quòd pastores puerum inuenerunt in præsepio Matt. 2. *Inuenerunt infantem positum in præsepio;* Reges verò in brachijs Virginis eundem repererunt, ibidem: *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* quia scilicet voluit se Deus omni hominum conditioni accommodare, sublimibus, atq; humilibus, magnis, & paruis. ideò Pastoribus (qui vices humilium gerebant) apparuit in præsepio tanquàm in tuguriolo suo. Regibus verò vt potè & ipse Rex, in throno positus virgineo, qui certè maioris plenus erat maiestatis, quam thronus ille Salomonis 3. Regum 4. In throno inquam, quo nunquam Christus post sinum Patris, in cælo, vel in terris, habuit pretioſiorem. vbi vt se Deipara veram ostenderet Reginam, in aduentum Regum, qui erant hoſpites honoratiſſimi, seipsam ornauit aureo suo monili, Dei scilicet agno pendente è sinu Patris, vt sicut præcipua pulchritudo & decus mulieris, quàm vidit

Palatium CHRISTI MARIA.

Matt. 2.

Cur Pastores Christum in præsepio Reges in brachijs MARIÆ inuenerunt.

Parasius Athenienſium ciuitatem ad viuum depinxit.

Mariæ monile, Christus ad vbera eius pendens.

Ioannes in Apocalypsi, erat sol; ita quoq; ornamentum virginis esset infans Christus, ceù iustitiæ sol fulgentissimus.

Memini quod huic mysterio optimè aptari potest, Sambacum (libro Emblematum) emblema quoddam (cuius titulus, Imperatoriæ virtutes) in hunc modum confinxisse. Depinxit Principem equo insidentem, qui in manu globum gestabat, ex collo equi pendebat delphinus, in extremitate dorsi caput bouis aderat; in altera verò manu vexillum portabat, in quo varia Chieroglyphica & insignia exarata erant: ibi enim videbatur Mercurij Galerus, caduceus cum duplici angue, & iuxta hunc liber & pyramis; depictum verò sic Principem sola Virgo comitabatur. Quo emblemate Principem pacis, Christum Dominum cum MARIA Virgine adumbrasse mihi videtur, nam ex manu eius pendet vniuersi Orbis machina, Isaiæ 30. *Qui tribus digitis appendit molem terræ*: Delphinus celeritatem eius significat, quia Isaias vocauit illum, *Accelera* Isaiæ 8. Nam accelerat ad miserendum homini, caput bouis immensos eius labores, quos ab infantia, ad extremum vitæ halitum propter nos sustinuit, denotat. Galerus Mercurij, quem Eloquentiæ Parentem Antiquitas coluit, sapientiam Patris in infante latentem exprimit. Vexillum, quod in vna manu gestabat, crucem portendit. Caduceum cum duplici angue, pacis symbolum figurat. liber in altera manu, Euangelium sacrum, quo mundus instruitur ad salutem, monstrat. pyramis, quæ immortalitatis semper extitit argumentum, Regem hunc immortalitatem nobis donaturum indicat. Deniq; si Princeps ille depictus Virginis præsentia delectabatur, & Christo pariter sola Maria factæ sunt deliciæ, propter quod Magi non cum alio puerum inuenerunt, sed cum MARIA, *& procidentes adorauerunt eum.* Forsan ideò, vt mysticum fidelitatis iuramentum nato Principi exhiberent. si enim apud homines, consuetudo inualuit, vt nouiter electo aut succedenti Principi, ab omnibus Regni primatibus in ipso regnandi principio, obedientiæ iusiurandum præstetur; ita profectò in orbem terrarum Principe æternitatum veniente, voluit Pater æternus in eius fidem & obsequium cælum & terram iurare, in quo iuramento ipsemet Pater æternus sceptrum & coronam Regiam, summiq; Sacerdotis tyaram Christo Filio suo imposuit, vt vtrumq; & spirituale & temporale Regnum, in orbem vniuersum, non armis, quia est Princeps pacis; sed Iure hereditario possideret. iuxta illud Psalmi 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Ecce igitur vobis in paupertate Christi, æternam sapientiam; & in abiectione, eminentissimam regnandi potestatem? ecce absconditum Deum manifestè vobis clarificatum. Igitur si quatuor olim de causis mundus de Deo conquerebatur. Primò scilicet, quòd eâ quâ vellet felicitate, eum inuenire non posset, quemadmodùm plorabat Dauid. Psalmo 41. *Fuerunt mihi lachryma panes die ac nocte, dùm dicitur mihi quotidiè, vbi est Deus tuus.* quasi diceret: scio quidem Deum esse in cælis, & vbique præsentem, sed desidero illum in terris humanâ carne indutum videre. secundò, conquerebatur mundus, Deum graues manus habere, grauiterque punire. vnde clamabat Iob capite 13. *Manum tuam longe fac à me.* Tertiò, quòd asperè nimis loqueretur hominibus, vnde Iudæi dixerunt ad Moysen. Exodi 20. *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quartò, quòd licet suauiter & blandè aliquando loqueretur; sedebat tamen in throno tantæ maiestatis, vt eum alloqui homines minimè auderent. sed ecce iam hodiè querulantem mundum solatur Euangelista, dùm ait: *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* quasi diceret

Sambacus.

Isaiæ 30.

Ibidem 8.

Psal. 2.

Quatuor mundi querelæ de Deo.

Psal. 41.

Iob. 13.

Exodi 20.

ceret, cessent iam veteres illæ querelæ: si enim querebamini, quòd Deus inueniri non posset, ecce hodiè inuentus est à Magis? si, quòd verba eius formidanda & terribilia essent? ecce nunc vagitus solùm promit. si, quòd manus haberet graues? ecce nunc illas fasciâ vinctas, & pannis inuolutas continet; si denique, quòd sublimi throno sederet? ecce nunc in præsepio iacet. Accedite ergo omnes, & pauperes, ad recipiendam sapientiam, sed adornate vos priùs fide & obsequio Dei. accedite & ignobiles, ad participationem regni æterni, sed defectum fortunæ suppleat in vobis virtutum abundantia. Accedite denique omnes, & procidentes adorate Dominum & Regem vestrùm, & quia regale genus estis, scilicet de sanguine Dei propagati, non iam in præsepio, quia hoc Pastorum est, sed in brachijs Mariæ, natum quærite infantem, Amen.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Ecce Magi venerunt Hierosolymam dicentes: vbi est, qui natus est: vidimus enim stellam eius in Oriente. *Matt. 2.*

Christum à Magis primò voluisse adorari, & stellam ipsis apparentem fuisse nouum meteoron, exponitur.

Sub tempus belli Suetici, Anno 1656.

QVoties nos Scriptura sacra, in magni alicuius mysterij contemplationem ducere voluit, semper particulâ istâ *Ecce* vti consueuit. Voluit eleuare intellectum nostrum Deus, ad cognoscendam admirandam illam, Christi in vtero Virginis sine viri operatione conceptionem, sed noluit tantæ profunditatis mysterium, nisi hac solâ particula monstrare inquiens: *Ecce Virgo concipiet.* voluit salutarem Christi fidem sub A specie seminis insinuare per hanc solam particulam, *Ecce seminator veniet;* voluit populo suo commixtionem cum gentibus exprobrare, vbi particula hac quasi indice furoris sui vsus est. *Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei.* voluit deniq; ostendere, Christum ad delenda totius generis mortalium peccata venire, sed non alia voce vti voluit, præter hanc *ecce*, inquiens. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. Magnum certè & in hodierno latet B mysterium Euangelio, quòd nobis sub hac particula *ecce* proponere voluit Euangelista, dum etiam Magos venisse ad IESVM nuntiat. *Ecce* inquit, *Magi venerunt Hierosolymam.* quasi diceret. Quamuis dignum sit admiratione, Angelos è cælo descendisse, & ad tenelli infantis pedes iacuisse prouolutos, licèt stupendum videatur rudes pastores, supernorum antea ignaros mysteriorum, Deum humana carne indutum agnouisse; sed hoc certè attonitum C reddit hominem, sacrilegos & maleficos, publicos diuini nominis hostes, manifestos idolorum cultores, diuino sese imperio mancipasse. Nam quid infidelitatis tenebræ habent cum æterno lumine? quid diuina iustitia cum idolorũ cultù? quid adoranda sanctitas cum gentilitatis canibus? quid magica ars cum incarnata sapientia? quid superstitio cum religione? diuinum profectò & magnum est hoc mysterium, in quo impletum est vaticinium illud Apostoli D ad Philip. 2. *In nomine IESV omne genu flectatur cælestium terrestrium, & infernorum.* E cælis enim hodie, in adorationem huius nominis Angeli descenderunt: è terra pastores, ex inferno infidelitatis Magi, qui vmbras tantùm tartareas colebant. Sed quid illos ex perfidiæ vmbris, ad lumen salutis traxit? stella quam viderant in Oriente. Duo igitur hodie considerabimus, cur Christus à Magis primùm voluit adorari, deinde quænam fuerit ista stella, quam secuti inuenerunt IESVM.

Ioan. 1.

Philipp. 2.

Tribus

Tribus potissimum de causis puto, infans Christus voluit adorari à Magis. Imprimis, vt statim in primo suo ortu ostendisset sui aduentus motiuum, quod certè non aliud erat, quàm remedium peccati; *Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat;* cùm verò maximè illi perire censendi sint, qui non abolita originali labe, quasi dæmonum mancipia fiunt, & insuper qui sese vltro actualibus peccatis in grauem dæmonibus obsidionem tradunt, quales fuerunt hodierni Magi. Sanctus enim Augustinus Serm. 2. de Epiphania, S. Hieronymus super cap. 19. Isaiæ, & Iustinus Martyr Dialogo contra Tryphonem, docent hos Magos fuisse incantatores & superstitionibus deditos, cui sententiæ arridet S. Basilius oratione de Christi generatione inquiens. *Incantationibus vacabant.* quod Theophylus capite 2. super Matthæum hoc ipsum clariùs comprobat; *Christo* inquit *testimonia perhibent magi, qui maximè aduersarij erant Deo & obnoxij dæmonijs.* Vt ergo Dei Filius se in remedium, non tantùm originalis, sed etiam actualium quorumcunq; peccatorum veniisse ostenderet, à Magis primùm adorari voluit, qui non tantùm originali culpa, sed etiam malis incantationum operibus, sese dæmonijs æternùm mancipauerant. Vbi eluxit summa Dei erga hominem clementia, quòd tenerrimi adhuc infantis bonitas, illos qui maximè à se distabant, citiùs vocare, & sibi propiùs attrahere voluit. Eluxit insuper & admiranda eius omnipotentia & diuini brachij fortitudo, cuius virtute summè aduersos & rebelles animos, idolorum cultu inueteratos suæ associauerit amicitiæ. Lætare hic fidelis anima, & tuum illud agnosce beneficium, quo nullum maius tibi Dei beneficentia conferre potuit, magicæ certè arti si te obnoxiam dixero, non aberrabo, quia veneficis illius serpentis incantationibus, in paradiso infecta, pulcherrimam primæuæ exuisti vestem innocentiæ, & ad clamantis Dei vocem, aspidis surdæ instar obturasti aures. Sed tu prima ad Christi nascentis adorationem venire debes, vt te pœnitentem agnoscens, quod tibi fraude dæmon eripuit, bonitate Christus restituat. Nec animo cade, si actualium peccatorum maculis grauaris, & hæc enim ad Christi cunas reuerenter prouolutis impune iam abeunt, ad maiorem dæmonis confusionem. *Et Magi enim* inquit Iustinus Martyr contra Tryphonem, *quos sibi dæmon vendicarat ad omnia maleficia, postquam venerunt vt adorarent Christum, videntur ab illo defeciſſe redacti in huius potestatem.*

Alteram rationem esse puto, cur Christus à Magis primùm voluerit adorari, quia vt interpretantur Anzelmus, Beda, & Rupertus, Magus idem sonat quod sapiens, idcirco cùm tres isti Magi fuerint sapientes Philosophi & Astrologi, quod illis adscribit Cyprianus Sermone de stella inquiens: *Arte Mathematica vim & discursum nouerant Planetarum, & elementorum naturam, & astrorum ministeria certis experimentis obseruabant.* ideo incarnata sapientia, à Sapientibus quoq; voluit primùm adorari, vt humanum intellectum ad diuinæ sapientiæ, & cælestium contemplationem bonorum inclinaret. quòd eleganter Augustinus Serm. 1. de Natiuitate expressit. *Hæc sunt*, inquit, *testimonia natiuitatis tuæ Domine Iesu, antequam tibi fluctus substernerentur calcanti, obedirent imperanti, antequam ventus te iubente siluisset; mortuus te vocante vixisset, terra te resurgente tremuisset, cælum te ascendente patuisset, ante ista & alia mirabilia adhuc in manibus Matris portabaris, & Dominus orbis agnoscebaris.* Sed grande mysterium, vt quid diuina Maiestas sapientibus sese adorandam exhibuit: certè ideò, vt ostenderet hanc vnicam Dei cognoscendi viam esse, veram sapientiam, cùm enim Deus in sua Trinitatis vnitate & substantia, oculo corporis attingi nequeat, nisi oculo mentis, summâ certè opus est sapien-

Lucæ 19.

S. August. Hierony. Iustinus Martyr.

Magi quinam fuerunt.

S. Basilius.

Iustinus Martyr.

S. Anzel. Beda Rupertus.

S. Cypria.

S. Augustí.

sapientiâ, vt ad tâm inscrutabile arcanum, imbecillus noster eleuetur intellectus. Sapientes igitur nos esse oportet, vt pariter ad adorandam Christi natiuitatem accedere valeamus. *Sapientiam enim & disciplinam qui abijcit infelix est.* Sapien. 9. Sapien. 9. Sed non mundanâ sapientiâ, verùm mathematicâ è cælestibus procedente oraculis instructi esse debemus, vt non ea quæ mundi sunt, sed illa potiùs, quæ vastissimo cæli ambitu intercludi nequeunt, quæramus. talem nobis sapientiam proponit Scriptura Ecclesiast. 8. quâ prouideamus & præuideamus æterna futura. *Sapientia*, inquit, *hominis lucet in vultu eius.* Eccl. 8. hæc certè est vera & perfecta sapientia, quæ ex vultu IESV Christi in nos diffunditur, *beati siquidem qui vident faciem eius* hæc imbecillitatem nostri intellectus iuuat. Intellectus enim noster iuxta doctrinam Philosophi, non aliter res concipit, nisi per species, quas ab obiectis emendicat, & cùm solus Deus sit talis, cuius nulla species impressa in intellectu nostro dari possit, propter summam perfectionem, quæ diuinam nobis essentiam repræsentare valeat, idcirco illam solam quærere debemus sapientiam, quæ ex Christi vultu in nos diffundatur, quia hæc annexum habet lumen illud gloriæ, quod intellectum nostrum roborat, & eleuat, cum eodem concurrit ad efficiendam Dei visionem, manifestatq; obiectum illud in accessum videndum; vt docet S. Thomas art. 2. & 5. ad 1. *Requiritur*, inquit lumen, *diuinæ gloriæ confortans intellectum, quod det virtutem intelligendi, & augeat facultatem cognoscendi.* S. Thom.

Demùm, Christum suam Maiestatem Magis exhibuisse adorandam, verisimile puto ideo, quia Reges erant, pertinebat autem ad diuinum honotem, eam dignitatis rationem, quæ in homine maxima est, Christo subingari. Nam si vera est sententia Theologorum, creaturam quò præstantior est, propiùs ad Deum accedere; quis negabit Reges in numero mortalium præstantissimos esse, & idcirco primum illis à Christo concedi aditum. Regibus certè maximè delectatur Deus, quia natiuæ & veræ diuinitatis imagines ac simulachra sunt; hos enim maximè decet, ad normam cælestis illius prototypi perfectissimos, & ab omni contagio immunes effici, quò facilius ad eorum exempla totus componatur orbis. Pulchrè hanc Regum præeminentiam decantauit Salomon Prouerb. 30. *Tria*, inquit, Prou. 30. *sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter, leo fortissimus bestiarum, gallus succinctus lumbos, aries, & Rex, cui non est qui resistat.* Rex enim propè admirabilis & Deus quidam esse debet, in hoc mundo, vt sit & leo in iustitia, & agnus in misericordia, & gallus in sollicitudine ac vigilantia. Nos proinde omnes Reges esse voluit Deus, vt semper liberum ad illum habeamus accessum, quemadmodùm docet S. Leo Sermone 3. *Omnes* inquit, *in Christo regeneratos crucis signum efficit reges.* S. Leo. & quid quæso magis regium in nobis esse potest, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem. accedere ad Deum desideras ô homo, priùs non ex necessitate, sed ex libertate mera, & charitate te ipsum illi submitte: adorare vis Christum, priùs corpus tuum ita moderare, vt non in vitiosos mundi flexus descendat, sed ad cælum tota mente erigatur, Christus enim neminem nostrum sine rectitudine hac agnoscere vult. Scribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. quòd cùm natus Seruius de seruo, adhuc infans die quadam dormiret, circa caput eius flammam emicuisse multi circumspexerunt. vbi prodigium hoc admirata vxor Prisci Tarquinij, Seruium accipiens in tutelam, in modum filij adamauit, & ad regium fastigium erexit, ecce seruus natus Seruius, non naturâ, sed lumine prodigioso, & operâ Reginæ, ad regalem thronum euectus erat. Figura certè nostri hæc erat; nascimur enim omnes ex seruis quia ex parentibus Valerius Maximus.

tibus originali culpâ damnatis, sed vt primùm lumen diuinæ fidei & charitatis effulserit in capitibus nostris, statim operâ Reginæ, Ecclesiæ scilicet sanctæ, liberê educati in Regnum Christi euehimur.

Duplicem seruitutem Doctores agnoscunt. vnam mundi, alteram Christi, mundana seruitute nihil grauius, cùm hæc nobilissimum Dei inter creaturas corporeas opus, hominem scilicet ad imperandum toti mundo sublunari constitutum, (iuxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs terræ.)* brutis insipientibus coæquet, approbante id Homero lib. 10. Odijsseæ: *seruus*, inquit, *dimidius homo, liber integer est.* Vt seruitus meritò ipsa morte acerbior reputetur, ita vt plurimi animo euitandi seruitutem, mortem crudelissimam amplecterentur. In cuius veritatis comprobationem, testem huc adduco illam Virgilianam Andromache, quæ sibi captiuæ Troianas mulieres in bello mortuas præferebat, inquiens.

Gen. 1.

O felix vna ante alias Primeia Virgo, Hostilem ad tumulum Troiæ sub mænibus altis, Iussa mori, quæ sub sultus non pertulit vllos. Nec victoris heri tetigit captiua cubile. Hinc disertissimus Philo lib. 1. de vita Moysis exclamat: *Non est* inquit *par iactura libertatis & pecuniæ, cùm nemo sanus non malit vitæ; quàm libertatis adire periculum.* Vnde populi quidam quos nominatus Philo Xantios appellat, cùm à Romanis militibus in deditionem cogerentur, se omnes priùs occiderunt. *vt fatali*, inquit, *necessitati salua libertate magnanimitateq; satisfacerent*, sic illi acerbitatem tyrannicam fugiendo, prætulerunt gloriosam mortem, vitæ coniunctæ cum ignominia. Sed quid mirum adeo miseram esse seruitutis conditionem, cùm ex duplici grauissima causa procedat, scilicet, ex iniquitate & aduersitate, teste D. Augustino q. 153. in Gen. *Seruum* inquit *hominem homini vel iniquitas vel aduersitas dominari facit.* Iniquitas quidem: quia post patratam iniquitatem primus Nóè, filio suo Cham maledixit. Gen. 9. *Maledictus Puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Aduersitas verò, sicut accidit ipsi Iosepho, quem fratres ob inuidiam Ismaèlitis vendiderunt triginta argenteis, vt eum in Ægyptum ad duram seruitutem abducerent. Sed eheu quantò efficatior seruitutis causa est iniquitas; quàm aduersitas. Aduersitas quippè leuissimam & breuissimam in seruitutem Iosephum redegerat, vt postea de carcere eductus totius Ævgpti Prorex haberetur. At vero iniquitas, non solùm Cham, sed etiam eius filium Chanaan, imò & totam eius posteritatem, in perpetuam & maledictam quandam seruitutem deturbauit. ò quàm multi nostrùm huius intolerandæ seruitutis iugo premuntur, quod euidenter illo Christi oraculo comprobo Ioan. 8. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* In quem locum D. Ambrosius lib. de Ioseph cap. 4. sic discurrit. *Seruile*, inquit *est omne peccatum, libera innocentia, quomodo enim non seruus omnis auarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello seipsum auctionatur. quomodò non est ille seruus, qui subditus est libidini. Primum suis ardet incendijs, & peccati sui facibus exuritur; suscipit omnes metus, insidiatur somnis singulorum; vt vnius cupiditate potiatur, sit seruus omnium.* seruit igitur ad miseram quidem seruitutem, qui ipse sibi dominus fuit, ipse vult habere, quos timeat. At verò Christi seruitus omni humana libertate maior, & temporanea dulcedine suauior est; adeo vt ille prodigus miseram peccati seruitutem expertus, meritò dixerit Lucæ 15. *Ibo*, inquit, *ad Patrem meum.* quod considerans Petrus Ghrysologus Serm. 1. *Est* inquit *penes Patrem dulcis conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas diues, secura possessio.* vultis Catholici ex hac crudeli seruitute mundana eliberari, ad Christi seruitutem transeundum est. Sed non aliter nisi stella duce, quâ præeunte

Virgilius.

Philo.

S. August.

Gen. 9.

Ioan. 8.

S. Ambro.

Lucæ 15.

S. Chryso.

Reges

Reges hodierni ad infantulum IESVM venientes, seipsos in perpetuam seruitutem illi manciparûnt, tanquàm verum Regem Regum, & Deum submisso poplite adorantes: *& procidentes adorauerunt eum.*

Postquàm enim Saluator noster, Bethlehemitica incunabula ingressus esset, illico tres illi Principes ab Oriente venêre, tanquam supremum Regem Regum, & Dominum dominantium adoraturi: ingressique Vrbem Ierosolymam pertransibant compita, inquirebant de recens nato Rege, & imperterrito animo profitebantur, se stellam eius vidisse: *Vidimus*, inquiunt, *stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Matt. 2. Duo prorsùs stupenda contigisse agnosco: nimirùm; quia Christus in primordijs, suæ natiuitatis & pastores conuertit, & Reges. Sed pastoribus militiam cælestem, & beatas illas Angelorum mentes; Regibus verò conuertendis nonnisi stellam destinauit. Pastoribus quippe cælestis nuntius loquitur: *Euangelizo vobis gaudium magnum.* Lucæ 1. Regibus stella noua apparuit. Liceat mihi paulisper tecum ô incarnata sapientia loqui. Quid obsecro maius & excellentius est, Regesne conuertere & de loginquis regionibus ad tuum stabulum atq; præsepe adducere, num certè homines abiectæ mentis, & sortis infimæ, pauperes opiliones, non procul à tuis incunabulis distantes, ad tàm inusitatum spectandum prodigium trahere. Vtique tàm præclaris Regibus insignes destinari nuntios, qui arduæ huius legationis munus obirent; viliſſimis autem ruricolis minimũ ministrum, videlicet; stellam deputari decebat? verùm agnoscite & obstupescite facti huius mysterium, demonstrare voluit Filius Dei normam sui regiminis futuram, & eapropter Reges terrę, quos fastuosus & insipiens mundus colit ac veneratur, quasi deastros quosdam, per stellam vocauit, quasi rudes fuissent armentarij. At verò pastores ludibrio & contemptui hominum expositos, quasi Monarchæ & Principes essent, per Angelos accersiuit, vt sic tantò faciliùs in abiecta hominis formâ, & paupertate, cum inaccessæ maiestatis Dominum fuisse cognosceremus.

Matt. 2. Lucæ 1.

Mouent nihilominùs discursum sacri interpretes, quænam stella hæc fuerit, quæ Regibus præibat. Et quidem antiquus Origenes, eam fuisse de nouo productam, idq; de genere cometarum autumat lib. 1. contra Celsum: *Stellam*, inquit, *nouam fuisse arbitramur, nec vllis ex notis istis similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus, sed eius generis, quales cometæ visuntur.* Si res ita se habet, adeamus profundissima Philosophorum arcana, quid etiam cometæ portendant? Triplicia certè eorum præsagia cernimus: imprimis enim præsagiunt siccitatem, incendia, sterilitatem: quia materia eorum sunt exhalationes attractæ à terra, quæ cum sint partes terræ potiores, propter earum extractionem terra sterilis redditur. Deinde præsagiunt ventos, & terræ motus; quia tunc virtute solis excitantur multæ exhalationes in viscеribus terræ, quæ si exire nequeant, terram concutiunt, atque hinc sequuntur tempestates crebræ? Tertiò præsagiunt morbos plurimos, & contagiosos, quia illæ exhalationes inficiunt aèrem, qui nociuus & venenosus redditur sanitati, maximè Principum & Regum, qui ordinariè sunt delicatioris complexionis, ideoq; facilè alterabilis. Stella igitur quæ Magos duxit ad præsepe Christi, mortem tenelli istius infantis, cæli & terræ Principis, vixdum nati portendebat. Natus quippe Saluator noster, ne diuersorium quidem apud mundum habere potuit, sed vix stabulo recipi permissus. En duram siccitatẽ inhumanitatis; *in propria*, inquit S. Ioannes *venit, & sui eum non receperunt.* Adhuc pannis inuolutus in fæno iacebat, & iam tota commouebatur Ierosolyma, in necem Filij Dei sacrilego ausu conspirans; en incendia

Origenes.

Cometarũ præsagia.

Stella Christi mortem præsignabat.

Ioan. 1.

indomitæ mundi malitiæ. Nondum à Magis adoratus erat, & iam à crudeli Herode, inter tot infantium cunas, ad lanienam quærebatur. *Ite* Matt. 2. *& interrogate de puero, vt & ego veniens adorem eum;* ecce mortem simul cum vitæ primordijs confligentem, quàm stella protendebat.

Trutinate hîc, quid Virgo Deipara cũ cæleſti hoc infantulo egerit; Lucæ 2. *Peperit*, inquit sacer textus, *filium suum primogenitum, & pannis inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Lucæ 2. Quid mysterij hæc inusitata cæremonia continet? Princeps æternitatum in lucem prodit; & ecce loco balnei fasciis illigatur, panniſq; vilissimis fasciatus reponitur in præsepio. ô inscrutabile arcanum! idem prorsùs erat, ipsum fuisse primogenitum, & principem acclamatum, atque iam defunctum, & mortuum existimasse. Egit proinde cum illo Augusta Mater, quasi cum mortuo, quòd optimè nosset eum ad canitiem & venerandam senectutem, non fuisse venturum. Sic ingeniosè super hunc locum Clemens Alexandrinus in Cate- Clemens Alexandr. ten. Olympiad. in cap. 1. Iob argumentatur. *Nuper* ait *infans est ad vitam ingressus, nec interpositâ morâ mortuorum pannis amicitur, ô vitæ primordium, mortis prodromum!* Vix natus mundi inferioris possessionem occupat, & iam funesto amictu ac si defunctus induitur, fasciis constringuntur tenerrima eius membra, & caput velo obtegitur, omneſq; funerales cæremoniæ circa illum peraguntur. Quia scilicet tam indiuiduo nexu copulantur secum vita & mors, vt primordium vitæ, sit mortis prænuntium, idemq; prorsùs esse censeatur, auspicari vitam, ac mortem inchoare. Augusta igitur Virgo vt primùm conspexit natum infantulum, confestim mortuum reputauit. Hinc ad natiuitatem primogeniti, è vestigio subsecutum est feretrum & sepultura: *peperit Filium suum* Lucæ 2. *primogenitum, & pannis eum inuoluit.* Imo dicam quod censeo, priùs Beata Virgo suum infantulum vidit mortuum, quàm viuum, & naturæ humanæ desponsatum. Hæc est mens Thomæ Cistercìensis, qui explicans verba illa Cantic. 3. *In die desponsa-* Cantic. 3. *tionis &c.* dicit, sponsalia Christi cum Ecclesia, fuisse quidem inchoata in ipsa Incarnatione, sed matrimonium non habuisse suam perfectionem, nisi in cruce, & consumationem nisi in aduentu Spiritus Sancti. sic enim ille discurrit lib. 6. in Cantic. *dicitur* Thomas Cistercien. inquit, *in die desponsationis suæ: ecce matrimonium nuntiatum, in passione perfectum, in Sancti Spiritus aduentu consummatum.* In Incarnatione itaq; verbi diuini, & eius natiuitate, æterna sapientia, (vt ita ad captum humanum loquar) contraxit matrimonium solis verbis cum Ecclesia, & quia Ecclesia nonnisi ex morte Christi suam omnem pulchritudinem accipit, ideo Beata Virgo hanc eius desponsationem, quæ sola morte consummari debuit, considerans; priùs quodammòdo mortuum quàm viuum eum vidit.

Subscribo hac in parte sententiæ Origenis, illamq; stellam nouum reuera meteoron fuisse ingenuè fateor, sed vltra omnem naturæ ordinem: hoc est; non de terrena pinguedine, sed de cæleſti ortum; non de vllo creaturarum semine, sed de sola diuinæ naturæ fæcunditate prodijsse. An certè non est prodigij simile, stellam illam sic duxisse Magos, ne in paruulo inueniendo aberrarent, nec priùs stetisse, donec ad locum peruenirent, in quo recens natus Rex, diuinitatem suam velo humanitatis occultam reclinauerat, atteſtante Euangeliſtâ: *vsq; dùm staret supra vbi erat puer.* Vt proinde in figura illius stellæ, ipsum Spiritum Stella Magis apparens, fuit Spiritus Sanctus. Sanctum apparuisse crediderim; cùm id Doctor Angelicus arcana Euangelij profundè reserans fateatur, quòd sicut Spiritus Sanctus in specie columbæ descenderat supra caput Christi, dum à Ioanne baptisaretur; sicut postea in specie ignis descenderat super Apostolos, dùm à Christo ascendente, in totum mundum prædicaturi

dicaturi Euangelium mitterentur, ita idem Spiritus Magis in figura stellæ apparuit: *Alij* inquit, *dicunt quòd ista stella fuit Spiritus Sanctus.* Et quæ obsecro necessitas erat, vt ipse Spiritus Sanctus descenderet, in forma stellæ ad deducendos istos Reges? vtiq; erant viri sapientes, literati, facilè res abstrusas intelligentes? causa est, quia nonnisi duce Spiritu Sancto, locum vbi Deus erat natus, poterant inuenire, cùm etiam summum ingenium nisi à Spiritu Sancto illustretur, plerumq; grauiter soleat vacillare.

TS. hom.

Porro ad illustrationem huius veritatis, offert se mihi illud vaticinium Michææ. *Nunc vastaberis filia latronis.* Michææ 5. Quod sacri interpretes de captiuitate Hebræorum, quâ in Babylonem adducendi erant, intelligunt, purantque gentem Hebræorum, ideo filiam latronis fuisse appellatam, quòd furtis & rapinis nimiùm grauata esset. Rupertus vero Abbas, ideo Ierusalem fuisse vocatam filiam latronis censet, quia hæc appellatio fuit certum prognosticon excidij, & desolationis per Titum & Vespasianum exequendi, quæ vastatio & ruina, tunc futura prænuntiabatur, quando regimen Ierusalem ad tam miserum statum venturum erat, vt boni & iusti tanquam fontes plecterentur, bonisq; proprijs per fas & nefas spoliarentur, scelerati verò ob suam potentiam impunè grassarentur: quando vita latronibus concederetur, & mors innocentibus infligeretur; quando Hebræi propter respectum humanum, Barrabam, hominem omni vitiorum genere contaminatum, homicidam insignem, libertate donaturi? Christum verò innocentem suspendio crucis, mulctaturi forent: Apostolos supplicio, quia pauperes & humiles, afficerent; Annam verò & Caipham, quia potentes, & magnates, impunitos relinquerent; & ideo illis scriptura comminatur desolationem. *Nunc vastaberis filia latronis, quia latronem petijsti dari tibi.* addit Rupertus.

Michææ 5.

Rupertus.

Rupertus.

A tus lib. 9. in Matt. Ergone Hebræi Christi innocentiam ita ignorabant, vt ei Barrabam latronem anteponerent? ita sanè; quia iam ab illis lumen columnę illius igneæ, quâ præeunte, mare rubrum, sicco pede tranârunt, lumen inquam diuinissimi Spiritus, in figura stellæ Magos ducentis ad præsepe Christi, ablatum erat, cùm velum templi scissum esset. En quantus error sine irradiatione Spiritus Sancti.

Sed vos iam Patriæ Ciues, Regni istius Poloni Senatores, vosque omnes qui sedem hanc Regni augustam, vrbem Cracouiam inhabitatis alloquor, minus forsan gratus, quia verus vates. Videtis quomodò hisce temporibus, Regnum hoc nostrum amplissimum vastatum maneat, quomodò vel in ipsa Regni sede Cracouia, elegantissima illa, & longo tractu, atq; eleganti ordine circumquaq; disposita suburbia, ob aduentum hostis insperatum, iam de vicinis collibus prospectantis, igne fumantia, tristem incendij Troiani (aut qualem ne sæuiente quidem Nerone Roma vnquam spectauit) imaginem per aliquot dies vobis exhibuerunt: quomodò à tot iam sæculis, magnificæ illæ Basilicæ, in vrbis visceribus D. Francisci, & B. MARIÆ ad Niues; extra vrbem verò, Conceptionis B. MARIÆ Virginis, Sanctæ Agnetis, Sebastiani, Floriani, Simonis, Philippi & Iacobi, Crucis, Casimiri &c. &c. exustæ, quomodò muri adhuc residui templorum igne dirutorum solo æquati, quomodò Ciues amplissimis diuitijs referti exuiscerati, loca sacra profanata, ædes Dei omnibus ornamentis spoliatæ, cœmeteria cadaueribus Hæreticorum profanata, iugum Christianitati grauissimum impositum, & omnia susq; deq; euersa sunt. Adimpletur iam in te ô carissima Patria illa diuinæ comminationis ira; *Et lapis super lapidem non remanebit in te.* Causa non alia, nisi quia filia latronis facta es, dùm quod hostis non est ausus, degeneres filij tui vltro se hosti

Causa vastationis Regni, Regis contemptus.

latrocinanti iñiſcentes, non ſolùm in viſcera Patriæ vt Nero quondam ſæuire, ferroq; ſcrutari vellent, an ferrea eſſent, quæ tam improbos filios peperêre, ſed etiam quod lingua duere horret, Eccleſias ſpoliare, prædari Xenodochia, monaſteria expugnare, ſacrilegâ ſuâ manu non erubuerint. Vaſtaris nunc filia latronis, dum Regem tuum impij filij, omni inſolentiæ vltra modũ dediti, de finibus tuis eiecerunt; latronem verò Chriſtiani nominis hoſtem infenſiſſimum, de Sueticis vmbris Carolum Guſtauum adſciuerunt, cui tyrannicè Regnum inuadenti, inuiti parerent, qui veri Regis liberè dominantis principatum ferre recuſabant, illud inclamantes; Regem non habemus. Et quæ te ô viperina ſoboles dementia tenet? vt etiam vterum Eccleſiæ quæ te per lauacrum baptiſmi in ſui gremium ſuſcepit, corradere non verearis? ſcilicet; quia euanuit in te exacta legum obſeruantia, euanuit Dei eiuſque mandatorum timor, euanuit zelus ille maiorum tuorum in propaganda fide, euanuit conſtantia in defendenda Religione, euanuit ille qui te in omnibus periculis protegebat & illuminabat æuiternæ lucis radius; hoc eſt; Deus ipſe propter tua enormia ſcelera à te receſſit: ſic quondam veſter Orichouius (quoties publica negotia non ſucceederent) dicere ſolebat. *Non eſt in nobis Deus.* Omniſq; impietas iam te poſſedit, vt vel hoc ipſo tibi iam æternæ damnationis periculum accerſere videaris. Sed en hodiè ad cunas Regis Regum, ſtellâ duce Reges gentiles procidunt, vt & vos hoc radio ſtellæ æterno lumine radiantis; hoc eſt, diuiniſſimi Spiritus illuſtrati, veſtris tandem impuritatibus depoſitis, Regi recens nato reconciliemini.

Orichouius.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera.

Munera Chriſto oblata recenſentur, eaq; cum tota eius ſupellectili, inter fidelium ſtatus, pro ſtrena diſtribuuntur.

INter cæteras amicitiæ differentias, hanc præcipuam requirit Ariſtoteles, vt amicitia non ſit latens, ſed manifeſta; hoc eſt, factis, verbis, officijs declarata. Hinc eos vt plurimùm ſolemus amare, quorum modeſtia, doctrina, probitas, nobis nota ſunt; & qui non ſolùm verbis, ſed etiam re ipſa ſuum erga nos teſtantur affectum. Et ideò amicitiam in genere, 8. Ethic. cap. 2. ita definit: *Amicitia eſt mutua & non latens beneuolentia, inter illos, qui ſe vltrò citroq; bonis afficere ſtudent.* Nam ardentiſſimo amore ferri in amicum, & non habere modum atq; occaſionem, quo in eum tuum propenſum affectum teſtari poſſis, grauis paſſio, & ingens tribulatio eſt. Quod ne abſq; ſolido fundamento aſſerere videar, ponite vobis ante oculos optimorum parentum non degenerem filium, Iacobum Patriarcham. Qui cùm veniſſet in terram orientalem, visâ primùm Rachele, puellâ decorâ nimis facie, & venuſto aſpectu, conſobrinâ ſuâ, futuraq; ſponsâ, ſignum humanitatis, & amantis animi, decenti ſalutatione teſtificans, in amaras diffuſus eſt lachrymas: *oſculatus eam, eleuata voce fleuit.* Gen. 29. Quis eum tunc contra leges Politiæ deliquiſſe non putaret? cùm ſalutationes, potiſſimùm inter amicos, lætâ fronte, & ad omnem amænitatem compoſita facie, vt potè intimi affectus & candoris indicia, debeant celebrari. Iacob autem delicatam elegantis puellæ manum leuiter ſtringens, & roſeo colore radientibus genis, ſuaue oſculum infigens, cum tantæ felicitatis euentu lætari potiùs debeat, vocem doloris plenam eleuat, & triſtes fundit lachrymas. Vnde obſecro illæ lachrymæ proſiliêre, cùm Iacobo tanta exultandi occaſio daretur? An certè ex inſperata lætitia? non abnego id ſuum robur habere:

Gen. 29.

bere: siquidem anima ad applausum rei iucundæ, Spiritus & sanguinem refundit ad partes externas: vnde in cute rubor diffusus cernitur, teste Alexandro lib. 1. Problem. 9. 13. *Natura inquit sponte rei occurrit, quæ grata extrinsecùs accessit; quemadmodùm nos amicis obuiam vltrò procedimus.* Vnde quia ob vehementem aliquam lætitiam, potest sanguis & Spiritus ad partes externas, ita propelli, vt cor quodammodò orbatum puro sanguine, mæstum maneat, facilè concedi posset, Iacobum præ nimia lætitia fleuisse. Aliam tamen rationem assignant Hebræi apud Lyranum, quia recordabatur Iacob, olim seruum Abrahæ Patris sui, ita diuitem ad Mesopotamiam accessisse, vt Rebeccam sibi occurrentem, multis muneribus locupletauerit, teste sacrâ paginâ Gen. 24. *Protulit inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem.* Se verò, cùm non seruus, sed filius tàm opulenti parentis esset, adeò pauperem in Mesopotamia exulare, vt nihil prorsùs haberet, quod Racheli loco muneris offerre posset. Et quoniam hinc multa dare iubebat charitas, illinc prohibebat paupertas: ideò inter hæc distractus certamina Iacob lachrymabatur, sciens benè, quòd amicos munera faciant. Sic D. Paulus, suam erga Galatas non vulgarem amicitiam asseruit, dùm se ab illis & liberalissimè, & beneuolentissimè donatum ostenderet, Galat. 4. *Testimonium, inquit, perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Quasi diceret: fieri non potest, vt vester sim inimicus, qui me vobis tàm multis muneribus obæratum deuinxistis. Magna igitur tristitia est, carere muneribus, quibus latens amicitia, inter amicos possit manifestari: nec habere tantum quantum internus affectus dare imperat. Sic Elcana, cùm plures partes Annæ dare vellet, quàm nimio deperibat amore, & vnam tantùm dare posset, non mediocriter tristabatur 1. Reg. 1. *Anna autem dedit vnam partem tristis, quia Annam diligebat.* Sic & Christus Dominus, quamdiu tempus non aderat, sua hominibus dona liberaliter conferendi, tristis erat vsq; ad mortem. Quamdiu riuos sui sanguinis, in pretium redemptionis non effuderat, lachrymas pretiosissimis gemmis pretiosiores dabat: & quasi nihil ad salutem hominum adhuc contulisset, quodam veluti moerore obruebatur. Non leuis proindè angustia est, & non exiguus animi mæror, carere exterioribus signis, quibus latens amicitia manifestari, & quasi in apertum prorumpere valeat. Quare cùm dies hodierna, antiqua consuetudine, neq; solùm profano, sed & sacro Ecclesiæ Christi bene placito, distribuendæ strenæ deputata sit, quo meum in vos pium affectum testari valeam, vnicuiq; pro dignitate status, & conditionis, strenam elargiri studebo. Quod vt feliciùs exequar, munuscula, quæ hodierni Reges Christo infanti obtulerunt, considerabo: indeq; liberalitatem munera inter vos distribuendi, mutuabor.

Nouimus ex sacra historia, arcano inusitatæ, & nusquàm ante hac stellæ apparentis ductù, Magos ab oriente Hierosolymam venisse. Sed vbi in magna illa vrbe Hierosolymâ, superbis altè substructionibus, & regalibus palatijs inclytâ constitêre, coelestem itineris ducem, obscurè perdiderunt. Rei nouitate obstupefacti, exinde ad paruam vrbeculam Bethlehem, cæperunt pergere, & subitò reaccensa de cœlo fax, viam monstrans apparuit, & super locum nati infantis stetit. Illi verò *intrantes domum, inuenerunt puerum cum MARIA matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Quæ obsecro fuit illa domus? communiter Sancti Patres, & expositores censent, fuisse stabulum, in quo natus erat IESVS. Rationem hanc assignant, quia cùm census ab Augusto toti populo indictus, per multos dies & menses ageretur, singulis diebus veniente

Alexander ab Alexandro.

Vera amicitia exterioribus signis manifestatur.

Iacob cur visa Rachele fleuit.

Gen. 24.

Ad Gal. 4.

1. Reg. 1.

Matt. 2.

ente aliâ super aliam censendorum turbâ, Beatæ MARIÆ, & Christo, vt pote pauperibus, nullus erat locus in diuersorio, vsq; ad diem decimum tertium à natiuitate. Quod diuinà ordinatione factum erat, tum ad probandam constantiam Magorum, tum vt illi cæteriq; edocerentur, Christi regnum situm esse in paupertate, humilitate, contemptu mundi; non autem in opibus, fastu palatij; & pompâ istius sæculi. Vt ingeniosè obseruat Galfridus apud Galfridus. Tilmanum: *Intrantes* ait *domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Quid dicimus, quòd sic inuentus, qui ita quæsitus est? Hæc vniuersa familia nati Regis; sed eadem virtute magis, quàm paucitate mirabilis; exigua numero, sed merito satis immensa. Vbi quòminus etiam secundùm hominem inuenerunt, quod aliquâ dignum esset veneratione, eò certiùs liquet diuinum agnouisse mysterium, qui procidentes adorauerunt eum.* Obstupescite: summus ipse Deus, sæculorum Rex, recens corporatus, mundi regibus, & in illis toti mundo adorandus apparuit, nullâ aulicorum cateruâ stipatus, sed solâ matris præsentiâ. Quid ergo illos, in vilissimo stabulo residentem infantem, humili adoratione venerari compulit? si IESVM spectassent aureis in cunabulis positum, si matrem regio ornatu fulgentem, non mirarer: sed nihil horum aderat, nam & infans vilissimis pannis inuolutus erat, & Virgo Deipara ita pauperrima, vt vix vnica veste suam nuditatem contegeret. Quemadmodùm refert Auctor operis imperfecti in cap. 2. Matt. Imperfectus. *Matrem* inquit, *eius vix tunicam vnam habentem, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis, inuenerunt Magi.* Et tamen abiectis sceptris, & deposito regali diademate, procubuerunt nudata Regum capita, ad pedes infantis, vt ipsum adorarent. Palam facientes, ante supremum Regem, & Dominum dominantium, ambitiosos mundi titulos, & inferioris Regiæ Maiestatis insignia, tanquàm ante solem sydera, maiori fulgore victa, prorsùs euanescere.

Existimo Magos vbi fuêre ingressi stabulum, statim ad Christi pedes adorabundos procubuisse, quia illum in sinu MARIÆ, tanquàm in Regali throno sedentem conspexerunt. Referunt enim Chrysosthom. Theophylactus, & Euthymius, Beatam Virginem, tunc in gremio suo collocasse infantem, vt meliùs à Magis conspiceretur. Et clarè id testatur S. Athanasius, de mysterijs loci, in quo MARIA Christum peperit, sic loquens: *Parua illa domus*, id est stabulum, *Ecclesiæ figuram continebat: præsepe verò altaris, Iesu Pontificis formam in se gerebat, thronus autem Dei, per Virginem Mariam figurabatur.* Et licet non diffitear, imò certò affirmem, ex aspectu potissimùm diuini infantis, Magos eius diuinitatem agnouisse. Cùm eius facies diuinitatis radios, & supremæ Maiestatis splendorem tunc emiserit. sicut etiam quòd Matthæus, statim relicto querit telonium, vt Christum sequeretur, præcipui Authores, hoc tribuunt aspectui ipsius, multum supermi luminis, & cœlestis virtutis iaculanti, ex quo illectus Matthæus, & suaui quodam impulsu coactus, Christi statim assecla factus fuerit. Sic censet D. Hieronymus in cap. 9. Matth. *Certè* inquit, *fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana Saluatoris facie relucebat, ex primo ad se videntes, trahere poterat aspectu.* Et clariùs adhuc tom. 3. declarans illud Psal. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum* hoc ipsum elucidat: *nisi* inquit, *habuisset & in vultu quiddam sydereum, nunquàm eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum venerant, corruissent.* Simul tamen asserere non vereor, ad illam Christi diuinitatem, copiosiùs & certiùs quodammodò indicandam, plurimum conduxisse Virginis præsentiam, vt potè, quæ veluti iubar diuinitatis effulgebat, teste S. Bonauentura in speculo cap. 7. *Plena* inquit, *est tota Maria relucente in se ple-*

Magi in gremio Virginis infantem IESVM adorârunt.

S. Athan.

Facies Christi diuinitatem spirabat.

S. Hieron.

Psal. 44.

S. Bonau.

Je pleniſſimè diuina gloria. Hoc innuere voluit S. Leo Serm. 4. de Epiphania, S. Leo. inquiens : *Viderunt, & adorauerunt puerum quantitate paruulum, aliena opis indigum, fandi impotentem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſſimilem.* At, quomodò ita humilem adorârunt ? profectò cooperante ſanctiſſimâ Virgine, quia cùm myſterium Incarnationis, completè cognoſci non poſſit, niſi cognito myſterio Trinitatis. Nam cùm Filius Dei incarnatus ſit, non poteſt cognoſci, niſi cognoſcatur pater, à quo genitus eſt : & cùm Filius Dei, humanam carnem ſumpſerit ex Virgine, cooperante Spiritu Sancto, incarnatio eius cognoſci nequit, niſi ſimul cognoſcatur Spiritus Sanctus. Ideò Magi completè de Chriſti Incarnatione, ac de myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, à Deipara inſtructi fuerunt. Hæc eſt mens Gregorij Taumaturgi, oratione de Annuntiatione. Quod euidenti ratione deduco : Maximè decebat, vt ſic inſtruerentur Magi, cùm illi quantum in ipſis erat, ex auxilio gratiæ fecerunt, vt Chriſti incarnati completam aſſequerentur cognitionem : diuinæ enim inſpirationi, & ſtellæ ductrici obtemperantes, longiſſimo ac laborioſiſſimo arrepto itinere, non quieuerunt, etiam cum maximo ſui capitis periculo, illum exquirentes, donec inuenirent. Deus autem facienti quod in ſe eſt, non denegat gratiam. Atqui ſpectato diuinæ prouidentiæ ordine, per Virginem Deiparam appoſitè talem inſtructionem poterant aſſequi, cum ipſa electa eſſet ad hoc, vt fieret illuminatrix & Magiſtra, quemadmodùm illam intitulat Sanctus Anſelmus lib. de Excellentia Virginis cap. 7. Ergo per Beatam Virginem inſtructi Magi, Chriſtum in vlnis Deiparæ, tanquàm in regali throno ſpectantes, iuxta illud Iſaiæ 16. Iſaiæ 16. *Præparabitur in miſericordia ſolium Agno dominatori terræ, & ſedebit ſuper illud in veritate ;* adducti fuerunt, ad adorandum vero latriæ cultu Chriſtum.

Magi de myſterio Trinitatis, & Incarnationis à MARIA Virgine inſtructi.

Quoniam igitur præmiſsâ adoratione, in amicitiam Chriſti recepti fuêre, ne hæc amicitia lateret, muneribus eam manifeſtârunt : *Et obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Munera inquam patria & domeſtica : horum enim Arabia ferax eſt, de quâ venerant Magi. Sed ad quid Scriptura ſacra theſaurorum apertionem commemorat ? cùm munera in conſpectum Principum, palam & apertè deferri ſoleant. Sic ſalutaturus Dauidem Ioram, filius Thon, dona præferebat manibus, vt refert ſacer textus 2. Reg. 8. *Et in manu eius erant vaſa aurea, & argentea.* 3. Reg. 8. Salutaturi autem IESVM Magi, quomodò in theſauris clauſa portabant dona : *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei aurum.* De Ioram, qui pariter erat Regis Filius, non dicitur, quòd aperuiſſet theſauros, quaſi non clauſa, ſed aperta, & præ manibus aurea vaſa portaſſet ; at verò de Magis dicitur, quòd theſauros aperuerint, quaſi clauſa eouſq; portaſſent. Cur quæſo ita dona ſua attulêre, vt neceſſe fuerit theſauros aperire ad illa exhibenda ? Ioram autem ſic ea præ manibus trahebat, vt nihil in aperiendo fuerit cunctatus. Cauſam conijcio : quia totus Magorum affectus erat, circa ſpiritualia negotianda, talis autem affectus, nihil properè agit, ſed omnia maturè, & tranquillè moderatur. Ioram verò, Filij Thon Regis affectus, eò tendebat, vt Dauidis temporalem venaretur gratiam ; affectus autem qui circa hæc temporalia verſatur, ſemper nimiùm feſtinat, etiam breuiſſimæ moræ impatiens. Rem ita ſe habere, documentis ſacræ Scripturæ illuſtro : venerat IESVS ad Lazari ſepulchrum, vtq; ſororum eius, quæ ſtabant lacrymis perfuſæ, precibus annueret, & redderet illis fratrem à mortuis reſuſcitatum. Sic miniſtros circumſtantes allocutus fertur. *Tollite lapidem.* Ioan. 11. Ioan. 11. Iacob autem veniens in Meſopotamiam, & accedens ad puteum, opertum lapide, cuius ablationem expectabant paſtores, vt adaquarent greges, vbi Rachelem vidit ſub

dit sub eadem expectatione appropinquantem, protinùs, *amouit lapidem, quo puteus claudebatur.* Gen. 29. Causam istius discriminis inuestigat Origenes, in cap. 11. Ioan. inquiens: *Cur hoc quidem loco Iesus ipse lapidẽ à spelunca non amouerit, sed dixerit tollite lapidem; Iacob autem in Genesi saxum à putei ostio detruserit?* Et respondet: quia IESVS afficiebatur desiderio salutis spiritualis hominum, pro qua scit expectare, & moras conuenientes pati, vt lapidis ablatores, & spectatores, sensum miraculi capiant. At verò Iacob, illo solùm affectu tenebatur, vt Rachelis gratiam sibi conciliaret; huiusmodi autem temporalis affectus, præceps est, & omnis etiam prudentis cuiusq; moræ impatiens: ideò non expectabat, vt pastores lapidem tollerent, neq; hoc ab illis petijt, vt facerent; sed ipse festinus, nihil veritus, amouit lapidem, hoc vnum attendens, vt puellæ pulchræ placeret.

Gen. 29. Origenes.

Credite mortales, omnem affectum rerum temporalium præcipitem, nulliusq; licet exiguæ moræ capacem esse; affectum verò spiritualium, tranquillè & maturè omnia facere. Cuius rei clarum nobis testimonium præbet sacer Euangelista, Ioan. 4. sitientem IESVM introducens: *Iesus*, inquit *fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem: hora autem erat quasi sexta: venit autem mulier de Samaria haurire aquam, & dicit ei Iesus: Da mihi bibere.* Quis tunc crederet, IESVM sitire, dùm fœminam hauri-entem aquam expectaret, & ab illa postularet aquam? nonne ô bone IESV fecisses rectiùs, si arripuisses vas, & aquam tu ipse hausisses! hoc enim proculdubio fuisset gratum mulieri, dùm à labore libera maneret, & tu citiùs sitim ardentem sedasses. Cur ergo mauis fœmineam lentitatem in haurienda aqua expectare, & eius fastidia in rogando pati. Ne miremini: quia vt dicit S. Ambrosius homil. 1. de Samar. *sitiebat Christus, sitiebat planè, non potum humanum, sed salutem: sitiebat non aquam mundi, sed redemptionem generis humani.* Proinde, sicut non tenebatur aquæ mundialis desiderio, ita non festinabat haurire aquam, sed magis spiritualis salutis hominum desiderio præstolabatur, & moras nectebat. Est enim affectus spiritualium, patientissimus morarum. Hinc ortum est illud Prophetæ dictum: *orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ.* Malach 4. Et quid habet commune nostri Saluatoris ortus, cum ortu Solis? Sol enim clarè oritùr, IESVS obscuro in loco: Sol oriens, nubes propinquas facit rutilare, IESVS pannis obuoluitur, & in præsepio se occludit. Quid ergò commune habet ortus IESV, ad ortum Solis? Respondet Zeno serm. de Patient: Quia sicut Sol paulatim procedit; ita IESVS non statim totus, sed paulatim efficit suum ortum. *Sol*, ait, *quamuis mirâ celeritate alternas mundi metas illustrat; tamen nunquam dilectam verecundamq; anteuertit auroram.* Quasi diceret: sicut Sol, in summa celeritate, scit non præceps ferri, nec præcurrere; sed moras nectit, infantiæ paruitatem seruat, vt per spatia crescat in sublime. Hoc ipsum in ortu suo amauit Saluator noster. Proindè sicut mundiales homines, vt rapti mundialibus affectibus sunt, ita nihil magis æstimant, quàm rumpere omnes moras, & vel præcipitanter ferri ad bona. At verò in Christo IESV, quemadmodùm omnes spiritualia amant, inde vel maximè eius laudes cognoscere debent, quòd tranquillè & cum maturitate ac patientiâ procedat. Quod considerans D. August. homil. 17. de tempore exclamat: *ô grandis patientia Saluatoris! expectat nasci, sua membra qui fecit.* Siquidem Saluator nostet, in summa celeritate saluandi homines, nunquàm ætatis anteuertit horas, neq; ordinem nascendi.

Affectus rerũ temporalium præceps.

Ioan. 4.

S. Ambro.

Malach. 4.

Zeno Veronen.

S. August.

Non procul ab hac sententia recedit Galfridus, qui censet ideò Magos aperuisse thesauros ad offerenda Christo munera, vt humilitatem veram inde Catholici ediscerent.

Galfridus. rent. *Quid* ait *neceſſe erat, vt deſcriberetur theſauros aperuiſſe? Fortè nobis eodem ſermone hoc videbitur commendatum, ne quis theſaurum ſuum publicè ferat, tanquam velit: vt aiunt, depradari, ſed illi ſoli aperiat, quem latere non valeat, nec ſi velis.* In quibus verbis, pulchram humilitatis emphaſim, & aliquem illius faſtum piè arcanum incluſit. Quòd ſcilicet humilitas, ita ſolerter bona opera abſcondere debeat, ne eorum bonitatem oculatus hominum plauſus, deprædetur, vt eadem ſtudioſius clauſa retineat, & ſoli Deo aperiat. Arcano itaq; conſilio protulit Euangeliſta: *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera.* Quoniam virtutum theſaurus, ſoli Deo aperiendus eſt: *quem latere non valeat, nec ſi velis.* Nemo quippè, licet eximiè humilis, ad tantam inſipientiam deuenit, vt præſumat bona opera ſua, Deo abſcondere: quia licet ipſi Magi theſauros ſuos aperuerint, nihilominùs illos fuiſſe eximiè humiles, Galfridus admonet; vt certò ſciamus, & attentiùs conſideremus, id eos non voluiſſe, cùm nequaquam eximia ſua opera potuerint abſcondere Deo, cuius oculis omnia etiam abſcondita aperta ſunt. Non igitur in apertione theſaurorum, profundioris humilitatis ſcopulus declinandus monſtratur, ſed potiùs exaggeratur impenſum humilitatis ſtudium, abſcondendi bona opera, quæ ſicut â ſe obnoxiùs quiſq; celare ſatagit, vt ſua ſiniſtra neſciat, quid faciat dextra; ita planè ſi fieri poſſet, etiam quodammodò ab ipſo Deo abſcondi vellet, ne vana gloria vel clanculariis inſidijs, quoquo modo ſubrepat, & humilitati obſtrepat. Et ideò ſapientiſſimi Magi, quem portabant virtutum theſaurum, aperuiſſe recenſentur nato infanti Deo, *quem latere non valeat, nec ſi velint.* Et hic eſt ſummè generosùs humilitatis faſtus.

Prodigus filius domum rediens, humilitate patrem ſibi deuicit.

Quod vt profundiùs cognoſcatis, **reſpicite prodigum** illum adoleſcentem, malè profugum à domo paternâ, & benè reducem, egeſtate ſtimulatum, domum redire feſtinantem. Cùm enim adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus, accurrenſque, cecidit ſuper collum eius; & oſculatus eſt eum. Quid patrem flexit, ad tantum erga filium prodigum amorem manifeſtandum? equidem non aliud, niſi humilitas filij. *Dixit ei filius: pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius.* Lucæ 15. Videte, nihil erat, quo filius ita reconciliatum ſibi patrem faceret, ita eius gratiam promereretur, niſi tàm profundæ humilitatis affectus. Quis alius eſt iſte prodigus filius, niſi homo quilibet peccator, qui totam ſubſtantiam æterni Patris, luxuriosè viuendo, id eſt; ſæpiùs in Dei maieſtatem grauiter delinquendo, profudit: quandò gratiam ſanctificantem, ampliſſimos Dei fauores, aliaq; dona ſupernaturalia, velut hæreditarium à Patre æterno patrimonium ſibi relictum, diſſipauit, & pauperrimus, atq; diuinæ gratiæ egentiſſimus remanſit. Iſte non alio efficaciori modo, tàm benigno Patri reconciliari potuit, niſi à temerario illo auſu, & ſuperbo faſtu, ad profundam humilitatem reuerteretur, dicens: *Pater, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Ita concludit Zeno Veronen. *O felix*, inquit, *humilitas penitentium! ò beata ſpes confitentium! quàm potens es apud omnipotentem! quàm facilè vincis inuincibilem! quàm citò tremendum iudicem, conuertis in pijſſimum patrem! denique humilitas non ſolùm peccatores iuſtificat, ſed etiam iuſtos conſummat! Ipſa ſiquidem eſt omnium virtutum maxima, cùm tamen virtutem eſſe ſe neſciat. Ipſa ferè omnium radix & ſeminarium, fomes & incentiuum: ipſa cumulus, & faſtigium, & cuſtodia, & diſciplina. Ab ipſa incipiunt, per ipſam proficiunt, in ipſa conſummantur, per ipſam conſeruantur. Cumq; omnibus, vt virtutes ſint, tribuat, ſi qua earum defuerit, ipſa alterius defectum perficiens, diſpendium illius de ſe compenſat.* Obſtupeſcite: cùm tot elogia virtutum, in ſe vna velut compendio ſtringat humilitas, virtutem tamen ſe eſſe

Lucæ 15.

Quilibet peccator eſt prodigus filius.

S. Zeno Veronen.

Sola humilitas neſcit ſe eſſe virtutem.

se esse nescit; cùm sit virtutum hyperbole, & laudum humilitatis epitome. Licet igitur pretiosa munera, nimirùm, aurum, thus, & myrrham, infantulo IESV obtulerint Magi; ea tamen non nisi apertis thesauris deprompta, vt addiscat homo, insignibus licet fulgeat virtutibus, & bonis operibus cæteros antecellat, quòd hæc omnia in corde suo clausa seruare debeat, ne oculis hominum palam exposita, penitùs euanescant.

Magi ex humilitate munera obtulerunt.

Aurum profectò vobis Catholici mei hodiè pro strena distribuendum esset, nisi me illa sententia Principis Apostolorum, ab hoc reuocaret. *Aurum & argentum non est mihi.* Actor. 3. Quod Apostolicæ eius generositati subscribit Balduinus, in hunc locum ita scribens: *Digna vox principatu Principis Apostolorũ Principis Ecclesiæ. Quid Petro & auro? Nonne Petrus dixit: Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? De mercede quærenti, non aurum repromittitur, vel argentum. Hæc enim contemnebat, quia in gloria gentium superbiebat. Vnde & agrorum pretia ad pedes ipsius, ac cæterorum, à discipulis reponebantur, meritoq; ante pedes, quasi pedibus conculcanda, quæ indignum erat, vel manibus attrectari.* Quid ergò Petrus in defectu auri largiri potuit? respondet sacer textus, quòd IESVM: *Quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Ergò IESV nomen Petri possessio, Petri hæreditas, Petri patrimonium. Abstulerat Christus à Petro argentum, & aurum; & quia totus Petrus erat Christi, ideo Christus indignum pro mercede aurum æstimans, & argentum, seipsum illi dedit, suumq; nomen ipsius effecit. Vnde S. Ambr. in Psal. 118. super illa verba: *Portio mea Dominus.* Ponderans Christum interdixisse aurum, & argentum, Matt. 10. *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam.* Sed pro auro, suum illis dedisse sanctissimum nomen, in persona Petri eleganter admodùm discurrit: *In portione mea dices sum, in portione mea potens sum, meritò tales præsumo fructus istius portionis, vt salus & vita donetur: quia hoc est istius patrimonium portionis, quam elegi mihi.* Magisq; adhuc paulo inferiùs alloquens Petrum, idipsum premit: *Reliquisti*, ait, *quæ habebas, & cepisti, quæ non habebas, Christus tibi portio, Christus tibi possessio est, illius nomen tibi munificum, tibi fructuosum: illius nomen tibi tributa dependit, & bona tributa, non pecuniæ, sed gratiæ.* Quid melius dici potuit: Petro pro agris, pro prouentibus, pro argento & auro, Christus suum dedit nomen, hoc est; tributa dependens non pecuniæ, sed gratiæ, sed miraculorum, sed sanitatis, sed vitæ. Dominus factus vitæ Petrus, quia nomen IESV possidebat, quod totum vita, totum beneficia erat. Hinc quandò Petrus, Ananiam & Saphiram interfecit. Actor. 5. illud sua reprehensione, suo verbo, non Dei nomine effecit. Vnde plurimi censent, ad illam Petri vocem: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Actor. 5. Angelum Ananiam Saphiramq; occidisse, vt vult Dionysius Carthusianus, indignum existimans, vt sanctissimum illud nomen, quòd totum erat vitæ, mortis causa esset. Cùm igitur in persona Apostolorum Sacerdotibus interdicatur aurum, ideò & ego Petri morem secutus, non aurum, sed ipsum IESVM vobis pro strena offeram.

Balduin.

Actor. 3.

S. Ambro. in Ps. 118.

Matt. 10.

Christus pro auro & argento, suum, nomen Petro dedit.

Actor. 5.

Ac imprimis Illustrissimo & Reuerendissimo Antistiti, vrbis huius, totius Diœceseos Cracouiensis vigilantissimo Pastori, offero IESVM recens natum. Si enim Angelus maximum fauorem erga pastores testatus est, dùm illis ante omnes alios, Christi natiuitatem primò annuntiasset, nemo puto & mihi succensebit, dùm non aliam strenam, nisi recens natum IESVM, in manus Reuerendissimi Antistitis, velut alterius quondam Simeonis depono. Vbi Dei Filius cælorum Regnum, ad Bethleemiticum præsepe tralatitulit, statim Angelus illis nuntiauit. *Natus est vobis hodiè Saluator.* Lucæ 2. Quid est hoc? cur primi eliguntur pastores?

Idem qui supra.

Lucæ 2.

Christi Natiuitas cur primò pastoribus annuntiata.

res? qui cœlestia percipiant gaudia, qui nati Dei excipiant cunabula? Duplici de causa id factum conijcio. Imprimis, propter animi candorem, vt censet Titus Episcopus Bostren. inquiens: *Quin ob id quod pra cæteris, pastoribus beneficium hoc obtigit: quia pra cæteris simplices, doliq; exortes erant: sectabantur enim adhuc veterum consuetudinem. Nam, vt Patriarcha, & ipse etiam Moyses, pascendis gregibus quondam intenti erant; ita tunc ipsi quoq;.* Deinde propter vigilantiam: Nam dicit sacer Euangelista: *Et pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum.* Et licet tunc, multi alij ciues erant vigilantes, quisq; domi suæ, vt rebus suis consuleret. Ad solos tamen vigilantes pastores missus Angelus, vt in illis, edocerentur vniuersi animarum pastores, se non posse greges suos defendere à luporum incursibus, nisi pastum suum exhibeat, diuinus ille puer, qui tunc vagiebat in cunis. Ita appositè monet Origenes hom. 2. in Lucam. *Audite* inquit, *pastores Ecclesiarum, pastores Dei, quòd semper Angelus eius descendat de cœlo, & annuntiet vobis, quoniam natus est vobis Saluator, qui est Christus Domini.* Etenim pastores Ecclesiarum, nisi ille pastor venerit, per se benè gregem seruare non poterunt: infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis pauerit. Equidem in mundialibus pastibus, seruari non possumus à malignorum insultibus, nisi Christus suum pastum porrigat. Hanc vtramque virtutem, nimirùm candorem, & vigilantiam, video in pijssimo nostro Pastore. Et quis maior potest esse candor, quam omnibus prodesse velle, quòd illi innatum prorsùs est, vt meritò cum D. Paulo dicere possit: *omnibus omnia factus sum.*

Titus Bostrensis.

Lucæ 2.

Origenes.

Videō in illo & alteram virtutem, vigilantiam pastoralem, quâ in pascendo grege Domini indefessus vtitur. Interrogatus nonnemo Sapientum, qualis debeat esse pastor, ingeniosè respondit: pastor debet esse totus oculus, qui in omnem partem circumspicere queat, ne vlla ouicularum sibi concreditarum perire possit. Quod pulchrè figurauit olim Salomon, describendo turrim Dauidicam, Canti. 4. *Turris* inquit *Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* alij legunt, cum *monumentis.* alij, cum *altitudinibus.* alij deniq;, cum *eleuationibus* oriunt. Siuè ideò, quòd turris lapides, ad oris similitudinem fuissent excisi; sivè, quod vero similius est, vt Dauidis scopus in ea turri struendâ significaretur: quoniam in illa, satis in edito loco constitutâ, vigiles ad continuas excubias agendas constituti, non solum aduentantem hostem præuidebant; sed quemadmodùm è plano nauigantibus portus designatur; ita viatoribus errantibus, viam, qua irent, ostendebant. Quid loquar de pijssimo Pastore nostro, qui in custodienda & excolendâ vineâ Domini, totus oculus, & veluti in profunda nocte, stella fulgens existit, ne aliqua virtutis sterilitas exoriatur. Deferebatur cuidam viro insigni apud Hebræos Principatus: *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster.* Isaiæ 3. At ipse miserum tunc Israëlitarum statum perpendens, & imparatum se agnoscens, vt desperatis rebus opem ferret, & quidquid erat incommodi, leuaret, respondit: *Non sum medicus, nolite me constituere Principem populi.* Quæ consequentia huius responsionis, ad præmissam interrogationem? Quid enim connexionis inter Principem, & medicum inuenitur? vt propterea Princeps esse nollet, qui medicus non fuerit. Duplicem conexionem agnosco: vnam, quòd sicut medicus curationi potiùs, quàm dominationi incumbit, ita & bonus Princeps, potiùs curare debet suorum sanctitatem; quàm propriam maiestatem. Ita resoluit S. Bernardus, Serm. 25. in Cantic. *Sciunt*, inquit, *boni fideleſq; præpositi, languentium sibi creditam curam animarum, non pompam: medicos se, non dominos agnoscentes, parant confestim aduersus*

Cantic. 4.

Isaiæ 3.

S. Bernard.

Pastor debet esse totus oculus.

phreneſim animæ, non vindictam, ſed medicinam. Alteram, quia ſicut medicus omnium domos adit, omnium lectis aſſidet, omnium doloribus inuigilat, omnium vulnera medicatur: ita Princeps Spiritualis, & paſtor animarum, nullius deſerit patrocinium; imò vbi maius periculum agnoſcit, ibi vigilantior præſto adeſt, & eo diligentius incumbit, quò maiorem vim mali reformidat. Non eſt proindè verus curator animarum, qui ab illis peregrinatur; ſed qui ita verſatur inter illas, vt ab illis nunquàm ſeparetur. Cùm autem hac virtute præluceat Paſtor noſter vigilantiſſimus, ſicut propter ſimplicitatem, & vigilantiam, Angelus primò paſtoribus Chriſti natiuitatem nuntiauit; meritò & ego illi ante omnes, propter candoris & vigilantiæ dotes, IESVM recens natum, loco ſtrenæ offero. Et quoniam D. Auguſtinus q. 82. & 83. in Leuit. aſſerit ſummos ſacerdotes in veteri lege, Dei gratiâ nunquàm ægrotaſſe, ſed toto vitæ ſuæ tempore, ſanos ac vegetos perſtitiſſe, ex hoc fundamento. Quia bis in die, mane ac veſperi offerebatur incenſum, in altari thymiamatis, ex præcepto diuino. Exodi 30. *Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron, ſuauè fragrans, mane. Quandò componet lucernas, incendet illud: & quandò collocabit eas ad veſperum, vret thymiama ſempiternum coram Domino.* Iam verò illud incenſum, non offerebatur à quopiam minorari Sacerdote, quia huic non erat licitum, ingredi in Sancta Sanctorum, vbi erat altare thymiamatis: vt teſtatur idem Diuus Auguſt. q. 133. & 136. in Exodum. Ergò à ſumo Pontifice, qui cùm vnicus eſſet, ſemper valere debebat ad hoc munus exequendum, ne illud miniſterium legale interimeretur. Idem ego vigilanti noſtro paſtori opto, vt ſine vllo valetudinis offendiculo, ad immolandum Deo incruentum ſacrificium, & arduum munus pontificium feliciter obeundum, diuinâ gratiâ, toto vitæ ſuæ tempore, ſaluus, & incolumis conſeruetur.

Officium Medici.

Summus Sacerdos in veteri lege numquam ægrotabat.

Exodi 30.

Seruato ordine Hierarchico, à capite, ad membra; à Pontifice, ad Prælatos omnium dignitatum, & munerum, officiorum, totumque Clerum deſcendo. Quibus pro ſtrena offero fulgentem illam ſtellam, quæ tribus hodiernis Regibus, natum infantem, IESVM quærentibus, viam monſtrando, præibat. Ne verò id temerè facere videar. Audite quid ſacrâ paginâ, de perſonis ſpiritualibus, in vinea Dñi, verbo & opere laborantibus pronuntiet? Dan. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Meritò quidem, laborantes fideliter in Eccleſia Chriſti Sacerdotes, ſtellæ micantes appellantur: nam quemadmodùm ſydera, non ſibi, ſed Auctori ſuo primùm ſeruientia, ad eius laudes omnium animos incitant; deinde hominum vtilitati lucent; ita Sacerdotum munus hoc proprium aſſignat ipſemet Chriſtus, Matt. 5. Vbi poſtquàm ſuos Apoſtolos, lucem mundi appellaſſet, ſtatim ſubintulit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Nec procul abeſt Baruch Propheta, cùm ſtatum ſacerdotalem deſcribens, ait: *Luxerunt cum iucunditate ei, qui fecit illas*: quaſi diceret: illi ſunt fideles Domini Sacerdotes, qui non ſibi honorem, laudemue adſcribentes, ſed in omnibus Dei gloriam, & proximorum vtilitatem procurantes, pura luce, id eſt puro corde, & bonorum operum ſplendore, Eccleſiam Chriſti adornant. Porrò puritas cordis iuxta D. Bernardum Epiſtolâ 42. ad Henricum Senonenſem Epiſcopum, in duobus conſiſtit: nimirùm, in quærenda gloriâ Dei, & vtilitate proximi. vt videlicet in omnibus actis ſuis, vel dictis, nihil ſuum quærat Prælatus; ſed tantùm aut Dei honorem, aut ſalutem proximorum, aut vtrumq; Sub quo quidem ſenſu, frequenter in Scriptura ſacra, Prælati ac Doctores, faciei

Strenâ toti Clero offertur ſtella Regum ductrix.

Daniel. 12.

Matt. 5.

cieì Ecclesiæ lumina, siue oculi appellantur. vt Cantic. 5. *Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum.* Et Cantic. 7. *Oculi tui sicut piscina in Hebron*: non solùm eà de causa, quòd Prælati instar oculorum, vt vult Nyssenus, *in Ecclesia superintendunt*: seu vt placet Origeni homil. 17. in Gen. *Scientiæ lumen vniuerso corpori præstant.* Sed signatè, quòd sicut oculi, dùm alia vident, & omnium corporis membrorum duces sunt, seipsos tamen non videant; ita Prælati, scientiæ, perfectæq; gubernationis lumen alijs ministrantes, seipsos non intueantur, nec sua, sed quæ IESV Christi sunt, quærant. Quam imaginem, dùm eleganti penicillo illustrat Nyssenus, illud Cantic. 5. *Oculi eius sicut columbæ, super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* id primùm in spiritualium horum luminum laudem, ex lactis lotione, cui soli inter humida, hæc proprietas inest, vt nullius rei vmbra, aut simulachrum in eo conspiciatur, ait: *Quo fit, vt hæc oculorum Ecclesiæ sit laus perfectissima, quòd nihil, quod non subsistit in rerum natura, nihil erroneum, nihil vanum, præter ipsam rerum veritatem, veluti vmbraculi quadam simulachra repræsentent, sed ipsissimam veritatem intueantur, erroneis huius vitæ spectris, & imaginationibus nequaquam admissis.*

Cantic. 5.

Prælati Ecclesiæ cur dicuntur oculi.

Nyssenus.

Electurus Dominus in veteri testamento, ad cultum & obsequia sua diuina, Sacerdotes, præcepit Moysi, vt à duodecim tribubus, duodecim virgas acciperet: *Loquere* inquit, *ad filios Israël & accipe ab eis virgas singulas, per cognationes suas, à cunctis Principibus tribuum, virgas duodecim, & vnius cuiusq; nomen superscribes virgæ suæ. Ponesq; eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, vbi loquar ad te; quem ex his elegero, germinabit virga eius.* Numer. 12. Fecit Moyses iuxta præceptum Domini, & ecce sequenti die ingressus tabernaculum, inuenit virgam Aaron germinantem, *sequenti die regressus inuenit germinasse Virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperunt flores, qui, foliis dilatatis in amigdalas deformati sunt.* Grande miraculum, quòd Aaronica virga, virgis cæteris steriliter arescentibus, eadem nocte ramos, frondes, flores, & fructus protulisset. Et quidem fronduisse virgam non mirarer, cùm ex historijs constet, arbores à multis annis steriles, Sanctorum Dei precibus refloruisse; sed quòd fructum non alium protulerit, nisi amygdala, obstupesco. Mysterium agnoscite: eam qualitatem naturalistæ Amygdalo tribuunt, quòd inter omnes arbores, primò frondescat, floresq; ac fructus producat. Deus itaq; volens innuere, quòd Sacerdotes, primi ante alios in Ecclesiam Christi venire debeant, præcurrentes ad diuina obsequia; ab illa germinante virgâ, voluit amygdala parturiri: vt inquam bonis operibus, inculpatis moribus, & à virtutum splendore, populo ad arripiendam sanctimoniæ semitam præluceamus. Memores, his solùm mercedem æternam à Deo promissam esse; negligentibus verò, & minus decenter viuentibus, supplicia interminata. vt docet Cæsarius Arelaten. tom. 2. Bibliot. homil. 35. *Si*, inquit, *diligenter attenditis, euidenter agnoscitis, quòd omnis homo quantiscunq; exemplum sanctæ conuersationis præbuerit, cum tantis, & pro tantis ad præmia æterna perueniet; & contra, qui exemplum malæ vitæ, & peruersæ actionis ostenderit, quantoscunq; suis malis moribus, ad iniqua opera prouocauerit, cum tantis, & pro tantis perpetua supplicia sustinebit.* Hinc Nyssenus, tepidos & ambitiosos Sacerdotes, qui sibi potiùs; quàm Deo, & populo fideli lucere studeant, quiq; seipsos semper intuentur, ad propria quærenda veloces, ad ea verò, quæ Dei sunt, & salutem æternam concernunt, nimiùm tardi, ita perstringit. *At nunc plerique oculi spirituales, parui facientes assiduitatem in verbo Dei, vel auaritiæ sibi lacum fodiunt, vel in vanæ gloriæ lapidicinis versantur, vel in superbiæ puteo laborant, vel alios denique lacus erroris studiosè fodiunt, semper huius vitæ honore, poten-*

Num. 12.

Ibidem.

Cæsarius Arelaten.

Nyssenus.

potentiâ, gloriâ, quas res mirificè multi expetunt, vna cum ortu suo defluentibus, nullumq; vestigium in manus operæ in deceptis relinquentibus. Offero igitur Prælatis, in quibuscunq; dignitatibus, ac officijs consistentibus, totiq; Clero, stellam, Reges ad Christum natum ducentem, vt pariter doctrinâ, & exemplo prælucentes populo, ducant vnumquemq; ad sanctè viuendum.

Strena Academiæ tres aureæ Regum coronæ.

A statu Spirituali, ad domum Sapientiæ, nimirùm Academiam Cracouiensem gradum facio. Magnifico itaq; Rectori, omnium graduum Doctoribus, & Professoribus, offero tres coronas aureas trium Regum. Si enim Athenienſibus Zenonem, Cittiæum quòd complures annos in ciuitate versaretur Philosophicè, ac iuuenes qui ad illum disciplinæ causâ conuenerant, ad virtutem & frugalitatem exhortando, ad ea, quæ sunt optima, conuerteret; vitam suam verbis ac doctrinę sue consentaneam, exemplar omnibus proponens, propter singularem eius virtutem & temperantiã aureâ coronâ ornare visum erat. Potiori iure ego hodiè vos eruditi Professores, pro magnis & indefessis laboribus, in erudienda iuuentute susceptis, regijs coronis ornare debeo, cùm nihil ita regium sit; quàm virtutem, & scientiam alijs communicare. Henricus Hispaniarum Rex, vitæ & thori sociam assũmens Margaritam Austriacam, inter alia munuscula, auream illi dederat coronam in qua sol depictus erat, cum lemmate: HÆC QVOQVE ORNABIT: insinuans per hoc, futuram suam coniugem & Reginam, non parum ornamenti Hispaniarum Regno allaturam fuisse. Magni Academiæ Cracouiensis Professores, virtutibus æque ac scientijs clari, licet non ignorem, à Regalibus sceptris, sat splendoris in vos refundi. Quippè indubitatum hoc indicium est, vos commune quid cum Regibus habere: vt enim apud hos, summa regendi; ita penes vos, docendi potestas residet. Nihilominùs, dùm ad vestra sceptra, tres coronas apponam, cunctus splendor in vos refundetur, vt merito dixeritis: ET HÆC QVOQVE ORNABVNT.

Henrici Hispaniarum Regis munuscu-lum cum lemmate.

Academiæ Professores quid cum Regibus commune habent.

Ampliſſimo Senatui Cracouiensi, viris magnanimis in Magistratu constitutis, offero aurum. Tum ideò, quia sicut aurum, dignitate & valore præstat alijs metallis; ita viri Consulares huius vrbis, velut æquissimi quondam Areopagitarum Iudices, in dijudicandis grauissimis causis, in componendis litigantiũ controuersijs, æquitate & prudentiâ, alias ciuitates, earumq; tribunalia, longè superant. Sponsi cœlestis manus describens Salomon, Cantic. 5. dicit: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* In quibus verbis, sapientiam, quæ arcanâ significatione auro denotatur; & vitæ integritatem, quàm hyacinthus cœlo adsimilis significat, exprimere voluit. Aureas itaq; manus Iudicum, & Senatorum Deus esse voluit, non auratas, vt nimirùm vera illis merita, germanaq; auri scientia; non verò inanis doctrinæ fucus, seu fucatæ, & ad faciem solùm apparentes virtutes insint. Hinc sapienti Regi, maximè placebat stellio, paruula alias & contemnenda lacerta. Prouerb. 30. *Quatuor*, inquit, *sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Vt scilicet inde moneret eos, qui ad Principum gratiam, & ad potiora Reipublicæ munera obtinenda volunt conscendere, propriarum virtutum splendore, atque ornamento, nec non laborum & indefessæ solicitudinis manibus; non externo potentiorum fauore, niti debere. Nam aliquandò euenit, vt qui populis sese in munerum fastigio colendos, atq; adorandos proponere concupiscunt, dùm perfectas virtutes, & merita ad ea obtinenda afferre nequeunt, aureas ostendentes manus, ad virtutem, seu potius vim auri, atq; argenti confugiant. Quod in hunc modum deplorat Gregorius Nazianz. orat. 24. *Aurum*, inquit, *dulcis*

Strena Magistratui, aurum.

Cantic. 5.

Prou. 30.

Gregorius Nazianze.

dulcis tyrannus, per quem nunc multa sursùm, deorsumq́, velut in talorum ludo iactantur.

Præterea, aurum offero inclyto Magistratui, ea de causa, quia aurum in Scripturâ sacrâ, amoris symbolum habetur, vt pariter consultissimi viri, mutuum amorem inter se seruent, cùm Deus concordes hominum affectus esse velit. Vtq; in ferenda sententia, non sanguinem, aut munera, sed Deum iustitiæ Authotem, & amorem proximi respiciant. Memores, quia munera meritis oculos claudunt, & voluntatis affectus, quo libuerit impellunt. Linguam facilè moderantur, & nunc mutam, nunc disertam efficiunt. Sic Demosthenes olim, Athenis contra Milesios peroraturus, pridiè à Milesiorum legatis, multâ pecuniâ, ne declamaret, subornatus, in crastinum foras prodijt, collo multâ lanâ circumuoluto, dicens, hesterna nocte passum se fuisse synanchim, id est, anginam, seu faucium morbum, & ideò declamandi munere impeditum Verùm quidam è plebe subodoratus id, quod erat, verbis festiuè innouatus argutè lusit, Demosthenem non synanchi, sed argyranchi, hoc est; non anginâ laborare. Tandem, aurum offero Magistratui, hac & de causa: quia iuxta Medicos, à putredine præseruat. Hinc Ægyptij Reges suos vitâ functos, non solùm aromatum, condimento, sed laminis aureis obuoluebant, quòd nihil æque à putredine posset præseruare, sicut aurum. Imò & ictero laborantibus medetur aurum: ô bone Deus, quàm multos morbus iste, in hac Ciuitate inuasit, dùm coniugia adulterijs, virginitas stupris, & non ratò sacrilegijs polluitur: dùm plateæ nocturnis grassatoribus implentur, vt innocentibus sine iactura vitæ, liber transitus ad domos suas non pateat. Dùm ægrotis omnia loca implentur, qui omnibus cœli & aëris iniurijs expositi, omniq; remedio destituti, vitam miserè finiunt, cùm si viuerent, multum vtilitatis ciuitati afferre possent. Vestræ hoc Consulares viri curæ & prudentiæ incumbit, vt his malis ante tempus occurratis, ne inueterato malo serò medicina paretur.

Aurum mutui amoris symbolum.

Demosthenes muneribus corruptus

Aurum à putredine seruat.

A Senatu, ad statum coniugalem progredior. In hoc statu degentibus, offero par iumentorum, Christum in præsepio, suo halitu calefacientium, hoc est; viris iugum matrimonij portantibus, offero asellum laboriosum, & bouem obsequentem. Controuertunt Authores, quare Christus ante passionem ingressus Hierosolymam cum triumpho, non alio animali voluit vti, nisi asino Matt. 21. *Ite in castellum, & inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi.* Rationem potissimam assignant, quia hoc animal est maximè laboriosum, & vt loquitur D. Basilius in cap. 1. Isaiæ. *Gestandis oneribus natum,* maximeque suis dominis vtile, nam teste Plinio lib. 8. cap 43. quæstus, qui aliquando ex illo sumitur, opima prædia exuperat. Hanc fortasse ob causam, Iacob filio suo Issachar, magnas diuitias apprecans, asini nomine eum intitulauit. *Issachar*, inquit, *asinus fortis, supposuit humerum suum ad portandum.* Gen. 49. palam faciens, quòd ille, qui instar asini potens est in laboribus subeundis, magnis opibus augeatur, & amplis prouincijs dominetur. Quod pulchrè expressit S. Bernardus in Psal. *Qui habitat, ita loquens: scio similitudinem aliquam iumentorum homini commendari, sed plane non eam, quæ in insipientia, sed patientiæ imitatione consistit.* Volens itaque Christus, ad indefessos labores, viros coniugatos allicere, laborioso asino ad nuptialem triumphum in persona Synagogæ, cum Ecclesia sancta celebrandum, vti voluit. Similiter in præsepio, non ab alijs animantibus, nisi à boue & asino calefieri infans IESVS voluit, vt cùm bos sit animal obsequentissimum, nam mille boues à paruo puero exiguâ virgâ minari possunt, vxores boum similitudine adumbratas, ad

Strena coniugatis iumentorum.

Christus cur Asino insidens Hierosolymam ingressus.

Matt. 21.

Asinus laboriosus & vtilis.

Gen. 49.

S. Bernar.

obedientiam viris suis præstandam alliceret. Hinc dicit Sapiens Eccl.36. *Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem, adiutorium secundùm illum est, & columna vt requies.* Quasi initium, aut auspicium opulentiæ, sit bonæ vxoris possessio. Cùm bona mulier marito sit, quasi columna, & requies. Bouem itaq; & asinum coniugatis offero, vt concordi voluntate, iugum maritale trahant, prospera & aduersa æquo animo ferentes.

Eccl. 36.

Quoniam statum Maritalem vidualis sequitur, ideò viduis pro strena offero thus continentiæ, & deuotionis; cùm illis maximè congruat domi se continere, & Deo attentiùs vacare. Hoc præceptum illis posuit D Paulus 1. Corint. 7. *Mulier innupta, & virgo, cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & Spiritu.* vbi per mulierem innuptam, quamlibet continentem, à viri solutam vinculo interpretatur S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Cap. 7. Alij communiùs apud Estium, per mulierem innuptam, nuncupatim intelligi malunt viduam. Quasi inter viduas, & virgines, magnum esse commercium, Christi Apostolus vellet ostendere. Hinc D. Ambros. post libros de virginibus, librum de viduis conscripsit. *Neq; enim*, inquit, *debuimus præterire viduas, quas Apostolica sententia cum virginibus copulauit.* Et profectò non inferioris virtutis est, eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta nescire. Feliciorem esse fateor virginitatem, cùm in virginibus integritas solida, & tota sanctitas, de proximò visura sit faciem Dei. At viduitas operosior: quia facilè est, non appetere, quod nescias; & auersari, quod desideraueris nunquam; at glorioſior est continentia, quæ ius suum sentit, quæ quid viderit, nouit. Ita concludit Tertull. lib. 1. ad vxor: Cap. 8. *Poterit*, inquit, *Virgo felicior haberi, at vidua laboriosior; illa, quòd bonum semper habuit, ista, quòd bonum sibi inuenit; in illa gratia, in ista virtus coronabitur.* Imò nonnulli apud Clementem Alexandrinum lib. 3. Strom. cap. 9. viduitatem anteponunt virginitati: *Iam*, inquit, *nonnulli præferunt viduam virgini, quod attinet ad continentiam, vt quæ experta est voluptatem, & magno & excelso animo contempserit. ô quam est faminea imbecillitati arduum, valentiâ masculâ expertam voluptatem pertinaciter contempsisse.* Sistite vobis deuotæ viduæ ante oculos Rutham, in ætatis vere, optimo marito immaturè viduatam, de qua S. Hieronymus in Epit. Paulæ ita scribit. *Quæ postquàm vir mortuus est, ita eum planxit, vt propè ipsa moreretur; ita se conuertit ad Domini seruitutem, vt eius mortem videretur optasse.* videte in iuuencula Ruthâ, viduæ stipendia senectutis, cuius pudicitiam, nec audacior maledicentia vellicat, incertatis vagè ramusculis formidanda, vt meritò proclamet S. Ambrosius lib. de Viduis. *Quantò*, igitur, *vos ô vidua magis conuenit intentas esse studio castitatis, ne locum sinistræ relinquatis opinioni, quæ pudicitiæ testimonium in solis habetis moribus? Virgo enim, licet in ea quoq; maior sit morum prærogatiua, quàm corporis; calumniam tamen integritate carnis abiurat. Vidua quę probandæ virginitatis subsidia amiserit, non in voce obstetricis, sed in suis moribus habet castitatis examen.* Reuocate vobis in memoriam, honestissimam Bethuliæ Matronam Juditham, quæ mortuo viro, in secreto cubiculo domus suæ assiduis orationibus, & deuotioni vacabat: *Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbatha, & neomenias, & festa domûs Israèl.* Judith. 8. Thus itaq; viduis offero, vt illæ, Ruthæ & Judithæ exemplo incitatæ, domi se continentes, cogitent quæ sunt domini, quasi suauissimo thure, pijs orationibus Deum honorando, eumque suæ viduitatis patronum & protectorem assumendo.

Strena viduis.

1. Cor. 7.

S. Ambros.

Viduitas est operosior virginitate.

Tertullia.

Clemens Alexandr.

S. Hieron.

S. Ambro.

Iudith 8.

Et quia viduitati proxima est virginitas, offero virginibus Josephum seniculum, ex hoc fundamento. Cùm Euangelista describere vellet æterni verbi Incarnationem, in virgi-

Strena virginibus Ioseph seniculus.

virginali Deiparæ vtero, sic exorsus
Luca 1. est: *Missus est Angelus ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis Maria.* Meritò MARIA dicitur Virgo, quia vltra naturæ, & ferè gratiæ etiam leges, illibato arcanè pudore, Virgo concepit, & Virgo peperit Saluatorem. Sed quid opus erat, vt tunc desponsata diceretur, & vir eius proprio nomine nuncuparetur? Nonne vel mariti vocabulum, virginitatis deuenustabit pudorem? minimè sanè: immò potiùs commendat & tuetur, vt
S. Ambro. ingeniosè discurrit S. Ambro. citati Euangelistæ verba exponens. *Benè*, inquit, *vtrumq; posuit scriptura, vt desponsata esset, & virgo.* Virgo, vt expers virilis consortij videretur; desponsata verò, ne temeratæ virginitatis adureretur infamiâ. Vnde addit: *Seruatur itaq; Sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Quoniam locupletior testis pudoris marius adhibetur, qui posset & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.* Per Jo-
Ioseph iustum significat. sephum ergò seruata est MARIÆ, sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas. Nec mirùm: quia nomen istud Ioseph, significat justum. Vnde dicit sacer textus. *Joseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere.* Non ergò potuit melius custodiri virginitas MARIÆ; quàm ab homine iusto, qui nec vteri tumorem, in dies esse grauidam, euidenter oculis notificantem, ad sinistras de eius pudore suspiciones, computauerit. Proindè
S. Cyrillus. & vestram virginitatem S. Joseph, custodiet fideliter, ne saltem in opinione hominum, aliquid de suâ pudicitiâ periclitetur, cùm vera virginitas etiam leuissimâ suspicione carere debeat, iuxta illud D. Cyrilli lib. 4. Apol. Moral. cap. 8. *O sapphirus mirabilis castitatis, omnem fugans & destruens famam venenosam.* Grande renera virginitatis sacramentum est,
Idem qui supra. quo velut euertitur natura, vt docet S. Cyrillus exclamans: *O virtus magnetica virginitatis, ad se trahens naturam.* Nihil enim ita est hominibus volupe, & procliue naturæ, quàm delicijs concupiscentiæ mulceri, & ad luxum molliùs deliniri, & attrahi: at arcana virginitatis vis, dùm Angelorum æmulatione cœlum interris fragrat, vsq; adeò est ineffabili illicio potens, vt ipsam naturam, alioqui obscænis cupiditatibus æstuantem, ad puritatis studium potentissimè trahat, velut magnes attrahit ferrum. Proindè & vos virgines, sub patrocinio castissimi MARIÆ Sponsi, trahite naturam ad puritatis studium, si cum immaculato cœlesti agno ludere vultis.

A prærogatiua virginali, ad se-
Strena Senibus. nilem ætatem deflecto. Hominibus itaq; prouectæ ætatis, offero pro strena myrrham. Myrrha mortis & sepulturæ symbolum habetur, vt homines prouectæ ætatis, mortem & sepulturam præ oculis habeant. Naturali quippè cursu procedendo, necesse est senem mori. Et licet mors omnibus sit incerta, maximè tamen
C senectuti proxima: licet enim iuuenes possint citò & quouis die mori; attamen senes non possunt diu viuere, vt præclarè docet S. Clemens
Clemens Romanus. Romanus, Epistolâ 5. *Incertum est*, inquit, *etiam iuuenibus vitæ tempus, senibus autem iam nec incertum est: non enim dubitatur, quin quantumcunq; quod putatur superesse, breue sit.* Quod magis adhuc corroborat Nyssenus, oratione aduersùs eos, qui differunt
Nyssenus. baptismum, inquiens: *Caput iam senescit, propè est æstas vitæ: in nos fortè*
D *falx acuitur, & timeo ne nobis dormientibus, & in vana spe occupatis, repentè accedat messor terribilis.* Hinc notanter monet Isaias eum, qui ætate ingraueſcente ad occasum vergit, vt
Isaiæ 13. à terrenis curis, expeditus, ea solum, quæ ad occasum & mortem attinent, cogitet; nec de figendis tentorijs, sed de eorum potiùs funibus dissoluendis agat cap. 13. inquiens: *Non ponet in ea tentoria Arabs.* Quem locum Guilhelmus in Allegorijs Gotfridi Tilmanni ita exponit: Arabs,
Guilhelm. occidens interpretatur: *in carnalium*

ergò deliciarum consideratione affectum figit, quisquis se tanquàm in occidente constitutum agnoscit, nec corpus suum casso labore reuocare studebit ad ortum, quod quotidie declinare conspicit ad occasum.

Sed proh dolor! ea est humanarum mentium cæcitas, siue inueteratus, imò nobis ingenitus mundi amor, vt quò ipse ingraueſcente ætate ad occasum nobis magis vergit, eò ardentiùs indefatigato, casso tamen labore, ad ortum reuocare studeamus. Quod pulchrè tetigit Gregorius Nyssenus supra citatus. *Ecce* inquit, *in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Vbiq; mors, vbiq; luctus, vbiq; desolatio: vndiq; percutimur, vndiq; amaritudinibus replemur; & tamen caca mente carnalis concupiscentia, ipsas eius amaritudines amamus, fugientem sequimur; labenti inhaeremus.* Acriùs adhuc Saluianus Massilien. lib. 5. de prouidentia, agens de excidio Treuerensi, id exaggerat. *Lugubre*, inquit, *est referre, quæ vidimus, senes honoratos, decrepitrs Christianos, imminente iam admodùm excidio ciuitatis, gulæ ac lasciuiæ seruientes. Quid primum accusandum est? quòd honorati? an quòd senes? an quòd christiani? an quòd periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate à senibus? vel in discrimine à pueris? vel vnquàm à christianis.* Nonne hanc senilem amentiam, vel ipsa stolidiora animantia confundent, cùm & mures, qui auctore Plinio lib. 10. cap. 45. inter omnia animalia nihil discunt, præsentientes domûs, quam inhabitant, futuram ruinam, maturâ fugâ sibi consulant teste Æliano lib. 1. pag. 3. *Cùm domus aliqua consenuit, & ruinam minatur, mures primi sentiunt, & relictis suis cauernis, & pristinis habitationibus, quantum contendere pedibus valent, fugiunt, aliudq; domicilium quærunt.* O pudorem! ô summam hominum temeritatem! ô stolidissimam amentiam! præsentimus frequenter, aut morbo nos inuadente, aut senectute, quæ ipsa morbus est, nullaque medicinâ superabilis, imminere corporis & domus huius terrestris resolutionem; neq; tamen tunc temporis firmiorem illam, hoc est cœlestem quærimus, sed *fugientem sequimur, labenti inhaeremus.* vt sapienter exagitat Seneca libro de breuitate vitæ cap. 20. *Lex à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo Senatorem non citat, difficiliùs homines à se otium impetrant, quàm à lege: interim dùm rapiuntur, & rapiunt, dùm alter alterius quietem rumpit, dùm mutuò sunt miseri. Vita est sine fructu, sine voluptate, sine vllo profectu animi: nemo in conspicuo mortem habet, nemo non procul spes intendit.* Hoc autem inde prouenit, quia rebus mundanis nimiùm adhæremus, & ideò dùm ex hac vita decedendum est, magno mærore angimur.

Cuius rei euidens documentum habemus in sacris literis: audiens Ezechias Prophetam Domini, mortem sibi comminantem: *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues.* 4. Reg. 20. dicit sacer textus, quòd fleuerit fletu magno, ardenterq; orauerit Dominum, vitæ suæ prolongationem postulans. At verò pijssimus Rex Dauid, non mortem, sed vitæ longitudinem deplorabat, dicens: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Quid aliud causæ? nisi quia Ezechias habebat domum plenam thesaurorum auri, argenti, pigmentorum, & vnguentorum, & ideò his vanitatibus nimiùm immersus, mori timebat, perpetuò viuere appetens. Rex autem Dauid, quia affectum suum in istis minimè habebat, & veluti peregrinus ac hospes hic morabatur, non solùm mortem non timebat, sed etiam vitæ longitudinem fastidiebat: quia viuendo hic, quotidiè moriebatur. Ne ergo vobis ingraueſcente iam ætate, mors terribilis eueniat, exemplo Regis pijssimi, mortem præ oculis semper habete, dicentes: *multum incola fuit anima*, vt ita senectus vestra venerabilis reddatur, non tàm annorum numero computata; quàm

Gregorius Nyssenus.

Saluianus Massilien.

Mures ruinam domûs præsentiunt.

Aelianus.

4. Reg. 20.

Psal. 19.

quàm potiùs bonorum operum sanctitate conspicua. Sit quidam quotidianus vsus in nobis affectusq; moriendi, vt à corporis voluptatibus anima nostra se discat extrahere, & tanquàm in sublimi locata, quò terrenæ adire libidines, & eam sibi glutinare non possint, suspiciat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat. Qui enim viuendo consueuit mori, illi mors suauis & optata euenire solet.

Iuuenili ætati strena.

Vltimò tandem, ad iuuenilem & floridam ætatem venio: huic offero fœnum, in quo Christus recens natus positus erat: *fœno iacere voluit, præsepe non abhorruit.* Quid est enim fœnum, nisi ætas hominis vernans, iuxta illud *omnis caro fœnum.* Quasi dicatur, vt gramina orto sole suam viriditatem explicant, & miram ostendunt amœnitatem, cùm vix ad meridiem perdurantia arescant, ac fœni instar exsiccata, omnem fragrantiam & ornatum amittant; ita planè ætas iuuenilis, dùm crescere incipit, non rarò insperatè decrescit, & perit. Oblectantur iuuenes conuiuijs, ignari, quòd in ipsa etiam lætitiæ pocula, mortis venena plerumq; suffundantur. vt ingeniosè monet S. Chry. lib. de Helia & Ieiunio cap. 14. *Rogas*, inquit, *ad iucunditatem, & cogis ad mortem: inuitas ad prandium, & efferre vis ad sepulchrum: cibos promittis, & tormenta irrogas: vina prætendis, & venena suffundis.* Sic natalitium conuiuium celebrauit Pharao, sed antequàm absolueret, pistorum principem occidit Gen. 40. *Recordatus est inter epulas Magistri Pincernarum, & pistorum principis: restituitq; alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum, alterum suspendit in patibulo.* Suum quoq; natalem Regio conuiuio Herodes decorauit, sed cùm mensam amputato Ioannis capitè, turpiter incestaret, expertus est miser, natales epulas, in funebres lachrymas desijsse. Epulabantur Iobi Filij in domo fratris primogeniti, qui sicut potentiâ & magnificentiâ alijs fratribus præstabat; ita lautiùs & lætiùs conuiuium exhibebat. sed inter gaudia conuiuarum, ecce tibi cadauera mortuorum, ruente domo & miserabili ruinâ omnes inuoluente. Iob. 1. *Filijs tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.*

S Chrysostomus.

Gen. 40.

Funesta conuiuia.

Iob 5.

Delectantur iuuenes mundi voluptatibus, vestium splendore, nec non illicitis delicijs, cùm ætas hæc sit maximè prona ad lapsum. Sed ne confidite: nam & inter delicata voluptatum lectisternia, sua mors plerumq; erigit cenotaphia, & qui tutos se putant, sepulchris includit. Hinc illa prophetica comminatio: *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: quia auferetur factio lasciuientium.* Gloriatur florida ætas, se longissimè à morte abesse, sed audiat doctrinam cœlestis sponsi, Cantic. 2. *Flores apparuerunt in terra nostra.* Et ecce tàm festiuo plausui mœstissimè ingemiscit; *Tempus putationis aduenit.* Palam faciens, istos humanæ vitæ flosculos vix apparere, cùm iam dispareant, & erumpere gestientes, subitò amputentur. Vnde morituras Jacob, ita filium suum Josephum affacus est. Gen. 48. *Mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere, eratq; vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & sepeliui eam iuxta viam Ephratæ.* Quibus verbis moribundus pater, voluit filium suum de mortis incertitudine admonere. Quasi diceret: ne quæso ô Joseph annis iuuenilibus delusus, longam patris tui vitam tibi promittas, sed breuissimam matris tuæ reformida. Nam licet ego canescente iam ætate, ex hac vita decedo, nihilominùs Rachel, nonnisi efflorescente decessit. Inprimis enim mortua est in itinere, cùm felicitatem optaret, non occuparet: verno tempore, cùm videret flores, non obtineret fructus, iuxta Ephratam, hoc est frugiferam,

Cantic. 2.

Gen. 48.

giferam, non in Ephrata, cùm ad rerum omnium abundantiam tenderet, non perueniret. Ne igitur sis propter patris felicitatem securus, sed propter matris calamitatem solicitus: hanc time, illam tibi ne spondeas. Proinde & vos in florida ætate, in ornamentum Ecclesiæ, & spem patriæ crescentes, vestram iuuentutem non mundo, sed Deo consecrate, iuxta illud Sapientis consilium Ecclesiastæ 12. *Memento Creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ.* quia vestra florida ætas, fæni instar facilè corrumpitur, & euanescit.

His igitur muneribus, pro strena inter omnes status distributis, contenti estote, vitam in melius commutantes, vt in Dei benedictione anni præsentis exordia inchoantes, & virtutum ac sanctimoniæ passibus decurrentes, amplissimos diuinos fauores promereamini.

DIE SANCTÆ AGNETIS,
CONCIO PRIMA.

Simile est Regnum cœlorum decem Virginibus. *Matt. 25.*

Cœlum virginitati, & virginitas cœlo comparatur.

CÆline fulgentia sydera, cum tenerrimo virginum corpusculo, an potiùs roseum: & corallio similem virginitatis decorem, cum versicolore nubium arcu, aut rutilantis auroræ matutino instar micantis rubini ortu, comparare debeam? prorsùs ambigo. Et cælum enim sese virginibus vltrò submittit, quia inter signa Zodiaci virginem fouet: in cuius signo quoties Sol cursum suum peragit, benignum se toti mundo præbet, salubres auras & calorem iucundo attemperatum Zephyro, in hæc sublunarium inferiora mittens. Et virginitas reciproco nisu in cælestia tendit, sæpiùs quæ Dei sunt, mente reuoluens. confirmante id Apostolo Matt. 22. Matt. 22. *Quæ non nubunt neq; nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Nec mirum: cùm enim virginitatem natura ipsa suis legibus includere non posset? omnia illis cum purissimo cælo communia esse debent: adeò, vt non facilè illis illecebrosa deliciarum obumbret prurigo mundi, humilis ad altitudinem, fragilis ad laborem, mollis ad vsum, sterilis ad fructum; sed sola venustas, grauitas, & indomita fortitudo, eas vbiq; velut incorruptibiles cælos comitatur. vt proinde cælum, & virgo, eundem apud Deum valorem habere videantur: quia quemadmodùm cælum, nec adamantum pretio, nec diuitis auri valore, nec vllius thesauri æstimatione, sed solis virtutibus comparatur: sic incomparabilis virginitas, nullâ mundi industriâ, nullis pigmentorum aut colorum delineationibus, in corpore potest conseruari, nisi illam illæsa virtus in animo nutriat. Cùm igitur similium idem esse debeat pretium, & affectio similis, videbimus hodiè, in quo cælum virginitati, & virginitas cœlo assimiletur.

Cœlum cum virginitate video inprimis conuenire in hoc, quòd quemadmodùm adamantinum illud Empyreæ ciuitatis in quadrum positæ palatium, est propria Dei sedes, canente id regio vate. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Psal. 113. sic venienti in terras Dei Filio, non alibi purior thalamus potuit præparari; quàm in virgineis visceribus. Nam postquàm Deus, in hæc terreni corporis membra descendit, tunc in vtero virgo concepit, & verbum caro factum est: vt quæ erat caro virginis, fieret quoq; caro Dei. Et certè

certè si hominis spiritus ex mente Philosophorum, principalem suam sedem in corde hominis ponit, propterea, quòd hoc sit in omnibus membris præcipuum; licet quoq; in reliqua eiusdem corporis membra diffundatur: quis negabit purissimum quoq; illum deitatis Spiritum, id quod præcipuum erat in mystico Ecclesiæ corpore, sibi ad habitandum delegisse? Atq; cùm corpus mysticum Ecclesiæ Catholicæ, cuius caput est Christus: iuxta illud Ephesior. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* ex varijs partibus compactum sit; quarum quædam sunt coniuges, quædam viduæ, quædam Virgines Deo sacratæ. & sola vitginitas primatum inter hæc omnia membra tenet, quia D. Hieronymus Epistola ad Nicolaum, coniuges comparat ferro, quod est vilius: viduas argento, quod est præstantius: virgines autem auro, quod suo valore reliqua omnia metalla excedit. Et comprobat D. Gregorius Nazianz. in carmine ad virginem, vbi vocat virgines, partes inclytas Christi, inquiens: *Sic quoq; virginitas magni pars inclyta Christi.* si inquam præcipua Christi pars virginitas, dubium non est, quòd immensa diuinitas, etiam his temporibus potissimùm in virginibus permaneat, licet quoq; & in alia Ecclesiæ suæ membra, munificentiæ suæ gratiam copiosè diffundere non negligat. quia vt præclarè insinuat D. Damascenus lib. 4. fidei capite 15. *Omnis virtutis habitaculum facta esse debet, ab omni seculari vita & carnali concupiscentia procul mentem sequestrans, & virginem animam cum corpore seruans, qua in sinu suo Deum susceptura est.* sed argumentum est manifestum huius veritatis Beata Agnes, in cuius pectore Agnus immaculatus requiescit, veluti in tentorio omni puritate adornato: quia etiam in hoc pleno colluuionum fragilitatis humanæ corpore, immaculatam sibi familiam consecrare voluit. vnde si D. Hieronymus virgines, Dei altare ausus est nuncupare, verius

Ephes. 1.

S. Hieron.

S. Gregor. Nazianze.

S. Damasc.

A ego Beatam Agnetem altare Deo sacratum, ausim dicere: quia in eius corpore hostias gratissimas, barbara gentilium rabies Deo persoluit, ad quarum combustionem non ignis è cœlo descendit, qui holocaustum hoc arriperet, & odorifero diuinæ gloriæ fumo Christi Ecclesiam impleret; sed ipsemet vnigenitus à sinu Patris, in sinum eius prosilijt, vt ipsemet tàm præstantissimum incensum adoleret, & dulcem eius fragrantiam, per incircumscriptã æter-
B nitatem odoraretur.

Habet & alteram cœlum similitudinem cũ virginitate, quia diaphanum & pellucidum est: adeò vt à radijs solaribus facilè penetrari, & humano aspectui pulchrum reddi possit. Nonne obsecro hæc est virginitatis natura? quam cœlestis puritas, quasi vas vitreum penetrans, non frangit; sed exornat, & magis reddit amabilem. Et quid aliud causæ, quòd agnus immaculatus in sinum B. Agnetis descenderit? nisi vt ve-
C luti radius splendidissimus à Patre luminum missus, cristallina eius viscera, thalamumq; virgineum peruadens, noua integritate firmaret, & nouo splendore ac pulchritudine condecoraret. Fuit enim in illa puritas super Angelos, propter quod meruit, vt ei præsens Angelus vbiq; assisteret, & obsequium præstaret quodcunque. Fuit puritas maior, quàm in nubibus: clarior, quàm in àere: iucundior, quàm in cœlo: quia inaccessæ lucis radijs percussa,
D fulgebat semper plena Deo. O felix regnum, beata regio, sancta ciuitas, vbi in summa puritate educantur virgines. Hoc enim solùm non est commune Christianitati cum gentibus, non est populare cum barbaris, non cum cæteris animantibus vsitatum: cum quibus etsi vnum eundemq; vitalem spiritum àeris huius capimus, vulgarem terreni corporis participamus statum, generandi quoque non discrepamus vsu: hæc tamen sola naturæ parilis conuitia declinamus, quòd licet etiam virginitas af-

tas affectetur à gentibus, consecrata tamen violatur : incursatur à barbaris, nescitur ab animalibus.

Verùm, vt virgines puritatem cœlo similem retineant, necesse est, vt non tantùm corpore; sed etiam animo puritatem seruent : nec tantùm in iuuenili ætate, verùm & in adulta : quia petulantior esse solet illa integritas, cuius coruptela seniori seruatur ætati. Necesse est, vt virgo puritatem non necessitate; sed spontanea voluntate foueat. Quia vbi necessitas imponitur castitati, authoritas libidini datur. nec casta est, quæ metu cogitur : nec honesta, quæ mercede conducitur : neq; virginalis est ille pudor, qui intemperantium authorum quotidiano expositus conuitio, flagitiosis aspectibus verberatur. Itaque infelix illa regio, vbi pudicæ puellæ, iubentur esse impudicæ anus, vbi sæpiùs conferuntur immunitates, offeruntur pretia, quasi non hoc maximum sit petulantiæ indicium, castitatem vendere. Quod enim pretio promittitur, pretio addicitur, & pretio redimitur. At verò nusquàm redimere potest castitatem, quæ vendere solet. Sed frustra iam culpo Phrygios, apud quos impudicitia pro disciplina habetur. Frustra Orgios reprehendo, vbi religionis mysterium, est incentiuum libidinis : cùm & nostra Polonia magis damnanda esset, propter hoc solum facinus, quòd & castis virginibus plerumque non liceat esse castas, propter infernalem multorum libidinem : imò quod maximè dolendum; frequenter etiã ab ipsis virginitatis cultoribus, præfertur puritati momentanea carnis delectatio. Sed beata est, quæ etiam in medijs huius sæculi flammis illæsam seruat puritatem : quia thronus Dei efficietur, & veluti alterum, mira pulchritudine coruscans cœlum, in quo Deus habitans, omnibus perfruatur delicijs.

Tertiò, conuenit cælum cum virginibus in fortitudine: cæli tanta est fortitudo, vt licet in hæc sublunaria, virtute sua agat perpetuò, fouendo, nutriendo, & rerum pereuntium atq; generantium augendo incrementa, nihil tamen ab illis repatiatur. propter quod Deus sibi cælum ad habitandum delegit, vt tanquàm supremus rerum omnium gubernator, in arce inexpugnabili resideat. Terram verò dedit filijs hominum, vt quia exiguo temporis interuallo essent duraturi, non alibi; quàm in solo, omnibus fortunæ telis & vicissitudinibus obnoxio habitarent. sed neq; in hac virtute cælis virgines quidquam cedunt : quarum animus, vincit omnem fraudulenti mundi impetum; nullam tamen ab impuris eius telis repatiendo iacturam. Et certè vel ipsa nominis Etymologia perspicuè satis indicat, fortitudinem cum virginitate coniunctam esse. Nam si credimus Diuo Isidoro libro Etymologiarum, virgo à virago deriuatur : quò virilem atq; fortissimam fœminam significat. Aut certè, si cum D. Thoma volumus consentire, qui 2. 2dæ q. 125. art. 1. vocem virginis à virore originem trahere putat, quod ipsum sumam fortitudinem præsefert : quia perfecta virginitas, etiamsi permulti eius hostes eam marcescere moliantur, semper in illa suum retinet virorem, & veluti viridis laurus, à libidinis fulgoribus animum viriliter præseruat. Atq; hoc erat mysterij, quare Deus virum de terra formauerit, Euam autem vtpote primam innocentiæ virginem, de costa Adæ? vt ostenderet, maiorem virgini fortitudinem; quàm viro necessariam esse. quia hic frequenter duella cum terrenis hostibus sustinet, illa verò cum potentioribus, quia animæ hostibus : quibus maiori cum generositate resistendum est. tum quoq; vt ostenderet, virum quia sæpius terrena appetit, de terra compactum esse; virginem verò, quæ cœlum repræsentare debuit, de puriore & solidiore materia, quia de costa produci debuisse. Et cui obsecro hæc generositatis & magnanimitatis atq;

S. Isidorus.

S. Thom.

Quare vir de terra, fœmina de costa viri formata sit.

inuictæ

inuictæ fortitudinis virtus, non eluxit in resolutissima Dei Martyre Beata Agnete? cuius deuotio fuit supra ætatem, virtus supra naturam. Hæc enim duodecim annorum martyrium subijt, vt tantò esset detestabilior tyranni crudelitas, quò nec tenerrimæ pepercit ætati. Ecce potentiã virginitatis in infantili planè corpusculo! fragilitas membrorum non videbatur sufficiens vulneri ferendo; sed adfuit animus cælo planè incorruptibili similis, qui ferrum constanter vinceret: vt proinde meritò debeant erubescere istius ætatis puellæ, quæ non hostium suæ virginitatis validiorem impetum, sed toruos etiam quandoq; vultus parentum, ferre non possunt: & acu districta solent puncta flere, quasi vulnera. Non talis fuit hodierna Martyr, quæ & minas tyranni audacter risit, & omnes terrores constanter elusit. Scio Pythagoream quandam, vnam ex virginibus, apud gentilium antiquitatem celeberrimam, & pro Dea planè receptam fuisse, quòd cùm à tyranno cogeretur, secretum prodere, ne quid in se ad extorquendam confessionem, vel tormentis liceret, morsu linguam abscidit, atq; in tyranni faciem despuit: vt qui interrogandi finem non faciebat, non haberet, quam interrogaret. Eadem tamen forti animo, sed tumenti vtero; exemplum taciturnitatis, sed proluuium castitatis; victa est cupiditatibus, quæ tormentis vinci non potuit. Sed quid profuit mentis tegere secretũ, corporis pati opprobrium? Quid laudis meruit, quæ vicit naturam, sed non tenuit disciplinam? Non igitur vndiq; fuit inuicta, quæ in sola voce munimentum sui pudoris voluit existere, & in corpore crimen pati. Quia licet tyrannus non potuit inuenire, quod interrogabat, inuenit tamen, quod minimè quærebat. Profectò fortiores in nostra Ecclesia sunt virgines, quæ vincunt etiam, quas non vident potestates: quibus non tantùm de carne & sanguine, sed de ipso etiam mundi Principe, sæculiq; rectore, victoria conceditur. Talis erat B. Agnes, quæ ætate minor; sed virtute maior, corpore fragilior, sed triumpho numerosior: viribus debilis, sed constantiâ confidentior: non sibi linguam propter metum abstulit, sed propter trophæum reseruauit: nihil enim habuit, quod prodi timeret, cuius non erat criminosa confessio, sed religiosa. Itaq; Pythagoræa secretum tantummodo celauit, B. Agnes probauit Deum, quem quia tenera ætas nondùm poterat confiteri, natura confessa est.

Mirabilia refert D. Augustinus libro 1. de Ciuitate, de quibusdam virginibus: quarum vna cribrum aquâ plenum, manibus continebat, cum tanto miraculo, vt nec vlla gutta, ex illo decideret. Altera verò (quod ipsum testatur Ouidius lib. 9. Fastorum, & Liuius lib. 9. de bello Punico) nauim, quæ ex defectu venti vlteriùs progredi non poterat, zonâ, quâ cingebatur, non minùs velociter traxit; quàm si à vento raperetur. sed neq; hæc miracula, Beatæ Agneti defuerunt? quid enim aliud cribrum, nisi fragile virginei corpusculi vasculum designat? Erat in Beata Agnete cribrum hoc plenum gratiæ Christi, plenum cælestis puritatis, quod illa ita constanter tenuit, vt ne vlla virginei roris gutta decidere vnquàm posset. Quid nauis in medio Oceani inhærens, nisi vitam hominum mortalem designat? quæ cessantibus diuinæ prouidentiæ ventis, non amplius in cursu suo progredi potest. sed & hanc sua fortitudine propellit hodierna Martyr. Cùm enim Symphronij Præfecti filius, pulchritudinis eius amore captus, & æstu libidinis incensus, veluti onusta luto nauis, puritatem virginis prædari cupiens, resolutus irrueret: mox deficientibus diuinæ conseruationis zephyris, emortuus cecidit. sed & hanc nauem ferueuti sua oratione suscitauit Sancta Martyr, vt etiam in exsiccato gentilium mari, veluti alleuiata nauis, cælestibus ventis propulsus, re-

A virginibus mirabilia patrata.

 susci-

ſuſcitatus adoleſcens, publicè clamaret, *vnus Deus in Cælo, & in terra, & in mari, qui eſt Deus Chriſtianorum. Catera omnia templa vana ſunt, Dij qui coluntur omnes falſi: qui nec ſibi, nec aliis poſſunt auxilium ferre.* Et vnde hæc in impuro iuuene mutatio? non aliunde; quàm à cælo. Cælum enim vidit B. Agnetem, idcircò lumine eius perfuſus, puritatem ſtatim adamauit, & ſpretis gentilium tenebris, lucem quæ Chriſtus eſt, ſequi maluit.

Strabo, Refert adhuc Strabo, virgines apud Perſas Dianæ dicatas, ſuper ardentes prunas illæſis pedibus inceſſiſſe; quæ omnia eo fine, vt opinor Deus permiſerat, vt etiam apud ipſos gentiles, atq; Idolorum cultores, virginitas magno in prætio haberetur. ſed maiora longè contulit Deus virginibus, in Eccleſia ſancta caſtè & piè viuentibus. Etenim Beata Agnes, & inter cruentas carnificum impauida manus apparuit, & inter ſtridentium grauibus immobilis tractibus catenarum perſtitit, & inter medios ignes Chriſto manus tendebat, atq; in ipſis ſacrilegis focis trophæum Domini ſignabat victoris: nunc ferratis colla manuſq; ambas inſerens nexibus, vbi quoniam illa orante, quaſi rore cæleſti perfuſus per Spiritum Sanctum focus, & totus ignis, ita extinctus erat, vt ne tepor quidem incendij remaneret. Tunc Aſpaſius vrbis Vicarius, magicis artibus attribuens, nouum martyrij genus excogitauit, vt ferrum in gutture eius mergeretur, ſed & hîc nihil profecit barbara crudelitas, quia Beata Agnes roſeo martyrij cruore Chriſto conſecrata, cælum fieri meruit, in cuius ſinu, Agnus cæleſtis requieſceret. Nam ſi verum Poëtæ ferunt, roſam gladio impudicæ Veneris perforatam, ſe purpurea veſte ornaſſe, & cælum conſcendiſſe, vbi protinus Solem in ſuum ſinum euocauit, propter quod Sol in ſuo matutino ortu, quaſi de roſæ ſinu aſcendens, roſeum iubar mundo præſentare ſolet. Crediderim & ego, tunc verè primùm, Solem æternæ lucis in ſinum Beatæ Agnetis deſcendiſſe, ſub forma agni, quando velut aurea roſa, ſanguine martyrij purpurata fuit, vt illam tanquàm ſuum cælum mundo monſtraret. Deniq; in eo cælum cum virginitate conuenire video, quòd quemadmodùm cælum admiranda quæq; in hoc orbe ſublunari parit; ſic planè virginitas ſumma prodigia mundo generat. Nam quod maius ſpectaculum eſſe potuit, quàm Deum ipſum ex virgine naſci? eundem tamen virgo genuit, virgo nutriuit, virgo lactauit. Quod maius miraculum, quàm Angelos in homines transformari? & hoc tamen præſtat virginitas, quia quæ caſtè viuunt, Angeli Dei efficiuntur, vt proinde non habeat nupta, quo ſe virginibus præferat. Iactet enim fæcundo ſe mulier nobilis partu? ſed dùm plures generat, plus laborat: numeret ſolatia filiorum? verùm & moleſtias ſimul: dùm enim nubit, plorat: ecce qualia ſunt vota, quæ flentur. Concipit, ſed ſtatim graueſcit, vt prius impedimentum fæcunditatis; quàm fructum ſentiat. Dùm parturit, ægrotat: vt agnoſcat dulce pignus, quod appetijt, priùs dolori futurum; quam voluptati. Periculis enim emittitur, nec pro arbitrio poſſidetur talis felicitas. Beatiores profectò virgines, quæ tormenta hæc potiùs, quàm ornamenta neſciunt. quibus pudor ſanctus, verecunda ſuffuſus ora, & bona caſtitas eſt decori. Non illis vteri onus notum, non dolor partus; & tamen multò numeroſior ſoboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet, fæcunda ſucceſſoribus, ſterilis orbitatibus. Neſcit funera vera virginitas, licet ſpectet hæredes: quia cùm ſit cæleſtis naturæ, ſine mutatione numerat amplas virtutes, & ſemper integra permanet. Nam dicit Propheta Iſaiæ 54. *Plures filij deſertæ magis, quàm quæ habet virum.* quia hæc licet ſit immaculata coitu, fæcunda tamen partu: licet ſit virgo caſtitate; mater tamen prole. Talis erat B. Agnes, quæ plures germinauit

Iſaiæ 54.

minauit virtutes, quàm cælum ſtellas : plures Chriſto peperit credentes ; quàm Sol produxit in terra fructus. Et quia cœlum Chriſti erat, etiam poſt mortem miracula patrare non deſtitit. Nam refert D. Ambroſius ſerm. 90. Quòd cùm Conſtantia Conſtantini Imperatoris filia, ita vlceribus obſeſſa eſſet, vt à capite vſq; ad pedes, nulla membrorum pars libera permaneret; venit ad tumulum hodiernæ Martyris nocte, & licet pagana; tamen credula, animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dùm faceret, repentinâ ſomni ſuauitatê corripitur, vbi vidit per ſomnium B Agnetem talia ſibi mandantem, *Conſtantia age conſtanter, & crede Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei eſſe, Saluatorem tuum.* per quem modo conſequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, ſanitatem. Ad hanc vocem Conſtantia euigilauit ita ſana, vt nec ſignum in eius corpore alicuius vulneris remaneret. Quo miraculo Conſtantia cum patre ſuo Auguſto, & fratribus gentium infidelitatem confundebat, atq; Baſilicâ Diuæ Agneti dicatâ, Fidei Dominicæ incrementum dedit. Quæ opinio poſtquàm per ora hominum diuulgari cæpit, veritatem eius miracula comprobabant, quia quotquot poſtea aliquâ infirmitate detenti, ad tumulum S. Agnetis veniebant, ſanabantur. Cælo igitur ſimilem habetis virginitatem, quatuor de cauſis; Primum, quia virginitas eſt thronus Dei proprius. deinde, quia ſicut cælum ſuâ pulchritudine omnia ſuperat, ita virgineus decor, vniuerſis rebus creatis præſtantior eſt. Tertiò, quia ſicut cæli; ita & virginitatis potentia inuicta : ad extremum, quia virginitas non minora mundo generat portenta, quàm cælum producit ſpectacula. Igitur & vos, quæ virginitatem colitis, Beatam Agnetem imitemini, vt cum illa puriſſimum fieri cælum mereamini, vt in ſinu veſtro cæleſtis agnus dulci ſomno potiatur. Et nos omnes auxilium ab illa poſtulemus, vt quæ ſuo Martyrio vicit mundi crudelitatem, noſtram quoq; fragilitatem, ad firmiùs adhærendum Deo, ſuis meritis ſub leuet.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Virgines ſequuntur Agnum quocunque ierit. *Apoc.* 14.

B. Agnes propter ſummam caſtitatem, verecundiam, & manſuetudinem, ſolum Chriſtum ſecuta eſt.

INnata eſt virginibus cum agnis delectatio Auditores, & apud gentiles enim agni virgines comitabantur, & modernis temporibus à virginibus paſci agnos in hortis, atq; in manibus geſtari non raro videmus; num fortè ideò; quòd vt ſcribit Diuus Iſidorus, libro Etymologiarum, agnus matrem ſuam inter mille oues omninò ſimiles, ſolâ eius voce auditâ facilè dignoſcat? num fortè, quòd agnus, lupum quem antea minimè nouerat, vt primùm aſpicit, illum ſtatim execratur, & procul ab eo aufugit. Quæ duo virginibus ſummè conueniunt : quid enim illis decentius eſſe poteſt, quàm matrem ſuam ſemper cognoſcere? & eius parendo nutibus, nunquàm ab illius ſeſe auellere protectione, & cuſtodiâ? Quid earum caſtitati vtilius, quàm lupum inſidiantem ſuo virgineo pudori, ad primum ſtatim fugere aſpectum? ſed crediderim potiùs virginibus, cum agnis naturalem ineſſe ſympathiam, ob illæſam earum innocentiam, & manſuetudinem. Innocens certè agnus eſt, qui nulli animalium quidquam nocet; manſuetus, quia vt docet Ariſtoteles in Problematis, felle caret, ac proindè iraſci nunquam poteſt; & ob hanc puto rationem, vt refert Mileuitanus lib. 3. contra Donatiſtas, Chriſtianis naſcente primùm Eccleſiâ, in

vsu erat, vt catechumenis sacro baptismatis fonte iam ablutis, imagines ex massa cerea candida confectas offerrent, in quibus agni species expressa cernebatur, vt scilicet hoc signum illis cederet in testimonium & augmentum, quod scilicet catechumeni illi, sacramentalis aquæ lotione abluti, & innocentiæ candore & mansuetudine conspicui, agni instar viuere deberent. quod tunc denotabat cantu suo mater Ecclesia inquiens: *Isti sunt agni nouelli, qui venerunt ad fontes, & repleti sunt charitate.* Vnde & hodierna B. Agnes, quò facilius integram suam innocentiam atque mansuetudinem conseruasset, agnum immaculatum in suo pectore gestare voluit, agnum inquam illum, quem vt dicit Augustinus tract. 7. in Ioannem, *timent lupi, qui leonem occidit, & cuius sanguine vincitur pardus.* qui sponsam suam cooperit byssino splendido & candido, id est; iustificatione & sanctitate perfectâ. Non est igitur nomen virginis huius vacuum laude, sed magnum satis indicat præconium, dùm Agnes ab Agno dicitur, quem in sinu suo gestat, Agnum scilicet immaculatum, & æterni Patris Filium. Videamus igitur iam, quòd Agnes semper fuerit secuta agnum cælestem, quocunque ierit, Auditores.

S. August.

Delectabatur Agnes Agno cœlesti à prima statim infantiâ, vbi lumen purissimæ rationis illius menti illucescere cæpit: dùm pulchra facie, venusta fide, corpore adolescentula, animo matura, infans annis, ætate mentis adulta, solam Christi desponsationem summo appeteret desiderio. Nec in cassum abijt, purissimæ illius mentis cunctatio, sed & spes præconcepta votorum magnitudinem adæquauit; & pijs cælum annuit votis. Cùm enim Beata Agnes in sacratissimo assumptæ ad cælos Deiparæ die, obnixè postulasset, vt sibi Angelorum Regina, dilectissimum filium suum, velut desideratissimum animæ suæ sponsum amplectendum, atq; deosculandum exhiberet, obtinuit diuinus amor, quòd petijt. Confestim enim mundi Domina, filiolum suum ipsi in vlnas porrexit, vbi quantis gestierit lætitijs purissima illa mens Beatæ Agnetis, quibus delibata fuerit delicijs ardente in Deum charitate eius animâ; quæ vox, quæ humana edicet facundia? Tandem cùm iam sat diu Christi amplexibus frueretur Beata Agnes, & dulcissimus Iesvs sanctissimæ genitricis suæ sinum conscenderet, ne totus sibi abiret, crucem auream, quæ ad instar monilis, Christi de collo pendebat, B. Agnes piâ violentiâ abstraxit, suoque impositam collo, in æternum ipsius erga se amoris mnemosynon, dùm viueret, gestauit. Quæ in hodiernum vsq; diem eo in templo, in quo sacrum eius corpus repositum est, asseruatur, teste Clemente VIII. Bulla canonizat. eiusdem Sanctæ. Ecce primam Agnetis cum agno delectationem, quæ cœlestem agnum in sinu suo gestare meruit, vt suæ diuinitatis signaculum animæ eius imprimeret. sigillum enim est agnus cælestis (inquit D. Ambrosius lib. 6. de Sacramentis, cap. 2. quod sigillum vbi animabus nostris apponitur, totam speciem suam in nobis exprimit. Quemadmodùm enim Pater, æternâ generatione, signaculum Filio diuinæ suæ essentiæ, cum omnibus attributis imprimit, facitq; vt ad instar viuentis, & consubstantialis perfectissimæ imaginis, à se prodeat; sic planè incarnatum verbum, sui in cordibus nostris positione, vi diuinæ charitatis suæ, veram spirantemq; sui similitudinem, in animabus nostris exprimit. Hoc signaculum agni cælestis, animæ suæ impressum cognoscens B. Agnes, læta canebat. *Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.* Vnde cùm Præfectus vrbis Romanæ, vt Beatæ Agnetis consensum alliceret in matrimonium, immensas diuitias, locupletissimas possessiones suas iactaret, cum verborum lepore lenocinante, gemmas pretiosissimas, lapillos inæstima-

B. Agnes Christum infantem à B. Virgine sibi porrectum gestauit.

æstimabiles, & tot alia sumptuosa exponeret donaria, vt virginis animum sibi deuincere, & deuincire posset. Memor B. Agnes signaculi, quod ab agno Dei in sinu suo ludente acceperat, memor aureæ crucis & monilis illius, quod collo infantuli JESV detractum, & suo impositum pectori gestabat; ad hæc impudicitiæ mundanæ deliramenta audacter respondit. *Discede*, inquit, *à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia iam ab alio amatore præuenta sum; qui longè pretiosiora mihi obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrauit me.* Discite hic mundi virgines, ab Agnete cum cælesti agno lusum inchoare. Non excepit illa faces amantis, nec vincula lenocinantis; & vos fugite procul apparentia dona, per quæ crebrò struuntur insidiæ vestræ castitati: verba enim illectant, dona verò excæcant. hæc enim duo, serpentis colloquium, & ostensum pomum, ita Euam excæcârunt, vt decepta dolendam natis, & mundo nascituris inferret cladem, B. Agnes noluit castissimam delectationem, nisi cum agno cælesti consummare, quia hic solus virgineæ debebatur excellentiæ, vtpotè nobilissimis ortæ parentibus: Nam Pater eius Deus est, qui eam solus genuit. Mater eius Virgo, quæ eum sine viro de Spiritu Sancto mundo conceptam edidit; solum secuta est Agnum Agnes, quia virgineo decori propter suam speciositatem hic solus debetur, vtpote cuius pulchritudo Sole clarior, lunâ splendidior, nitidior astris. Et certè hæc est summa Agnetis sapientia, quòd soli agno desponsari voluerit.

Pythagoras. Magnus ille Pythagoras, inter insignia suæ fælicitatis sibi cælitùs exhibita donaria, summum illud esse censebat, quòd Aquilam candidam, summum Ethnicis Iouem denotantem, sinu suo excipere dignus fuerit inuentus, quo fauore (vt scribit Ælianus. Ælianus citatus à Causino libro 6. symbolo 23.) gloriabatur, se in diuinum quondam hominem admirandâ A Methamorphosi transformatum, didicisse arcana quædam sublimia, omnem mortalium intelligentiam excedentia. sed longè fæliciorem, & potiori iure beatam dixerim Agnetem, quæ virgineo sinu excipere meruit agnum illum sine macula, diuinitùs sibi exhibitum? à quo in sinu suo recumbente, didicit profundissima arcana: quomodò scilicet inter mundi turbines, castitas illæsa in tàm fragili & vitreo vase, intenuissimo virginum corpusculo integrè asseruari posset. per solam scilicet agni cælestis protectionem, & æstuantem in mente purâ diuinæ charitatis amorem; hic certè inuincibilis amor, innocenti Danieli inter ferociissima animalia proiecto, domuit Leones, hic etiam solus virginum castitati, feros insidiantes domare potest Leones. Testis est huius veritatis Beata Agnes: Cùm enim vrbis præfectus connubium Agnetis appetens, se iam penitùs ab illa despectum videret, titulo christianæ superstitionis illam ad tribunal suum adduci iussit, ex duobus illis malis vnum illi eligere suadens: Aut inquit sacrifica Deæ Vestæ, ad laudem generis tui, aut ad ignominiam natalium tuorum, eris publicæ abiectionis scortum, vbi diuino freta præsidio Agnes, & cælestis agni munita amore, imperterrito animo, sæuienti tyranno respondit; si inquit scires quis est Deus meus, non ista ore tuo proferres impuro: ego enim secura contemno minas tuas, quæ noui virtutem sponsi mei JESV Christi, qui nec vult me sacrificare idolis, nec patietur pollui sordibus alienis; mecum enim habeo corporis mei custodem Angelum. Benè dicis B. Agnes, murus tibi erit tuus sponsus, & in oculis tyranni, & inexpugnabile propugnaculum in lupanari. Nec certè agnus immaculatus, & in turpissimo loco relinquet Agnetem, qui puriissimo eius sinu gestari, & manibus cum dulci lusu tractari voluit. Quotquot enim ad hanc summam calumniam, pro Christi nomine damnatæ

erant, inuiolatæ dextrâ excelsi conseruatæ sunt.

Daria à leone defenditur.

Compulsa erat Daria Chrysanti Martyris vxor, ob innumeram ad Christi fidem, multitudinem conuersam, ad lupanar: sed quia Agnum cælestem sponsum habuit, prouidit illi leonem, cuius tutelâ, ex suâ cauerna exsilientis, dùm in oratione defixa hæreret, ab omni ignominia sibi inferendâ præseruata extitit. Ecce miraculum? per leonem, Deus comprimere voluit impurissimum omnẽ lenonem, vt agnoscant, quæ suam Christo virginitatem vouent, illum suæ castitatis perpetuum esse custodem, quasi fortissimum leonem, qui omni aditum impuritati negat. Damnata fuit Beata Lucia ad prostibulum, sed quia in signum desponsationis, annulum cælestis agni acceperat, nempè gratiam Spiritus Sancti, tantam ab hoc vehementi spiritu firmitatem assecuta erat, vt columnæ instar firmissimæ fixa loco, à nemine dimoueri potuerit. sed quid vltra excurram? An non magna eluxit protectio Agni Dei, in seruanda castitate hodiernæ Agnetis. Tota siquidem Sanctissima Trinitas speciali præsidio illi succurrere voluit. Eluxit certè æterni Patris patrocinium singulare: cùm enim vestibus exuta Agnes, traheretur per compita & plateas ciuitatis, præcone clamante, Agnetem sacrilegam & blasphemam, sententiâ iudicis ad prostituendum esse damnatam, vt hoc motiuo, libidinis face accensi iuuenes, ad violationem eius puritatis facilius incenderentur; & ecce diuina omnipotentia, ne omnis ignara fæditatis eius caro, in opprobrium esset omnibus, admirandam ei vestem contexuit, quâ nuditas eius tegeretur. Rosplenduit in eius tutelâ splendor æuiternæ lucis, & lumen æterni filij: cùm enim locum turpitudinis ingressa esset, subitò illam tanta circumfulsit lux è cælo descendens, vt omnes fœda libidine exagitati; vimq; castitati eius illaturi accedentes, dùm tantam luminis claritatem, oculorum intuitu ferre non possent, diuinæ lucis agnoscentes radios, ad omnem vitæ puritatem redire, & Dei potentiam agnoscere festinarent. Refulsit demùm in protegenda Agnetis castitate, virtus Spiritus Sancti: etenim cùm filius crudelis præfecti, ignauiam, & effæminatam indolem alijs exprobrans, ipsemet in illum fulgorem audaciùs irruens, virgineum pudorem lædere vellet, confestim à Dæmone compressus, in faciem cadens exspirauit: sed mox Agnetis oratione, ad vitam reuocatus, ex illo insolito lumine fidem concepit, inclamans: vnus est Deus Christianorum, quem colit Agnes, omnes alijs dij vani sunt, & inanes. sed quid ad tantum amorem erga vnius virginis custodiam, euocauit Sanctissimam Trinitatem? non aliud certè, quàm virgineus decor, & puritas mentis, quæ ita cœlesti sponso placet, vt cùm alijs hominibus custodes tribuat Angelos, eosq; ex sententia Theologorum singulis singulos, & altioris eminentiæ ac dignitatis personis, ex altiori quoq; ordine & Hierarchia deputatos; virginum tamen custos ipsemet solus esse voluit. Cuius rei naturalis ratio afferri potest, *quia simile simili gaudet*: & quia inter omnes mundi pulchritudines, nihil reperitur, quod cælesti agno simile esse possit, præter virginum puritatem? hinc mirum non est, quòd solus virgineæ castitatis custos esse voluit Christus. Nam vt dicit Richardus Victorinus, grauissimus Academiæ Parisiensis Theologus, cap. 39. in Cant. *Virgines decorem Christi & similitudinem habent.* Hæc autem earum similitudo est, charitas Dei, iuxta illud Apostoli: *Mulier innupta cogitat quæ Dei sunt, quomodò placeat Christo.* vnde cùm sint species Christi Virgines, hoc potissimùm curare debent, vt Christum repræsentent sua puritate, eiusq; similitudinem viuam, ac spirantem exprimant, per innocentiam & sanctitatem.

B. Agnetis SS. Trinitas auxiliatur.

Richardus.

Vt tamen virgines custodem suæ ca-

suæ castitatis habeant Agnum cælestem, tria ipsis ex vnanimi Patrum consensu necessaria sunt; clausura, modestia, & verecundia. Necessaria est primò virginibus clausura; & omnimoda à viris sequestratio, vt docet Diuus Hieronymus Epistola ad Eustachium inquiens: *Rarò cogitatur in mente, quod exteriores sensus non nutriunt: hæc enim sunt fenestræ, quæ nisi clausæ fuerint, morti patet introitus: & nil nisi funeste ingreditur: in silentio autem, clausura, ac quiete, cogitationes peruersæ vitantur.* S. Hieron. Quòd confirmat D. Ambrosius super Lucam scribens. *Discite*, inquit, *virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis: Nullus sit sine matre progressus, quæ sit anxia tut custos pudoris, ipsa quoq; ad Ecclesiam progressio rarior sit, adolescentulis.* S. Ambro. Nec tantùm Christiani; sed etiam gentiles, fæminarum clausuram magni æstimabant. Nam vt refert Tiraquel. in libro 1. Connubiali, mos fuit apud Bœtios, vt noua sponsa curru ad nuptias duceretur, quæ vt primum domum ingressa erat, statim comburebatur currus ille, ad significandum, non ampliùs opus esse curru fœminæ, sed domi tantùm commorandum esse. Sed & ipse Plutarchus, hanc virginum clausuram pulchro exornauit Hieroglyphico, qui testatur Phydiam, celebrem illum sculptorem affabrè fecisse pulchram Veneris statuam, illamque super testudinem quandam posuisse, vbi lento illo testudinis gressu, virginem deambulatricem esse non debere significabat: sed quemadmodùm testudo de loco in locum progrediens, semper secum domum portat; ita virgo ægrè ferre debet domus suæ claustra egredi, & foris incedere, quasi totam domus suæ molem, suis vbiq; latura esset humeris; ad hanc solitudinem hortatur virgines Apostolus, ad Timoteum 2. *vt sint domus curam habentes;* Timot. 2. originale verò Hebræum habet, *vt sint custodes domus.*

Secundò, ad custodiendam castitatem, virginibus necessaria est verecundia, vt docet D. Ambrosius lib. 1. de Officijs, hæc verba addens: *In virginibus verecundia velut quædam naturæ dos commendatur, & est prima disciplina: hæc in ipso corporis motu & incessu tenenda est: habitus enim mentis cernitur in statu corporis, in cuius decore verecundia plus eminet.* S. Ambro.

Necessaria est deniq; virginibus modestia: vbi enim hæc viget, ibi libido locum non reperit. at vbi modestia in audaciam, & præsumptionem vertitur, imbecilla virginum caro, statim nihil intentatum relinquit, & mille adinuenit stratagemata, quibus corporis integritatem, & mentis pudicitiam expugnet; vt verificetur illud Pauli ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersùs spiritum.* Ad Gal. 5. Egregiè hanc corporis, cum anima virginum pugnam depinxit fabulosa illa Ouidij narratio. vbi refert acrem exortam fuisse pugnam inter Acheloo & Herculem supremi Deorum filium; vbi videns Acheloo se infirmum ac debilem esse, iuxta illud prouerbium: *vbi non est fortitudo leonina, suppleat industria vulpina.* varijs vtens incantationibus, & in serpentem se conuertens, Herculem inuasit; sed victus Acheloo ferocissimam tauri naturam assumpsit, & sic iterum cum Hercule ferocissimã iniuit pugnam. Quid aliud est iste Acheloo, nisi mollis caro? innumeris spiritum (qui supremi Deorum est filius, iuxta illud Actor. 17. *ipsius enim & genus sumus*) aggrediens pugnis, nunc vt coluber astutus struens insidias; nunc vt taurus, concupiscentiâ exardescens, spiritum in seruitutem suam redigere cupit. Actor. 17.

His tribus remedijs vtebatur B. Agnes, ad illæsam suæ virginitatis castitatem conseruandam: fuit enim in illa mira clausura, quia mente sua, diuinis fixa contemplationibus, sæpiùs sanctis vacabat orationibus. Fuit verecundia; adeò, vt ne Angelus quidem ad illam sine magna reuerentia accedere auderet. Fuit demùm & modestia admirabilis, quia in omni patientia & tribulatione, etiam

etiam in ipsa supplicij pœna Agnum illum mansuetum imitari voluit. dicit enim de illa Ambrosius lib. 1. de virginibus. *Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum læta successu, gradu festiua virgo hæc processit.* Sciebat benè non aliter veram virginitatem Christo placere, nisi per aduersarum rerum æquo animo susceptionem; cuius rei pulchrum ex antiquitate argumentum sumit Rosinus, de antiquitate lib. 3. cap. 19. vbi refert iuxta ianuas domus Deæ Vestæ, vbi virgines vestales suam ei virginitatem dicabant, fuisse quandam arborem nomine lothos, cui arbori virgines illæ, suos de capite præcisos capillos appendebant; vnde ortum traxit illud Prouerbium, *Lothos capillata.* Hæc arbor teste Polybio lib. 12. fuit aspera & sentibus plena, sed fructus parturiebat dulcissimos. vnde Vlyssis socij, vt primùm delicatum arboris illius fructum degustârunt, statim & patriam, & amicos, & reliqua omnia obliuioni tradidêre, vt refert Homerus ode 9. & Ouidius 9 Metamor. Quid enim arbor hæc, nisi vestram virgines castitatem signat? cui vestros appendere debetis capillos. id est; omnes vestras cogitationes, in hoc solo defigendo, vt corporis vestri intactam verecundiam, Christo conseruetis; cui virginitas vera dicanda est. Arbor hæc amara est, quia in conseruanda castitate, mille difficultates, & innumeræ molestiæ sunt subeundæ: sed fructus dulcis, quia agni cælestis perennis visio & conuersatio. ideoq; B. Agnes, vt dulcem huius arboris fructum, scilicet; lauream suæ virginitatis obtineret, etiam martyrij sanguine perfundi voluit, nec tantùm in vita, sed etiam post mortem sequitur Agnum B. Agnes, iuxta effatum Petri Damiani, Serm. 3. de Natiuitate virginum. *Illæ*, inquit, *sequuntur agnum in peruentionis requie, quæ eum imitantur in itineris asperitate.* sequitur agnum, singulariter illi canticum cantans, & cum eo præ cunctis fidelibus, etiam de incorruptione carnis gaudens.

S. Ambro.

Rosinus.

Polybius.

Damian°.

Imitemini igitur omnes Beatæ Agnetis castitatem, verecundiam, & mansuetudinem, cum cælesti Agno ludum ludentes, & in cælis, & in terris perpetuum. Tu verò immaculati agni sponsa, quæ sanctæ Constantiæ vitam, & sanitatem, cum fide: Sanctæ Emerentianæ constantiam, & martyrij gratiam, ad sepulchrum tuum orationibus impetrasti, nobis etiam hodiè in tua festiuitate postulantibus, impetra donum castimoniæ, & constantiæ, aduersùs dæmonum conatus, vt tecum in vita agnum sequamur, & eius in æternitate perfruamur gaudio, in sæcula sæculorum, Amen.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Moram autem faciente sponso, dormierunt omnes, & dormitauerunt.

Triplex dormitio recensetur, naturæ, gratiæ, & gloriæ, ex quibus sola vltima est homini perniciosa.

IMprobans somnolentiam diuinus Plato, hanc in suis legibus tulit sententiam: *Nemo dormiens vlla re dignus est.* Forsan ideò, quia & dij, & homines omnia laboribus vendunt. Atque vt ab ipso Deo rem nostram exordiamur, pendentem in cruce JESVM intuemini: de quo Apostolus Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta, æternâ redemptione inuenta.* Expendite accuratiùs, cur inuenta? nonne melius dixisset, æternâ redemptione accepta, aut consumata? minimè. Respondet enim S. Tho. ideo Apostol. posuit inuenta, *quia*, inquit, *nullus inuenit modum ita congruum redemptionis sicut Christus.* Egregiè sanè: quia

Somnolentia nulla re digna.

Hebr. 9.

S. Thom.

quia nullus ex antiquis, non Abraham, non Iacob, non Isaac, congruum modum inuenit, cælum ingrediendi, sicut Christus. Quia nemo vnquam putauit per labores, per dolores, per sudores, per sanguinem, cælum emendum; sed solus Christus hoc intellexit, tanquàm sapientia Patris; & ideo sanguinem voluit fundere, vt palam faceret, neminem nisi per continuos labores cælum ingressurum; iuxta illud 1. Petri 2. *Christus passus est vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* A cœlestibus ad terrena gressum agitè; & hic certè nemo dormiens coronabitur. Si aulam respicias, hæc somnolentos eijcit, & incessanter rogantibus vacantes dignitates confert. Vnde vetus adagium, ad aulam rarus alienâ promotione diteſcit, sola præsentia vrget. Si militiam? ibi dormitio victos, assiduæ excubiæ victores reddunt. Sic Trasybulus Athenienſis, qui patriam à 30. oppressam tyrannis, è dira seruitute in libertatem vindicauerat, cùm non satis diligenter in castris eius vigiliæ agerentur, ab hostibus insperatè irruentibus interfectus, exemplo suo docuit: *nihil in bello oportere contemni.* Si ad Tribunalia; & ibi dormientes causâ cadunt; vigilantibus iura obediunt. Si ad communem hominum sortem? & ibi dormitio miserias ac egestatem inducit. Prouer. 24. *Vsquequò piger dormis? vsquequò de somno consurges? Parum inquam dormies, modicum dormitabis, pausillum manus conseres, vt quiescas: & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi vir amarus.* Dormitionem igitur pernicioſam, & Deo summè abominabilem vobis hodiè inducam.

1. Petri 2.

Somnolentia aula præcluſa.

Trasibulus in castris vigilantiam negligens perijt.

Prou. 24.

Triplicem è sacris literis dormitionem inuenio, vnam naturæ, quam natura eo fine instituit, vt omnia incommoda fatigato corpori obuenientia faciliùs amoueat. Sic testatur Tertul. lib. de anima cap. 43. *Somnus* inquit, *est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem.* Dùm enim somni tempore, sensus externi vacationem quandam feriarum vice impetrant, collecta ad internas functiones animalium spirituum dispendia resarcit; vitalis potentia in leui cordis sinu spiritus vitales exactius elaborat; facultas naturalis in alimenti decoctionem impensiùs incumbit, cæteraq; suarum partium munia expeditiùs absoluit. Et talem dormitionem non prohibet Deus, sed concedit: ea quippè lege in paradiso soporem in Adam immiserat, vt hoc facto edoceret hominem, quomodò is post modicam lassati corporis quietem, ad Diuinas laudes euigilare debeat, teste sacrâ paginâ, Ecclesiastici 31. *Somnus sanitatis in homine parco, dormiet vsq; in mane, & anima illius cum ipso delectabitur.*

Dormitio triplex.

Tertullia.

Eccl. 31.

Altera dormitio est gratiæ, in qua cessant sensus à corporalibus actionibus, vt docet Sapiens Prouerbiorum 3. *Si dormieris; non timebis: quiescès, & suauis erit somnus tuus.* Hæc dormitio est Deo gratissima: quia taliter dormientes cogitationes intendunt, & vacant spiritualibus. Sic quondam corpore dormiebat cælestis sponsa, sed toto corde Deo vacabat. Cant. 5. *Ego*, inquit, *dormio & cor meum vigilat.* Quasi diceret: Membra quidem corporis fatigata, in placidam quietem composui, sed charitate tua ò æterna bonitas æstuans, totum cor meum ad orationem conuerti, sciens solam orationem esse tantæ efficaciei, vt in ea Deus & homo mutuò sibi corda accipiant, reddantque, atq; alter in alterius pectus cordis loco se transfundant: quia Deus in pectore orantis vicem cordis subit. sic locum hunc scripturæ. *Ego dormio & cor meum vigilat*, exponunt Rabbi Salomon, Rabbi Moysen, & alij inter Hebræos Sacrarum literarum peritissimi, inducentes sponsam ita loquentem: *Ego quidem nihil pro me solicitor, sed orationi tota intendo, cùm Deus, qui cor meum est, meam excubet in tu-*

Prouer. 3.

Cantic. 5.

in tutelam. Quòd verò ipſe etiam, qui orat, in Dei pectore vicem cordis obtineat, teſtatur ipſemet Deus Gen. 8. vbi poſtquàm Nôé ſacrificium Deo obtulit, ſubditur: *Odoratuſq; eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait ad eum.* In hebræo autem habetur: *& ait ad cor ſuum:* Vatablus & Caietanus vertunt: *& ait in corde ſuo*, vbi Deus tanti fecit humilem orationem, vt Nôè orantem cor ſuum appellauerit.

Gen 8.

Dùm itaq; ſopor Diuinæ gratiæ irruit in hominem, tunc omnes humani cordis affectiones quieſcunt in præguſtationibus cæleſtibus. Pſal. 4. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Nec immeritò: ſiquidem in hac dormitione diuinæ gratiæ, humanum intellectum Deus ſpecialiter erudit & informat, Job 33. *Quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eas inſtruit diſciplinâ:* hoc eſt, aliqua ignota & occulta illis manifeſtat, quibus ad diſciplinam inſtruuntur. Sic locum illum Iſaiæ 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, exponit Oleaſter in ſuis Hebraiſmis: *Rem*, inquit *mihi ignotam manifeſtauit.* Felix equidem quiſquis ſomno diuinæ gratiæ obrutus dormit, quia tunc maximè cum Deo conglutinatur. Taliter dormiuit Chriſtus inter procellas, Matthæi 8. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.* Sic dormiebat Petrus inter catenas Actor. 12. *Erat Petrus dormiens inter milites vinctus catenis duabus.*

Pſal. 4.
Iob 33.
Iſaiæ 50.
Oleaſter.
Actor. 12.

Tertia tandem dormitio eſt culpæ, ideò maximè Deo ingrata, quia fundatur in duobus vitijs, cum diuina lege pugnantibus, videlicet in omiſſione & tranſgreſſione. Omiſſionem peccaminoſam dicunt eſſe Theologi tunc, quando omittimus aliquid, quod facere tenemur iure aliquo. ô quàm frequens eſt hiſce temporibus eiuſmodi omiſſio, vt ne vllum inter homines ſtatum reperias ab ea immunem. Poſuit Deus Reges, Principes, & alios temporales Dominos, vt vices eius in terris agendo, regna & religionem ſanctam, populum ad legum Diuinarum & humanarum obſeruantiam conforment. Sic proteſtatur Ezechielis 33. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrâèl, audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me.* Et tamen hiſce temporibus, augentur blaſphemiæ Dei in regnis Catholicis, propagantur hæreſes, infideles Chriſti fidelibus dominantur, & leui de cauſa effuſionem ſanguinis, Chriſti morte redempti, quærunt. Quia dormiunt mundi Principes, omittendo ea facere, quæ tenentur; propter quòd Deus & reges, & regna grauiter punire ſolet.

Omiſſio peccaminoſa quando fit.
Ezech. 33.

Sciſcitemini enim obſecro, cur Deus Saulem repudiauerit, & Dauidem vſq; ad mortem ſatis benignè tractauerit, licet eius multò grauiora peccata Scriptura ſacra recenſeat. Cauſam aſſignat Sacer textus: quia Saul omiſit facere, quod iubebatur à Domino, 1. Reg. 13. *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Præceperat enim Deus Sauli, vt omnes Amalecitas interficeret. 1. Reg. 15. *Vade, percute Amalec, & demolire vniuerſa eius.* Hoc ergo præceptum Domini omiſit Saul adimplere, quia & Cinæum liberè dimiſit, & pepercit Agag, & opimis gregibus, & ideò tantam Dei iram promeruit, vt reijceretur à Deo. At verò Dauid, ita fuit zeloſus in præceptis Dei adimplendis. vt nihil magis curaret, quàm vt omittentes iuſſa diuina perdere poſſet. Vnde etiam moriens præcepit Salomoni, vt occideret Joab. *Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* 3. Reg. 2. propterea, quòd eſſet contemptor regiæ maieſtatis, & ſanguinis innocentis effuſor. Quando ergo Principes mundi dormiunt, & idololatriam Hæreticorum non exſtirpant, etiamſi aliàs ſanctè vixerint, grauem tamen Dei vindictam prouocant, vt docet S. Proſper de vita contemplatiua. *Ille* ait, *cui huiuſmodi cura commiſſa eſt, etiamſi ſanctè viuat; ſi tamen pedite*

Saul cur repudiatus à Deo.
Ibidem 15.
3. Reg. 2.

perditè viuentes arguere negligit, cum omnibus, qui eo tacente pereunt, perit.

Judices constituit Deus, vt paùperes ab oppressione potentum defendant, & vnicuiq; quod suum est, adiudicent: & inter hos magna dormitio viget: quia munuscula soporem inducunt, cui resistere non valentes, quæ iusta sunt, videre non valent. Eccl. 10. *Xenia* inquit, *& dona excæcant oculos Iudicum.* vbi palam ostendit Scriptura, non tantùm dona opulenta, sed etiam munuscula exigua, præcludere viam ad iustitiam administrandam.

Eccl. 10.

Posuit Deus Personas Ecclesiasticas, ad hoc, vt in Ecclesia sancta, laudes diuinæ, nocturnis & diurnis temporibus peragantur, & ecce dormitio grauis: Rex Israèlitarum Dauid media nocte surgebat, ad laudandum Deum. *Media nocte*, inquit, *surgebam ad confitendum tibi.* Modò autem silent nocturna cantica; silent mediæ noctis matutina, quæ dentur Christo, quia media nocte natus est, & resurrexit. Sed ne nos idem Christus media nocte ad iudicandum venturus inueniat, euigilemus ex isto culpabili somno, ad quod excitat nos Apostolus Tessal. 5:

Non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus.

Ad Thessalon. 5.

DIE PVRIFICATIONIS B. V. MARIÆ,

CONCIO PRIMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis eius, &c. *Lucæ 2.*

Beata Virgo, vt maiorem puritatem consequeretur, & nos ad pœnitentiam incitaret, legem purificationis adimpleuit.

Sub tempus belli Suetici, Anno 1656.

NEscio quomodò purissima Dei Mater non veretur, ne iacturam honoris apud insensatum mundum subeat, aut de sua existimatione periclitetur, dùm instar aliarum mulierum legem purificationis adimpletura, in templum venit. Quippe lex purificationis, ob peccatum originale, quod contrahitur ab infante in vtero matris, lata est. Vnde ex mente Hesychij & Procopij, tanto temporis spatio impura censetur mulier, quanto in aluo materno formatur embrio, & animatur, quod in masculino fœtu fit quadragesimo die, in fœmineo octogesimo. Eo autem momento, quo anima à Deo creata fœtui infunditur, macula originali inficitur. Proinde videtur quodammodò mater cooperari peccato originali, quatenus disponit materiam, & organizationem, quâ peractâ, anima creatur, & tunc peccatum originale contrahitur. Tàm ergo graue malum est hoc peccatum originale, vt mulier ipsa, quæ etiam remotè per accidens, & naturaliter illius contractioni cooperatur, ob eiusmodi duntaxat cooperationem, impura, atq; adeò indiga purificationis censeatur. Sic expressè docet D. Augustinus. q. 40. super Leuit. Et Origenes ibidem homil. 8. *Vnde*, inquit, *& pro purificatione sua iubetur offerre pullos columbinos, aut turtures pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, vt repropitiet pro ipsa sacerdos, quasi quæ repropitiationem debeat, & purificationem peccati pro eo, quòd nascenti in hoc mundo homini ministerium præbuit.* Si ergo hanc legem exequitur B. Virgo, quomodò su-

Procopius. Hesychius.

S. Augustin.

Origenes.

ſpicionē euadet, quominus rea peccati originalis cenſeatur. verùm lex iſta, pro illis duntaxat fœminis lata eſt, quæ paribus nobiſcum primordijs naſcuntur; Virginem verò Deiparam minimè ſtringere potuit, vt palam inſinuat Spiritus Sanctus, in Canticis de Virgine loquens: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Calceamenta enim ſigna ſunt libertatis: vnde Deus mandauerat Hebræis, vt cum calceamentis in pedibus, ceu libertatis indicibus, feſtum paſchatis celebrarent, in memoriam libertatis, quâ in eductione de Ægypto donati fuerant. Spiritus itaq; Sanctus in citato ſcripturæ loco, laudat virginem ex eo, quòd liberè & ſponte, nulla lege adacta, ad templum legis mandatum executura venerit. Idem vnanimiter de virgine ſancta fatentur SS. Patres, vt Theophylactus in caput Lucæ 2. *Bene* ait, *dixit, ſecundùm legem Moyſi; nam ſecundùm veritatem, nulla neceſſitate adſtringebatur.* Sanctus Bernardus ſerm. 3. de Purificat. *Quis*, ait, *non aduertat ipſo huius ſententiæ initio Matrem Domini liberam ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicens Moyſes, mulierem quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, non timuerit ſuper Matrem Domini blaſphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiſerit: Si ſuſcepto ſemine? Alioqui niſi præuidiſſet parituram ſine ſemine virginem, quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine mentionem fieri?* Cyrillus Alexandrinus l. 8. ſuper Leuitic. *Conſideremus*, inquit, *ſi videtur quaſi ex ſuperfluo additum: mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum: ſed non ex ſuperfluo additur: ad diſcretionem namq; illius, quæ ſine ſemine concepit, & peperit, iſtum ſermonem pro cæteris mulieribus Legiſlator adiecit.* Confirmat Theologorum ſententia cum S. Thom. 3. par. q. 37. arti. 4. abſolutè dicens: Beatam Virginem non fuiſſe obligatam ad purificationem. Vbi Guarricus Abbas Serm. 1. de Purificat. ſic ait. *Quid in ea purificandum eſſe potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permanſit. Immo quæ ipſo conceptu plenè purificata fuit.* Suadet demùm ratio, Si enim lex illa purificationis lata fuit ob peccatum originale; Ergo manifeſtum eſt, B. Virginem, quæ & concepta fuerat, & conceperat abſq; labe originaria, tali purificationis lege non fuiſſe obſtrictā: imò cùm fœtum puritatis fontem concepiſſet, per puritatis transfuſionem purior adhuc B. Virgo euaſit. Cùm itaq; ex lege nō teneretur B. V. legē purificationis adimplere, videbimus quo motiuo adducta, id fecit.

Duplici reſpectu Sanctiſſima Virgo, legem purificationis adimpleuiſſe mihi videtur: nimirum; ſui ipſius, & noſtri. Sui: vt magis participaret Deum, maioremq; puritatis gradum aſſequeretur. Quippè ardentiſſimè ſemper exoptabat, Deo coniunctiſſima reddi. Quia ergo Chriſtus Dominus, iam antea ſine vlla legis obligatione circumciſionis actum ſuſtinuerat, ideo quoq; Beata virgo ad purificationem ſe in templum ſiſtit, vt ſe perfectam Chriſti imitatricem oſtendat. Vt eleganter diſcurrit Sanctus Bernardus Serm. de Purifi. *ò Beata*, inquit, *Virgo MARIA, verè tu non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione: ſed nunquid filio tuo opus erat circumciſione? eſto tamen inter mulieres tanquam vna earum, nam & filius tuus ſic extitit in medio puerorum.* Et profectò, ſi Chriſtus, cùm eſſet verus Deus, non recuſauit inter homines connumerari, & quaſi communi hominum ſorte circumcidi, non obnoxius circumciſioni; ita congruum erat, vt ipſa quoq; virgo minimè curaret, quòd ab hominibus exiſtimaretur mulier cōmunis, non ſolùm ſordibus puerperij maculata, ſed etiam mater effecta modo conſueto, dum inſtar aliarum parturientium, quaſi purificationis indiga, ad templum accedebat. Chriſtus cùm eſſet ſupremus Legiſlator, legibus tamen ſubiectus eſſe voluit, iuxta illud Euangeliſtæ: *Amen dico vobis, non veni ſoluere legem ſed adimplere.* Beata Virgo pariter, ne ab hac profunda Chriſti humilitate recederet, legem purificationis adimplere

Cantic. 7.

Calceamenta ſigna libertatis.

Theophyl.

S. Bernard.

S. Cyrillus Alexandri.

S. Thom.

Guarricus.

S. Bernard.

Matt. 3.

implere voluit. Magna enim erat submissio, eam, quæ puritate Angelos antecellebat, ad templum accedere, quasi purificationis indigam; quemadmodum consueuerunt cæteræ mulieres immundæ ob emissum partum. Sic concludit Beda homil. de Purificatione: *Sicut*, ait, *Dominus ac Saluator noster, qui diuinitate legem dedit, apparens in homine, voluit fieri sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Ita etiam Beata ipsius Genitrix, qua singulari priuilegio super legem fuit, pro ostendendo tamen humilitatis exemplo legalibus subdi non refugit institutis.* Comprobat Laurentius Justinianus Ser. de Purificatione inquiens: *Supra legem illam fecerat gratia, sed sub lege humilitas, virile minimè fuscepcrat, semen, & tamen veluti immunda, legi voluit esse subiecta.*

Beda.

Laurentius Iustinian⁹.

Verùm quemadmodùm Christi nomen, ob profundam humilitatem eleuatum est, omnibusq; creaturis ad perpetuam adorationem propositum, ita B. V. ob adimpletam purificationis legem, ad summam puritatem euecta. Quod luculenter demonstro: Puritas in rebus materialibus eò magis augetur, quo magis aliqua corporea substantia, alteri summè puræ, videlicet; luci propior fit. Hinc aqua puritate superat terram, aër aquam, ignis aërem: quia hic proximè accedit ad magis luminosam substantiam, puta Solem. Ita planè puritas spiritualis, eò maiora sumit incrementa, quò propiùs ad Deum accedit, maioriq; propinquitate increatam lucem participat. Hoc igitur pro fundamento supposito, B. Virgo legem purificationis adimplendo, nouos puritiatis gradus assecuta est. Exercuit illa in hoc actu perfectissimam humilitatem, (vt iam ostendi.) Atqui per hanc Deus, qui est fons puritatis, magis participatur à creatura, teste D. Augustino Serm. 157. de Tempore: *Altus est*, inquit, *Deus: erigis te, & fugit à te; humilias te, & descendit ad te.* Ergo per hunc actum, quem B. Virgo in purificatione exercuit, nouum puritatis gradum assecuta est. Præterea B. Virgo per hanc legis adimpletionem, nouo Deo actu per amorem se subiecit. Igitur ex hoc capite nouum puritatis gradum adepta est. Nam vt docet S. Thomas 2. 2dæ q. 7. art. 2. impuritas consistit in hoc, quòd res aliqua vilioribus immiscetur: hinc argentum non dicitur esse impurum ex permixtione auri, per quod melius redditur; sed ex permixtione plumbi, aut stanni. Vnde subdit Angelicus Doctor loco citato: *Manifestum est*, ait, *quòd rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus creaturis, & ideo impura redditur ex hoc, quòd temporalibus subijcitur per amorem.* Ergo a contrario optima consecutio infertur: Creatura rationalis dum per amorem subijcitur rei se puriori, fit purior. Atqui B. Virgo adimplendo legem purificationis, subiecit se rei seipsâ puriori, nimirum Deo. Igitur hinc nouũ puritatis gradum conquisiuit. Neq; solùm B. Virgo adimplendo legem purificationis, nouum in se puritatis gradum assecuta est, sed insuper etiam in humano conceptu. Nam quia Beata Virgo iuit ad templum, legem adimpletura, acclamata, & cæteris in templo existentibus, prædicata est à Simeone atq; ab Anna Propheriſſa, Mater Dei purissima. Ergo per illam legis adimpletionem, nouum puritatis gradum acquisiuit B. Virgo, etiã in humano conceptu, vt ex eo tempore, de sumã Virginis excellentia, mundus magis sobriè sentiret. Hanc summam puritatem in Virgine Albertus Magnus super Missus est cap. 118. ex eo fundamento deducit. Quia ad donationem doni supremi, sequitur collatio omnium inferiorum, iuxta illud Apostoli: *Qui proprio filio suo non pepercit, quomodò cum ipso omnia nobis non donauit?* Sed Deus B. Virgini summum donauit, quo capax fuit pura creatura, scilicet; Dei maternitatem; igitur & summam puritarem eidem contulit.

Quo modò puritas augetur in rebus.

S. August.

S. Thom.

B Virgo legem purificationis implendo, nouos puritatis gradus assecuta est.

Albertus Magnus.

Nostri verò gratiâ ad purificationem

tionem venit B. Virgo, vt nobis puritatis amorem suaderet, edoceretque, per pœnitentiam, (cuius symbolũ erat purificatio) animam à peccatorum maculis esse emundandam. Sic censet D. Bernardus Serm. 6. in paruis
S. Bernard. inquiens: *Quid est autem, quod dicimus B. Virginem purificari? quid verò quòd ipsum Iesum dicimus circumcidi? illa enimuerò tam non indiguit purificatione; quàm neq; ille circumcisione. Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, vt à vitijs continentes, primùm per ipsam* B *continentiam circumcidantur, deinde à commissis per pœnitentiam purificentur.* Eandem veritatem aureis prorsus verbis elucidat Guarricus Abbas
Guarric. Ser. 4. de Purificatione. *Cùm* inquit, *hodie purificatio B. Mariæ recensetur, manifestè de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem verò tanti non moueat auctoritas exempli, cùm videamus, scilicet; quia illa sanctorum sanctissima, quæ nihil purgandum habuit; purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit. O Mater immaculata, Mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec partus violauit, sed sacrauit. Quare ergo tanquàm si muliebre aliquid in concipiendo, vel pariendo sis passa, sic mundationis, quæ mulieri permissa est, infirmitatis quæris remedia. Sic*, inquit *decet nos omnem implere iustitiam, vt, quæ summæ mater electa sum iustitiæ, speculum quoq; sim totius & exemplar iustitiæ. Noui ego superbiam filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusandum, quàm* C *ad purgandum commissa. Necessarium arbitror, vt vitijs originis antiquæ, statim in initijs omnia nouæ generationis occurrant exempla.* Paulòque inferiùs in hunc modum concludit. *O Filij hominum, tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum nobis dedit, quo debeamus purgari.*

Postquàm Israëlitæ dispersi ab hostibus, fractâ tandem suorum inimicorum potentiâ, Ierosolymam conuenissent, templum Dei dirutum A & profanatum, quantocius renouare & mundare enituerunt. Vbi Iudas Machabæus legem tulerat, vt dies illa renouationis templi, quâ purificatum fuit, quotannis celebraretur. Voluit autem solemnitatem illam appellari festum luminarium, seu candelarum, eò quòd tunc illis apparuisset lumen diuini cultus, quando illi minus cogitabant. *Et statuit Iudas Machabæus*, (inquit sacer textus) 2. Machabæor. 10.
vt singulis annis celebraretur festum renouationis templi, quod appellabant festum B *luminarium, eò, quòd splendidissimum lumen diuini cultus insperatò apparuisset.* Dabis veniam amica Deo Christianitas, dum te hac lege stringi hodie proclamauero. Nonne filij tui afflicta Patria, citra omnem spem, patrocinante sibi Augusta Virgine, congregati sunt ad patrias ædes? spectant priuatas domos dirutas, sed non minùs profanata Dei templa, infidelium cadaueribus onusta, repleta Hæreticorum tumulis. Igitur ne iterum sopitus tantisper in te recrudescat C Dei furor, ante omnia, ad mundanda & renouanda sancta sanctorũ, omnem tuam curam & cogitationem confer, vt hodierna luminarium festiuitas, tibi propitium cæleste lumen conciliet. Et quia conscientia vestra, templum Dei est, renouatis Dei ædibus, ad renouandas vestras conscientias festinate, arctissimâ Deum placando pœnitentiâ. Hoc vobis inculcat D. Bernardus Serm. 7. *Nobis*, inquit, *illa* (de virgine loquitur) *purificatur, præbens exem-* S. Bernard.
D *plum pœnitentibus, vt à commissis per pœnitentiam purificentur.*

Quid? an non ad pacificandum vos hodiè cum Deo, MARIA venit? Pacem quam vobis affert Beata Virgo, præuidit Noë in arca illa sub tempus diluuij. Auscultate Cluniacensem eruditè id enucleantem. Cluniacensis.
Columba, inquit, *emissa ab arca rediit ad vesperam, portans ramum oliuæ cum virentibus foliis, & intellexit Noë, quòd cessassent aquæ diluuij. sic in vespere mundi in nouissimis diebus, emissa columba, Virgo MARIA, super omnes pulcherrimæ,*

nata

uata ex tribu Iudæorum, ad templum redyt, portans ramum misericordiæ de paradiso; & intellexit Simeon, quòd cessasset ira Dei super genus humanum, & gemitus & suspiria Patrum. Et reuera quomodò ira Dei cessare non debet, dum Mater gratiæ & misericordiæ pro nobis interuenit. Propter Christum & MARIAM Deus mundum condidit, quomodò igitur dum MARIA Christum Patri æterno offert in templo, is placari non debet? Quod ne temerè asserere videar, scrutabor veritatis & scripturarum arcana, recurrendo ad primordia creationis mundi. Locum illum Genes. 1. *Faciamus hominem.* Rupertus Abbas cum Caietano legunt in futuro: *Faciemus hominem.* Quid hoc mysterij? Respondet doctissimus Rupertus, quòd nostro modo intelligendi & loquendi, rogabatur Deus in illo instanti, in quo omnia ei fuerunt præsentissima, videlicet, peccatum & cuncta alia, quæ ei summas molestias erant illatura, vt crearet mundum. Et quia nonnihil vacillabat, paululum sub sistens, in hæc verba prorupit: *Faciemus hominem* Constet, quidquid constiterit, eueniat quid voluerit, patiatur totum quid ei acciderit, volo ego creare hominem? vbi Petrus Galatinus apud Osorium Sermone 3. de Conceptione ex Rabbi Hecados, viro inter Hebræos summæ authoritatis, refert Deum, dum præuideret peccatum hominis, noluisse hominem, immò ne ipsum quidem mundum creare. *Agnoscens*, inquit, *Deus Adam peccaturum, & totum orbem infecturum, nolebat mundum creare.* Diuinum nihilominus verbum instanter mundi creationem vrgebat: *Verbum autem Dei instabat esse creandum.* Proinde supplicabat Patri æterno, ne ad hominum peccata respiceret, sed ad Filium suum incarnatum hominem factum, eiusq; Sanctissimam Genitricem oculos conuerteret. Cui acquiescens Pater æternus, mundum & hominem, propter amorem JESV & MARIÆ creauit; alias id minimè facturus. *Videns verò Deus benedictus ex Israël excidendam esse illam Petram, ex qua Messias futurus erat, huius Petræ dilectione* (quæ Mater Messiæ est) *& Messiæ mundum condidit.* Quod arcanum aperuit Deus Ieremiæ 33. *Nisi*, inquit, *pactum meum fuisset, diem, & noctem, leges cælo, & terræ non posuissem.* Quasi diceret: Nisi pactum meum esset, id est; Nisi JESVS & MARIA essent, nisi illud pactum meum cum natura humana esse deberet, mundum neutiquam condidissem.

Gen. 1.

Rupertus. Caietanus.

Galatinus.

Hiere. 33.

En videtis, quòd nisi merita MARIÆ & JESV interuenissent, nullatenus mundum Deus creasset. Quod ipsamet ratio manifestè ostendit; quia propter hominem mundus creatus fuit, iuxta illud Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Homo autem propter beatitudinem æternam fuit à Deo efformatus, & introitus ad gloriam æternam fuit per peccatum Adæ impeditus & occlusus. Igitur nisi SS. Deipara, & eius Filius impedimenta hæc remouissent, tanto malo efficax remedium afferendo, exules perpetuò remansissemus. Hac de causa Dei Filius, vt nos ab æterno seruitutis iugo reuocaret, nasci voluit pauperrimus, & in præsepio reclinari? vbi cùm natum IESVM in stabulo contemplor, non possum non vehementer admirari. Dic mihi obsecro ô Ioseph, Bethlehemi incola, ex regia Dauidis stirpe haud ignota propago, itane difficile tibi fuit, à conciuibus, à propinquis Virgini parituræ locum obtinere? Minimè equidem: sed ipsamet virgo huiusmodi hospitium elegit; vt non solùm pauperculis pastoribus, sed & iumentis mysticis IESVM offerret. *Peperit*, inquit, Euangelista, *Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Lucæ 2. In præsepio ô Virgo collocas Saluatorem, quem virgineis posses vlnis retinere? mox deturbas, quem plorantem deberes dulcissimo lacte potare? Quid causæ? Deiparam tàm citò puerum in præsepium reclinasse? Aderant iumenta, mystici peccatores; ideo

Pſal. 8.

Lucæ 2.

res; ideo incunctanter MARIA ex A vlnis, & vberibus in præsepe deturbauit. Sic discurrit Sanctus Athanasius. S. Athan. *Fortasse*, ait, *ob istum pullum hominem IESVS in præsepe reclinatus fuit à MARIA. Alioqui verisimile non est, Ioſephum virum nobilem, & è regia stirpe oriundum; qui filius Dauidis appellatus est, locum in diuersorio, aut alibi mansionem obtinere non potuisse.*

Ergo festinanter accurrite peccatores, & IESVM de manibus Virginis accipite in vlnas vestras cum Simeone. Sed quia ad Deum infantem non patet aditus, nisi iustis, nisi sanctis, nisi timoratis; purificate priùs vestras conscientias ab omni inquinamento peccati, vindicate de manibus hostium captiuam Patriam, eliberate pupillos & orphanos, iam dura famè miserè intereuntes. Et si hucusq; pauorem vobis incutiebat, iam nunc animati state viriliter, confortamini, & si vos amor Patriæ, liberi & coniuges nihil mouent, moueat saltem vastata Dei Ecclesia, conculcata sacramenta, blasphemijs C læsa Dei Maiestas, Virginitatis honore spoliata Dei Mater. Hac enim ratione cum Deo vestro pacificari, & multum de eo mereri poteritis. venerat olim Arca Dei in manus 1. Reg. 4. Philistim. 1. Reg. 4. *Arca Dei capta est, duo quoq; filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.* Mouet hoc loco Abulensis quæstionem. An rationabiliter dici possit, quòd isti filij Heli æternaliter perierint, aut salui facti sint. Quippe fuerunt viri pessimi, circa cæremonias delinquentes, totum D Israèl facientes delicto maculari, propter quos maledictio Dei super domum Heli in sempiternum inducta est. Nihilominus probabiliter opinatur citatus Author, eos salutem æternam consecutos esse. *Quia*, in- Abulensis. quit, *videntur mortui in actu virtuoso, scilicet; in custodia Arcæ.* Si ergo impuris filijs Heli est aliqua spes salutis, qui in typicæ Arcæ protectione è vita rapti sunt. Quid illi, quos vera Arca protegit, si vsq; ad obitum in Idem. MARIÆ obsequio persistant? *Consecuti igitur illi salutem, quia non fugerunt relinquentes arcam.* addit Abulensis. Sed longè est maior Deiparæ pietas erga illos, qui non recedunt, qui non fugiunt ab obsequio eius, sed ad obitum vsque Arcam arcanorum cælestium venerantur, vt impetrans à Deo illis pœnitentiæ occasionem, eos ab æterno exitio eripiat. Hoc voluit indicare Saluator noster, qui peccatoris personam gerens, iam iam animam oblaturus dixerat: *Pater in manus tuas commendo Spiritum* Ioan. 19. *meum.* Ioan. 19. Et ne videretur Patrem inuocans, à materno nomine aliquid detrahere: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Quasi edoceret peccatores, ad Matrem recurrere, inquit Hugo Cardinalis: *Per ipsam* Hugo. *veniam petite, ipsa est oraculum misericordiæ.* imò fons omnis miserationis.

Contemplemini fontem illum paradisi, quid de illo dicat Sacra pagina. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison, ipse est, qui* C *circuit omnem terram Heuilath. Nomen secundi Geon, ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen tertij Tygris, ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus ipse est Euphrates.* Gen. 2. Gen. 2. Vbi Venerabilis Beda per hunc fluuium, seu fontem magnum, vult significari B. Virginem MARIAM. *Phison* (inquit de Hebraicis significationibus) *os pupillæ, Geon pectus, Tygris velocitatem, Euphrates pulueulentum significat.* Idem sentit Rupertus. Beda. Rupertus. Quid causæ? de tribus primis flumi- D nibus adnotatur, quam irrigent regionem, quo termino eorum decursus circumscribatur; de Euphratis verò commeatione nihil apponitur. Dicam quod sentio: quatuor hæc flumina è Mariano fonte procedentia, misericordiæ Virgineæ latitudinem, sublimitatem, profunditatem, & longitudinem exprimunt. *Phison est os pupillæ.* & ideo repræsentat oculos Deiparæ, instar oris clamantes, vt Deus peccatoribus ignoscat? Hæc est latitudo misericordiæ Virginis, quæ non solùm terram Heuilath, sed mun-

mundum vniuersum circumit. Quis enim est adeò infelix, qui in summis miserijs constitutus, ex isto fonte Mariano non hauriat misericordiam, dummodò supplex accurrere velit. *Geon* iuxta moralisationem Bedæ, pectoris locum tenet, præseferens MARIÆ pectus charitate feruens, Æthiopiam nigram & ardentem, scilicet; adustam libidinis æstu peccatorum conscientiam irrigans, & exolutis mortalitatis exuuijs, in cruciatibus purgatorij detentas animas mirificè refrigerans. Nam profunditas misericordiæ virginis purgatorij flammas extinguit, infernarum sedium, vbi Patres morabantur, tenebras fugat, dum ventris sacri fructus Tartareos Principes debellat. *Tygris* velocitatem MARIÆ ad cælos ascendentem, sublimitatemq; pietatis eius, ad Assyrios, id est ad peccatores subleuandos propensam indicat. Quid tandem Euphrates haud terminabilis & puluerulentus? nunquid MARIÆ aliqua cum puluere coniunctio? Reuera per hunc misericordia specialissima circa moribundos ad natiuum puluerem decurrentes innuitur. Eapropter ergo fluuius hic, nullo termino circumscribitur: quia longitudo pietatis Marianæ, vsq; ad diem nouissimum terminari non potest. Hæc est mens D. Bernardi Serm. 4. de Assumptione. *Quis*, ait, *misericordia tuæ o Virgo longitudinem, sublimitatem, & profunditatem queat inuestigare? latitudo eius replet orbem terrarum.* Ecce Phison circuiens terram. *Sublimitas eius ciuitatis superna inuenit restaurationem.* Ecce Tygris vadens contra Assyrios? *Redemptio eius affulget sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis.* Ecce Geon irrigans Æthiopiam? *Longitudo eius vsq; in diem nouissimum subuenit vniuersis inuocantibus eam.* En Euphratem interminabilem? Hinc meritò Hilarius super Matthæum exclamat: *Quantumcunq; peccato obnoxius fuerit homo, nunquàm in æternum peribit, si tantùm Mariæ deuotus fuerit.* Fateor non id quidem infallibile esse; plerumq; tamen accidit, hominem non perire, si *quantumcunq; fuerit peccato obnoxius, tantùm Mariæ deuotus fuerit.* hoc est; si toto eo tempore, quo peccatis obnoxius est, à Virginis obsequio non recesserit.

S. Bernar.

S. Hilarius.

Sed ad te iam redeo gemebunda Patria, quæ pondere peccatorum tuorum pressa, & ab hostibus conculcata, meritò hodie illam lamentabilem supplicationem, per Matrem misericordiæ miseranti Deo porrigis, quam Hieremias quondam vastatâ Ierosolymâ Deo offerebat. Thren. 5. *Recordare Domine, quid accidерit nobis: intuere & respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absq; Patre, matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecuniâ bibimus, ligna nostra pretio comparauimus. Ceruicibus nostris minabamur, & lassis non dabatur requies.* Quasi diceret Propheta: Fateor ea, quæ iustè patimur, esse peccatorum nostrorum flagella. Sed tu ô Domine respice non culpam nostram; verùm pœnam quâ affligimur. Non attendas ad peccata nostra, quibus te delinquendo grauissimè offendimus, sed conuerte misericordes oculos tuos ad miserias nostras. *Et recordare quid acciderit nobis, hæreditas nostra versa est ad alienos, &c.* An non hæc tecum aguntur mœsta Patria, doles enim non solùm propter præsentia mala, quæ de facto sustines, sed etiam dolorem tuum augent mala, quæ nobis futura, & imminentia minantur, & quæ singulis momentis iam iam nobis infligenda timemus. Vix vnum ærumnosum laborem euadimus, & illico afflictis noua additur afflictio. Vix dum tributum vnum cessat, quin extemplò aliud succedat; vnum vectigal alteri succedens nos opprimit. Igitur ne penitùs deficiamus, in purificatione Augustæ Virginis, purificatis mentibus prosternamur ante Dei maiestatem, & mediante Dei Genitrice, imploremus auxilium, postulemus Dei commisera-

Thren. 5.

rationem, & ex tantis malis eliberari quantocyus ardentissimis votis flagitemus.

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Postquàm impleti sunt dies purgationis eius.

B. Virgo ex profunda humilitate, & summa obedientia, legem purificationis adimpleuit; tum vt discordantes pacificaret.

OBstupesco prorsùs, dùm insolitum quendam Dei immensi, cum fideli Abrahamo procedendi modum considero. Nondùm satis gauisus erat Abraham, filio de diuina promissione accepto, cùm statim filius, quasi ad tàm breuem iucunditatis morulam commodatus, repeteretur à patre, Deo in holocaustum offerendus. Genesis 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & offeres eum in holocaustum.* Quid tunc Abraham? celeri pede senex per montium cliuosa perrexit, altare composuit, ligna struxit, filium arripuit, & aris imposuit sacrificandum Deo. Equidem opus ab animo dissidere videtur: si enim dilectus adeò filius erat Isaac, vbi patris luctus? cur nec frontem contristauit, nec pectus ferijt? Quoniam Agar, præ dura siti morientem in solitudine filium spectans, mœrore oppressa, tristissimas in lachrymas effundebatur: *Leuauit vocem suam, & fleuit.* Genesis 21. Quia nimirùm dolebat vehementer, iuuenē in ætate floridâ ardore consumi, & vndarum inopiâ premi. Fleuit mater durissima morte delicias suas vrgeri inopinatò, nec ad suprema decedentis oscula doloris vehementia permisit appropinquare. Si ergo Agar imminentem pignoris casum, ita dolenter planxit, & copiosas lachrymas fudit, cur eas Abraham fundere noluit? Ane aut stupiditatem causaretur natura, aut non patrem, sed hostem criminaretur fallacia. Ne miremini: quia videbat filium consentientem diuinæ, & suæ voluntati, vt ait Zeno Veronen. Serm. 1. de Abraham. *Vno*, inquit, *voto, vna deuotione, diligenter geritur, quod ab altero celebratur.* Obediens erat Abraham, obediens & Isaac: ille præcepto diuino sanguinem suum postponit, hic propriam vitam; ideò in tàm spontaneo sacrificio, dolor locum non habuit, B pergit Zeno. *Non contristauit frontem deuotissimus Abraham, nec dolor patri lachrymas persuasit.* Quid Abraham, nisi virginem MARIAM? quid consentiens cum Patre Isaac, nisi Christum figurabat? Abijt cum Isaaco Abrahamus in montem, illum Deo oblaturus; hodiè pariter abit Maria cum IESV in templum, IESVM Deo sacratura. Isaac inijciebatur aris, & IESVS hodiè sistitur aris: Isaac in aris positus, patri exhibebatur simillimus, vt dicit Zeno. *Securus erat de* C *fide generis sui pater, vt senis parentis virtutes, nascerentur in filij annis iuuenilibus.* IESVS quoq; in templo positus, dùm patri Deo sistitur, ita similis eidem apparet, vt magnus Deus noscatur in corpore pusillo. vt fatetur D. Cyrillus Hierosolymitanus, oratione de IESV occursu, & Simeone: *Omnis*, inquit, *lingua gloriosè prædicat, puerum ante dies quidem quadraginta natum, Deum autem æternum: puerum paruum, sed antiquum dierum: puerum luctantem, sed sæculo-* D *rum effectorem.* O mira res! nec virgo mater, nec IESVS filius, lege tenebantur; ad obsequij tamen redundantiam, vterq; pariter legem adimplet, ne filij obedientiæ non debitæ, obedientiæ studiosissima mater, vllo modo deesset. De hoc indebito filij obsequio, Cyrillus Ierosolymitanus ita discurrit: *ipse* inquit *puer Iesus offerens, quid, ipse suscipiat hostiam: ipse lex, quid, hodiè legi subijcitur.* En ille Deus, qui in monte Sinai legem scripsit, legis ipse reus esse voluit, vt esset implendæ legis viuum exem-

Zeno Veronensis.

Idem.

Oblatio Isaaci cum Christo confertur.

Zeno Veronensis.

S. Cyrillus Hierosolymitanus.

Idem qui supra.

exemplar: *ipse lex, quiq; hodiè legi subijcitur.* quorsum hæc implendæ legis hyperbole, quæ & matrem virginem, & filium Deum, deuenustare forsan videbuntur? nimirùm, quia Christus Deus, venerat salutem afferre Iudæis, qui sub lege erant; & Gentibus, qui sine lege viuebant: ideò ipse legis obsequio prorsùs exemptus, indebito legis obsequio, legis defectum adimplet. Quemadmodùm eleganter discurrit Leo Augustus, oratione 4. *Ecce*, inquit, *Deus puer factus est, ac sub lege viuit, vt tum ijs, qui sub lege sunt, auxilietur, adimplens legis defectum! tum gentibus, sine lege viuentibus, bonitatis suæ diuitias ostendat.* Supplet profectò defectum non obseruandæ legis Mosaicæ, supplet quoq; necessitatem seruandæ legis, dùm ipse lege exemptus publicatur: quia de obsequij studiosissima matre, obedientiæ superstudiosus infans, Deus natus est. Quoniam igitur Virgo Deipara, lege purificationis non tenebatur, ideò inuestigabimus causas, cur istam legem voluit adimplere.

Christus propter Iudæos & gentiles legis defectum indebito obsequio impleuit.

S. Leo.

Tres potissimùm causas reperio, propter quas B. Virgo purificationis legem adimpletura, venit in templum. Imprimis profundam humilitatem, vt se humili IESV conformaret. Hanc assignat Doctor Angelicus 3. p. q. 38. art. 4. *Sicut*, inquit, *plenitudo gratiæ à Christo deriuatur in matrem; ita decuit, vt mater humilitati conformaretur.* Sicut ergò Christus ex summa humilitate, in templo præsentari voluit, vt ostenderet, se non ad soluendam, sed ad implendam legem venisse. Ita Virgo mater, ne legem contempsisse videretur, & occasionem de suâ illibata virginitate, procaciter obloquendi præberet, cùm ignotum esset, eam de Spiritu Sancto concepisse, & peperisse, qui autem consuetudinem legis non seruat, legis rigorem debilitat; ideò purificari voluit, vt cum humili IESV, omnimodè concordaret. Tanta quippè erat inter IESVM & MARIAM collA ligatio, vt vtriusq; perfectiones mutuò commiscerentur. De Incarnato Dei Filio, profert Scriptura sacra Sapien. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Hæc duo elogia, à lucis splendore, & imagine bonitatis, seu gratiosæ formæ diuinæ mutuata, pariter Virgini Deiparæ, tribuit Ioannes Geometra, sic eam alloquens. *Gaude Virgo abdens Seraphinum lumen, vt almus Sol lucem sideream obtenebrat.* Statimq; de imagiB ne diuina subdit: *Gaude Virgo decus naturæ, pulchraq; imago, quæ summi genium continet Artificis.* Quasi diceret: Natura diffamata hactenùs erat, tanquàm filiorum nouerca, potiùs, quàm mater; MARIA verò, ita pulchra animo, & corpore efformata est, à Deo opifice, vt præclustre naturæ decus exstiterit, & de agnata deformitate vindicias egerit, adeò, vt dicatur, *imago bonitatis Dei, hoc est, forma gratiæ illius.* Pulchra imago, quæ summi genium continet Artificis, C quia increatam sapientiam, rerum opificem, in virgineis suis visceribus continuit. Quia summi Artificis ingenium, artem, artisq; peritiam continet, vt quasi exhaustis ad vlteriorem pulchritudinis gratiam viribus omnipotentiæ, non possit meliorem ac præstantiorem sibi matrem efformare. Ita vt cùm Dei Filius esset ipsa pulchritudo, à Virgine tamen matre, pulchritudinem mutuare voluerit, teste sacra pagina, Canti. 5. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulD cherrima mulierum?* vbi virgo MARIA, tempestiuè tunc *pulcherrima* mulierũ appellatur, cùm Christi filij sui pulchritudo eximia, & species deiformis prædicanda erat. Quia ipsa fuit & pulchra, & pulchripara, à qua filius pulchritudinem mutuauit. Nam sicut filius in Patre Deo, ita etiam in virgine matre, bellissimè pulchrescit. vt eleganter discurrit S. Bonauentura, in citatum locum. *Qualis est*, inquit, *dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? Ecce quàm pulcher fructus: pulcher in cœlis, pulcher in terris, pulcher*

Sapien. 7.

Ioannes Geometra.

Dei Filius à Virgine matre pulchritudinẽ mutuauit.

Cantic. 5.

S. Bonau.

B. Virgo ex humilitate legem purificationis impleuit.

S. Thom.

pulcher in Patre verbum, pulcher in Matre caro & verbum. Quasi diuinâ, ac humanâ pulchritudine, Deus homo in virgine matre venustissima pulchrescat. Parum equidem videbatur Dei filio, in se duntaxat pulchrum esse, nisi etiam exambiret in matre mulierum pulcherrimâ, gloriosè pulchrescere; ac si Christi pulchritudo sit à Deipara, & per Deiparam, sed & virgini matri, parum erat in se humilem esse, nisi etiam à filio humilitas in eam refunderetur.

Feruenter concionante Christo, & acriùs Phariſæorum malitiam increpante, sublimem eius doctrinam, & eximias eius virtutes admirata, quædam mulier de turba, extollens vocem dixit illi: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Lucæ 11. Quasi diceret: Adeò magnus, diuinus, & beatus es ô IESV vt propter te, beata quoq; sit mater, quæ te genuit, & lactauit. Ita, vt propter hanc maternitatem, maximam laudem virgini attribuat Methodius orat. in Hypapantem: *Tu*, inquit, *cuncta continentis, & comprehendentis comprehensio, tu illius gestatrix es, qui verbo suo porcat vniuersa. Tu purissimo lacte expetitam ei alimoniam præbes, qui vniuersa vbertim pascit, ac nutrit: indeq; dignè bearis.* Pulchrè hac de re loquitur S. Cyprianus tract. de Natiuitate Christi. *Paruulus*, inquit, *sugens vbera pura, alimoniâ vtebatur, & fons sacri pectoris defæcatum edulium, ori mundissimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant, eratq; vtrinq; mira iucunditas, cùm pia Sanctæ Matris, & deuota humilitas, & Sancti Sanctorum immensa benignitas, confœderatis affectibus, mergerentur.* Verè immensa infantis Dei benignitas, qui de mendicitatibus materni vberis, alimoniam lambere experijt, quò humanum genus, suo in cruce effuso sanguine, saginaret copiosa redemptione, & Eucharistico cibo vberiùs pasceret. Sed vt quid hanc immensam lactentis paruuli benignitatem, cum Beatæ Deiparæ glorioſa humilitate componit, ac miscet? Eam credo ob causam, quòd nihil in lactante Virgine sublimius, augustiusq; superemineat, quod possit cum benignitate Dei Filij digniùs conferri, quàm Virginis Matris in tanta celsitudine depressior humilitas. O quàm benè fœderantur Virginis Matris humilitas, & Filij Dei immensa benignitas! cùm vtraque sic alterutram æmuletur, vt idoneè misceri, & mergi possint.

Profundam hanc humilitatem, sat superque ostendit Beata Virgo, quandò illibatæ suæ virginitati, diuinam maternitatem per Angelum oblatam audiens: *Ecce concipies, & paries filium.* Lucæ 1. Verbi Incarnationi in suo vtero, & ex suis visceribus peragendæ, annuens respondit: *Eccce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Agnoscite summam Virginis humilitatem, Mater Dei ab Angelo salutata erat, eius tamen se ancillam, non matrem nuncupauit. Et ideò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Pulchrè D. Bernardus Serm. 1. in Vigil. Natiuit. *Angelus*, inquit, *nuntiat, virtus obumbrat, superuenit Spiritus, Virgo credit, fide concipit, Virgo parturit, Virgo permanet.* Parce ô magne Doctor, non solâ fide, sed humilitate simul Virgo Dei Filium concepit: virgineâ enim humilitate, in tantùm Deo placuit, vt hac eius verbum conciperet. Hæc est mens Sancti Ildefonsi, Serm. 2. de Assumpt. *Beata*, inquit, *Virgo humiliat se in cunctis, vt totam in se suscipiat gratiam conditoris.* Nam quæ humilitate Deum genuit, & in suis visceribus Deum sibi corporalem fecit, humilitate quoq; omnes gratias, tantæ gratiæ consequentias susceptit. Humilitas ergò omnium gratiarum, quæ in B. Virgine copiosè exundant, receptaculum fuit, ac fertile seminarium. Vt meritò exclamet Deipara. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Lucæ 1. Quasi diceret: Magnifico Deum, & in ipso exulto, quia ipse cum sit maximus, summusq; omnium Dominus, me hu-

Lucæ 11.

S. Methodius.

S. Cypria.

Lucæ 1.

S. Bernar.

Ildefonsus

Lucæ 1.

me humilem oculis benignitatis suæ respicere, & in matrem eligere dignatus est. At, cur non alias excellentes virtutes, quibus plena erat Virgo, sed solam humilitatem respexit, & ob hanc in Matrem elegit? ne miremini: quia apud Deum, nulla virtus tanti æstimatur, sicut humilitas, cùm hæc sola Deum homini infensum reconciliare valeat. Audite S. Augustinum, super citata verba philosophantem. *Bene ergò Maria, solam in humilitatem Deum respexisse testatur: quia diuinitatis propitiationem, quam humana natura, in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperauit.* Idcirco ergò præ alijs virtutibus, Deus in MARIA solam humilitatem respexit, quia diuinitatis propitiationem, quam humana natura, in primis parentibus per superbiam perdidit, MARIA per humilitatem recuperauit. Hinc idem D. August. Serm. 2. de Assumptione appositè subiungit: *O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas liberauit. Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras.* Sed quid mirum, diuinam propitiationem per humilitatem recuperatam esse? cùm sit omninm aliarum virtutum gratia, ornamentum, & consummatio. Fuit in Beata Deipara omnium virtutum concursus, & aspectabile omnium sanctitatum theatrum; solam tamen in illa Deus humilitatem respexit, hoc est, approbauit, eò, quòd reliquarum virtutum sit decus, illasq; ad placendi gratiam venustissimè exornet. Pulchrè hoc perstringit Basilius Seleuciensis orat. 28. *Omnibus*, inquit, *humilitatis ornamentum conuenit, eo comite continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, & iustitia purgatior, & verior misericordiæ fructus. Ideò primates sanctorum, dignitatem aliquam super naturam consecuti, tunc vel maximè humilitatem respiciunt.* Proindè etiam & Deus, vel maximè MARIÆ



Humilitate nulla virtus pluris apud Deum æstimatur.

S. August.

Idem qui supra.

S. Basilius.

A Virginis humilitatem respexisse dicitur, vt eam ad sum̃am diuinæ maternitatis dignitatem eueheret, propterea, quòd humilitas sit reliquarum virtutum decus, & sanctitatum omnium ornamentum: adeò vt non tàm in acquirendis denuò virtutibus, quàm in consum̃andis laudem ponat. Placuit quidem Virgo ex virginitate, sed tamen ex humilitate concepit: quia ad Dei maternitatem, quæ Deum Filium sibi similem, ipsa Deo etiam quàm simillima, erat B conceptura & paritura, inter omnes virtutes, humilitas potissimùm requirebatur. Hinc meritò Tertullianus lib. de Velan. Virg. cap. 13. de virginibus in vniuersum protulit: *Gloria illicita est eis, quarum probatio, in omni humili actione constat.* Quasi diceret: eæ, quæ ad summam dignitatem sponsarum Christi euehuntur, ex humilitate præcipuè, an sponsi thalamo censeantur idoneæ, probandæ sunt.

Tertullia.

Suam coram Deo perfectionem C declaraturus Dauid dicebat: *Domine non est exaltatum cor meum, neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me.* Psal. 103. Pro his vltimis verbis, in Hebræo habetur: *in magnitudinibus*: Symmachus, & Theodoretus legunt, *in magnificentijs.* Hugo cum alijs exponit, *cum magnatibus, & pomposa societate, atq; comitatu.* Quasi Propheta exprimere vellet, cum mihi duæ occurrant viæ, quas ingrediar, vna nimirùm humilitatis; altera elationis, ideò qui olim tenuis D pastor fui, modò autem sum Rex sublimis, solam humilitatis viam, quâ indesinenter incedam, amplecti proposui, neq; in magnis & mirabilibus ambulare volui. Sic exponit Zeno Veronen. in Psalmo 130. *Vnctus*, inquit, *in Regem, spiratus in vatem, non insolescit in regno, obumbrat neminem. Prophetæ terrore, mitem humilemq; retinet vbiq; pastorem.* An non potiori iure hæc Deiparæ seruiunt? Quid enim aliud erat dicere: *respexit humilitatem meam*; nisi dicere: *Domine non est exaltatum cor meum; neq; elati*

Psal. 130.

Sym̃achus.

S. Zeno Veronen.

elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me. Hoc est, cum magnatibus, & pomposa societate, ac splendido comitatu; sed cum humilibus & abiectis. Ista consuetudo apud Iudæos ad hæc vsq; tempora seruatur, vt in Synagoga seorsim virgines, seorsim diuites, & seorsim pauperes hebrææ loca occupent. Venit Deipara ad templum Salomonis, & licet esset de illustri ac regiâ Dauidicâ prosapiâ, inclytos ac cœlestes progenitores habens, non diuites mulieres adijt, ne cùm humili vestitu ornata esset, illam exprobrationem audiret, vt quid nobis commisceris, Ioseph pauperis fabri coniunx. Non se inter virgines contulit, ne sibi diceretur, quid negotij inter nos habes, cùm virum & prolem habeas. Sed venit inter pauperes fœminas, & genibus flexis obtulit Domino par turturum, secundùm legis consuetudinem. Hoc est; carnem mundissimam, & mentem suam purissimam. Cùm enim Deipara Virgo, à felici suæ immaculatæ conceptionis auspicio, ita munda, ita pura semper exstiterit, & ab omnibus passionum fœcibus exempta, *vt caro mundissima, & mens purissima, Genitricem Domini singulariùs consecrarent.* Consecrarent inquam, tanquàm iugem & perpetuam immaculatæ puritatis victimam: Consecrarent, non modò tanquàm sacrificium Deo semper immolatum; sed tanquàm aliquod arcanæ puritatis singulare sacramentum, in quo sub vera extrinsecùs carnis specie, ex Adamo verè prognata, eadem quasi altera caro, medullitùs latebat præhaericatricis carnis exempta, notis à concupiscentiæ fomite, & subsultibus carnis appendicibus immunis. Ideò sub specie turturum, carnem illam suam mundissimam, quam operâ Spiritus Sancti, verbo æterno communicauerat, & virgineam puritatem, Angelicam longè superantem, Deo humiliter offerebat.

In Synagoga Iudæorum virgines, & diuites, & pauperes Hebrææ seorsim residebant.

B Virgo in templo Salomonis inter pauperes fœminas flectebat.

Quis hic in piam exstasim non rapietur? Scimus quidem legem hominibus impositam esse, offerendi hostias, & victimas, Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Quam victimam, seu sacrificium laudis Deo deuotè immolandum, aliqui votiuas preces intelligunt: alij sacratissimum Eucharistiæ sacrificium accipere malunt: alij deniq; confessionem peccatorum, quæ eorum veniam operatur, interpretantur. vnde Chaldæus Paraphrastes, allata scripturæ verba ita exponit: *Immola Deo compressionem concupiscentiæ*, quæ omni sacrificio, Deo gratior. Proindè appetitûs cœrcitio, & compressio concupiscentiæ, est ad instar sacrificij, toties Deo sacrificans, quoties cupiditatis motus frenat, & gubernatrici rationi obsequenter subijcit. Quasi eiusmodi concupiscentiæ imperiosa compressio, hominem tanquàm laudis hostiam, Deo victimet, immolet, consecret. Ad huius ergò sacrificij immolationem, homines in peccato concepti, & geniti, qui concupiscentiæ inordinatione acriùs ad vitia impelluntur, iuremeritò excitat Propheta Domini; Beatam autem virginem, quæ ab huiusmodi inordinatione concupiscentiæ, omninò exempta fuit, quid ad immolandam suam puritatem impulit? Equidem sola ineffabilis humilitas, quòd se creaturam Dei agnosceret, & ideò etiam in indebita purificatione summè humilis apparere voluit, sciens probè, per humilitatem, sublimem reddi animam. vt docet S. Hilarius inquiens: *tenendus ergò humilitatis & altitudinis modus est, vt corde humiles, sensu verò & animo simus excelsi.* Quocirca & tu ô homo, qui Dei etiam proles & filius diceris, dignè ambula vocatione, quâ vocatus es, idipsum enim perficies, si non ambulaueris in magnis, neq; in mirabilibus super te. Hoc consilium dat nobis D. Paulus ad Ephes. 4. *Obsecro itaq; vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis cum omni humilitate.* Ergo ille pro dignitate ambulat, qui cum humilitate ambulat, nec am-

Psal. 49.

S. Hilari.

Ephes. 4.

nec ambulat in magnitudinibus, & magnificentijs ſuper ſe.

Alteram cauſam, cur Beata virgo purificari voluit, inuenio promptitudinem ad obſequendum in omnibus diuinæ voluntati, vt hoc ſuo facto, exemplum nobis obedientiæ præberet. Hinc Guarricus Abbas Serm. 3. de Aſſumptione, MARIAM geminato titulo Dei matrem vocat, ſic loquens: *Itaq; Mariam, quæ ſecundùm carnem mater erat, alia quoq; ratione matrem ſibi Ieſus probat, dicens: Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.* Mater proindè Dei eſt Virgo MARIA, & ſecundùm carnem, quia illum, incorporatum genuit: & ſecundùm obedientiam, quia diuinæ voluntati ad nutum in omnibus paruit. Quam indicibilem virginis obedientiam, pulchrè Deus expreſſit, per Iſaiam Prophetam loquens: *Vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur.* Iſaiæ 62. Quæ verba Haymo & Hugo ita exponunt: *Vocaberis voluntas mea.* Palam faciens Deus, virginem MARIAM ſemper voluntati ſuæ obedientem, eamq; promptè exequentem fuiſſe. vnde Richardus à S. Laurentio, citata Iſaiæ verba, Deiparæ accommodans, ita exponit: *Vocaberis voluntas mea in ea: & terra tua inhabitabitur*, id eſt, caro tua fæcundabitur Chriſto, eam inhabitante. Quaſi diceret Deus: vocaberis, id eſt, eris, vt iure vocari poſſis, voluntas mea in te ô mater Virgo, & inde terra tua, id eſt vterus tuus habitabitur, quia fæcundabitur mea in te corporatione. Tu enim obedientiâ mihi placuiſti, & obedientiâ concepiſti, adeò meæ voluntati ac beneplacito ſemper prompta, atque in omnibus ad nutũ obſequens, vt poſſis appellari, *voluntas mea in te.* Diſcurſum non contemnendũ mouet Georgius Nicomedien. Ser. 8. in S. MARIAM aſſiſtentem cruci, cur B. Deipara amore filij æſtuans, à longè tempore paſſionis ſteterit, propiùs patienti in cruce Filio non appropinquans? & cauſam affert, ne à conſueta obedientia recederent. *Non acceſſit* ait, *propiùs; ne quid præter morientis voluntatem faceret.* Parcebat ergò tunc amori Virgo, ne quid obedientiæ parceret. Ita enim ſtudebat Deipara voluntati Filij in omnibus exequendæ ſemper, vt nihil præter filij voluntatem facere vnquàm præſumeret. Amoris intermittebat officia, vt omnia ſecundùm ipſius voluntatem faceret.

Guarricus Abbas.

B. Virgo dupliciter Mater Chriſti.

Iſaiæ 62.

Haymo.

Richardus.

B. Virgo tempore paſſionis Chriſti à longè ſtabat.

Georgius Nicomed.

De incarnati verbi in terras aduentu, eiuſq; primo in hunc mundum ingreſſu, dicebat olim ſponſa Canti. 2. *En iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Arcanum ſcrutemini: cur capreæ potius, quàm hædo, aut hirco ſimilis Chriſtus dicitur. credo, vt diuiniſſimus Spiritus alluderet ad peculiarem capreæ proprietatem, quæ præter omnium animantium naturam, auribus, non naribus ſpirare dicitur, teſte Plinio lib. 8. Cap. 5. vt autem quid myſterij id præſeferat, aperiam, duo obſeruo. Primum, humanam vitam in Spiritu, ſeu in ſpiratione narium computari. Sic enim de vita à Deo homini inſpiratâ dicitur Gen. 2. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* in hebræo autem legitur: *inſpirauit in nares*, & Iob 27. *Donec*, inquit, *ſupereſt halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis.* Alterum, quòd aures obedientiam deſignent, vnde Deus ad intelligentiam rerum ſupernarum excitans animam humanam, maximè in illa aures pronas requirit. Pſal. 44. *Audi filiâ & vide, & inclina aurem tuam.* Chriſtus itaq; ſimilis capreæ dicitur, quæ auribus ſpirat, ad inſinuandum, ipſum non priùs vitam; quàm obedientiam accepiſſe, à primoq; ſtatim viuendi inſtanti, ſe Patri obſequentiſſimum exhibuiſſe. Proindè viuere, & obedire, in Chriſto, pro eodem ſumuntur, cùm non minus illi chara fuerit obedientia, atq; vita. Hoc indicare voluit Chriſtus, primò mundum ingreſſus, illa verba proferens: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis*

Cantic. 2.

Capreæ auribus ſpirat.

Geneſis 2.

Iob 27.

Pſal. 44.

Pſal. 39.

cordis mei. Psal. 39. Vbi Patris præceptum, in medio cordis se infixum habere protulit, vt ostenderet se ab ipso non secus, quàm à corde, quod vitæ principium est, viuendi initium, vitamq; ipsam indesinenter haurire. En quomodò Christus à primo statim vitæ instanti obedire cœpit, nec desijt vsque ad vltimam vitæ periodum, Auctore Tertulliano: *Vociferabatur ad Patrem, vt & moriens vltima voce prophetias adimpleret, vltimumq; etiam viuendi instans in obedientia consummaret.* Nimirum, vt primitùs ingrediens in mundum, vitæ spiritum obediendo hausit, ita ipsum è vita discessurus, obediendo emisit.

Tertullia.

Ergonè iam cum Christo moriente, expirauit ipsius obedientia? minimè sanè: nam ad nostri institutionem, non ad mortem solùm, sed ad extremum vsq; iudicij diem, quando regiâ ornatus maiestate mundum iudicaturus veniet, obediens permanere dicitur. Ioan. 5. *Non possum à meipso facere quidquam, sicut audio, iudico.* Quid dicis Incarnata Sapientia, ergonè iam thronum tuum, illâ præeminenti sublimitate exinanies? quàm tibi Pater æternus obtulit, loquens: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificemus Filium.* Si omne iudicium tibi concessum, quomodò à temetipso non potes quidquam facere? Respondet ipsemet loco citato. *Et iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Quasi diceret: Imo verò tota iudicij; à me exercendi sublimitas atq; gloria, in eo cardine vertitur, quòd ad paternam voluntatem me conformem, neq; obedientiæ amor, à meo vnquàm animo discedat. Pulchrè hac de re loquitur S. Gregorius Magnus lib. 25. Moral. cap. 10. *Si sicut audit, iudicat; tunc quoq; obedit, cùm iudex venit. Ne igitur nobis, vsq; ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa, appareat, Redemptor noster indicat, quia hanc etiam cum Iudex venerit, seruat.* statimq; infert: *Quid ergo mirum, si homo peccator, se obedientiæ in præsentis vitæ breuitate subijciat, quando hanc mediator Dei & hominum, & cùm obedientes remunerat, non relinquit.* En præclarum obedientiæ modum, quo patris voluntatem perficit, dum in eius sensu (quia verbum est, & sapientia, quæ arcana Dei perscrutatur) illius voluntatem deprehendens, quidquid ipsi gratum nouit, summa alacritate perfecit, ad ipsius nutum semper paratus, atq; expeditus, *factus obediens vsq; ad mortem.* Ad hanc perfectissimam Christi obedientiam, Virgo eius Mater, se plenè conformare voluit Cantic. 4. inclamans: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem turris.* Quasi diceret, nullo licet adacta præcepto, nullo adstricta debito, vadam tamen ad templum Salomonis, non purificanda, sed potiùs intactam meam puritatem Deo oblatura, simulq; Filij mei profundam adimpletura voluntatem, cum perfecti obedientis sit, legis obligationem non scrutari, sed promptò animo exequi.

Ioan. 5.

Cantic. 4.

Tertiam tandem hodiernæ purificationis, in B. Virgine causam inuenio, vt discordantes pacificaret, eò quòd sit pacis & concordiæ studiosissima. Nam de illa dicitur Psalmo 75. *Et factus est in pace locus eius.* Quæ verba sic exponit Cassianus: *Non in conflictu certaminis, neq; in collusationibus vitiorum, locus Deo factus est, sed in castimoniæ pace, & in cordis tranquillitate perpetua.* Quia igitur Beata Virgo, in castimoniæ pace perpetua, & pacificâ concordiæ tranquillitate, locus Dei factus est, & Spiritus Sancti obumbratione, Deum pacis, ac Regem pacificum meruit generare; ideò nihil magis curabat, nisi vt hominem cum Deo pacificaret, & inter homines discordias componeret. Sciens optimè, Deum à discordantibus procul abesse, vt docet S. Hieronymus, citata Psalmi verba sic exponens: *Factum est in pace vmbraculum eius.* statimq; discursum mouet: *Non est,* inquit, *vmbraculum Domini, nisi vbi pax: vbi zelus; atq; discordia*

B. Virgo pacem & concordiã conciliat.

Psal. 75.

Cassianus.

S. Gregor.

S. Hieron.

ſcordia, ibi non eſt protector Deus: locus Dei non eſt, niſi in anima, quæ pacem habet. Mandauerat Deus Nòè, vt Arcam imminente diluuio, tempeſtiuè fabricaret. *Fac tibi Arcam de lignis læuigatis.* Gen. 6. Cumq; Nòè demandatum ſibi à Deo opus executus eſſet, ingreſſus eſt in Arcam, & filij eius, vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo, propter aquas diluuij, & inſuper omnia animalia, volatilia, & reptilia, vt fatetur Sacer textus: *De animantibus quoq; mundis, & immundis, de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram.* Cùm itaq; ex omni animantium genere, ad conſeruandas ſpecies in arcam concurrerent, mirum eſt, concordiam ibi tanto tempore fuiſſe ſeruatam. Vnde meritò quærit Alcuinus Interrogat. 119. in Geneſim, quomodò tunc beſtiæ carniuoræ, pacatiora, & imbecilliora non inuadebant, lacerabant, & in eſcas ſternebant? quomodo lupus agnis, accipiter inermibus auibus parcebat? vnde tàm inopinata concordia? vnde pacata eundi teſſera? vnde tàm diuturnæ ac inſperatæ amicum pacis fœdus, in tanta naturarum hoſtilitate? *Quid*, ait citatus Alcuinus. Auctor, *de pace & concordia, & vnde ſe non inuicem debellarent diuerſi generis animantia, ſentiendum eſt?* Et reſpondet in ſenſu myſtico: *Sicut* inquit, *Dei nutu adducebantur in Arcam; ita & Dei nutu conuerſabantur in Arca.* Quid aliud illa Arca, niſi Sanctiſſimam Virginem denotabat? omnes proindè, qui inteſtina animitùs hoſtilitate diſſident, lites & diſcordias excitant, bella pugnaciſſimè gerunt, dùm ad hanc Arcam, id eſt, ad Virginem MARIAM, pio recurrunt affectu, dùm in eius protectione velut in Arca Nòètica degunt, protinùs veteres exuunt, inimicitias, & amico fœdere vnanimes, aſſociantur mutuo pacis commercio. Quemadmodùm enim antequàm feræ truculentiores, & altilia carniuora, in Arcam intrarent, mutuò diſcerpebantur, & egreſſa ex Arca iterum feritatem reſumpſere. Ita planè, ante-

Alcuinus.

Arca figura B Virginis.

quàm homo Beatæ Virginis obſequio ſe mancipauerit, nil præter rabiem, & odia ſpirat; & ſi Virginis deuotionem ſemel amplexus, deſeruerit, iterùm inimicitias ſeminat, lites excitat, rapinas, cædes, & latrocinia exercet, in ipſam hominis imaginẽ, Dei immemor, atrociùs ſæuit. At verò dùm ſub Virginis tutela quieſcit, omnia ſancta & honeſta operatur, quia Deum in ſuo corde habet. ſiquidem locus Dei non eſt, niſi in anima, quæ pacem habet. Ergo per Virginem Sanctiſſimam, inter Deum ac homines pacificatio, & inter ipſos homines mutua fit concordia.

Hoc autem non aliter, niſi in ſua purificatione operari potuit. Quòd hac ratione deduco. Poſtquàm Beata Virgo, in puriſſimo ſuo vtero, Verbum Incarnatum concepit, ſtatim verba illa protulit Cantic. 8. *Ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens.* Cantic. 8. Arabicus emphaticè vertit: *Vnica pacis, vnica ſalutis.* In Hebræo textu, pro voce pacis, ponitur *Scalon.* à qua voce ſponſus, dictus eſt Salomon, ſeu pacificus; ſponſa verò dicta eſt *Sulamitis*, id eſt, *pacifica.* Vnde hoc innuere voluit Virgo Deipara, ex quo verus Salomon, ſeu pacificus, id eſt Chriſtus, qui pacem è cœlo inter Deum & homines detulit, me in ſuam matrem elegit, & in meo virginali vtero ineffabiliter corporatus eſt, facta ſum Sulamitis, ſeu pacifica, & pacis quaſi inuentrix. Ita enim loquentem Deiparam inducit Guilhelmus: *Mox*, inquit, *vt ex carne mea, verbum caro factum eſt, inueni & ſenſi me habere in vtero de Spiritu Sancto, & reperi in vtero meo quaſi pacem, nondùm quidem pacem, ſed quaſi pacem.* Guilhelm. Quid eſt, quòd B. Virgo Deo iam incarnato, & in vtero eius feliciter commorante, dixerit; ſe nondùm quidem pacem, quaſi pacem inueniſſe? Quid adhuc deerat, vt abſolutè pacem inuenerit? An plena & integrè conſummata mundi pax, non ſimul cum Incarnato Dei Filio, in Virginem deſcendit?

ita sanè: quandò enim Beata Deipara filium Dei concepit, solam pacis inchoationem obtinuit: quia deerat adhuc, vt natus filius à Matre in templo offerretur Deo patri, tanquàm hostia pacis. Ergo necesse erat, vt Deipara cum filio in templum Salomonis veniens, perfectam pacis consummationem obtineret, eamq; toti mundo negotiaretur, & dissidentes ad concordiam redigeret, quo plena pax hominibus per eam concederetur: vt proindè meritò dicat: *facta sum coram eo vnica pacis.* Vbi ergò simultates, discordiæ, & inimica voluntatum diuortia regnant, ibi non est Deus protector, non est Patrona Virgo. Qui enim abiurata pace in discordias malè degenerant, simul à Deiparæ clientelâ desciscunt, eosq; ita auersatur pulchræ pacis Mater, & discordiarum fastidiosa auersatrix, vt oculos suos ab illis auertat, nec pro suis clientibus agnoscere velit.

Quocirca & vos omnes exemplo Sanctissimæ Virginis, purificate A hodiè animas vestras, ne quid turpitudinis peccati in illis remaneat. Discite ex hac Virgine, humilitatem & obedientiam, quoniam turpe est eos superbè sapere, aut Dei præceptis recalcitrare, qui nomen Christianismo dederunt. Arripite mutuam charitatem, & concordiam, inimicè discordes, ne misericordes illos Deiparæ oculos, dissidijs effugiatis. Tu verò ô Augusta Virgo, inspira Regibus, Imperatoribus, Principibus, vt decori atq; honori sint Sacerdoti. B bus; hi verò sanctis precibus, & congruis subsidijs, sint illis idoneo robori, seq; mutuo foueant. Inspira perfectis ac consummatis viris, vt imperfectos tolerent, & illos sensim inducant, ne rixis tumultuentur. Inspira Magistratibus, ne insolescant in subditos; his verò, ne magistratibus reluctari, aut antistare ambiant, vt sic tota fidelium Respublica harmoniam seruet, dulcem concordiam fouendo.

DIE SANCTI MATTHIÆ APOSTOLI,

CONCIO PRIMA.

Venite omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Matthæi 11.*

Temporanea hominis refectio in hac vita, est iugum Christi.

MIrari forsan quispiam desinet, hominem in otium magis, quàm in laborem propendere: quia in aureæ libertatis cunabulis, in amæni paradisi aula delicatè enutritus creuit. Nec facilè obstupescet, non tantùm infidelem, verùm etiam christianam animam, acerbas tribulationes formidare; quia hæc in ipsis creata cælis, visis semèl interminatæ illius vitæ delicijs, cum magna difficultate postea, ad aspera onera & molestas C fatigationes in Christi campo sustinendas applicari & assuefieri solet. vnde non alitèr homo ad magnos labores, nisi per magna præmia allici solet. Quod pulchrè expressit Deus in Ioseph Patriarcha, quem vt faciliùs ad asperam & difficilem viam patientèr & indefesso animo decurrendam alliceret, ne aut à fratribus denudatus, & in cisternam veterem coniectus desperaret Gen. 37. aut Ismaèlitis venditus, & in Ægyptum relegatus, in incepto virtutum stadio de- Gen. 37.

dio deficeret; aut deniq́; ne in carcerem incluſus, & compedibus vinctus, animo penitùs caderet, ſceptrum regale in præmium illi propoſuit Deus. Pſalmo 109. num. 19.

Pſal. 109. *Donec*, inquit, *afferret illi ſceptrum Regni, & potentiam aduerſùs eos, qui eum deprimebant.* quaſi diceret Regius vates. Ne verearis per moleſtos laborum gradus ad certiſſimum honoris faſtigium aſcendere: Nam per carceris ſqualorem, ad Regni ſplendorem: per calamitatem, ad gloriam aſcenſus patuit Ioſepho. Nam inquit

Gen. 41. ſcriptura Gen. 41. n. 42. *Tulit Pharao annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuitq; eum ſtolâ byſſinâ, & collo torquem auream circumpoſuit, fecitq; eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum.* At cur tàm multa vni præmia cumulauit? vnica certè cauſa eſt, vt ſingula ſingulis laboribus reſponderent, ſic docet doctiſſimus Rupertus lib. 8. in Gen. cap. 40

Rupertus. *Pro compedibus*, inquit, *in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem auream ſuſcepit: pro pallio, quo in manu adultera relicto nudus effugit, ſtolâ byſſinâ Deo Iudice indutus eſt: pro ſeruili nomine, Regium geſtat annulum: pro illo deniq; probro, quo à fratribus in contemptum dictus erat ſomniator, in immenſum laudis cumulum à Pharaone, Saluator Ægypti proclamari iuſſus eſt.* Gen. 41. n. 45. quoniam igitur tàm felicitèr labores honoribus præludunt, & ad ardua quæq; præmijs mens humana allicitur. ideo & Chriſtus Dominus, prudentiſſimè, vt video, cæleſtibus refectionibus nos ad ſua trahit obſequia, quibus an omnes refici meremur, ediſſeram.

Neminem quidem Saluator noſter à ſuis delicatis refectionibus hodiè repellere videtur, quoniam ſub ſigno illo vniuerſali, laborantes ad ſe vocat, *venite*, inquit, *omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Si ergo omnes reficere deſiderat, reuera nullum repudiat? Sic eſt Catholici mei; quiſquis Chriſto laborat, epulo delicatiſſimo dignus eſt. Nam inquit Euangeliſta Lucæ 10. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* verùm quia non omnes in Chriſti laboribus fatigantur, non omnes etiam percipiunt refectionem: duos enim ſibi mortale genus propoſuit Dominos, quibus ſeruire & laborare poſſet, Deum & Mundum, ſed quia hæc duo extrema ſecùm omnimodè pugnantia ſunt, ideo repugnantem quoq́; mercedem ſeruis ſuis præbent, Deus ſuos ſeruos ſuauiſſimè reficit, mundus verò impios ſuos duriſſimè in laboribus non alleuiatis conſumit, ideoq́; Dei ſeruitus Regia quædam libertas eſt; Mundi verò ſeruitus crudeliſſima captiuitas, & miſera atq́; æterna oppreſſio. vt docet D. Ambro. lib. 7. in Lucam

Lucæ 10.

S. Ambro. *Miſera*, inquit, *ſeruitus, cui vagum iuſ eſt; plures enim dominos habet, qui vnum non habet.* quaſi diceret; qui non vni Deo ſeruit, ſed mundo; neceſſè eſt, vt pluribus vitijs tanquàm immaniſſimis quibuſdam Tyrannis ſubijciatur; & tamen ſic iam dementauit homines mundus, vt libentiùs mundo; quàm Chriſto ſeipſos conſecrent. fortaſſè ideo, quia mundus ſplendidè incedit; Chriſtus verò in paupere & lacera veſte progreditur. Sed non eſt hoc animæ donum, ſed vanitatis & temeritatis inuentum. quàmdiu enim ſericum induſtria curioſa non inuenit, eo vſq́; perizomatis contentus homo, beatam ſimplicitatem coluit. quàmdiu acu Phrygia depictas veſtes cupiditas non excogitauit, eò vſq́; conditione naturæ omnes homines pares viuebant, & eodem viliſſimo panno, & ſubditi, & Reges gloriabantur. verbo dicam? crimen hoc non naturale, ſed pœnale eſt; quod Deus ad humiliationem noſtram, & correctionem permiſit, vt in arroganti faſtu, & ſuperbo veſtium apparatu, omnibus exhauſtis opibus, humilitatem amplectamur. Facilius homo ſequitur mundum, quàm Chriſtum: quia in Chriſti palæſtra triſtis melancholia regnat, in domo mundi iucunda lætitia triumphat: in Chriſti Schola mæror, luctus, ſigna explicat, in mundi theatro dulcis cantus, &

omnis organorum concentus resonat. Christus abstinentiam; mundus luxuriam: Christus contritionem; mundus voluptatem concedit. ideò non mirum, quòd plures bacchanti mundo; quam delicias prohibenti Christo seipsos consecrent.

Verùm tales cum sint mancipia mundi, ad Christi refectiones non admittuntur; quia Christi proprius esse debet, quicunque ab illo refici desiderat; qualis fuit fidelis Dei seruus Dauid, qui in laudem tantùm Dei laborans, meritò ad Dominum clamabat: *Tuus sum ego*, inquit, *saluum me fac.* vbi D. Ambrosius Ser. 12. notat, hanc vocem facilem esse, & multorum videri; sed planè paucorum esse; *Satis rarus*, inquit, *est, qui possit dicere, Tuus sum ego.* Et imprimis homo sæcularis, non potest dicere; *Tuus sum ego*: plures enim Dominos habet; venit enim libido, & dicit, *meus es*: quia ea, quæ sunt corporis, concupiscis. venit auaritia, & dicit, *meus es*: quia argentum & aurum quod habes, seruitutis tuæ pretium est. venit luxuria, & dicit, *meus es*: quia vnius diei conuiuium, pretium tuæ vitæ est. venit ambitio, & dicit, planè *meus es*: an nescis quòd ideò alijs te imperare fecerim, vt mihi ipse seruires; nescis, quòd ideò potestatē tibi in alios contuli, vt meæ te subijcerem potestati: veniunt dæmùm omnia vitia, & dicunt, *noster es*: quam ergo vile mancipium est homo mundo seruiens? quem tot sibi vitia vendicant, & adscribunt seruum. Sed quid est? solus nè sæcularis non potest dicere, *Tuus sum ego*: vereor, ne & personæ spirituales, ab hac perfectione iactandâ secludantur? & dùm singuli dicunt: *Tuus sum ego*, audiant à diabolo sibi vicissim exprobrante & dicente; meus es tu. Ecce enim Iudas, qui non modò vniuersali fidelium Ecclesiâ, sed etiam peculiari Apostolorū collegio tenebatur, dùm se fastuosè Christi Domini seruum iactaret, & omnia in manu eius ad dispensandum posita essent, protinùs à dæmone tanquàm vile mancipium captus, & freno æternæ damnationis constrictus, humili Matthiæ, loco cedere debuit. Dicit enim D. Ambrosius Serm. 12. *Venit, & introiuit in eum Sathanas, & capit dicere, non est tuus Iesu, sed meus est; Ea, quæ mea sunt cogitat, quæ mea sunt, in pectore suo voluit: Tecum epulatur, & mecùm pascitur: à te panem accipit, à me pecuniam: Tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit. Tuus igitur Apostolus est, & meus mercenarius.* O quam multos à vero Domino Christo Iesv, vitia mundi his temporibus abstrahunt, vt infelicem Judam imitati, innumeris potiùs vitijs subijci malint, quàm vni Deo.

S. Ambro.

Sed quàm acerba seruitus, si quis seipsum totum vitijs dederit: quoniam, & vilissimus hominis seruus, aliquando à labore feriatur; peccati autem seruus nusquàm quiescere potest, teste D. Ambrosio libro de Nabuchodonosore cap. 6. *Qui seruit*, inquit, *in peccato, semper in laqueis, semper in vinculis est, nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus: hæc misera seruitus, naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut cibi fungitur suauitate.* Quod confirmat illud Sapientis oraculum Eccl. 5. n. 11. *Dulcis*, inquit, *est somnus operanti, siue parum siue multum comedat; saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Cuius rationem reddit Ambrosius, quia inquit excitat eum cupiditas, excitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet eum inuidia, mora vexat, sterilitas prouentuum infœcunda perturbat, solicitat abundantia, & paucis multa? mundanæ seruitutis infelicitas, vt & ex hoc ipso elucet, quia mundus suis seruis perpetuò laborantibus, & refectionem, & mercedem negat. Quòd præclarè expressit Propheta Thren. 4. num. 5. *Qui vescebantur, voluptuosè, interierunt in vijs*; quasi diceret, quos antea mundus in sua seruitute omnibus delicijs saginabat, eosdem postea miranda quadam esurie & fame perpetuâ torquet. Negat etiam mercedem suis operarijs mundus, vt fatetur

Idem qui supra.

Eccl. 5.

Thren. 4.

tetur Propheta Ezech. 29. num. 18. Ezech. 29. *Nabuchodonosor*, inquit, *Rex Babylonis, seruire fecit exercitum suum, & seruitute magna adu rsùs Tyrum: omne caput decaluatum & omnis humerus depilatus est, & merces non reddita ei, neq; exercitui eius.* vbi nomine *Regis Nabuchodonosor*, significatur mundus: nomine *Babylonis* & *Tyri*, peccatum; nomine verò *militum*, homines libidini & voluptatibus vacantes. Nam quemadmodùm milites illi Nabuchodonosoris, immensum sustinuêre laborem, Tyrum oppugnando: siquidem & B assiduitate gerendi galeas, decaluabantur capita eorum; & assiduitate vehendi cophinos terræ ad aggeres extruendos, humeri atterebantur: ex tanto tamen labore, nihil omninò mercedis reportârunt. Nam expugnatâ vrbe, nihil in ea pretiosum, & suo labore dignũ repererunt, quia Tyrij de salute sua desperantes, quidquid pretiosę suppellectilis habebant, partim tradiderunt igni, partim terrâ obruerunt, partim in mare demerserunt, patim ad vicinas insulas se- C cum fugientes in nauibus exportârunt. Nec tantùm expugnata vrbe fessi milites, nulla manubia tulerunt; verùm quod iniquius est, etiam ab ipso Rege, pro cuius honore certabant, & cuius gratia animas suas in apertum discrimen profundebant, nullo mũnere præmiati sunt.

Cogitate Catholici, an non sic vobiscum perfidus mundus procedit? pugnatis ad nutum eius, turpissimis vitijs nimiùm indulgendo: sudant vestra capita, aut mero incaD lescentia, aut lusu nimio & saltibus fatigata; atteruntur humeri, superbi & planè Histrionici apparatûs, atq; vestium pondere pressi: oculi sine somno, corpus sine requie, animus sine respiratione langueſcunt. & quod tandem præmium vobis, in theatro mundi ita feriò laborantibus dabitur? profectò nullum: quia vbi excusseritis iugum Christi, vbi calcaueritis frenum gratiæ, tunc & ipse mundus vestra tandem insolentiâ, hæc omnia, quibus plus æquo A oblectamini, in stygę infernali submerget, & vos ex lubrico deliciarum suarum statu, in flammarum cruciatus præcipitabit.

Ecce quàm misera mundi seruitus! in quâ infausti peccatores, sumptum sine fructu perdunt: & dùm vanitati seruiunt, nihil lucrantur. Nemo certè talis, quisquis ille est, Christi refectionem gustabit; quia in virtutibus laborare; non in voluptatibus feriari debet, qui à Christo refici postulat. & licet Christo omnes tuos labores consecres; si tamen in peccato hæreas, nullum omninò præmium recipies. nonne laborauit Esau, & sudauit in venando? immo & in faciendo pulmento; quo sciebat libenter patrem suum vesci; & tamen paternã benedictionem, quàm ex suo labore & sudore sperabat, non recepit? Genesis 27. Gen. 27. num. 3. & 30. Quam tamen Jacob domi residens indefessus, non venando feras, non solis æstum patiendo, non coquendo cibos, sed tantùm ad gregem pro hædis animi gratiâ excurrendo, obtinuit. Ibidem num. 14. & 27. Quid obsecro causæ? illud certè: quia Jacob in virtute & pietate, Esau verò in iniquitate seruiebat. Sola verò virtus & pietas suos filios coronat, iniquitas verò sua mancipia contemnit. vt docet Salomon Ecclesiastici 5. n. 15. Eccl. 5. *Quid ergo*, inquit, *prodest ei, quod laborauit in ventum.* quasi diceret; quòd, qui peccato grauatus est, omnes suos labores ventis irritos doner. & tamen tanta est imprudentia hominum, vt ad prauas etiam peccati actiones, humana libertate indignas, sæpiùs flectantur. Quod grauiter incusat D. Paulus 2. Cor. 11. n. 19. & 20. 2. Cor. 11. *Libenter* inquit, *sufferti insipientes, cùm sitis ipsi sapientes, sustinetis*, inquit, *enim, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit.* quasi diceret; mirum est, quòd homines alioqui sapientes, in tantam insipientiam deuoluantur, vt libenter ferant peccati seruitutem, & prauis apperitionibus, improbisq; hominibus in malum

malum patenter obediant, à quibus deuorantur opes, & captiuantur corpora, ac multis criminibus, tanquàm verberibus mentes flagellantur. Ad quem locum D. Chryſoſthomus homil. 24. ſic diſcurrit.

S. Chryſo. *Quid eſt*, ait, *hoc dominio acerbius, quando & opes veſtras, & libertatem, & honorem auferent: neq; ſic ſunt manſueti, neq; in ſeruorum ordine vos manere ſinunt; ſed quouis venatitio mancipio, contemptiùs vobis abutuntur.* Non talis eſt Chriſti ſeruitus, quâ tenentur virturis poſſeſſores: quia ille laborantes in ſuam gloriam, refectione dulci & ſuaui recreat. Cognouit hoc perbellè prodigus illè filius, qui ob miſeram peccati ſeruitutem, omnibus ſuis opibus in momentaneam mundi voluptatem profuſis, ſatiſq; expertus, quàm ſit dura peccati ſeruitus; ad paternam tandem clementiam redire maluit. Lucæ 15. n. 18.

Luce 15. *Ibo*, inquit, *ad Patrem meum*, quia teſte Petro Chryſologo Serm. 1. *Eſt*

Chryſolo. *penes Patrem dulcis conditio, libera ſeruitus, abſoluta cuſtodia, timor latus, & blanda eſt vltio, paupertas diues, ſecura poſſeſſio.* vbi reuerſus ille filius prodigus ad patrem, inquit: *Fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.*

Quid eſt obſecro? qui antea in mundi ſplendoribus gloriabatur, nunc mercenarius patris eſſe vult? qui in caducis voluptatibus innumeras poſſeſſiones abſumpſit, iam nunc ad labores deſcendit? & qui ſuo faſtu & arrogantiâ, alijs præferri & dominari cupiebat, nunc iam cum viliſſimis ſeruis comparari non erubeſcit? Reſpondet Chryſol. Ser. 2. *Quia*, inquit, *penes extraneum ſeruam ſenſerat libertatem, ideo penes patrem credit ſibi futuram liberam ſeruitutem;* quaſi dicere vellet; agnouit hoc benè prodigus ille filius, quòd meliùs ſit apud patrem cæleſtem pro ſeruo reputari, quàm apud mundum pro domino. Nam & ipſemet Chriſtus Dominus Lucæ 12. n. 6. paſſeribus qui in foro veneunt diſpondio, comparat eos, qui mundi voluptates & ſplendores ambiunt: hos enim

A fallax mundus vendit, tanquàm viliſſimos ſeruos ad perditionem: Chriſtus verò omnes qui illi ſeruiunt, tanquàm amantiſſimos filios redemit ad ſalutem, de qua re D. Ambroſius in hunc locum ſcribens, ſubtiliter diſcurrit. *Sunt quædam*, inquit S. Ambro. *noſtrorum nundinæ delictorum, aut venundamur ſub peccato, aut redimimur à peccato: Chriſtus nos redimit, aduerſarius vendit: ille auctionatur ad mortem, hic redemit ad ſalutem.* Quæ ergo felicior eſſe poteſt ſeruitus? quàm

B Chriſti: in qua mortis reus ad ſalutem vindicatur; in qua tàm libera poteſtas, quàm præclara dignitas confertur; in qua quot ſerui, tot Reges: quot famuli, tot Domini: quot ſubditi, tot hæredes.

Quid ergo homines à tàm glorioſa Chriſti ſeruitute deterrebit? ſi onus crucis: Ecce D. Bernardus in ſuisd eclamationibus, eius iucunditatem proteſtatur. *Fictus*, ait, *in* S. Bernard. *præcepto labor, onus leue, iugum ſuaue, crux inuncta.* Si mandatorum Chriſti

C aſperitas? ſed & hæc mirificè ad Chriſti refectionem currentes recreat: vt fatetur Regius vates Pſal. 118. n. 14. *In via*, inquit, *teſtimoniorum* Pſal. 118. *tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.* ſeu vt magis exaggerat Chaldæus: *Sicut in ſuprema omnium fortuna.* quaſi manifeſtè oſtendere vellet, nihil in terris fingi poſſe, aut vtilitate, aut dignitate, aut ſuauitate cum Chriſti ſeruitute conferendum. Si deniq; labor in ſupportandis Chriſti legibus, ab eius ſeruitute nos arcet?

D vtiq; labor eius dulcis eſt, & hic ſolus operarium Chriſti in hac vita reficit. vnde Chriſtus Dominus venientibus ad reficiendum ſeruis dixit, Matt. 11. *Tollite iugum meum ſuper vos.* Quaſi in Matt. 11. iugo Diuinæ ſeruitutis perfecta conſolatio, & refectio includatur. Non ergo vllum abſumit labor in Chriſti obſequio, ſed magis roborat & fortificat. Nam & Deus ipſe vt oſtenderet ſuos fideles, in laboribus virtutum, & pietatis, non abſumendos, ſed indè auro ſimiles inter flammas ſplendenti, puriores & clariores euaſuros,

suros, monstrauit Moysi rubum aptissimum quidem ignis pabulum & nutrimentum, quem licet flamma ambiret; non tamen voraret. Exodi 3. n. 2. cuius miraculi arcanum mysterium declarans Philo Hebræorum: lib. 1. de vita Moysis. *Quòd*, inquit, *non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligebantur inimicorum violentiâ sed conatum eorum fore irritum, illos verò euasuros incolumes.*

Philo Hebræus.

Ecce Catholici mei vestros in rubo incombusto adumbratos habetis animos! voluitur nunc cuiuslibet mens inter flammas mundi, & debacchantis luxuriæ ardoribus succenditur; verum ne concidite animo: materia quidem apta ad combustionem, corpus scilicet fragile; verum si animus immotus aduersùs mundi vanitatem steterit, flamma infernalis non exuret, sed magis perficiet conscientias vestras. Sic enim ipsemet Saluator reficiens vos laborantes, & æstuantes, atq; cum vitijs fortiter luctantes in hoc incendio alloquitur. Nolite succumbere: hæc vestra infirmitas, est potentia; quæ punget vulnerabitq; plurimos. Qui delere cupiunt vos, inuiti seruabunt; tot mala illæsi euadetis; & cùm maximè conteri videbimini, tunc maximè enitebit gloria vestra. vbi manifestè ostendit Deus, per laborum flammas, suos seruos non extingui; sed tutiùs seruari: non minui, sed augeri. immò vnam sanè illis viam superesse ad Christi refectiones currendi, laborem, & virtutum indefessam curam. Verùm quisquis in stadio Christi laborans reficiendus est, non quomodocunq; laborare debet, sed prudenter, hoc est, vt eius opera non fiant in peccato: talia enim solùm Christo placent, & coronari merentur. Quod ipsemet Christus clarè significauit, cùm ad suos labores adhortans, Apostolos alloqueretur: Matthæi 10. num. 16. *Estote*, inquit, *prudentes, sicut serpentes.* Cur enim obsecro non ad elephantis prudentiam, quæ longe maior est, sed ad serpentis eos comparauit? Respondet D. Epiphanius in libello ad physiologum, de proprietatibus animalium, rationem esse hanc. *Quia*, inquit, *cùm serpens ad fontem vt bibat, pergit; tunc virus non defert secùm, sed in antro illud dimittit, sicq; purus accedit ad aquas, nè postea ex illis bibentes veneno inficiat.* Et nos certè pariter hac prudentiâ vti oportet, vt si ad perennem puramq;& diuinis atq; cælestibus scaturientem dulcedinibus aquam, reficiendi & refrigerandi aspiramus, vt inquam malitiæ venenum nobiscum non deferamus, sed omnem prauitatem, atque iurgium, & omnem malam cogitationem deponendo, aut saltem occultando, ne alienæ animæ nostro veneno inficiantur, ad clementem cælorum Patrem tendamus. Talis fuit Sanctus Matthias, qui in sua humilitate fideliter laborans, Christo seruiebat. Quid ergò? Ecce meruit, vt in locum proditoris Judæ assumeretur: cecidit enim sors Diuinæ refectionis in illum, hoc est; gratiæ sanctificantis, & mirificè illum recreantis. & nos certè si fidelem Apostolum imitati, libentèr submiserimus colla nostra iugo Christi, eadem refectio continget. si à mundi iniquitate nos ad Deum conuerterimus, & fallacem spreuerimus voluptatem, proculdubio æternæ cælorum delitiæ haud negabuntur nobis.

S. Epiph.

Matt. 10.

Suscipite ergo Christiani temporaneam in hac vita refectionem, iugum Christi. nolite timere, quòd iugum est, sed festinate ad illud: quoniam leue est. non conterit colla, sed honestat. Quid ergo hæretis? quid procrastinatis? non alligat ceruicem vinculis, sed mentẽ gratiâ copulat. non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit. In hoc proinde iugo suaui, mundo nunc insaniente, laborate in gloriam Jesv Christi, vt vobis auream gloriæ catenam imponat, qui vos & hic misericorditer sustinet, & in æternum dulciter reficere vult, Amẽ.

EODEM

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis. *Actor.* 1.

Sortes casuales & fortuitæ in electionibus non sunt adhibendæ, sed sors à Deo directa.

IN multis Prouincijs diuturna consuetudine inualuit vsus sortium, potissimùm verò in electionibus ad magistratum, & supremas dignitates: vt enim præcludatur omnis despectus, suspicio, & omnis ambitionis occasio submoueatur, sortibus relinquitur dubij determinatio, & rei gerendæ decisio. Hoc Romani in distributione magistratuum sæpè obseruabant, teste Cornelio Tacito l. 10. annalium. Sed & in nostra Polonia similem modum refert Cromerus in Lesco secundo, vbi amplissimum Senatorum concilium, totusq; equestris ordo, diuersis omnino diu pugnando sententijs, nec in vnum conuenire valentes, qui sceptri gubernacula susciperet, sortibus euentum rei statuêre, statuerant tunc in planissimo campo statuam deauratam, in cuius fastigio corona regalis cum sceptro apposita splendebat, vt quicunq; illam tunc ex magna omnium ordinum frequentiâ, velocissimo equi cursu, tanquàm gloriæ metam primus attigisset, ille nouus Rex crearetur. Nec verò etiam in Sacra scriptura, sortes omninò repudiatas esse video. Nam Aaron sorte alijs prælatus erat. Numer. 17. Sortibus terra promissionis distributa. Iosue 7. Saul à Samuele per sortes in regnum & Regem coaptatus 1. Reg. 10. Jonas sorte detectus, & in mare proiectus est. Sacerdotes deniq; sortè addicebantur, vt Dño incensum adolerent Lucæ 1. Nec certè lumen ipsum Ecclesiæ D. Augustinus sortes improbat, in Psal. 30. inquiens: *Sors non est aliquid mali, sed res in humanam dubitationem, indicans voluntatem Diuinam.* quod in Epistolâ 118. ad Honorium comprobat. *Si*, inquit, *inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, si hæc disceptatio aliter non potuerit terminari.* (quantum mihi videtur) *Sorte eligantur, qui maneant, & qui fugiant.* imò & l. 1. de doctrina Christiana, etiam beneficia per sortes distribuenda suadet, inquiens: *Si cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari potuisset, si tibi occurrant duo, quorum neuter alium vel indigentiâ, vel vrgente aliqua necessitate superaret, nihil iustiùs faceres, quàm vt sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari vtriq; non possit.* Sed ecce manifestum sortium vsum videmus hodiè in Apostolis, qui vt in locum ministerij & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vnum è duobus assumerent, sortes eis dederunt. Et ecce cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est Collegio Apostolorum: considerabimus igitur hodiè, num decuit ad tâm sublimè diuini ministerij officium, hodiernum Apostolum eligi, & quænam fuerit illa sors, quæ super eum feliciter cecidit.

Sortium vsus apud Romanos, & in Polonia.

Sors in persecutione & tempore fugæ non improbanda.

Numer. 17. Iosue 7. 1. Reg. 10. Lucæ 1. S. Augustin.

Difficultatem nobis non leuem facit scriptura, vtrum ista electio Matthiæ per sortes ad Apostolatum fuerit licita. Leo Papa, qui sortium vsum tanquàm maleficia damnauit, Epistolâ ad Episcopos Britaniæ cap. 4. *Quamobrem*, inquit, *volumus omnes sortes damnari, & eas vltra inter Christianos nominari nolumus, & ne exerceantur, Anathematis interdicto prohibemus.* Quod corroborat Concilium Aurelianum 1. cap. 12. *Si quis diuinationem vel auguria crediderit obseruanda, vel sortes, ab Ecclesia communi pellatur.* Si ergo Ecclesia tâm grauiter in sortilegos animaduertit, quomodò electionem Matthiæ ad Apostolatum licitè factam esse dicemus? & certè qui sortibus vtuntur, vel existimant eas gubernari à casu, vel à cælo, vel à dæmone, vel à Deo; si à casu, stultum omninò atque imprudens est, dùm ca-

Leo Papa.

dùm casibus obijcimus ea, quæ ratione & consultatione seriâ decerni postulant: sors enim hoc modo considerata, cæca omninò est, & prorsùs temulenta, iuxta illud: *Sic vago ludit temulenta passu sors;* si à cælo? superstitio summa est; nam quod maius vitium? quàm à cælorum astris expectare humanarum actionum moderamina. vnde dicit Propheta: *Iuxta vias gentium nolite discedere, & à signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt dicit Dominus Deus.* Jere. 20. Vnde sors eiusmodi à cælorum influxu dependens, vocatur fatidica, iuxta illud Mantuani, *Licet si credere sortibus fatidicis.* Quod si homo sortibus vtitur, & illas à diabolo gubernari putat, blasphemus est & sacrilegus: propter quòd Dominus Babylonem punire volens, sic eam alloquitur: *Sta cum incantationibus tuis, & cum multitudine maleficiorum, in quibus laborasti, ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent & saluent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex ijs annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos, nec liberabunt animam tuam de manu flammæ.* Nefas igitur est homini regimen suarum actionum diabolo concredere, ne hoc facto ipsum Deum, quem summè appretiare debet, postponere videatur. si autem sortibus vtitur homo ex eo, quia illas à Deo regi opinatur, iuxta Sapientis effatum Prouerb. 15. *Sortes mittuntur in sinu, & à Domino temperantur.* host est, quæ sorte discutiuntur, ea iudicio Dei deliberantur; nec à casu, sed à consilio & quidem diuino eueniunt. Diuina enim prouidentia, quæ regit vniuersa, etiam sortes gubernat vt dicit Augustinus libro 4. contra Gentes cap. 23. *Solent quæ sorte dantur, diuinitùs dari.* Nihilominus tamen etiam qui eiusmodi sortibus vtitur, tentator Dei est, qui aliquid temerè expectat à Deo: nesciens vtrum illud Deus se facturum

Hiere. 24.

Prou. 15.

S. August.

A promisit. vnde inquit Bernardus super Actor. 1. *Non statim debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere, cum priuilegia singulorum, non possint legem facere communem.* Apostoli itaq; non sunt vsi sortibus in electione Matthiæ ad Apostolatum, quæ à casu & fortunâ dependent; quia cùm essent membra Spiritus Sancti, in re tanti momenti, vbi necessitas & vtilitas Ecclesiæ, atq; diuinus honor maximè pensandus erat, minimè eos varietatem casuum, & fortunæ inconstantiam sequi decebat. Non sunt vsi sortibus, directioni astrorum subditis, & cælorum gubernationi commissis; quia cum à Spiritu Sancto confirmati essent, nec possent ampliùs mortaliter Deum offendere, nequaquàm etiam talibus vti rebus poterant, quæ tacitum dæmonis pactum inuoluunt, cuiusmodi est directio astrorum in sortibus. Quod clarè docet S. Thomas 2. 2dæ q. 95. art. 8. inquiens; *Si quis ea intentione sortibus vtatur, quasi actus humani qui requiruntur ad sortes, secundùm dispositionem stellarum sortiantur effectum, vana & falsa est opinio, & per consequens non carens Dæmonum suggestione, ex quo talis diuinatio erit superstitiosa & illicita.* Non sunt deniq; vsi sortibus, sub dæmonum patrocinio, aut regimine existentibus: quia cùm essent nõ tantùm officio Apostolico functi; sed etiam ordine sacerdotali & Episcopali à Christo insigniti, nequaquàm poterant tàm iniquum, & sacrilegum facinus contra Deum committere. Quis enim semel in Deo benè firmatus, à principe tenebrarum, & patre mendacij, lucis & veritatis splendorem certò sperare vellet? quis relictis omnibus, & Christum secutus, infensissimo humanæ naturæ hosti, comitteret gubernationem eorum, quæ sunt fidei & salutis? certè ille non secus faceret; quàm si accipitri columbam, pullos miluo, & ouem lupo traderet. Sed adhibuerunt sortes sub Dei patrocinio & regimine exercitas, licitas & pias: ad quas recurrerunt premente iam necessitate,

S. Bernard.

Quali sorte vsi sunt Apostoli in electione Matthiæ.

S. Thom.

ceſſitate, cùm iam propè inſtaret tempus prædicandi ſacrũ eloquium, cùm imineret occaſio radicandi Eccleſiam, cùm adeſſet opportunitas ſeminandi in toto orbe doctrinam Chriſti; ne ergo numerus Apoſtolorum à Chriſto inſtitutus, poſt præuaricationem Judæ, incompletus maneret, cùm iam præſentem Chriſtum habere non poſſent, vt potè iam à dextris virtutis Dei triumphantem, in ſortibus voluntatem eius experiri licuit. Sed in ſortibus pijs, etiam compellente neceſſitate, & innumera populi multitudine, nouum ſibi dari poſtulante fidei præconem; cum reuerentia tamen & vberrimis precibus ad Deum fuſis, ad noui Apoſtoli electionem accedendo, vbi feliciſſima ſors, non ab humano directa arbitrio, ſed à diuino lapſa iudicio, cecidit ſuper Matthiam, dicente Dionyſio Areopagitâ libro cæleſtis Hierarchiæ. *Porrò*, inquit, *de ſorte illa Diuina, qua Matthia diuinitùs obtigit, alij quidem alia ſenſerunt, meo quidem iudicio non rectè. Aperiam autem ipſe, quid ſentiam; videtur mihi ſcriptura appellaſſe diuini quiddam & præcipui muneris, per quod illi choro ſanctiſſimo inſinuaretur, quis eſt diuina electione declaratus*, hoc eſt; ſignum aliquod viſibile è cælo deſcendit ſuper illum, quòd indicaret ex Dei ordinatione dignum eſſe diuino miniſterio.

S. Dionyſ.

Vnde S. Antonius 1. p. titulo 6. cap. 2. cenſet fuiſſet radium diuinum, è cælo ſuper Matthiam miſſum: ſicut enim S. Gregorium fugientem paſtoralem curam, & in ſecreto loco deliteſcentem, ac latitantem, ne ad Summum Pontificatum euheretur, columna ignea monſtrauit, vt repertus inde traheretur ad templum S. Petri, Pontifex inaugurandus. Similiter in ordinatione S. Remigij, apparuit radius noui luminis ſuper eius verticem, oſtendens illum fore illuminandarum lucem animarum, quo illuſtrante radio, ſenſit Beatus iſte vir capiti ſuo infuſum vnguenti ſacri liquorem, quo totus delibutus, aptum Dei miniſterio parabatur inſtrumentum. ſic planè radius fulgidiſſimus è cælo ſuper Matthiam deſcendit, radius ſcilicet ille diuinæ gratiæ, cuius efficaciam & infallibilitatem Chriſtus Paulo prædixit, inquiens: *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Actor. 9. Hic certè radius, in cuius verticem prolabitur, ſubitò illum immutat & diuino aſſociat conſortio. Hic diuinæ gratiæ radius, Matthiam loco Judæ ſubſtituit, populi Ducem, doctrinæ Euangelicæ fontem, leonem zelo & verbo rugientem, lapidem pretioſum, doctrinâ & veritate ſplendidiſſimum, fundamentum Chriſtianæ religionis inconcuſſum, ſtellam fulgidiſſimam in capite Eccleſiæ radiantem. Hæc eſt fortunata ſors, quæ ſe à proditore Juda tranſtulit, cui meritò cum admiratione Eccleſia illud commemorat. *Quomodo de cœlo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris.* Tu inter aſtra matutina vocatus, & in Collegio Apoſtolico, quaſi nouo quodam cœlo conſtitutus eras, vt verbi diuini ardorem, veritatiſq; ac fidei lucem, vbique terrarum ac gentium circumferres. Tu miniſterio Chriſti deputatus eras. Tu inter mundi procellas quaſi lapides ignitos inoffenſo pede decurrebas: ſed quàm dolendum eſt, quòd integra illa tua mens, quaſi aurum puriſſimum, in adulterinam ſpeciem verſa ſit; quòd ille animi tui, diuino timore & lumine radiantis ſplendor, in erroris vmbras commutatus ſit. Sed tuam exiguo tempore in Chriſti miniſterio duraturam conſtantiam, & magnam poſt innocentiæ ſtatum iacturam, non dubio prædixit vaticinio Propheta Pſal. 108. *Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter.* Facti certè ſunt dies proditoris Judæ pauci, quia vix aliquot horas proditioni Chriſti ſuperuixit. Nam breui in deſperationem actus, ſingulis malefactis proportionatas retulit pœnas. Quia enim fur erat, ſuſpenſus eſt: quia proditor, crepuit medius; quaſi in partes diuiſus & diſtractus. Quia Simoniacus; (rem enim ſacratiſſi-

Actor. 9.

Pſal. 108.

S. Anton.

S. Gregorius iudicio igneæ columnæ repertus & ad pontificatum aſſumptus.

tissimam, & omni pretio maiorem Christum scilicet vendiderat) ideò extra cemeterium sepultus, quasi excommunicationi obnoxius. Quia ore blasphemo Christum osculatus erat, seipsum suspendens ostium præcluſit gutturis, ne per os, tanquàm indignum & impium, misera egrederetur anima; & quemadmodùm inquit Beda supra Actor. 1. *Vt guttur per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret.*

Beda.

Sed inquiret aliquis, vt quid Deus quem semel Apostolum constituerat? in tantum scelus labi permisit? scrutari ego hic arcana Dei nollem, nam quis consiliarius eius. puto tamen me non incongruam assignaturum rationem, si dixero, Deum etiam è fastigio Apostolatus permisisse labi, vt eius casu discat quilibet, nunquàm sibi fidendum nimis esse, sed potiùs cum humilitate & timore, diuinæ gratiæ se inniti debere; hoc lapsu erudire Deus voluit hominem, quò in altiori gradu constituitur, eò sibi grauiorem ac celeriorem ruinam imminere. Hinc S. Augustinus dicit Epistola 7. *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo tamen sum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm cohabitatio ipsius Domini Iesu Christi, in quâ cum vndecim bonis perfidus Iudas est inuentus; aut melior sit, quàm ipsum cælum, vnde Angeli ceciderunt.* verùm quemadmodùm lapsus, Judæ timorem nobis incutit, vt scilicet quantò digniores, siue in Christi Ecclesia, siue in mundi honoribus efficimur, tantò magis detestemur peccata; veriti, ne in virtute deficiamus, & ex altissimo perfectionis fastigio prolapsi, miserè Judæ instar pereamus. Cuius rei nos admonet Scriptura Apocal. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* quem locum sic interpretatur doctissimus Rupertus. *Tu*, inquit, *quisquis es, ò homo, in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corruas; corruendo coronam tibi præparatam amittas, & alius tibi succedens eam accipiat.* Ita planè electio Matthiæ ad Apostolatum, mentes nostras erigit, vt certi simus, quòd si perstiterimus in humilitate, Deus nos in locũ multorum reproborum assumet. Nam quid causæ, quòd felix illa sors electionis super Matthiam ceciderit? humilitas profectò illius hoc effecit. Nam Beda cum multis asserit, nomen Matthias Hebræis idem significare, quòd paruus Dei, quia igitur nomen rei conueniebat, hoc est; quia Matthias paruus erat in opinione & existimatione suiipsius, sed virtutibus in oculis Dei magnus, ideò respexit eum diuina sors, & potissimus efficacis gratiæ radiùs illicò eum ad altissimum Apostolatus fastigium traxit. Agnoscit hoc Euangelium hodiernum, in quo dicitur: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis:* Quasi diceret sacer textus: dignus es Domine, omni honore, qui à superbis Angelis cælestem separasti felicitatem, & vilissimis humanæ imbecillitatis creaturis eam contulisti, assumens illos ad hoc, vt præuaricantium loca Angelorum occuparent. dignus es Domine omni gloriâ, qui loco Judæorum, gratiam & gloriam sibi præparatam à Christo repudiantium, gentiles elegisti, exprobrante id Judæis Apostolo, Actorum 13. *Quia indignos vos præstatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Dignus es ad extremùm Domine omni veneratione, qui humilem Matthiam, in locum proditoris Judæ sublimasti, per sortem gratuitam, vt palam faceres omnibus, te ex beneplacito tuo, non ex meritis nostris, ad sublimem gratiæ statum quosuis eligere. Fatetur hoc Phœnix ille Apostolorum B. Petrus, de S. Matthia inquiens; *sortitus est sortem ministerij huius*; ac si apertè loqueretur. Hæc dignitas Apostolatus contigit nobis omnibus, non ex iure aliquo, aut operibus, sed ex sola dignatione Dei & gratiâ, nec in Apostolos tantùm, sed & in nos omnes toties feliciſſimam misericordiæ suæ sortem

S. Augustin.

Apocal. 3.

Rupertus.

Actor. 13.

mittere solet, vocans nos ad fidem, ad charitatem, ad pœnitentiam, ad opera misericordiæ. vt dicitur ad Colos. 1. Colossenses 1. *dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* & Ephes. 1. Ephes. 1. *In quo nos sorte vocati sumus, secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Mittit hanc fortunatam sortem, per S. Matthiam, quia ab æterno decreuit certum numerum saluandorum, eius prædicatione conuerti, eius laboribus ad meliorem vitæ frugem redire, eius suffragijs à peccatis resurgere, eius denique inuocatione proficuam saluti agere pœnitentiam.

Et certe hæc eius electio in Apostolatum, ex tribus summam meretur commendationem. Primò ex parte eligentium: isti enim fuerunt viri sanctitatis magnæ, & virtutis eximiæ, qui ex vniuerso cætu, Matthiam cum Iosepho vnanimi sententia nominârunt, tanquàm præcellentes in fide, virtute, notitia rerum, ad Christum & eius Ecclesiam pertinentium? quemadmodùm fatetur Martyrologium Romanum. *Eodem*, inquit, *die natalis est Beati Ioseph, qui cognominatus est iustus, quem Apostoli cum Beato Matthia statuerunt, vt locum Apostolatus Iudæ proditoris adimplerent.* Sed cùm sors cecidisset super Matthiam, ipse ex tunc prædicationis & sanctitatis officio inseruiens, multamq; à Iudæis persecutionem sustinens, in Iudæa victorioso fine quieuit. Mirabile est inquit S. Chrysosthomus, quòd Petrus cùm esset princeps Apostolorum, cùm facilè authoritate sua surrogare potuerit in locum Iudæ, qui sibi placuisset? noluit tamen id facere, sed feruenti oratione ad Deum recurrit, vt ipse idoneam personam cælesti sorte, seu potiùs signo aliquo apparenti visibiliter ostenderet, inquiens: *Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris, ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus.* Relinquere inquit S. Chrysosthomus, hoc tuo facto, voluit exemplum futuris Episcopis, & Apostolorum successoribus, ne in electione ad beneficia, & ministeria Diuina, fauor aliquis aut respectus subrepat, sed vt probitas semper & perfectio virtutis spectetur in eo, qui ad Diuinum munus peragendum assumitur, modum quoq; simul tradere voluit. vt quisq; se non ab humana gratia, sed sorte diuina vocatum esse agnoscens, tanto laboriosiùs & promptiùs munus suum exequatur, vt dicitur Ecclesiastici 17. *Cognosce iustitias & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis & orationis Altissimi Dei. in partes vade sæculi sancti, cum viuis & dantibus confessionem Deo.* Eccl. 17.

Laudabilis est adhuc inauguratio Beati Matthiæ in Apostolatum, ex parte Dei, istam electionem mirabilitèr dirigentis. nam à quo obsecro sors ista super Matthiam cecidit? certè à Deo, vt non immeritò illud Psalmi 64. hîc ipsi attribuatur: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis.* Psal. 64. Quomodò enim in Cœlo habitare non debeat, quem sors cœlestis idoneum Deo ministrum ostendit? quem signum illud Diuinæ gratiæ, quæ mentes hominum, Diuinæ participes naturæ facit, fastigio Apostolatus dignum effecit? quem suffragia Apostolorum in numerum suum coaptârunt. Planè simile quid in ista electione euenit Apostolis, quod Hieremiæ quondam à Domino dictum erat. Hieremiæ 18. *Descende*, inquit, *in domum figuli, ibi audies verba mea.* Descendit Ieremias, & ecce figulus faciebat opus suum super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis; minimè tamen destitit ab operando figulus. sed inquit scriptura, *Conuersus fecit vas alterum, sicut placuerat in oculis eius.* In domum certè æterni illius figuli, vocati sunt Apostoli omnes, vt diligenter considerarent, quomodò ipse ex eadem massa, faciat aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam: aliud vas electionis, aliud vas reprobationis. Nonnè infelix Iudas tanquàm vas speciosum, manu Domini è luto Hier. 18.

eductum

eductum erat, vt seruiret mensæ eius, ad cibum electum filijs adoptiuis, & fideli populo distribuendum? sed ecce dissipatum est vas illud, confractum & quasi lutum inutile conculcatum; verumtamen considerate Diuinam prouidentiam, non destitit ad operando supremus mundi plasmator, licet omnipotenti sua manu confectum opus, fractum videret, sed conuersus statim fecit alterum vas, prout placuit in oculis eius, & surrogauit in locum prioris: id est; Beatum Matthiam, statuens illum quasi vas in honorem, in locum vasis degenerantis in contumeliam, vt seruiret ad obsequium, cibum potumq; electum, cœlestis doctrinæ fidelibus exhibendum. Considerate & vos Catholici boni, an non omnes in hac perpetua vicissitudine, gyrante mundi rotâ, ab eodem omnipotenti figulo formati estis, quasi vasa speciosa, ad vsum perpetuum cœlestis eius mensæ? sed omnesne in hac fragilitate lutea, pulchritudinem artificis illius in vos inductam conseruatis? omnesne primæuum innocentiæ splendorem retinetis? fortasse non vnius iam forma illa artificiata, mentis integritas concussa est. Non vnius animæ decor, per gratiam Diuinam affabrè factus, dissipatus est. sed euigilate tandem perditionis ollæ, & pœnam quæ Iudæ præuaricanti contigit vereamini: Nam vt dicit Iob: *Contemnit multos, & stare faciet alios pro eis; nouit enim opera eorum, & ideo induxit noctem, vt conterantur.*

Laudabilis demùm est, fors supra Matthiam cadens, ex parte electi. Quis enim nescit hunc Apostolum, virtutibus fuisse summè locupletem? Dei donis abundantem, & feruore charitatis ignitum; de quo illud tradit Antonius 1. par. titulo 6. cap. 2. S. Antoni. *Fuit*, inquit, *Matthias in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in soluendis quæstionibus Sacræ scripturæ acutus, in Consilio prouidus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, qui extensis in cælum manibus Martyr Deo animam reddidit.* Philo Judæus longè disertissimus, in libro quem appellauit plantam Noë, refert fuisse, qui dicerent in hoc vniuerso omni ex parte perfecto, & completo, vnam tantùm rem desiderari, vocem scilicet fortem, potentem, harmonicam, quæ lata aliis ventorum; vecta curru aëris, & nubium, omnes mundi partes suo repleret sono. & quæ neq; die, neque nocte vnquàm cessaret, laudes gratiarum pro incomparabilibus Dei beneficijs cantare. Sed ecce diuina sorte, datus est B. Matthias, qui defectum omnem in mundo suppleret. vox enim eius potens, quasi vehemens tonitru, insonuit per totam Judæam, repleuit prædicationis zelo vniuersam Æthiopiam, transcendit nubes, dûm lapidaretur, impleuit orbem suo sanguine, dùm pro amore Christi decolatus esset, ipsum deniq; cælum satiauit, dùm cruenta Martyrij afficeretur palmâ. Gloriatur hucusque Romana Ecclesia Magni istius Apostoli capite, triumphat Treuirensis Basilica sacrato Martyris corpore, totus verò Christianus orbis, ipso eius nomine gaudet. Nomen enim Matthias, Hebraicè, donũ Dei significat. Hodiernus certè dies, in quo Christi Ecclesia B. Matthiam Apostolum veneratur, in summa fuit veneratione Carolo Sancto Imperatori, vt potè quod hac die natus, hac die Bononiæ Imperator coronatus esset, hac die quoq; de Francisco strenuo Galliarum Rege ad Ticinum insignem victoriam retulerit, Auctore Jouio. in Pompeio columna. Et nos certè decet, summâ venerari obseruantiâ solennitatem S. Matthiæ, vt per eius nominis inuocationem, dona cælestia obtinere valeamus.

Carolus Imperator Die Sancti Matthiæ natus, coronatus, & victor factus est.

Vt igitur & in nos felicissima prædestinationis sors auspicato die hodierno cadat, cùm nos Deus prudentiâ summâ in rebus salutis vti velit, & simplicitate omnimoda. Estote inquit prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, vitemus

omnes casuales & fortuitas sortes, quæ miserum Judam in perniciem æternam deduxerunt. vitemus sortes à cælo gubernari creditas, nihil in nostram voluntatem, & intellectum iuris & potestatis, cælo inesse arbitrati. vitemus sortes à dæmone regi solitas, id est; omnes superstitiones, quæ nos inferni laqueis to- A ties irretiunt. Sed sortem à solo Deo postulemus, radium scilicet efficacis gratiæ, quo B. Matthias in fastigium Apostolatus euectus est, vt nos quoq; felicissima hæc sors, è perditionis mundi massa, in æternam felicitatem eligat, & Deo æterno associet, Amn.

DIE SANCTI CASIMIRI
PATRONI REGNI POLONIÆ,
CONCIO.

Ego dixi vos Dij estis, & Filij excelsi omnes. *Psal. 81.*

Qui est Filius Dei per gratiam, sit diuinitatis particeps.

FÆcunditatem Cœlorum aliquando mirantur Astronomi, quòd noua mundo nonnunquàm parturiant phænomena; in quorum aspectu attonitus planè hæret Orbis. sed maiorem ego terreni fertilitatem globi reperio, qui non tantùm in occultis terræ visceribus pretiosa gignit metalla, in maris littoribus diuites spumat conhas, inæstimabilibus refertas gemmis; sed (quod fortassè magis mirabêre) etiam in delicatis Regum aulis, nouos toti vniuerso progenerat Deos, quorum subsidio inconcussa maneant regna, & infracti seruentur Principatus. Agnouit hoc cœca gentilium Antiquitas quæ suos Imperatores Deorum titulis insignire minimè erubuit. Fatetur & ipsa veritas æterna, quæ Reges vices suas in terris obeuntes, & sceptra ac Principatus, non ab humano fauore, sed ab alto capessentes, Dei nomine voluit honorare: *Ego*, inquit, *dixi dij estis & filij excelsi omnes.* Sed vtquid Deus Principes, & Deos, & excelsi filios nuncupat? Parumne erat dixisse, vos estis filij excelsi? siquidem qui vera Dei propago sunt, etiam ipsius nomen consequuntur, quemadmodùm; qui de immaculato Regum toro prodeunt, Reges habentur; & qui de stirpe nobilium procreantur, nobiles dici postulant. Noluit tamen Deus Principes vocare Deos, nisi simul & filios nuncuparet, vt ostenderet ista duo ita secum esse connexa, vt ad deitatis honorem, nonnisi per eius filiationem ingredi liceat. Cuius rei pulchra erat figura aput Romanos, duo illa solemnia templa, virtutis scilicet & Honoris, quæ illi miro artificio, ita quasi in vnam fabricauêre ædem, vt nulli ad honoris templum, nisi per virtutis sanctuarium pateret aditus. Diuinum quòque honorem & filiationem, Deus in principibus vniri voluit. Deos appellat, dùm temporalia bona ad nutum diuinum regunt, & terrena hæc imperia, non vt proprietarij Domini, sed vt ministri Dei, in vera fide & religione propagare student. isti sunt veri dij, qui non in humana ambitione; sed in diuina sapientia concreditum sibi populum informare studeant. Sed ad tantum honorem ascendendum sibi non putent, nisi per filiationem. Et quid est esse Dei filium, nisi ex Deo nasci, iuxta illud Ioannis 1. *Dedit illis potestatem filios Dei fieri his, qui non ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex*

Templum Virtutis & Honoris apud Romanos.

Psal. 81.

Cur Reges vocantur Dij & filij Excelsi,

Ioan. 1.

sed ex Deo Patre nati sunt. Nascuntur proinde ex deo Patre principes, sed illi tantùm, qui non fallacem mundi auram sequuntur, nec quouis superbiæ aut auaritiæ vento rapiuntur, sed pergunt spiritus sancti flatu, & ductu, quo anima fit humilis, & pacifica, & castitatis amans. Quod effatur Apostolus, Romanorum 8. Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Filij Dei sunt, qui gratiæ fœcunditate abundant? quæ illos diuinæ participes naturæ facit, & mirâ quadam efficaciâ, in ipsam deitatis speciem transformat. Atque hic iam videbimus illud Apostolicum effatum, B. Casimiro Regni nostri Patrono meritò competere, quòd scilicet fuerit excelsi filius, & per hanc filiationem, ad participatum deitatis honorem processerit.

Dei filiatio in quo constitit.

Nobilissima natorum Dei filiatio, quæ omnem creatam filiationem transcendit, in hoc potissimùm sita est, vt filij Dei adoptiui, æterni Patris imaginem in se repræsentent; siquidem & vera atq; naturalis verbi Incarnati filiatio, ex hoc potissimùm cognoscitur, quòd fuerit imago æuiternæ lucis paternæ. quod probè agnoscens D. Papa Leo, dixit Ser. 1. de Natiuitate, S. Leo Papa. *si ad humanam pertinet laudem, vt Patrum decus in prole resplendeat; quantò magis gloriosum est, ex Deo natos, in auctoris sui imaginem refulgere, & illum in se ostendere, qui illos generauit.* Et quid est aliud hæc imago Dei, nisi perfectio & integritas vitæ, iuxta illud Matt. 5. Matt. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Hæc certè perfectionis dignitas, vt Filij Dei nominemur & simus, admonet nos adeò generosos esse debere, vt si tanti Patris vestigia sequi volumus, magna semper animo voluamus, ad cælestia anhelemus, æterna bona concupiscamus, aduersùs tartareas potestates prælia agitemus, victorias laureasq; cælestes spectemus, ad sordidissima vitia generosum cor minimè conuertamus, Magni & Diui Leonis rugitum audientes Serm. 1. de Natiuitate.

A *Agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* S. Leo Papa. quod adhuc clariùs confirmat Serm. 6. ibidem inquiens: *Genus electum, & regium, regenerationis suæ respondit dignitati, diligatquod diligit Pater, & in nullo ab auctore suo dissentiat.* Idem. Hæc diuinæ imaginis pulchritudo Principem Casimirum, Regni nostri Patronum, ad eam stimulauit pulchritudinis æmulationem, vt suis virtutibus, etiam dùm viueret, totum iam complere videretur orbem.

B

Sancti Casimiri vitæ progressus.

A primæuo statim adolescentiæ flore, in commune quoddam virtutum suarum vinculum ac consortium, euocans, non sapientiam mundi tumidam, aut ambitioso eloquentiæ fastu sese iactantem; non legum peritiam, aut vetustæ Antiquitatis notitiam; non Historiographorum voluminibus recondita celeberrima heroum gesta, sed scientiam Sanctorum, doctrinam salutis & vitæ, per quam plenè in notitiam & possessionem sui conditoris venire posset, memor illius prophetici oraculi Hieremiæ 9. *Non glorietur Sapiens in sapientia, nec fortis in fortitudine, sed in hoc glorietur, scire & nosse me.* Nam.

C

Hiere. 9.

Si Christum nosti satis est; si cætera nescis.
Si Christum nescis nihil est, si cætera nosti.

Placuit hæc magni in sanctitate Principis Casimiri, veræ laudis & diuinæ perfectionis, cunctatio, Deo: ideoq; & in tenera statim ætate, iustum illum deduxit Dominus per vias rectas; & in adolescentia, ostendit illi regnum Dei, per fidem & spem; & matureſcente iam æuo, dedit illi scientiam Sanctorum; & in perfecto iuuentutis flore, honestauit illum in laboribus; & deniq; in felicissima vitæ periodo, compleuit labores illius; adeò, vt iustè hic illi attribuatur, *Dij estis & filij excelsi;* siquidem diuini nominis semper imaginem referebat in terris, vices Dei gerebat, feliciter populum in fide & religione propagans, vbi Catholicæ religionis feruentissimus, & schisma Ruthenorum abolere studiosissimè

D

Psal. 81.

conten-

Edictum Casim. III. ne Schismatici templa extruerent.

contendens, illud à Patre suo Casimiro III. Jagellonide, Rege Poloniæ, edictum ferri impetrauit, ne Schismatici noua templa extruerent. & ne semel extructa, sed iam vetustate collabentia, iterûm restaurarent. Atq; vtinam apud Polonos, hæc sacrosancta lex fuisset immutabilis, nusquàm profectò ad tàm dolendam cladem, & non ampliùs fortassè delendam maculam, Patria nostra deuenisset. Sed postquàm leges sanctissimorum Regum, in obliuionem; sacrosancta Principum in religione zelosè laborantium statuta, in abusum; pientissima de fide propaganda sancita, in contemptũ versa sunt, & aurea simul illa sæcula, in ferrea & deploranda nobis cesserunt tempora. Filius proinde excelsi meritò fuit B. Casimirus, celsitudinis diuinæ particeps, gloriæ vertice præ cæteris eminens, quia æterni Patris perfectionem in terris summè æmulabatur: illud omnimode elaborans, vt inueniretur sine macula, ideoq; candorem vestis baptismalis, mortiferi peccati næuo, & sanguine, nunquàm cruentare voluit, sed ab infantia statim didicit Deum timere, & illi in puritate seruire. Filius proindè fuit excelsi B. Casimirus.

Causa calamitatum in regno est abusus legum.

Cur Deus concurrendo cum homine ad actum peccati, non sit Author illius.

Quærunt hic Theologi genuinam rationem, cur Deus concurrendo cum homine ad materiale peccati, nullatenus est Author illius; & assignant rationem, quia Deus, quando creaturæ peccaminosè operanti cooperatur, tunc ad illam actionem, efficienter tantùm concurrit, & nullo modo deficienter: implicat enim ens essentialiter operabundum, aliquando in actione deficere, seu deuiare à rectitudine; ac proindè cum Deus habeat modum essendi indefectibilem, vt potè à seipsò, & non ab alio, etiam per consequens modum operandi indefectibilem habere debet, quia modus operandi sequitur modum essendi. Inquiram & ego hodiè rationem,

Cur S. Casimirus inter regales delicias incontaminatus.

cur B. Casimirus inter regales delicias, vbi virtus illæsa difficulter conseruatur, cur inquàm licet impossibilè erat non associari Principum conuersationi, non adesse iucundis tragædiarum spectaculis, varijs recreari ludis, & blandis magnatum frequenter tractari colloquijs, non abripuit tamen eum insolentiæ turbo, nec castissimam eius mentem, ad fædam illicitæ voluptatis impuritatem summa fortuna, & tot blandientium aulicorum concursus incitare potuit. Causa vnica est, quia erat excelsi filius, ideoq; ad illa omnia, quæcunq; mundi vanitatem sapiebant, efficienter tantùm, & nunquam deficienter concurrebat. sciebat benè obsequens iste filius, æterni Patris rectitudinem imitari; sciebat & interblandientis fortunæ lusum, nihil magis decere Principem, quàm in virtutibus immutabilem esse. vnde & summa ægritudine pressus, vt se excelsi filium ostenderet, ne à vicaria Dei conscientiâ, semper remorsum ad vitia faciente aberraret, vocem illam cælo dignam protulit, *Malo mori, quàm fœdari.* Atq; vtinam isti tui sermones ô Beate Princeps, in imis mortalium pectoribus, his potissimùm temporibus exarentur, non facile expungendi: vtinam ferro sculpantur in promicante in aulis Optimatum marmore, vt eos sæpiùs relegens corporis oculus, mentis nuntius, illud cordi & animo referat nuntium. *Malo mori, quàm fœdari.* Dignus profectò est iste sermo tuus Casimire Sancte, vt inscribatur tiaris Pontificum, Thronis Regum, Diadematibus Principum, clypeis Heroum, peristromatis Procerum, Purpuræ Magnatum, stemmatibus Nobilium; sic enim non facilè enecanti hominum animas, humanæ voluptati inniterentur, sed & in maximis delicijs scirent frenum suis affectibus injcere, & in æstuante libidinis igne diuina spiratione refrigerari.

Quomodò àér attractus cor refrigerat.

Scribunt Naturalistæ, vt àér ad cor penetrans, ipsum commodiùs refrigerare valeat, naturam, proximum cordi apposuisse pulmonem, vt eo tanquàm flabello refrigescat, quo

quo præsidio amoto protinùs defice- A ret cor. Æstuat alicuius vestrum nimiâ passione corpus, vritur concupiscentiâ animus, premit immoderatus, & in vetita ruere cupiens affectus; imitemini B. Casimirum, & si filij excelsi estis, ipsius flante Spiritus Sancti aurâ, vestras refrigerate animas: hoc certè flabello Princeps Casimirus, omnes mundi flammas extinxit, & vestras certè mentes, si propiùs ad Deum accedatis, iste Spiritûs flatus refrigerabit, ne concupiscentiæ ardore inflammentur, qui si B aberit à cordibus hominis, protinùs anima vestra vitæ spiraculum amittet, & Dei gratiâ, quâ viuit, priuabitur. Ferunt quoq; Hyppocrates & Galenus, alijq; artis medicæ periti, longa ægritudine languentibus, qui iam tanquàm incurabiles habentur, vnicum superesse medium, ad recuperandam desperatam valetudinem, vt scilicet locum (in quo morbum contraxerunt) relinquentes; ad illum in quo vitam acceperunt, & vbi nati sint, remigrent, vt sic patrio áère C recreati, & quasi vescentes roborentur, atq; conualescant. Hoc planè S. Casimiro euenit, qui in desperata iam planè febri decumbens, cùm omnis medica ars in curandâ eius valetudine deficeret, relicto mundi loco, è cuius contagione morbus ille venerat, ad paternum solum, tanquàm excelsi filius, ad excelsa scilicet cælorum subsellia ocyùs properauit, vt ibi natiuo Spiritus Sancti refrigeratus áère, vitam in omni æuo, non ampliùs amittendam recupera- D ret. Cogitate hic Catholici mei, quot vestrum peccatorum infirmitatibus debilitati, & malis inueterati moribus, tanquàm incurabiles decumbitis, nec vllo alio potestis sanari remedio, nisi ad patriæ cælestis áèrem aspiretis, & eius afflati aurâ feliciter resipiscatis. hic enim salutifer diuinæ gratiæ spiritus, si affluet mentes vestras, facilè virtute suâ præstabit sanitatem, & malæ vitæ correctionem, quam nec morbi aduersitas, nec honoris, aut bonorum

Desperata ægritudine laborantibus remedium.

amissio, nec concionatoris adhortatio, nec confessariorum consilium, nec Antistitis obiurgatio afferre potuerunt. Paucis multa? quoties diuinis inhærere vestigijs nitimur, solus áèr diuino ore nobis inspiratus, pestilentem áèrem expurgat, ab animo tenebras profligat, segetes bonarum cogitationum maturat, paleas & lolium malæ voluntatis segregat, grana bonorum operum ventilat, concupiscentiæ ardorem refrigerat, affectuum impetũ reprimit, omnesq; inordinatas passiones, rationis & iustitiæ fræno coercet. Afflauit hæc felicissima Dei aura S. Casimirum, & ecce in ipsa statim infantia, adeò cælesti radio illuminatus erat, vt inter ignitos tentationum lapides, inoffenso decurreret pede: ita diuino voluntas eius amore accensa, vt nil nisi sanctum appeteret, nil nisi diuinum operari vellet. Nec mirum est, quòd callidus ille serpens, qui graui innocentiæ iacturâ omne mortalium genus affecerat, nullum venenosum ictum sanctissimo Principi infligere potuerit, quia cum excelsi filium esse sciret, procul ab eo in profundissima deserti antra fugere debuit.

Mira quędam Philosophi, herbarum naturam inuestigantes, de vi atq; efficacitate lilij, quâ aduersus serpentes, eorumq; venena pollet, literis prodiderunt. Nam imprimis Plinius lib. 21. cap. 19. *Radices* (inquit) *lilij multis modis florem suum nobilitauerunt, contra serpentum ictus ex vino, & contra fungorum venena.* Dioscorides quoq; lib. 3. cap. 90. de lilio tractans, inquit: *folia herbæ illata serpentium morsibus subueniunt, eadem cocta in aqua ignis aduſtionibus, & cum aceto condita vulneribus.* Quod si lilium tantam contra venenata animalia vim habet, quomodò fieri potuit, vt serpentes illi inferorum, Beato Casimiro sæuum dentem infigerent, eiq; virus suum infunderent, qui velut lilium in pulcherrimo Regum viridario crenit, & immarcescibilis instar lilij immaturâ morte præcisus est? Et licet roseum decor

Virtus lilij aduersus serpentes.

Plinius.

Dioscorides.

in se prætulerit; minimè tamen mundanis sentibus lædi potuit, quia optimè nouerat virtutum suarum aculeis omnem mundi vanitatem pungere, ipse à nullo pungendus vitio. Intelligere hic demum incipimus, quòd alicubi diuinus ait Plato, Regum animas ex auro elaboratas esse. Tuã certè ô magna Principum gemma Diue Casimire, ex auro fuisse factam quis hodie ambigit ? aurum nihil adulterini metalli sibi admixtum patitur: Anima tua nullam vel leuissimi vitij maculam, sibi adhærere passa est; aurum igne sæpiùs expolitum pulchriùs nitet, tua purissima mens mundano æstu toto vitæ suæ curriculo adusta, in felici æternitate Sole nunc pulchriùs radiat. vt non immeritò excelsi filius dicaris : non enim communem cum hominibus viuendi spiritum sortitus eras, sed diuinum quendam, nihil magis regium esse sciens, quàm virtutibus velut cælum astris fulgere, & cum vices Dei in terris obeant Principes, Deo similem præferre animum.

Platò.

Quis hic vnam, sed omni Antiquitate maiorem fæminam Semyramidem, Assyriorum Reginam, amplius laudare cupiet, illius magnificentiam admirando ? Quæ post obitum viri sui, ingentem ac famosam Babylonis Ciuitatem, iuxta Euphratem extruxit ? 37. milliarium spatio amplam, muris circumdatam, latitudinis quingentorum, ducentorum verò altitudinis cubitorum, vt refert Herodotus. Murorum verò materia erat, lateres, quibus variæ inerant figuræ, diuersis coloribus distinctæ, quæ iucundissimum sui aspectum reddebant : turres super muros ædificatæ 250. fuêre. artificum verò trecenta millia, qui tanta celeritate in illa ciuitate laborabant, vt vnius anni spatio vltimam manum imponerent. vbi etiam in medio illius ciuitatis erexerat Semyramis templum satis amplum & magnificum, in cuius summitate propter ingentem eius altitudinem, Astrologi Chaldæi sæpiùs residebant, vt astrorum & stellarum ortum & occasum meliùs perlustrare atq; scrutari possent. Magis certè celebranda nobis est diuina omnipotentia, quæ â primi Miecislai Polonorum Regis temporibus, ita feliciter regnum hoc, in fide & religione ædificare cæpit ac propagare, vt omnium planè nationum vna Polonia compendium haberetur, atq; in medio istius imperij, quia in solio regali, quòd est veluti cor Reipublicæ, extruxit templum Honoris & virtutis, D. Casimirum, vt in eo, omnes Altissimi voluntatem prospectemus, & ipsius æterni motoris sequamur inclinationem. eo enim fine Deus nobis Sanctorum exempla præbuit, quatenùs ipsa seriò velimus imitari. In hoc diuino templo habent terreni Principes, quòd seriò perpendant, quomodò scilicet coronas & diademata, cum sanctitate, & splendorem ac purpuram cum humilitate sociare discant, quod illis inculcat Eccl. 24. inquiens : *Quasi therebintus extendite manus gratiæ & honoris, fructificate odorem suauitatis, producite flores & fructus honestatis & virtutis.* quasi consilium hoc Principibus, æternitatem prospectandi daret Sapiens, populum vobis ab alto commissum, sub vmbra & frondibus vestris rutilantem, sine oppressione in tranquillitate protegite & pascite, memores illius quod dicit Sapiens Sapien. 6. *Iudicium durissimum fiet his qui præsunt : & potentes potenter tormenta patientur.* Ecce speculum habetis B. Casimirum, in quo futura prospiciatis ? quid ille vobis nunc è cælo loquitur ? hoc solùm, vt in eo quasi in altissimo templo prospiciatis Principatuum incertitudinem, & gloriæ vestræ velocitatem, quam cum vix apprehenditis, subitò aufugit. Nam & potentia Regum, & gloria Principum, & purpuræ Magnatum, & omnes mundi spes, casui obnoxia sunt. Nec alibi, quàm in B. Casimiro omnem vitare possunt casum. Hoc templum B. Casimirum ædificauit Altissimus in medio totius Poloniæ, vt in eo omnes mundi mili-

Semiramis Babylonẽ condidit.

Babylon 37. milliarijũ spatio ampla.

Murorum eius latitudo 500. altitudo 200. cubitorũ.

Turres super muris ædificatæ 250

Artificum qui intra annum Babylonem ædificarũt 300. millia fuêre.

Fides in Polonia regnante Miecislao propagari cæpit.

Eccl. 24.

Sapien 6.

di milites cognoscatis, quæ aduersùs hostem fortissima sunt arma. Et quia omnis mortalium vita militia est, ea in B. Casimiro quærite arma, in quibus gloriari & fiduciam habere possitis, quæ sint ad cælestem ciuitatem validissima expugnandam, quæ ad hostem in hoc mortali itinere insidias struentem propulsandum, atq; vincendum summè opportuna.

Arma Beati Casimiri spiritualia recensentur.

Et quænam ista in B. Casimiro fuerunt arma? audite illa? orationes & preces, quibus à prima statim pueritia ita deditus erat, vt sæpiùs clam intempesta nocte præ foribus templorum pronus in terra, diuinam exoraret clementiam. Arma Casimiri fuerunt ieiunia, eleemosynæ, opera fidei & religionis, ardor charitatis diuinæ, & simul eximiæ humilitatis amor. Hæc fuit Panoplia sacri Principis, quâ quisquis adornatus est, cælestem ciuitatem victor ingreditur, vbiq; ab hoste securus. Nam quæ fortior armatura, contra hostem fidei atq; Animæ inuisibilem, clypeo fidei? Galeâ spei, loricâ chatitatis, Baltheo iustitiæ; his quisquis munitus fuerit, nulla timet hostium iacula, & sine vulnere cuneos aduersantes resolutissimo pertransit animo, laureamq; in præmium tantæ fortitudinis assequitur. Templum hoc nobilissimum & vobis erexit Altissimus ô diuites, qui in byssо & purpura, in auro & gemmis vestram collocatis gloriam. vt in illo agnoscatis; quomodò in his omnibus minimè deceat hominem triumphare, quod innuit Scriptura Amos 6. *Qui,* inquit, *opulenti estis in Sion, & lasciuitis in stratis eburneis, omnia hæc in terra putredinem, ex qua prodierunt, reuertentur.* quod ostendit Sapiens Eccl. 10. *Cùm morietur homo, hæreditabit serpentes & vermes.* Ecce magno Principi vestro B. Casimiro, aurum, gemmæ, monilia non defuerunt, sed his animum minimè addixit; verùm pro auro & monilibus, quibus mollis regius splendebat lectus, duram elegit humum, in quâ singulis cubabat noctibus: rude cilicium, quo tenuissimam carnem asperiùs premebat; purpureo prætulit paludamento. Funem asperum & nodosum, quo omnes carnis frenabat passiones, Baltheo plus æstimauit byssino: & antiquorum æmulatus pietatem regum, saccum pænitentiæ, gemmeo diademati præposuit. Agnoscens ante supremum Dei Tribunal, regio apparatui, & splendori locum non esse. sic plerumq; ornatum, & opulentiam sæculi contemnunt, qui in cælestem coronam mentis aciem animosius figunt.

Et certè ex quo arrogans iste, & superbus vestium vsus, in patriam nostram irrepsit, omnia nobis pereunt; dùm vnus alterum non tantùm æquare, sed etiam superare contendat: quibus planè illud accidit, quod coruo quondam contigit, quem cùm videret vulpes, vt refert Apuleius libro de Socrate, frustum carnis rostro tenentem, cupiens vt prædam è rostro dimitteret, dixit ei, multò meliùs te canit cygnus. Apuleius.

Vulpes coruum decepit cygnum illi in cantu præferens.

Tunc coruus volens cygno præferti, cæpit canere vt suauiorem cantum suum comprobaret, sed contra euenit, quia rauca voce cecinit, & prædam quam rostro tenebat, amisit. Quid aliud vobis mundus proponit diuites, nisi cùm magna sit nummorum copia, vt ipsis etiam Principibus, in vestium fastu præferri velitis, vos incitat? & ecce vt primùm fallacis mundi consilio acquiescis miser homo, frustum illud bonorum meritorum, quod iam firmiter in corde tuo tenebas, vt te illius sapore (qui est æterna gloria.) æternùm recreares, tibi eripit, & te ad summam virtutum inediam deducit. Sed ecce speculum habes Beatum Casimirum! in quo hæc stratagemata præuidere potes, vt scilicet eius exemplo, non præferri, sed etiam postponi alijs velis: sic enim facilè in altissimum cœli solium eucheris. Templum hoc in medio Poloniæ gremio, & vobis posuit Nobiles, vt in illo diligentiùs intueamini, vestram maiorum claritatem,

Amos 6.

Eccl. 10.

ritatem, nihil vobis ad æternitatis possessionem profuturam, si propria defuerint merita. Quod probè agnouit Rex ille Antigonus. Qui (vt refert Plutarchus in Apophtegmatis) adolescentulo cuidam petenti, vt propter patris sui claritatem, sibi præmia conferret, respondit. *Ego adolescentule, non ob parentum ingenuitatem, sed ob proprias cuiusq; virtutes munera dare soleo.* Quid plurimis vestrum, qui gentilitio tantùm fulgetis decore, & natiui luminis virtutum nihil habetis, quid inquam aliud respondebit Rex ille Cœlestis, cùm ad iudicandum venerit, nisi illud Antigoni. *Ego non ob maiorum splendorem, sed ob proprias cuiuslibet virtutes, cælum dare soleo.* Et vobis templum hoc posuit Deus, viri sapientiâ illustres, doctrinâ celebres, eruditione insignes, qui non in liberis; sed in libris, vestram collocatis curam, non de familia, sed de doctrinâ quæritis gloriam, nec in mundo laudes, sed in Apollinis horto lauros colligere satagitis, vt cognoscatis summam in hoc sitam esse sapientiam, vt vos metipsos ita regere sciatis, quomodò ab æterna illa rectitudine, & æterna felicitate deuiare nunquàm possitis, quia plerumque mundi sapientia nisi diuinæ associata, in errores deducit. Templum illæsæ Castitatis habetis mundi virgines, Beatum Casimirum, vt in eo probè intelligatis, quomodò vestra custodienda sit virginitas, nec vllum in terris pretium esse, quod in comparationem eius venire possit. Agnouit hoc sanctus iste Princeps, cui cùm medicorum consilia vitæ diuturnitatem pollicerentur, si virgineam pauliſper infregisset pudicitiam; deserere maluit principatum terrenum, spernere sceptrum & coronam regni, abjicere purpuram & fallacem dominandi fortunam, illis suam castitatem muniendo armis; *malo mori, quàm fœdari.* Quid melius vobis proponi potest, integræ pudicitiæ amantes puellæ; quàm vt si fortè vester continentiæ morbus aliter sanari non possit, quàm cum pudoris iacturâ, moriendum potiùs esse vobis eligatis; quàm non in delebilem cadere maculam: siquidem pulchrior est rosa exiguo tempore florens; quàm longiori spatio marcescens. sic gratior virginitas licet exiguo interuallo, sine detrimento natiui decoris; quàm longo spatio cum fœditate putrescens. Templum denique habetis omnes mundi incolæ, vt in eo modum benè moriendi imbibatis, quomodò diuinæ parendum sit voluntati, & ad vnam eius vocem hilariter egrediendum, quocunque tempore decretum immutabile venerit, id diuinæ attribuendo iustitiæ. Hoc fecit Patronus Poloniæ Casimirus princeps, qui cùm Deus ab ipso sceptra, & diademata, separaret. illud Hieremiæ 18. sæpiùs repetebat: *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Cùm enim Filij Excelsi simus omnes, ne debitæ obseruantiæ aliquid in nobis desideretur, semper eius voluntati parere debemus, doctrinam Apostoli sequendo ad Romanos 14. *Siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur; & siue viuimus, siue morimur, Domini sumus.*

Habetis igitur Christiani Filium Excelsi, Sanctum Casimirum, qui in terris nihil magis curabat, quàm vt veram Dei imaginem & perfectionem in se efformaret: nihil attentiùs spectabat; quàm vt omnem peccati vitaret morbum, & quemadmodùm verus excelsi filius, ne vnquàm alienis cooperaretur defectibus, à recta ratione, & à Deo deuiantibus. Habetis velut templum quoddam augustum, in Patria vestra erectum, vt in illo & Principes pietatem, & magnates perfectionem, & Nobiles humilitatem, & eruditi sapientiam, & virgines castitatem discatis. Accedite igitur omnes ad hanc speculam, & Principem vestrum ac patronum agnoscite, & adorate Poloni, & quod olim antiquitati in vsu erat, vt Imperatorum victorijs in auro vel argento, ne

Plutarch.

Antigonus Rex.

Hiere. 18.

Rom. 14.

fastui

fastui pretium abesset, euulgandis, imaginem pacis effingeret, cuius dexteræ clementiam, Mars inserebat. Permutate in hodierna solemnitate pompam hanc, & victorias Principis Casimiri, in vestris euulgando mentibus, effingite pacis imaginem, & Martem Polonum vestri dexteræ Patroni porrigite. Vt ille memor hereditarij sui regni, hostibus terrorem, patriæ pacem, vestris tranquillitatem mentibus, & immunitatem à peccatis conferat.

DIE SANCTI THOMÆ AQVINATIS, CONCIO.

Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. *Sapientiæ 7.*

S. Thomas Doctor Angelicus est Arca noui testamenti, omnes cœlestes thesauros in se continens.

IN toto illo veteri testamento, vnicum duntaxat prætiosum pignus, Deo summè amandum, & hominibus maximè venerandum reperio: videlicet; Arcam illam fœderis, pleniſſimum religionis adytum, thesaurum sanctitatis, ampliſſimum cœlestium arcanorum monumentum, diuinitatis sacrarium augustissimum. Illam quippe Deus tanti æstimauit, vt cùm in captiuitatem Philisthæorum abduceretur, quasi delicias sibi ablatas conquestus diceret Ioël 3. *Argentum* inquit, *meum, & aurum tulistis, & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra.* Et quod obsecro argentum, quod aurum, quæ desiderabilia, quæ pulcherrima vero Deo à Philistæis erepta fuerunt? Respondet Doctissimus Rupertus in hunc locum; *Philisthim*, inquit, *tulerunt Arcam Dei, & intu erunt eam in templum Dagon, Arca ipsa, & tabulæ testamenti in ea simulq; urna aurea habens manna, & Virga Aaron quæ fronduerat, & propitiatorium, duo quoq; Cherubim obumbrantia propitiatorium; argentum & aurum erant, quæ quodam modo desiderabilia eius dici poterant.* In tanto igitur pretio Arca illa apud Deum hebebatur, vt omne desiderabile eius diceretur. Iam verò ab vniuerso populo Israëlitico, par quodammodò illi Arcæ, sicut & ipsi Deo reuerentia deferebatur. Quemadmodùm enim Seraphini, qui illum trisagium hymnum, *Sanctus, sanctus, sanctus*, Domino canebant, facies suas velando, Isaiæ 6. existimantes se indignos, qui supremam illam Dei sanctitatem, quam laudabant, intuerentur. Sic planè & Israëlitæ illud sanctitatis monumentum, nimirum Arcam fœderis, frequenter quidem prædicabant, & implorabant, sed videre non audebant, ne morerentur. Nam hæc pœna temeritati imponebatur: Num. 4. *Cùmq; involuerint Aaron & filij eius sanctuarium, & omnia vasa eius in commotione castrorum, tunc intrabunt filij Caath, vt portent involuta, & non tangent vasa sanctuarij, ne moriantur.* Nec sanè mirum, Arcam illam in tanta obseruatione & veneratione apud Israëlitas fuisse; cùm per eam iratum sibi Deum facilè placarent. Eam enim populi Hebræi moderator, supremi Numinis ductus imperio, fabricandam eo fine curauit, vt initum à Deo fœdus cum hominibus, hoc certissimo pignore ratum atq; firmum in sempiternum tempus conseruaret. Tum quòd ex illa

Ioël 3.

Rupertus.

Isaiæ 6.

Num. 4.

Arca, velut ex thesauro omnium bonorum spiritualium, in populum summa emolumenta dimanarent; hinc diuina in eum populum misericordia fulgurabat: quâ stante stare Respub. ruente, ruere videbatur. Quâ præsente, Deum sibi propitium; absente iratum habere omnes arbitrabantur. Vt non immeritò brachium & fortitudo Hebræorum dici mereretur, iuxta illud 2 Paralip. 6.

2. Paralip. pom. 6. *Consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & Arca fortitudinis tuæ.* Quod magis elucidat Regius vates Psal. 62.

Psal. 62. inquiens. *Sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* D. verò Hieronymus ex Hebræo legit: vt viderem

S. Hieron. *fortitudinem tuam.*

Lorinus. Hoc est; interprete Lorino, Arcam: quæ erat Hebrææ gentis fortitudo, quæ illam inuictam ab hostibus, & victricem de hostibus reddebat. Hinc illa apud Hebræos consuetudo, vt difficillimis quibusq; prælijs, Arca fœderis contra hostes admoueretur, vt obseruat S. Athanasius libro de interpretatione Psalmorum ad Marcellinum. *Si bellum,*

S. Athana. inquit, *populo ingrueret, Arca, in quâ erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat: hoc sufficiebat illis, pro quauis acie, in subsidium, nisi in baiulis Arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret. Fide siquidem & sana affectione opus est, vt lex nostra precibus comparetur.* Sed vnum ego pariter in noua lege reperio thesaurum, cui summum Deus impendit amorem, Ecclesia Catholica venerationem, fidelium populus cultum & religionem, scilicet; Diuum Thomam Aquinatem, quem vobis Arcam noui testamenti esse monstrabo.

Tribus potissimùm de causis, Arca illa fœderis, summam apud Israëlitas venerationem obtinuerat, nimirum; quòd contineret virgam Aaronis, legis tabulas, & manna Hebræum. Vt fatetur Apostolus de Arca fœderis Hebræor. 9. sic loquens.

Hebr. 9. *In qua erat vrna aurea habens manna, & virgam Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ.* An non similem in noua lege Aream

A fatebimini esse D. Thomam. Quippe Arca illa fœderis, non fictum, sed veris expressum coloribus sapientiæ exemplar fuit: virga imperij dignitatem super omnes corporis affectiones exprimebat: Manna puritatem mentis figurabat, deniq; in lege virtutum obseruantia adumbrabatur: quæ omnia indissolubili nexu in vno Thoma Aquinate, diuina omnipotentia mirabiliter concluſit. Ad illam testamenti Arcam propiùs accedere, nemini licitum fuit: hinc

B egressis de Jordane Israëlitis Arca fœderis anteibat; populus verò à tergo sequebatur Josuæ 3. *Sequimini, sitq; inter vos & Arcam spatium cubitorum duorum millium.* D. pariter Thomam, ob eximiam sapientiæ profunditatem, ita omnibus supereminentem diuina ordinatio voluit esse, vt ei nemo æquandus, nemo comparandus reperiretur; sed omnes ceu lumen fulgentissimum, è longinquo duntaxat eius doctrinam mirarentur. Vt non immeritò Laurentius de Apon-

Isaiæ 3.

Laurentius de Aponte.

C te tom. 2. Commentariorum in Sapientiam Salomonis constanter affirmet, grauiter à Deo puniendum esse eum, qui aliter sentiret, aut huic sanctissimo viro, alterum non solùm præferret, sed etiam æquaret. Quam euidentem veritatem conijcio ex Sactis literis; ob exiguam olim murmurationem, grauiter Deus animaduerterat in Mariam & Aaronem. *Locuta est Maria & Aaron contra Moysen.* Num. 12. inquit Sacer textus Numer. 12. At quid oblocuti? *Dixerunt: num per so-*

D *lum Moysen locutus est Dominus; nonne & nobis similiter locutus est?* Quæ verba sic intimè persensit Dominus, vt statim acriter reprehenso Aarone, Mariam leprâ infecerit. Et vnde tanta Dei indignatio? vtiq; exiguum videtur esse crimen, æquare se fratri in Domini locutione, cùm verè & ipsis quoq; locutus fuerit. Respondet nihilominus Abulensis in hunc locum q. 46. Deum ideo eam locutionem grauissimè tulisse, quòd ex illa comparatione, multum excellentiæ Moysi detraheretur. *Moyses,* Abulensis. inquit,

inquit, *erat tam excellens, quantùm ostensum est, & Maria & Aaron diminuebant aliquid de excellentia eius, aquantes se ei.* Quodsi nosse desideras, in quonam excelluerit Moyses: profectò in hoc: quia Mariæ & Aaroni, vti & cæteris Prophetis, in visione & figuris locutus fuerat Deus; Moysi vero *os ad os, & palam, & non per ænigmata, & figuras.* Si igitur leprâ meritò percussa fuit Maria, si meritò Aaron reprehensus, quòd se audacter Moysi æquare præsumpserint. Quid fiet cum illis, qui se sanctissimo huic Doctori superbè æquare præsumunt. nonne leprâ malæ doctrinæ inficientur? Hoc maledictum in eiusmodi arrogantes homines fulminat Innocentius VII. in Serm. quodam de Sancti Thomæ doctrinâ, inquiens: *Qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.* Et reuera, si D. Chrysosth. hom. 29. in Imperfect. in cap. 11. Matthæi, ex eo cæteris Prophetis anteponit Ioannem Baptistam, quòd immediatè ab ipso Christo laudatus & approbatus fuerit: *Iam nunc*, ait, *incipit dicere causas, propter quas amplius erat; quàm Propheta Ioannes, qui talem habere meruit laudatorem.* Quomodò doctrina S. Thomæ omnibus alijs non anteponetur, cùm immediatè ab ipso Christo laudata sit. Cùm ei ipsemet Christus, non per figuras & ænigmata, aut per interlocutionem, vt in cæteris fit, sed os ad os, locutus sit immediatè: *Bene scripsisti de me Thoma, quàm ergo mercedem accipies.*

Innocentius VII.

S. Chryso.

Arcæ fœderis, ad magis ostentandam eius magnificentiam, duo Cherubini astabant, ex præscripto ipsiusmet Dei. Exodi 25. *Cherub vnus in latere vno, & alter in altero.* D. Thomam velut alteram noui testamenti Arcam, adeò præstantem voluit esse Deus, vt ipsemet adhuc in terris viuens esset Angelus; Hinc in Scholis Theologiæ, in Ecclesiæ Cathedris, nomine Angelici Doctoris D. Thomas intitulatur. Hic est ille Angelus, de quo Dominus loquitur Exodi 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui, obserua eum, & audi vocem eius: quia non dimittet te, cùm peccaueris, & est nomen meum in illo.* Angelus qui ducit, qui custodit, qui introducit in superos, qui â corruptione præseruat, haud te piaculis fœdari sinens; quisnam alius nisi Thomas Angelicus Ecclesiæ Doctor? *Et est*, inquit, *nomen meum in illo.* Caietanus transfert: *Et nomen meum in intus eius.* Quid est? Si de MARIÆ nomine Deus loqueretur, consentirem facilè, nomen Virginis in intus Thomæ esse; quia schedulam, in qua salutatio Angelica fuit expressa, infantulus deglutiuit. Verùm idem prorsùs & de nomine IESV sentire cogor: hoc enim si non absumpsit in papyro; cælitùs tamen effusum cordis excepit in vase. Nomen igitur IESV effusum in Thomam, susceptum in eius præcordijs, adumbrabat fore, vt Theologiæ eruditio ex interno Angelici Doctoris sensu sit proditura. Quodsi Angelus est Thomas, ex qua obsecro Hierarchia? ex quo beatarum illarum mentium choro? Paradoxum forsan videbitur, quod afferam, D. Thomam duplicis naturæ Angelum esse; videlicet; Cherubinum simul & Seraphinum. Quod vt verum esse demonstrem, documenta è Sacris literis produco. Isaias affirmat se olim vidisse Deum in eleuatissimo throno, cui assistebant Seraphini: *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri.* cap. 6. At verò, Ezechieli duo Cherubini totidem alis ornati in illo throno apparuere. Vbi Dionysius Carthusianus asserit, eandem aut visionem, aut visionis mysterium extitisse. Cæterùm si etymon nominis exquiramus, Hebræosq; fontes indagauerimus, diuersa hæc videbuntur fuisse. Seraphim quippe *plenitudo amoris seu charitatis:* (vt docet Venetus 99. Problem. in vetus Test.) Cherubim verò, *scientiæ plenitudo.* Quomodò igitur eadem visio, aut idem mysterium intelligi potest, cùm sapientiæ pleni-

Caietanus.

Isaiæ 6.

S. Dionys. Carthusia.

Venetus.

plenitudo, à plenitudine ſanctitatis, omninò diuerſa eſſe videatur. Nam plenitudo amoris aut charitatis ad voluntatem pertinet; plenitudo verò ſapientiæ ad intellectum ſpectat. Sed erigite pauliſper Catholici veſtrã conſiderationem, & idem in Cherubino atq; Seraphino, ſeu in plenitudine ſapientiæ & ſanctitatis, aut charitatis ſignificari animaduertite. Albertus Magnus. Thronum Dei eleuatiſſimum D. Thomam olim Albertus Magnus appellauit, in hoc iam Cherubinos atque Seraphinos, æternæ identitatis vinculo colligatos aſpicite. Adeò enim extitit D. Thomas Sapiens, vt in conſpectu admirabilis doctrinæ, eius ſanctitas ineffabilis abſcondi videatur adeòq; apparuit ſanctus, vt coram prodigijs eius virtutum videantur ſapientiæ fulgores diſparere. Siſtite hîc veſtris obtutibus Seraphini atq; Cherubini habitus. Seraphini duabus alis caput operiebant, & aperientes cor, *duabus volabant*. Cherubim verò duabus alis cor operientes, & manifeſtantes caput ſeu faciem, *duabus volabant pennis*, quæ in Seraphinis cor operire viſebantur. Igitur Seraphini cor, vbi amor reſidet, aperientes; caput intellectus ac ſapientiæ domicilium occultabant; Cherubini verò oſtendentes intellectum, cor, ſeu voluntatem affectam operiebant. Vnde cùm Seraph, qui *amoris plenitudo*, charitatem, ſeu ſanctitatem oſtentet, ſapientiæ plenitudo videtur operiri, ſanctitati victoriam adſcribens. Cùm Cherub, qui *plenitudo ſapientiæ* obijcit doctrinæ fulgores, plenitudo amoris aut ſanctitatis operculo addicitur, quaſi palmam ſapientiâ reportante. S Thomas & Seraph & Cherub fuit. At verò in Diuiniſſimo Thoma, & Seraph & Cherub ſimul vim vtramque exerunt. Tàm enim Seraph oſtenditur ſanctitatis documentis voluntas Thomæ, vt videatur nec particulam animi relictam ſapienti; quàm Cherub obijcitur intellectus eius ſapientiæ fulgoribus, vt è throno ſanctitas omninò relegata videatur.

Virgam illam, quâ Moyſes veluti A ſceptro inſignitus, traditis ſibi à Deo copijs, ducem ſe præſtiterat, tantam habuiſſe potentiam ad patranda miracula, luculenter ex ſacris literis conſtat, vt nihil eſſet ita à legibus immune, ita ab imperio ſolutum, ita à natura alienum, quod illâ Moyſis manu gubernatâ non exequeretur. Potentia virgæ Mosaicæ. Cùm enim prædura ſaxa contingeret, aquam eliciebat, perennis fluuij more ducurrentem. Cùm mare, licet efferueſcentibus vndis intumeſcens vnico ictu percuteret, co- B ituros inter ſe fluctus ita diuidebat, vt hinc & inde, contrarias in partes retrorsùm compellerentur. Cùm leui quodam motu auras verberaret, protinùs cœlo pluſquam cimmerias tenebras effundebat, nubes atra caligine concretas, ſoluebat in aquas: ciebat tonitrua; ardores nubium expreſſos conflictu iaculabatur. Iterum ſoles reuocabat, fugabat nubes, tranquillabat ventos, ſerenitatem inducebat, nihilq; erat, quod illi virgæ, tanquàm ſceptro non famula- C retur. At verò vbi virga, Aaronis manu elapſa, in humumq; proiecta, neq; arte, neq; conſilio moueretur, Deus bone! quàm ſæui in faciem draconis induebatur, quantùm in imis præcordijs virus includebat, quàm tetrum ab oculis venenum expirabat, qualem in toto ore ſæuitiam anhelabat, quanta voracitate minores ſerpentes heluabatur. Quid hoc? Profectò virga illa ſapientiam mihi adumbraſſe videtur, & prudentem regni adminiſtrationem. Fuit ſymbolum ſapientiæ, & regiminis prudentis. D Dùm enim ſapienter adminiſtratur imperij clauus, dùm iura non imperitè diſponuntur; nemo eſt, qui præceptis iubentis obſiſtat, legibus opponatur, minimo nutui aduerſetur, cùm nihil ſit difficile quod ſapienter imperatur. Sed vbi Reipub. gubernaculum è manu ſapientis extorquetur, ſuperi boni! quæ labes, quæ pernicies exiſtat? quis gurges, quæ vorago conſequatur, neceſſe eſt? Deficiente in gubernatoribus Sapientiâ, regna vilescunt. Tranſuersè aguntur omnia; occidit pudor, triumphat audacia, libido dominatur; omnia vitiorum genera graſſan-

graſſantur, omnes virtutum chori in exilium compelluntur, ſceptrum deniq; ipſum, nihil minus videtur, quàm ſceptrum; nihil potiùs repræſentat; quàm colubrum ſuorum ſanguine Ciuium ſaginatum, in communem Patriæ ſalutem atrociter ſæuientem; in totius labem & perniciem ſanctitatis immaniter ſibilantem. Ecquis non fatebitur, ſapientiam D. Thomæ fuiſſe virgam prodigiorum operatricem. Quod enim maius prodigium eſſe poteſt, quàm hominem in anima lethaliter ægrotantem ſanare; hoc tamen præſtitit ſapientia D. Thomæ Sapien. 9. *Per ſapientiam ſanati ſunt, quicunq; tibi placuerunt ab initio.* Duo quippè Deus homini conceſſerat in prima eius formatione, ſcilicet imaginem & ſimilitudinem ſuam. Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Vbi imago ex vnanimi PP. ſententiâ, ad naturam, ſimilitudo ad gratiam refertur. Cùm imago ſignificet factum hominem intelligentem, & liberum, ad inſtar Dei ſpiritualem animam habentem, cum ſuis potentijs diſtinctis, nimirum; memoriam, voluntatem, & intellectum, ad inſtar diuinæ Triadis. Similitudo autem ſignificat ſapientiam, iuſtitiam, bonitatem, ac ſanctitatem, quibus omninò homo ſimilis Deo efficitur. Sed quia ſimilitudo Dei, per peccatum in homine penitùs deſtructa, imago quoq; Dei deturpata manſit. Sapientia itaq; incarnata, ſua morte læſam in homine imaginem, & ſimilitudinem reparauit. atteſtante Irenæo aduerſus hæreſes lib. 3. Cap. 20. *Longam* inquit, *hominum expoſitionem* (id eſt; ſententiam, maledictionem, pænalitatem) *in clypeo recapitulauit, in compendio nobis ſalutem præſtans, vt quod perdideramus in Adam, videlicet, ſecundùm imaginem & ſimilitudinem Dei eſſe, hoc in Chriſto Ieſu reciperemus.* Quia tamen ſæpiùs homo, ab hac Dei imagine & ſimilitudine, per errores fidei degenerat, ideo ad ſanandum hunc eius morbum, ſapientiâ Diui Thomæ opus erat, vt per illam homo ſanaretur, & reconciliaretur Deo, iuxta illud Salomonis Sap. 9. *Per ſapientiam ſanati ſumus.*

D. Thomę Sapientia fuit prodigiorum operatrix.

Sapien. 9.

Gen. 1.

S. Irenæus.

Sapien. 9.

Recogitate quæſo, quo pacto Arca illa fœderis, in fortunatam oram, lacte ac melle manantem, introducta fuerit; ventum erat ad fluuium totius Idumææ celeberrimum; ſeorſim verò diuinis literis cantatiſſimum Iordanem. Qui per id tempus niuibus è Libano ſolutis intumeſcens, tâm longè latèq; effundebatur, vt nullis ripis circumſcribi, nullis montibus cõèrceri poſſe videretur. vbi tamen illi, quorum humeris diuinum illud monumentum nitebatur, primam Iordanis vndam illato pede contigerunt; ecce tibi (ô rem ad omnium admirationem ſæculorum memorandam) fluctus omnes magno impetu â capite defluentes retroaguntur; & quia diuina quadam vi retrorsùm ire vetabantur; alijs verò â tergo vndis propellentibus, rursùm omninò cedere non valebant, in immenſos aquarum cumulos paulatim glomerantur; & tanquàm obiecta crepidine, ne miſerandam diffluant in ſtragem, à Deo ſuſtinentur. Illi verò, qui ab eo loco verſum mare excludebantur, partim ſubterraneis hauſti voraginibus ſubſidunt, partim celeriori curſu; quàm vnquam alias, in mare dilabuntur: ita, vt quâ paulo ante efferueſcentes vndæ intumuerant, liberum ſpatium relinqueretur, quo non modò Arca, ſed copiæ vniuerſæ, quadrato agmine incedentes, ad vlteriorem ripam deducerentur. Sic planè orbem vniuerſum, grauiſſimi errores impleuerant, triumphabant hæreſes per omnia Chriſtianorum regna, ſupra modum diſſeminatæ, premebatur innumerabili Manichæorum exercitu orthodoxa Eccleſia, ſed poſtquàm D. Thomas ſuos huic diuinæ Arcæ humeros ſubmiſit, ecce tibi protinùs victa hæreſis cecidit; & quemadmodùm ad ſeptem illas tubas, Arcam fœderis præeuntes, ac incredibili ſonitu concrepan-

Eccleſia humeris S. Thomæ fulcitur.

crepantes, firmissimæ vrbis mænia, suis veluti conuulsa fundamentis corruerunt; sic D. Thomæ sapientiâ, quasi virgâ ferreâ, castigata quorumuis blasphemantium ora conticuêre. Quia Angelicus Doctor vno ictu, totum Manichæorũ deleuit exercitum. Cum *magno quodam ictu* (vt testatur Trugillo) *percussit palmâ mensam: dicens; conclusum est contra Manichæos.* Neq; minùs potens extitit sapientia Diui Thomæ, ad domandas omnes in eius corpore affectiones, vt quasi virgam vigilantem veritus eius appetitus, nihil vnquàm impurum concupisceret. Considerate quæ pietas? quæ Religio? quæ diuinarum legum obseruantia in animo illius, ante maturam ætatem plenè adoleuerant. Mores, qui in aula semper esse solent prætextati, procul à D. Thoma semper abfuêre; licentia, quæ sumam potentiam plerumq; comitatur, longissimè ab eo exulauit: superbia, quæ editissima fastigia incessit, ab animo D. Thomæ deturbata fuit: iracundia, quæ vbi metus est, procaciùs debacchatur, penitùs in eius pectore consopita fuit. Cæteræ cupiditates, quæ in iuuenili flore ætatis audaciùs erumpunt, violentiùs tumultuantur, difficiliùs cõercentur, tanquàm turbines in serenato mari posuêre. Et quid miraculo propiùs esse potest, quàm iuuenem inter delicias non diffluere? Diuitem inter opes non insolescere? Comitem ad magna quæuis natum, in magna fortuna non insultare? Quid magis affine & geminum portento, quàm eum, cui nimium licet, liberè minimum? eum, cui omnes obsequuntur, obsequi rationi? eum, quem reliqui formidant, verum Deum formidare? Hæc tecum pietas, hæc religio, ô Diuinissime Thoma, nata est, hæc tecum adoleuit; hæc tecum ad vltimos annos permansit, vt licèt in mortali corpore; verus tamen Angelus appareres.

Trugillo.

Virtutes in D. Thoma cum ætate augmentũ sumebant.

Vitia ab illo procul exulabant.

Hinc meritò apud DD. in disceptationem venit, vnde nam Diuus Thomas nomen Angelici Doctoris meritus & consecutus sit. Et licèt è duobus tantùm fontibus potuerit emanare, Doctrinâ videlicet; & vitâ: incertum tamen est, vtro horum ex fonte potissimùm emanauit. A doctrina tàm illustrem appellationem defluxisse, suadent Auctoritas, & ratio. Auctoritas: quia in Scriptura sacra, qui sanam aliquam doctrinam inculcant, Angeli vocantur. Sic imprimis Deus ad Moysen fatur. Exodi 34. *Mittam præcursorem tui Angelum.* Quis autem fuerit iste Angelus, qui populo ad terram promissionis anteiuit? Tertullianus lib. aduersùs Judæos cap. 9. existimat fuisse Josue, propter miracula & oracula, quibus illum populum erudiuit: *Populum*, inquit, *introducturus erat Iosue in terram repromissionis, non Moyses Angelum quidem dixit eum ob magnitudinem virtutum, quas erat edicturus, & officium Prophetæ nuntiantis; scilicet, diuinam voluntatem.* Deinde, cùm olim populus Dei esset in Galgala, & procul à lege diuina recederet: nam ex consuetudine gentilium vicinorũ, in ritus profanos & superstitiosos abierat. Ecce tibi ascendit Angelus Domini de Galgalis, & errantem populum reuocauit, labentem erexit, & ad patrios mores, sacrasque cæremonias reduxit Judic. 2. Quis porrò fuit iste Angelus? Respondet Lyranus ad eum locum ex veterum Hebræorum doctrina, fuisse egregium ducem illius populi, nomine Phineen, qui ratione muneris, quod obibat, docendo & erudiendo populum, meruit Angelus appellari. Comprobat D. Paulus Galat. 1. inquiens: *Licèt Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauerim vobis, anathema sit.* Quorsùm enim nominatim dicit: *Angelus de cælo:* An certè aliquis Angelus potest esse de terra? Potest equidem interprete D. Chrysosthomo ad eum locum: quia Doctores qui veram mundo producunt nuntiantque doctrinam, non immeriò Angeli de terra appellantur. Hinc Jacobus in sua illa

Nomen Doctoris Angelici vnde sortitus Diuus Thomas.

Exodi 34.

Tertullia.

Iudic. 2.

Lyranus.

Galat. 1.

S. Chryso.

suâ illâ mysticâ scalâ, non solum vidit, proprios Angelos ascendentes de cælo, sed etiam mysticos, puta, Doctores ascendentes de terra. Per vtrosq; enim Dei Ecclesia instruitur, & ad pietatem informatur. Hinc duos illos Ioannes, Baptistã & Euangelistam, ipsemet Christus Angelos appellauit. De Baptista enim dicit Malach. 9. *Ecce mitto Angelum meum,* Malach. 9. *& præparabit viam ante faciem meam.* De Euangelista verò Apocal. vltimo loquitur: *Ego Iesus misi Angelum meum* Apoc. vlt. *testificari vobis hæc in Ecclesijs.* Vterq; ergo Angelus ex eo dicitur, quia viam monstrat; quia veritatem testatur, hoc est; quia veram sanamq; doctrinam hominibus inculcat. Ergo quoniam S. Thomas, adeò salubres doctrinæ fontes, vniuersæ Ecclesiæ propinauit, non immeritò Angelus appellatur. Ratione autem sic propositum ostendo: quia Angeli sunt quidam inter Deum & homines internuntij; iuxta illud Psal. 103. *Qui* Psal. 103. *facit Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* seu, vt Chaldæus Chaldæus. vertit: *Qui facit nuntios tuos veloces, sicut spiritus; & ministros tuos fortes, sicut ignis.* Quasi diceret: Qui Angelos tuos nuntios & legatos constituis, vt inter te & homines velocissimè intercurrant. Quia, vt docet Hebr. 1. D. Paulus Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Confirmatq; Psalmista Psal. 90. Psal. 90. *Angelis*, inquit, *suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* In quem locum S. Bernardus scribens; diuinam erga homines prouidentiam admiratur. S. Bernard. *Ne quid*, ait, *in cælestibus vacet ab opere solicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium custodiæ nostræ deputatos, nostros iubes fieri pædagogos.* Atqui Doctores, etiam legatorum & nuntiorum munere apud homines funguntur, iuxta illud Diui Pauli Ephes. 5. Ephes. 5. *Legatione fungor in catena.* Ergo quoq; illi debent Angeli vocitari. Cùm itaq; D. Thomas Doctorum princeps extiterit, ac proinde diuinus quidam in terris legatus seu nuntius, & diuinæ voluntatis interpres, meritò Angelici Doctoris titulo debuit insigniri.

Quibusdam videtur hoc cognomentũ à vita potiùs emanasse, & Angelicæ vitæ meritò Angelicum Doctorem esse. Omnes enim illi, qui in terris vitæ puritatem colunt, non paruam habent cum Angelis cognationem, vt eruditè docet Petrus Chrysologus Serm. 147. *Semper*, in- Chrysolo. quit, *est Angelis cognata virginitas; & si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere maius est, quàm habere: esse Angelum felicitatis est; virginem esse virtutis; virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.* Præterea, quia illustria cognomenta, à præcipuis victorijs oriuntur. Atqui Diuus Thomas illustriorem victoriam de concupiscentia: quàm de ignorantia reportauit: cùm concupiscentia multò acrior sit hostis, omni viperâ sæuior, omni flammâ vehementior, omni leænâ truculentior, omni tigride crudelior, omni denique ferâ immanior. Vt docet D. Augustinus Serm. 250. de tempore inquiens: S. August. *Inter omnia Christianorum certamina duriora sunt prælia castitatis.* Ergò à victa potiùs concupiscentiâ; quàm ab expulsa ignorantiâ Angelicus Doctor appellatur. Cùm Leuita Martyr lapidibus quateretur: *Ecce video cælos* Actor. 6. *apertos.* Actor. 6. dicebat. At cur Stephano cælorum claustra reserata fuêre? Respondet Sacer textus: quia Angelica puritas resplendebat in eius facie: *Et intuentes*, inquit, *eum omnes,* Ibidem. *qui sedebant in concilio, viderunt faciem Angeli.* Reserata igitur fuere cælestia limina, ciuem cælicum exceptura Angelicis choris sociandum. Sic concludit D. Augustinus homil. 15. de Stephano: *Tanquàm*, ait, *ostenso si-* S. August. *gnaculo in specie Angelorum, patefactæ sunt ei cælorum portæ.* Quasi diceret: dùm Stephanus Angelicam puritatem imitatur, signaculum obijcit cæli custodibus, vt claustra cælorum patefiant. Ergo pariter D. Thomas Angelus ex puritate virginea, meritò, auolat ad superos, ei claustra reseran-

ſerantur ſuperna, aſcendit ad thronum ſapientiæ immortalis, occultiſſima arcana penetrat: quæ quidem tot libris exponit, non ſolùm tanquam credens, ſed quodammodò tanquam qui Angelicis luminibus ſpectauit. *Angeli vident faciem Patris, qui in cœlis eſt.* Vtraque ſententia fateor optima: Crediderim ego tamen D. Thomam Doctoris Angelici appellationem ob eximiam pulchritudinem ſortitum eſſe. Pulcher admodùm erat D. Thomas, quia membrorũ proportioni, modeſtiæ fulgor adijciebatur, ſpecioſiſſimi ſpiritus documentum. Cùm videret Stephanus cælos apertos, & JESVM ſtantem à dextris Patris, Spiritum Sanctum non aſſeruit ſe vidiſſe. Cauſa eſt: quia in pectore eum continebat: *cùm eſſet plenus Spiritu Sancto.* Igitur fulgores illi pulchritudinis Stephani (cuius faciem Angelicam mirati ſunt Hebræi Proceres: *Viderunt faciem eius ſicut faciem Angeli* Actor. 6.) à Spiritu quo plenus erat Leuita profluxêre; vt cenſet Hilarius Arelatenſis homil. de Stephano: *Abſcondita*, inquit, *pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant. Habens intra ſe Spiritum Sanctum, os geſtabat Angelicum.* ô Thomam Angelicum! Quid mirum, quòd Diuus pulchritudine abripiat oculos velut cælum ſtellatum, cùm Spiritus Sancti pectus eius domicilium ſit. Neq; tantùm ſpiritus Diui Thomæ Angelicus eſt, ſed & facies eius, & corporalia membra, externa conſtitutio, viſibiles ſenſus, ſortiuntur cum Angelis contubernium. Equidem tanta fuit D. Thomæ exiguo annorum curriculo ſapientia, vt neceſſum fuerit Spiritum, in externam corporis conſtitutionem, ſapientiæ molem profundere, vt tanto oleo non deficerent vaſa. Vnde corporei oculi Thomæ, velut ſpiritus aſpiciebant. Senſus omnes externi inſtar ſpiritualium potentiarum, ad obiecta ſapientiæ deferebantur. Mentem expendo illuſtri Regum teſtimonio. De Dauidis pulchritudine loquitur Scriptura 1. Regum 16. *Erat adoleſcens rufus & pulcher aſpectu.* Theodoretus verò legit: *Erat rufus in pulchritudine oculorum.* Additq; vlterius: *Imitabantur enim animi oculos oculi corporis: illi enim acutè cernebant, & eum qui non cadit ſub aſpectum.* Quaſi diceret: tam acuti & perſpicaces erant oculi Dauidis, vt æmulatores luminum ſpiritus, ſeu animæ potentiarum, ea quæ non cadunt ſub aſpectum; ſpiritualia videlicet; & cæleſtia myſteria penetrarent. D. Thomæ vel conſtitutio externa Angelica eſt, corporei oculi ſpiritualia quodammodò inuiſibilia vident: tantæ enim ſapientiæ quaſi incapaces ſenſus interni, in externos, ſapientiæ fluuios è mentis pelago profuderunt, vt cunctam corporis conſtitutionem, ſubtiliſſimum mutari in animum neceſſum fuerit. Immò & reliqui ſenſus ſeſe vt ſpirituales gerere videbantur. Sic de illo teſtatur Epiſcopus Equilinus: *Ex ſtudij*, inquit, *contemplatione nimia, adeò à ſenſibus Thomas abſtrahebatur vt quaſi in extaſi raptus, nullis ſenſibus, vel motibus corporis vti videretur ad externa. Non ſolùm enim inter homines non aduertebat; ſed nec viſibilia videbat, nec ad interrogata reſpondebat, velut non audiens. Aliquando etiam tanto feruore mentis ſtudio inhærebat, vt de nocte ad librum ſedens, & candelam manu tenens, ac ipſius candelæ conſumptæ cauterium non ſentiens, digitos multa aduſtione lædebat, & quaſi lapis eſſet, vel ferrum.* En oculos, aures, manus; ſciliet, viſum, auditum, tactum Thomæ, à viſibilibus obiectis abſtractum ideo, vt ſpiritui velut conuerſus in potentias deſeruire valeret, Angelumque non hominem ſe eſſe monſtraret.

Actor. 6.

Ibidem.

Hilarius Arelaten.

1. Reg. 16.

Equilinus.

Supremus ille legiſlator Deus, ſuas leges marmoreis inciſas tabulis, in Arca fæderis, tanquam veriſſimo ſapientiæ prototypo aſſeruari voluit, quò faciliùs inuiolatæ permanerent. Palam faciens, ſapientiam legum conſeruatricem eſſe: quibuſcunque enim rebus aliquid efficitur, ijſdem potiſſimùm conſeruari debet. Sic res

Sapientia legũ conſeruatrix.

res omnes corporeæ cùm ex quaternis qualitatibus cæterarum principibus coalescant, non aliter conseruantur; quàm si illæ inter se perpetuam in concordiam copulentur. Quod si vna in eo choro vel sopiatur, vel ardentiùs solito excandescat, illico totius corporis structura dissoluitur. Quis autem negabit ad legem condendam, profundam sapientiam, multarumq; rerum notitiam requiri. Certè veteres illi legum molitores eâ fuerunt præditi sapienriâ, vt non humanam solùm, sed diuinam habere crederentur. Minos enim Cretensis, in Dictæum montem Iouis incunabulum subinde ingressus, Numinis colloquio se frui, & ab eo latas leges accipere dictitabat. Lycurgus Delphicum ad oraculum profectus, ab Apolline se doctum simulabat, quicquid legum Spartanis tradidisset. Pompilius in Ariario luco delitescens, mentiebatur se Mineruæ monitu eas leges promulgare, quæ Reipub. forent salutares. Et vt missis commentitijs, ad veritatis exempla descendam: Moyses in Sinæ verticem euadens, densa caligine circumfusum, & crebris ignibus inter nubes coruscantem, non ab humana, sed planè à diuina sapientia expressit eas leges, quæ Hebræis traditæ, nostra in sæcula, veluti per manus redundarunt. Si ergo ad condendas leges multùm valet sapientia, quantò magis ad seruandas valebit? Tollite è Repub. sapientes viros; ignaros inducite, & imperitos: de legibus procul dubio actum erit: omnes sine discrimine impunè violatæ interibunt. Vt enim sine gubernatore, clauus præsidium habere nullum potest, quominus ad scopulos nauis allidatur; ita leges, nisi à sapiente viro tractentur, conferre Ciuibus nihil poterunt, quominus per omnes scelerum voragines deuoluti ad interitum rapiantur. Ergo ne humana temeritas diuinas leges violare præsumpsisset, in Arca fœderis eas includi necessum erat. An non pariter incarnata Sapientia, vbi ad hominum fese consortium demisit, leges Euangelicas in D. Thoma velut in altera noui testamenti arca inclusit? qui eas contra Hæreticorum insultus acerrimè defenderet, & contra quosuis blasphemos constanter tueretur. Vt proinde nihil magis pestifera Hæresis inclamet, præter illud: *Tolle Thomam & dissipabo Ecclesiam.* Quippe per scientiam D. Thomæ Ecclesia Sancta velut columna immobilis solidata est. Haurite obsecro hanc veritatem ex ore Sanctorum Pontificum: ac imprimis Vrbani V. qui in Bulla ad Tolossanum Collegium, affirmat Dei Ecclesiam Beati Thomæ illustratam doctrinâ, scientijsq; adornatam esse. *Attendentes,* inquit, *quantâ à Deo scientiâ ditatus, ordinem Fratrum Prædicatorum, & vniuersalem Ecclesiam illustrauerit, ac Beati Augustini vestigia insecutus, eandem Ecclesiam doctrinis & scientijs plurimis adornârit.* Reuoluite omnia sancta Concilia, in quibus nihil definitum, nullum constitutum Canonem reperietis, nisi ex S. Thomæ doctrinâ. Sic in Lugdunensi sub Gregorio X. Constantiensi sub Martino V. Viennensi sub Clemente V. Florentino sub Eugenio IV. in quibus omnibus sic Sancti Thomæ doctrina præfulgida, sic Hæreticis formidabilis; vt quemadmodùm lumen sanctis Concilijs; sic perpetuus Hæreticorum malleus fuerit. Accipite Dei oraculum ex sanctissimo Pio V. in Bulla, quâ inter celebres Ecclesiæ Doctores eum annumerauit. *Sed quoniam,* inquit, *omnipotentis Dei prouidentiâ factum est, vt Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cœlestibus ciuibus adscriptus est; multæ quæ deinceps exortæ sunt hæreses confusæ, vt cunctæ dissiparentur, quæ & antea sæpè, & nuper in sacris Tridentini Concilij decretu liquidò apparet.* Immo tanti doctrinam D. Thomæ æstimauit mater Ecclesia, vt nulla Concilia sine eius doctrinâ celebrari vellet, acclamantibus in eius festo Tridentini Concilij Patribus. *Nulla proinde*

Lycurgus,
Pompilius
Moyses.
Ob defectum sapientum leges nutant.
Vrban. V. Papa.
Concilia & Canones Ecclesiæ fundantur in doctrina D. Thomæ.
Pius V. Papa.
Trident. Concil.

proinde ab eius felici transitu Concilia sine sacro Doctore celebrata sunt. Neq; mirum: quid enim falsitatis eius doctrina habere potest, qui ab ipso Deo sapientiæ plenitudinem accepit, vt testatur Sanctissimus Pontifex Ioannes XXII. in sua Bulla Canonizationis inquiens: *Nam & in primitiuis scientijs & diuersis Philosophiæ partibus, vt non esset otiosus, sed operaretur terram; nec non in sacræ scripturæ pagina, tam super nouum; quàm vetus testamentum scripta, plurimaq; alia opera, in Dei laudem, fideiq; dilatationem, eruditionemq; studentium data, non ablq; speciali Dei infusione perfecit.* En quam potens sapientia D. Thomæ, ad custodiendas & conseruandas leges, vt nulla lex tàm Ecclesiastica, quàm ciuilis rectè ferri possit, quæ in doctrina D. Thomæ fundamentum non habeat.

Ioan. XXII Papa.

Sed venio iam ad Manna illud in Arca fœderis asseruatum. Quid est obsecro, quod ad voluptatem propius accedere videatur, quàm diuinum illud nectar è cœlo in Hebræorum epulas effusum? Cuius si nouitatem contempleris, admirabundus exclames: *Quid est hoc*: tanquam si exoticum esse condimentum deprehendas, nullam in cœnam aliàs inuentum: quamuis diligenter exquisitum. Si pulchritudinem spectes, videre tibi videaris rorem, in pellucidos orbes conglobatum, flosculos miro candore intermicantes, gemmas summo artificio expolitas. Si saporis lautitiam attendas, quicquid vnquam artis, & naturæ vestigauit industria, ad torpentis gulæ fastidium excitandum, totum id vno in ferculo sentias mirabiliter inclusum. Iam pauos Samios, Phrygias Attagenes, Colchicos Phasianos edere te putes: iam Tarteſſias Murænas, Ostrea Tarentina, acipenseres decumanos tibi dari in cibum credas: modò glandes Ibericas, nuces Ponticas, palmas Idumæas apponi coram arbitreris: modò Attica bellaria, adorea tregemata, florem nectaris, medullam mellis existimes degustare. Quid magnificentius? quid præstantius fingi posset? valeant adijciales dapes magno impendio præparatæ, pontificiæ cœnæ incredibili luxu institutæ facessant omnes: conuiuia ab Antonio indicta, vbi tot fercula, quot sunt ferculorum nomina, apponi dicebantur, ab hominum memoria penitus abdicentur. Vnum hoc conuiuium tàm fuit amplum, tàm splendidum, vt omnia honestissimæ voluptatis blandimenta complecteretur. Verùm, vbi censetis tam iucundas epulas diu conseruari potuisse? In agrisne effusas ac dissipatas? Ast vbi primùm die iam adulto meridianus calor, nullo flatu temperatus augebatur, quam primùm immodico æstu tepefactæ soluebantur. Vbi igitur? Priuatisnè in tentorijs seclusas? At si quis ad rem auidior; quàm par erat, earum vel tantulam portionem proximam in diem conseruabat; ecce tibi cœlestis illa infici pulchritudo, fuligine candor obtegi, sapor cum nidore commutari, tota deniq; situ obduci, tota obrui squalore, tota in vermes solui, in corruptionem abire, in nihilum postremò exhalari. Vbi tandem, cùm nihil reliquum esse videatur? sola Arca supererat, in qua incluſæ dapes, neq; solis ardore soluerentur, neq; vllo naturæ vitio contabescerent: sed recentes & incolumes se in posteram ætatem conseruarent. En vobis similem noui testamenti Arcam, Diuinissimum Thomam Aquinatem, in qua æterna sapientia, quasuis delicatissimas dapes recondidit: quibus vniuersus terrarum orbis abundè reficiatur & exsatietur. Manna illud cælitùs lapsum exsatiabat omnium appetitus: vnius Thomæ pariter doctrina sufficit ad eruditionem omnium. Sic censet Gennadius Constantinopolitanus Patriarcha, D. Thomæ solùm scriptis addictum, nullius ampliùs indigere affirmans: *Ego*, inquit, *si quis scriptis D. Thomæ animum adhibuerit, hunc nullis alijs indigere opinor.* Quippè Doctrina Sancti Thomæ est ad in-

In manna omnes sapores fuerunt.

Gennadi⁹.

ad instar illius colli, quod Salomon in Canticis turrem munitissimam vocat, à qua *mille clypei pendent omnis armatura fortium.* Si enim doctrinam huius sancti inspicis, profectò in ea non adductos sed imbibitos Augustinos Ambrosios, Athanasios, Chrysosthomos, Nazianzenos omnesque Patres, ac omnem tantorum fortium armaturam reperies. Hinc rectè Titelmanus eum appellat: *Theologorum Theologum, alpha literarum omnium, veritatis vnicum artificem, Architectum literarum omnium, & nouissimum omnium, rigans montes de superioribus suis, de fructu operum suorum satians terram.* Quis enim Theologus aliud, quàm D. Thomas promit? Quæ alia materia Theologis suppetit, nisi Thomistica. vnde meritò Ioannes XXII. Pontifex, in Bulla Canonizationis, eius doctrinam in sempiternum non defuturam proclamat: *Cuius*, inquit *doctrina non deficiet in æternum.* Quòd à Sancto Francisco Assisinate reuelatum esse, Joannes à JESV MARIA Discalceatus lib. 5. cap. 8. in sua arte bene viuendi, affirmat. Cuidam enim ex sua familia, in quadam perplexitate quæstionis ad D. Thomam accurrere dubitanti, cùm D Thoma S. Franciscus apparens dixit: *Crede huic, quia eius doctrina non deficiet in æternum.*

Cantic. 4.

Titelmanus

Ioan XXII Papa.

Ioannes à IESV MARIA.

Atq; eam ob causam Innocentius VI. D. Thomam Salomoni præfert: *Ecce*, inquit, *plusquàm Salomon hic.* imò doctrinam eius secundo post Scripturam sacram loco ponit, vt refert Petrus Bergonius in sua tabula aurea Venetijs excusa Año 1497. *Huius autem Doctoris doctrina, præcæteris, exceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum; ita, vt nunquàm qui eam tenuit inueniatur à tramite veritatis deuiasse: & qui eam impugnauit, semper fuit de veritate suspectus.* Et Concilium Chalcedonense actio. 3. impium & sacrilegum esse censet, qui aliter à D. Thoma sentit: *Verè*, inquit, *impius & sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententias, opinioni suæ aliquid tractandum reliquit.* Et meritò, quoniam Vrbanus V. ad Tholosanos scribens, præcipit doctrinam S. Thomæ sequendam: *Volumus*, inquit, *insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt B. Thomæ doctrinam, tanquàm veridicam & Catholicam sectemini, eamq; studeatis totis viribus amplexari.* Proinde mille encomijs extollendas esse censeo illas sacrosanctas congregationes, & vniuersitates, quæ se huic doctrinæ mancipârunt, huic scientiæ addixerunt. Talem reperio inclyti Carmelitarum Discalceatorum ordinis constitutionem p. 1. cap. 9. n. 6. Talem video sapientissimam & nunquàm satis laudandam congregationem Clericorum Regularium Minorum, quæ parte 1. Constitut. cap. 32. n. 3. de doctrinis prælegendis sic præcipit. *Ad hæc quæ doctrina in his tradendis scientijs prælegetur, ea sit, quæ securitate ac soliditate præstet: vnde in Philosophia Aristotelis doctrina vt plurimùm complectenda; in Theologia D. Thomas, vt dux eligendus: eiq; summo studio inhærendum.* Quid dicam de celeberrimis Academijs, quarum sic aliquæ ad doctrinam D. Thomæ addictæ reperiuntur, vt facta eis sit connaturalis, pro gloria honoreq; Thomisticum præferentes nomen. Sic fulgida Parisiensis Schola, in laudem defensionemq; D. Thomæ (vt refert Petrus Bergomensis in tabula aurea) promit: *Præsertim cum fuerit vniuersalis ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Vniuersitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes qui vias vitæ, & Scholas doctrinæ ingrediuntur, lumen vident claritatis.* Taceo de Tholosana, Eborensi, Complutensi, vnam admiror, summisque extollo laudibus Salmanticensem, quæ post quadringentos ferme annos, post omnium scholasticorum exploratam doctrinam, post examinatas quæstiones, post ventilatas conclusiones maturo consilio, vt sibi Hispaniæq; inclytum ac æternum compararet nomen, & firmiter

Innocentius VI. Papa.

Bergonius.

Concil. Chalcedo.

Vrban. V. Papa.

Ordo Carmelit. Discalc. doctrinam S. Thomæ profitetur.

Congregatio Cleric. Regul. Minorum.

Academia Parisiensis.

Petrus Bergom.

Academia Tholosana Eborensis, Complutensis, Salmanticen. Cracouiensis.

firmiter perpetuò in ſoliditate Petræ ac angularis fundamenti ſiſteret, non ſolùm D. Thomæ præelegit, ſed iurauit doctrinam. Noſtra vero Cracouienſis Academia, adeò cordi habet doctrinam D. Thomæ, vt ne digitum quidem ab eo diſcedere velit. Sed quid mirum, quòd omnes Theologi, omnes Academiæ, omnes SS. PP. doctrinæ S. Thomæ acclament, cùm illa ſit, cæleſte quoddam edulium, mannâ Hebræo longè præſtantius, in quo omne delectamentum continetur. Quippè doctrina Sancti Thomæ eſt illa Ezechielis aqua, quæ cùm vna die, primò ad talos, ſecundò ad genua, tertiò ad renes, quartò ſic profunda intumeſcebat, vt Prophetæ impoſſibile eſſet tranſuadari Ezech. 47. *Menſus eſt mille cubitos torrentem, quem non potui pertranſire, quoniam intumuerunt aquæ profundæ torrentis, qui non poteſt tranſuadari.* En vobis prodigium doctrinæ Sancti Thomæ, quam dum quiſpiam legit, illicò ſe lumine quodam afflari perſentit: Diſcutit eam puer, & intelligit: iuuenis percurrit, & accipit: vir luſtrat, & repletur. At in quolibet ex articulis, etſi omnes pertranſierit, in vltimo tamen tanta quemlibet perſtringit profunditas, ſic aquæ intumeſcunt ſapientiæ, vt quamùis altus, quamùis prægrandis, quàmuis Propheta accurrat, tranſuadere non poſſit. Neq; hoc mirandum putabis, ſi modum, quo S. Doctor talem obtinuit ſcientiam, attenderis. *Præmittebat diuina* (dicit de eo Sanctus Pontifex Joannes XXII. in Bulla Canonizationis ipſius) *vt roboraretur in ſchola, cùm ſingulis diebus, antequàm lecturus aſcenderet Cathedram, vel diſtraberetur ad alia, miſſam vnam celebraret, aliam audiret: vel duas integras miſſas, ſi non celebraſſet, audiret: in quibus, & alias in oratione, cùm in illa foret aſſiduus, lachrymarum effuſione mentis ſuæ dulcedinem, deuotionemquè Deo, cui nihil eſt abſconditum, reuelabat.* En modus acquirendi profundiſſimam doctrinam, Miſſæ ſacrificium, continua oratio, profuſus lachrymarum imber, pinguiſſima deuotio. Cùm itaque B. Thomas mentis ſuæ dulcedinem Deo reuelaret, ipſe Deus ſuam illi ſapientiam ac doctrinam infundebat. Propter quod Pius V. in Bulla, quâ eum inſacris Doctoribus reponit, eius ſcientiam, *certiſſimam Chriſtianam regulam*, appellat. Clemens verò VI. in Bulla ad Nobiles Ciuitatis Neapolitanæ, doctrinam eius vocat *cæleſtem*: ipſum verò, *diuinæ voluntatis Angelicum interpretem*: libros eius ſine vllo prorſus errore conſcriptos. *Doctrinæ*, inquit, *teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille in breuiſſimo tempore, in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine ac mira perſpicuitate ſine vllo prorsùs errore conſcripſit.* Cuius rei firmiſſimam addit rationem, ſubiungens: *In quibus conſcribendis interdum SS. Apoſtolos, Petrum & Paulum colloquentes, locoſq; aliquot Dei iuſſu enarrantes habuit, & quos deinde conſcriptos, expreſſa Chriſti Domini noſtri voce approbatos audiuit.* ô quantum elogium ſanctiſſimæ doctrinæ, Magiſtros non homines huius vitæ, non quoslibet ſanctos, ſed ſupremos Chriſti Apoſtolos habere, & ne Authoritatem in dubium ipſemet ex humilitate reponeret, ipſe Chriſtus eos approbauit. Si ergo D. Paulus ſuum Euangelium inde maximè verum eſſe probat, quia non ab homine illud didicit, ſed à Chriſto: ad Galat. 1. *Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Sic planè dum audio doctrinam ſuam, non ab hominibus Thomam accepiſſe, ſed à SS. Apoſtolis, & à Chriſto approbatam, parum abeſt, quin illam, Euangelium appellem.

Ezech. 47.

Ioan. XXII

Pius V.

Clem. VI.

Ad Gal. 1.

Quodſi ſapientiſſimus Salomon, vt beneficia ab Arca fœderis in parentem ſuum Dauidem collata, aliqua ratione compenſaret; templum illud religione auguſtum, magnitudine immenſum, artificio viſendum, diuitijs portentoſum, operibus nunquam ſatis admirandum excitauit; in quo Arca ſolemni pompâ collocata, ad totius ſplendorem & vtilitatem im-

tem imperij seruaretur. Et vos pariter Arcam hanc noui testamenti, Diuinissimum Thomam, cuius immensa beneficia in sapientiæ domicilijs, in dies percipitis in templo Dei, ad singulare ornamentum & propugnationem Ecclesiæ, atq; Religionis sanctæ collocatam, submissis animis adorate & veneremini.

DIE SANCTI IOSEPH.

CONCIO PRIMA.

Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph. *Matt. 1.*

Inter B. Virginem, & Sponsum eius Ioſephum fuit æqualitas moralis.

IMportunum quidem videtur diebus sanctis, & ieiunio consecratis, de matrimonio sermonem facere, cùm tempus hoc continentiæ, non voluptati; castimoniæ, non maritali gaudio potiùs conueniat. Verùm quia sanctum & immaculatum connubium beatissimorum Christi parentum, nobis hodie considerandum occurrit, de illo dicere quisq; pietatem, & summam religionem iudicabit. Video tàm profana, quàm sacra eloquia, ad feliciter faustèq; contrahendum matrimonium, illud potissimùm requirere, vt inter coniuges quantum fieri potest, sit æqualitas generis, diuitiarum, bonæ indolis, naturæ, atq; fortunæ; quòd præclarè cecinit Ouidius in Epistolâ Deiauiræ ad Herculem.

Ouidius.

Quam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci.
Tàm premitur magno, coniuge nupta minor.
Et paulo inferiùs concludit:
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Cur apud Romanos in Maio nubere non licuit.

Hinc Plutarchus Problematum 185. refert, prohibitum fuisse apud Romanos, quempiam in mense Maio nubere; quia Maius à Maioribus dictus erat, nuptias autem non cum maioribus, sed cum paribus celebrandas, legibus cautum fecerant Romani. Quod confirmant Cornelius Tacitus de Moribus Germanorum cap. 1. & Pier. lib. 3. Hieroglyph. qui tradunt hunc morem apud Germanos semper viguisse, vt cum vxores in domos virorum ducerentur, duos boues eodem iugo vnitos illis offerrent, significare volentes hoc symbolo, æqualitatem & concordiam maximè necessariam esse coniugibus. Et meritò equidem inter sponsos, omnimoda æqualitas intercedere debet; quia vt rectè dixit Anaxagoras, apud Stobæum de Philosopho Anax. *Si quis pauper pecuniosam vxorem duxerit, non coniugem, sed heram habebit, cuius sit famulus*; cui sententiæ subscribit D. Ambrosius, libro de Abraham Patriarcha cap. 1. *Offendit*, inquit, *virum, si se vxor nobiliorem nouerit.* Sed quorsum profanis fundamentis niti oportet, cùm apertè hanc ipsam veritatem sacra nos eloquia doceant? Nam in primo illo matrimonio, quòd Deus ipse in paradiso celebrauit, cùm Euam in consortem Adæ offerret, satis æqualitatem & mutuam similitudinem intercessisse declarauit, dicens: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* vbi manifestè docemur, æqualitatem quoad fieri potest, in matrimonio quæritandam esse. Nam malè accidit ijs, qui cùm sint inferiores, de statu & gradu altiori sociam quærunt; vt docet sacra illa parabola, authoritate ipsiusmet Spiritus Sancti approbata 4. Reg. 14. vbi carduus montis Libani, miserat nuntium ad Cedrum, vt suam filiam in vxorem, filio etiam suo daret. Sed ecce in pœnam tantæ superbiæ; ac prætensæ æqualitatis, ab ani-

Stobæus.

S. Ambro.

ab animantibus illac transeuntibus, acriter conculcatus est. *Transierunt*, (vt inquit ibidem sacra pagina) *bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum.* Quod & ingeniosa fabula Æsopi comprobat. Finxit ille Carbonarium rogasse fullonem, vt simul in eadem domo secum cohabitarent, cuius postulata respuens fullo, dixit. *Timeo, ne quæ ego dealbo, tu fuligine repleas.* quo responso insinuare voluit, plurimum detrimenti oboriri, ex inæqualitate & dissimilitudine secum cohabitantium. Cùm igitur ego sacrum hoc connubium inter MARIAM & Josephum, Altissimi Dei consilio celebratum esse videam, ne quid Magnæ Dei Matri derogatum esse putetur, æqualitatem singularem, non quidem mathematicam, sed moralem, cùm debita proportione, inter MARIAM & Josephum ostendere conabor. Auditores.

4.Reg.14.

Videtur profectò primo intuitu, contra dignitatem Virginis sanctissimæ esse, quòd beatissimo Josepho maneat desponsata. quia Angelicus Doctor, hoc pro fundamento vbiq; supponit, quòd Christus debuerit ex Virgine nasci; desponsata autem viro in vsu comuni, pro Virgine non habetur; quod fundamentum Sanctus Doctor deducit tali ratione: quia inquit *Si Christus non ex Virgine fuisset natus, contraxisset peccatum originale.* Fundamentum hoc Doctoris Angelici videtur esse debile, quia licet Christus non ex Virgine natus fuisset; tamen nullo modo contraxisset peccatum originale, quia hoc ex vi vnionis hypostaticæ omninò illi repugnabat. Verùm hîc mihi Diuus Thomas pro immaculata Deiparæ Conceptione, acriter pugnare videtur, quia in hoc fundamento, Virginem cum Christo, in modo contrahendi peccati originalis comparat. Quasi diceret; quemadmodùm Christus Dominus, si non ex Virgine natus fuisset, contraxisset peccatum originale, non quidem ratione personæ, quia huic ex vi vnionis hypostaticæ peccatum erat incompossibile; sed tantùm ratione humanæ naturæ, quæ quoties communi modo, ex viro & femina descendit, in peccato manet. Sic planè Beata Virgo ex mente D. Thomæ, stando in hoc illius fundamento, contraxisset peccatum originale, non ratione personæ, quatenus in Matrem Dei electa erat, quia sic per gratiam meritorum Christi præseruata & sanctificata fuit semper, sed ratione tantùm naturæ: hoc est; quòd cùm peccatum originale, non tantùm sit deprauatio gratiæ, sed etiam naturæ; fuisset in illa vnus peccati originalis effectus, quia illi sanctitas illa, quæ durante statu innocentiæ, per naturam fuisset facta, non debebatur. & quia malum ex singulis defectibus, bonum autem ex integra causa, idcircò vt illæsæ sanctissimæ Virginis dignitas, ita & integra S. Thomæ veritas stat, quòd B. Virgo contraxerit peccatum originale quoad naturam tantùm, non ratione personæ; hoc est, quoad debitum tantùm. quòd spectata precisè ipsius humanitate, debuerit in peccato concipi, non autem quo ad actualem culpæ contractionem, quia hæc personam ipsam inficit, sanctitatem, quæ fit per gratiam, auferendo.

S. Thom.

Quod ingeniosè deducit Caietanus, qui D. Thomam in locis de Conceptione Virginis commentans, sic discurrit: vtrum omnes homines morientur; siquidem statutum est omnibus mori? Et respondet, quia non: quia apertè dicit Apostolus, in Prosa defunctorum: *nos autem qui tunc erimus, rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo, & sic semper erimus cum Domino.* mouetq; vlteriùs dubium, si ergo non omnes morientur, ergo non omnes peccatum contrahent originale; quoniam mors ex peccato oritur? respondetque, licet non omnes morientur; tamen omnes peccatum contrahunt, quia sufficit, quòd omnes rei sint mortis; sic quoque sufficit, quòd B. Virgo, ratione naturæ debuerit concipi in peccato originali, licet de facto vt est talis per-

Caietanus

ret, ab illa cauere deſtitit, nec quicquam voluit ſcrutari, an intacta, an violata permaneret. Sic etiam ſcribit D. Ambroſius ſuper Lucam, vbi

S. Ambro. ait. *Non mediocris quoq; cauſa eſt, vt virginitas Mariæ falleret Principem mundi; qui cùm deſponſatam cerneret viro, partum non potuit habere ſuſpectum, vt ergo dæmonem falleret, ſapientiſſimum Dei conſilium virum quærebat, cui illam deſponderet; ſed cùm virginitas Deiparæ ſoli Deo conſecrata eſſet in templo Hieroſolymitano, ideò tali opus erat viro, qui nunquàm eius caſtitatem violare vellet.* Sed & tàm difficili inuentioni, non defuit diuina induſtria. Refert Vincentius in ſuo Speculo hiſtoriali, Aſeneth filiam magni Sacerdotis Heliopoli, pulcherrimam ſuæ ætaris feminam, & caſtitatis amantiſſimam ſtatuiſſe, nemini niſi alicui deorum illam in vxorem fore dandam, quæ cum in arce munitiſſima cùm alijs virginibus vitam honeſtè ageret? non caſu aliquo; ſed diuina ordinatione euenit, vt Joſeph Prorege Ægypti iam creato, illac prætereunte, Aſeneth ex feneſtra quadam arcis eum proſpiciens, eius modeſtiſſimæ ac prudentiſſimę pulchritudinis amore capta, in ſponſum illum ſibi eligeret. Gen. 41. Sic planè B. Virgo, omnium virginum pulcherrima, cùm ſoli Deo ſuam virginitatem vouiſſet, atq; in munita arce, quia in templo Salomonis, cum alijs Virginibus concluſa, vitam in Angelica caſtitate traduceret, ex diuina inſpiratione factum erat, vt Joſephi modeſtiâ ac virginali pudore illecta, illum in ſponſum ſuum libenter ſuſciperet. Ad quod magna eius ſimilitudo Virginem ſtimulauit, quia non decuit vt tàm ſancta deſponſatio diſpari perſonæ fieret. Sic docet D. Bernar-

S. Bernard. dus, tomo 3. Ser. de S. Joſeph. *Quomodò*, inquit, *cogitare poteſt mens diſcreta, quòd Spiritus Sanctus tanta vnione ſcilicet coniugij, vniret menti, tantæ Virginis aliquam animam: niſi & virtutum operatione ſimillimam, vnde credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimum in virginitate, profundiſſimum in humilitate, ardentiſſimum in charitate, altiſſimum in contemplatione, vt eſſet adiutorium ſimile virgini.*

Quod ſi inter homines ſorte communi cum alijs gaudentes, ea conſuetudo plerumque ſeruatur, vt coniuges in mutui amoris argumentum, veſtes eiuſdem coloris induant; ita vt ſi femina viridi ornetur veſte, ſi albâ, ſi croceâ, aut purpureâ; vir quoq; eodem veſtimenti colore incedat, illa tamen ſemper inter coniuges, diuerſitas intercedit, quòd feminæ multò pretioſiora conficiantur ornamenta, quàm viro: ſericæ enim illius veſtes auro intertextæ fulgent, manus pretioſis implentur anulis, collum aureo torque, facies inauribus, caput velamine fulgentibus gemmis diſtincto, qui exquiſitiſſimi apparatus, minimè viris in vſu eſſe conſueuerunt. Hæc omnia in ſacroſancta Virginis cum Joſepho deſponſatione, adimpleta eſſe video. Nam poſtquàm Deus Optimus Maximus exornauerat B. Virginem, inæſtimabilibus omnium virtutum ornamentis, qualia nulli vnquàm alteri creaturæ conceſſerat. Poſtquàm omnibus decorauerat illam cæleſtium chariſmatum margaritis, mox eiuſdem coloris veſtibus, Joſephum dilectiſſimum eius ſponſum, indui decreuerat, vt debita ſimilitudo, atq; morum ſympathia inter tàm ſacros coniuges minimè deeſſet. Proinde ſi rem hanc pio vt par eſt affectu altiùs contemplemur, videbimus & Virginem ſanctiſſimam, & Joſephum præ omnibus Sanctis, ad duplicem eminentiam, ab æterno ſtatim electos, & deputatos fuiſſe: illam in Matrem Chriſti Domini naturalem, hunc verò in eiuſdem legalem Parentem. Videbimus inquàm ambos ad miniſteriũ Verbi Incarnati ſpecialiter deſtinatos, MARIAM vt carnis ſubſtantiam daret Dei Filio; Joſephum pariter, vt eandem aleret, & nutriret. Atq; vt paulo altiùs dignitas beatiſſimi Joſeph aſſurgat, cum enim nomen cælitùs Sponſo Virginis oblatum, *incrementum*

significet, ideò, vt nomen rei optimè conueniat, in honoris prærogatiua crescere semper eum oportebat.

Fuit igitur inprimis inter Virginem & Iosephum, similitudo & æqualitas in genere : quia ambo de stirpe regia procreati. Sic enim illum vocat Angelus Matt. 1. *Ioseph fili Dauid noli timere, accipere Mariam coniugem tuam, quòd enim in ea natum est, de Spiritu Sancto natum est.* Subscribit D. Bernardus homil. 2. supra Missus est. Iosephum non tantùm sanguinis; sed virtutum pariter Dauidis, legitimum heredem extitisse. *Verè*, inquit, *de domo Dauid, verè de Regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior : planè Filius Dauid non degenerans à Patre suo, prorsùs inquam Filius Dauid, non tantùm à corde, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione.* Immò probabilissimè etiam censent alij, legalem Iosephi Patrem, fuisse naturalem B. Virginis progenitorem, scilicet S. Ioachim. Sic videtur scribere D. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 5. & facilè deducitur ex illo Euangelistæ, Lucæ 3. vbi B. Iosephum vocat Filium Heli, qui teste Philone Hebræo de temporibus, lingua Assyriacâ, & Ægyptiacâ, idem est; quòd Heliachim, siue Ioachim : non ideo autem Euangelista vocat B. Iosephum filium Heli, quasi ex Ioachimo natus fuerit, sed quòd ex vterino fratre eius, scilicet Jacobo procreatus sit, vt dicitur Matt. 1. *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ.* Quod disertè Cesarienſis lib. 1. Historiæ cap. 9. docet, dùm sic dicit : *Vterini erant fratres, Heli absq; prole decedente, Iacob illi semen suscitauit, & genuit Ioseph, qui naturâ filius eius erat, lege verò Heli.* Si ergo tàm arctus sanguinis nexus intercessit inter Virginem & Iosephum, quis æqualitatem generis inter eos non agnoscet.

Fuit præterea inter Virginem & Iosephum similitudo diuitiarum : non quidem temporanearum, sed cælestium, quia sicut de Virginе sanctissima dicit Angelus; *plena gratiâ :* sic nomen ipsum B. Iosephi indicat, ipsum semper fuisse abundantem & auctum in gratia. Fuit inter illos similitudo diuitiarum cælestium, quia sicut de Virgine Deipara piè credimus, quòd per gratiam IESV Christi, fuerit præseruata, ne de massa perditionis conciperetur, aut nasceretur; ita de beatissimo Iosepho concors est multorum Doctorum sententia, illum in vtero matris fuisse quoq; sanctificatum, ne cum macula nasceretur, qui Deum ipsum in suis vlnis gestaturus erat. Hæc est mens magni illius Cancellarij Parisiensis Gerson, sermone de Natiuitate Virginis : *Decuit*, inquit, *ille, vt Virgo summa puritate nitens, haberet suo modo parem sponsum purissimum : vterq; ergò sanctificationem in vtero recipiens, cum Maria plena gratiâ fomitem reprimente, mansit, Ioseph repletus gratia peccatum mortale quodlibet superante.* Et reuera si Ieremias ad vaticinandum & prædicandum de Christo, si Ioannes Baptista ad eum baptizandum, & digito commonstrandum, sanctificati fuêre in vtero materno? quantò magis consentaneum erat, vt B. Ioseph, qui manibus hoc per multos annos contrectaturus erat sanctissimum corpus Christi, sanctus ab vtero matris prodiret. Fuit insuper inter hos sponsos similitudo, & æqualitas proportionata indolis bonæ, quia sicut Virgo ab instanti conceptionis ad optimum; sic Iosephus semper ad bonum fuit inclinatus. sic de illo testatur ipsa Dei genitrix, in Reuelationibus Sanctæ Brigittæ, factis lib. 6. Reuelationum cap. 59. *Ioseph*, inquit, *nullum verbum non bonum protulit, nec otiosum, nec murmurationis, erat enim patientissimus, diligentissimus in labore & paupertate, mansuetus iniuriantibus, obedientissimus obsequijs meis, constans contra meam virginitatem impugnantes, fidelissimus testis mirabilium Dei, mortuus carni & mundo, nonnisi cælestia desiderabat.* Quibus certè summis virtutum meritis, hoc à Deo obtinuit, vt sponsus genitricis Dei esset : sic enim Salomon Eccl. 26. *Pars*, inquit, *bona, mulier*

Matt. 1.

S. Bernard.

S. Augustt.

Matt. 1.

Gerson.

Eccl 26.

lis perſona, non ſit concepta. Ex hoc ergo Angelici Doctoris fundamento, quoniam Chriſtum ex Virgine naſci oportuit, derogare videtur eius dignitati, quòd ſit deſponſata.

Sed decuit reuera, vt Beatiſſimo Joſepho deſponſaretur. primò, ex parte ipſiuſmet Virginis, vt honori eius conſuleretur. Hanc rationem tradit D. Ambroſius initio lib. 2. in Lucam. *Deſponſata fuit*, inquit, S. Ambro. *Virgo, ne temeratæ Virginitatis adureretur infamiâ, cuius grauis aluus corruptela inſigne videretur præferre, ſciebat enim Dominus teneram eſſe Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris? ſeruatur itaq; Sancta Mariæ, ſicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitas.* Confirmat D. Hieronymus qui S. Hieron. ſuper caput 1. Matthæi dicit, ideò Virginem ſanctam deſponſari oportuiſſe, ne tanquàm adultera à Judæis lapidaretur, quoniam hanc legem Judæis dederat Deus, Deutoro. 22. Deut. 22. *Si non eſt in puella inuenta virginitas, lapidibus obruent eam viri Ciuitatis illius, & morietur, quia fecit nefas, in Iſrael vt fornicaretur in domo patris ſui* Si autem Virgo noſtra virum non habuiſſet, quis ei crederet ſine viro concepiſſe? quis crederet de Spiritu Sancto, eius vterum intumuiſſe? cùm hoc inuſitatum eſſet; meliùs ergo fuit, quòd Virgo ad tempus non Virgo putaretur, quàm ſi accuſata innocenter lapidaretur: non enim violatur virginitas falſa opinione, occiditur autem innocens plerumq; falſa accuſatione. Sanctus quoque Bernardus, rationem iſtius ſanctæ deſponſationis ex parte Virginis hanc tradit, vt hoc ipſo eius virginitas, faciliùs mundo innoteſceret. *Dicam* S. Bernar. (inquit ille) *quod mihi, immò quod ante me patribus viſum erat, illa vtiq; fuit deſponſationis Mariæ ratio, quæ & dubitationis Thomæ: ſicut enim Thomas dubitando & palpando conſtantiſſimus factus eſt dominicæ reſurrectionis confeſſor, ita & Ioſeph Mariam ſibi deſponſando, eiuſq; conuerſationem tempore cuſtodiæ ſtudioſius comprobando, factus eſt pudicitiæ fideliſſimus teſtis.* Quod ſi de filij reſurrectione citiùs omnes credidimus Thomæ dubitanti, & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti; profectò & de Matris continentiâ, faciliùs ſponſo eius cuſtodienti & experienti, quàm ipſi tantùm Virgini, de ſola ſua conſcientiâ ſe defendenti, orbis vniuerſus credere poteſt.

Decuit præterea, vt virgo ſanctiſſima deſponſata eſſet, ex parte ipſiuſmet Chriſti, ne ſi Mater eius innupta fuiſſet, ipſe tanquàm ſpurius & illegitimus reputaretur? ex quo alterum facilè poterat pullulare manifeſtum incommodum, vt Meſſias eſſe minimè crederetur. Si enim perfida gens Hebræorum, leuiora quædam illi obijciebat, ad id negandum, quantò magis hoc ei obijciſſet, cùm certum atq; exploratum ex literis ſacris haberet, Meſſiam non ex illicito concubitu fore naſciturum. Hanc præcipuam rationem tradit D. Thomas 3. p. q. 29. art. 1. S. Thom. *Deſponſari ergo debuit Virgo ſanctiſſima, non tantùm vt matris famæ, ſed etiam vt Filij pariter honori conſuleretur.* Decuit tertiò, vt Virgo ſanctiſſima deſponſata eſſet, ex parte noſtra: vt non ſolùm Virgines, & viduæ, ſed & nuptæ haberent Deiparam MARIAM, tanquàm ſpeculum & magiſterium, rectè & ſanctè viuendi, ab eaq; diſcerent, quomodò ſe gerere debeant erga viros ſuos tàm fidelitate, quàm obedientiâ, & alijs virtutibus. Tum quoq; vt ex hac Sancta Virginis deſponſatione, palam nobis fiat, non poſſe Chriſtum naſci in anima orbatâ viro, vir autem & ſponſus eſt animæ Chriſtus, ſecundùm illud Apoſtoli 2. Corint. 11. *Deſpondi vos vni viro* 2. Cor. 11. *Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Vir inquam eſt Chriſtus, qui virorem pariter ac vigorem noſtris animabus, per ſuam gratiam confert. vnde miſera anima, quæ viro hoc orbata eſt, nec concipere, nec parere optimos bonorum operum fætus poteſt, vt docet ipſemet Chriſtus Ioan. 15. *Sine* Ioan. 15. *me nihil poteſtis facere.* Mollis proinde & effeminata eſt anima, quæ non

habet hunc virum, nempe Christum in se: carnisq; fragilitati, potiùs obnoxia manet, quàm Deo.

Deniq; ex parte ipsiusmet dæmonis hostis infestissimi generis humani, decuit desponsatam esse Virginem Deiparam: vt scilicet hoc facto mysterium Incarnationis, illi absconditum esset. hanc rationem assignat sanctissimus ille Martyr Ignatius Epistolâ ad Ephesios, *vt scilicet*, inquit, *partus virginis diabolo celaretur: is enim ex muliere coniugata videns, nasci Christum, non explorauit integrane, an violata mansisset illa Virgo.* Cuius arcani pulchram inuenio figuram 1. Reg. 16. vbi Dominus præcepit Samueli, vt impleret cornu oleo, perferretq; in Bethleem ad vngendum Dauid. Sed cùm timeret Samuel, *Quomodò*, inquit, *vadam: audiet enim Saul, & interficiet me.* respondit ei Dominus. *Vitulum*, inquit, *de armento tolles in manu tua, & dices ad immolandum Domino veni.* vt hoc veluti tegumento vnctio Dauidis in Regem, esset occulta Sauli. Sic planè cùm æternus Pater Christum suum mittere vellet in vterum Virginis, sed illa expaueseceret, ne ab incredula gente lapidibus tanquàm adultera obrueretur, respondens: *Quomodò*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Ecce diuino consilio accepit Virgo Josephum in sponsum, vt sic sacra Christi humanitas, vnita oleo lætitiæ, lateret diabolum: atq; eius partus & conceptus admirandus, celaretur. videns enim diabolus eam cum viro simul cohabitare, Dei Sacramentum non intellexit: Et reuera decuit, vt sic illusus maneret hostis animæ, vt ore D. Bernardi homil. 2. supra missus est, loquar, quia sicut Diabolus feminam priùs deceperat, & per illam virum; sic oportuit eundem hostem, priùs à Virgine occultè decipi, & illudi, ac tandem à Christo virorum fortissimo, palam debellari, vt hac arte multiformis proditoris ars falleretur.

§ Ignatius

1. Reg. 16.

Lucæ 1.

Verumtamen, rationem hanc Martyris Ignatij, quàm tota Patrum antiquitas semper probauit, eum enim secutus est Basilius de Christi generatione. Hieronymus super Matthæi cap. 1. Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. Bernardus hom. 3. super Missus est, & homil. 4. in vigilijs Natiuitatis. Origenes homil. 6. in Lucam. Rupertus de victoria verbi libro 11. Theophyl. in cap. 1. Matth. refellere conantur Scotus, Abulensis, & Maldonatus, ex eo fundamento: quia licet Virgo nupta esset, cùm tamen integrum illi maneret atq; inuiolatũ virginitatis claustrum, facilè id à dæmone cognosci potuit, cùm intra sphæram naturalis eius luminis contineretur. Nec refert inquiunt dicere, dæmonem fuisse diuinitùs impeditum, ne id cognosceret: quia etiamsi Virgo innupta mansisset, eodem modo potuit dæmon impediri. Verùm minimè per hoc infringitur authoritas S. Ignatij, & tot grauissimorum Patrum; quia etiamsi ad occultandum illud mysterium diabolo, non fuisset absolutè necessarium matrimonium; fuit tamen medium conuenientissimum. Primùm, vt dæmon facto hoc auerteretur à curiosa scrutatione conceptionis, & partûs Virginei: quia cùm is suo perspicacissimo intelligendi modo, facilè potuisset explorare claustra pudoris inuiolata mansisse in Virgine; non tamen ad id attendebat, cùm in femina desponsata, id perlustrare superfluum appareret. Vnde propter Virginis desponsationem, Deo sic prouidente, ex dæmonis inaduertentia, summum illud Incarnationis mysterium, ab eius malitia fuit alienum. Sic expressè docent Chrysosthomus, Theophylactus, & Euthymius in cap. 1. Matthæi, & Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. vbi dicunt, quòd cùm dæmon ex Prophetia illa Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet.* optimè intellexisset, Christum ex Virgine nasciturum, quòd inquam solicitè obseruauerit omnes virgines: cùm virginem autem sanctissimam desponsatam videret, ab

Scotus, Maldonat. Abulensis.

S. Chryso. Theophyl. Euthymi. Damasce.

mulier bona, in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis. Si ergo iuxta doctrinam Salomonis, conſtat in præmium bonorum operum, dari viro mulierem bonam, quis non fatebitur; perfectiſſima omnium fuiſſe merita B. Ioſephi, quibus in partem præmij, optimam & perfectiſſimam omnium mulierum MARIAM, ſibi in coniugem dari promeruit. Merebatur hoc illæſæ virginitatis & caſtitatis in Ioſepho prærogatiua, in quâ conſtanter vſq; ad vltimam vitæ periodum perſeuerabat. vt teſtatur B. Damianus in Epiſt. ad Nicolaum Pontificem inquiens: *Et ne hoc ſufficere videatur, vt tantummodò Virgo ſit Mater, Eccleſia fides eſt, vt fuerit Virgo & is, qui ſimulatus eſt Pater.* imò non piè minus, quàm ſapienter tradunt Doctores, vt Auguſtinus 27. q. 2. titulo 15. cap. 23. S. Thomas 3. par. q. 38. art. 4. D. Antonius 4. parte Theologiæ. Gerſon Cancellarius Pariſienſis, in annotationibus, ſupra Epiſtolam ad Galatas, cap. 1. & Sermone de Natiuitate, qui docent, B. Ioſephum non ſolùm perpetuam virginitatem coluiſſe, ſed eandem in conſortio Virginis, Deo voto conſecraſſe. Quod ipſis rationibus moralibus optimè ſtabiliri poteſt: ſi enim Chriſtus Dominus in cruce moribundus, matrem ſuam Virginem iam in ætate perfecta, nonniſi Ioanni, qui Virgo pariter erat, commendare voluit; quomodò eam in iuuenili ac tenera ætate Ieſepho cõmendaſſet, niſi & hic Virgo perfecta fuiſſet? Vnde meritò dicit Cancellarius Pariſienſis. *Nunquid corrupto ſocianda fuerat puella, quæ grandæua fuit ſoli commiſſa Ioanni.* Forſan in laudem beatiſſimi Ioſephi virginitatis, illud Sacra ſcriptura protulit Tobiæ 3. *Tu ſcis Domine, quòd nunquàm concupiui feminam, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia: vxorem autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.*

O virum caſtiſſimum! quis te docuit, tantum Deo placere virginitatem? quæ lex, quæ iuſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti præcepit tibi, in carne non ſecundùm carnem viuere? & in terris Angelicam ducere vitam. Nondùm legeras illud ô beatiſſime Joſeph Angeli conſilium, Rom. 8. *Sapientia carnis mors eſt.* aut illud alterum Rom. 13. *Curam carnis ne perfeceritis in deſiderio.* Nondùm legeras beatiſſime Joſeph, illud Ioannis Apocal. 14. de virginibus: *Qui cantant canticum nouum, quòd nemo alius cantare poterat, & ſequuntur agnum quocunq; ierit.* Nondum legeras, à Chriſto laudatos eſſe, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum? Nondùm legeras illud Apoſtoli, dictum Matt. 19. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit, & qui non iungit, melius facit.* Nondùm duo hæc audieras, nondùm de illis acceperas, non dicam præceptum, ſed neq; conſilium, neq; exemplum; & tamen iam illa obſeruabas. Quod ideò te feciſſe arbitror, quia Spiritûs Sancti vnctio, iam tunc te docebat de omnibus, atq; verbum diuinum, quod ſermo Dei viuus & efficax eſt, ante tibi factus eſt Magiſter, quàm tu illi pater & nutritius: priùs tibi inſtruxit mentem, quàm in vtero tuæ ſponſæ aſſumeret carnem, omni labe carentem. Paruane videbitur vobis Catholici mei beatiſſimi Ioſeph prærogatiua, quòd in virginitate ſimilis cum Virgine ſanctiſſima manere voluerit? nobis certè præclarum exemplum reliquit imitandum, vt qui cælibes manemus, virginitatem amplectamur: & qui matrimonio honeſto ſociati ſunt, coniugalem vitam ducentes, ſancto ſaltem quadraſimæ tempore, Angelicæ caſtitatis ſplendore fulgeant, vt præclarè monet Cancellarius Pariſienſis Sermone de Natiuitate Virginis. vbi dicit, *Cur pura perfectaq; Ioſeph pudicitia non prædicetur, qui virgo virginem adijt atq; ſeruauit, quiq; primus ex maſculis, in coniugij conſortio coluit, & coli poſt ſe docuit, ſanctum & illibatum cælibatum.* Felix certè eorum coniugium, qui MARIAM & Ioſephum, in Chriſti Eccleſia imitati ſunt: in quorum

Damian⁹. Rom. 8. Matt. 19. Gerſon. Tobiæ 3. Gerſon.

quorum numero fuit Henricus Imperator, eius nominis secundus, qui & claudus appellatus est, eiusque coniunx Cunegundis Augusta, iuuenes licet ambo; sed tum genere, tum virtute clari, qui virginalem castitatem licet in matrimonio intactam seruârunt. Quod testatus est Henricus, qui iam iam moribundus, conuocatis propinquis suis, sic eos allocutus est. *Recipite quàm mihi tradidistis virginem vestram.* Hanc sacram Virginis cum Ioseph, desponsationem, imitati sunt Valerianus & Cæcilia, insigne par Romanæ Nobilitatis. Iulianus quoq; Antiochenus & Basilisa, non modo religionis; sed & Martyrij gloriâ percelebres.

Ad hanc ergo virginitatis Deiparæ & Ioseph æmulationem, quisquis propiùs accedit, beatus est; quia non sat est virginitatis virtutem in alijs aspicere, nisi & ipsi eam illibatam seruemus. Fuit deniq; inter Ioseph, & beatissimam Virginem æqualitas, in bonis fortunæ, quiâ ambo sorte diuinâ, in honoratissimos Christi parentes electi fuêre. Cuius rei egregiam figuram subministrat nobis sacra pagina. Paralip. 25. Paralip. 25. vbi legimus, quòd cum Sacerdotes, locassent arcam Dei in templo, missæ fuerunt sortes, inter omnes Musices peritissimos, cuinam eorum incumberet chorum regere, & hymnorum, atq; canticorum, quibus colenda erat arca, curam habere vbi cecidit sors super vnum virum, nomine Ioseph; sic planè, cùm sanctissima Virgo, in templo à pijssimis Parentibus Deo ipsi oblata esset, consultabat augustissimæ diuinæ Trinitatis Senatus, cuinam hominum curam huius sacratissimæ arcæ, in quâ manna verbi Incarnati, asseruari debebat, committere posset. sed ecce felicissima sors, super beatissimum Ioseph cecidit, vt ipse quasi virginitatis vexillifer, primas teneret inter omnes, atq; virginum virorum solus esset coryphæus. Nec potuit sors ista meliùs cadere; quàm in Ioseph: quia quisquis hoc nomine intitulatur, optimus est. Nam sacra historia quatuor nobis Iosephos præ oculis ponit. primum Patriarcham Pro-Regem Ægypti, secundum Iosephum ab Arimathæa: tertium discipulum Christi, qui dicebatur Barsabas: Quartum deniq; Ioseph Quatuor Ioseph celebres. sponsum MARIÆ, omnes tamen virtutibus claros, in quibus singulis excelsæ dotes, mirificè effulserunt. In Patriarcha enim illo Ægypti Pro-Rege, tanta prudentia vigebat, vt teste Carthario, libro de imaginibus, Ægyptij illum Deum Seraphim appellarent. In Ioseph pariter ab Arimathæa fortitudo tanta eminebat, vt omnibus Christi discipulis, grauiter perterritis, ipse tamen audacter petierit corpus IESV, sibi à Pilato donari, Matt. 27. In Ioseph quoq; Barsabas dicto, tanta iustitia fuit, vt iusti cognomentum ab omnibus sibi imponi mereretur. Matt. 27. Lucæ 23. In nostro deniq; Beatissimo Ioseph, omnes illæ virtutes, Lucæ 23. nexu quodam indissolubili copulatæ fuerunt: si enim prudentiam in illo spectas: Fuit frumentum electorum, quia panem illum cælestem, Christum Dominum solicitè custodiendo, ab omnibus rabidissimi canis voracissimis dentibus, diligentissimè seruauit. si fortitudinem in illo requiris? Ecce Herodem Regem, infantem IESVM occidere quærentem, vicit; & quasi ex manibus eius, prædam nondum attrectatam eripuit. Si iustitiam desideras? hanc in eo mirificè claruisse, Euangelica historia declarat, quæ Matt. 1. de illo dicit: *Ioseph autem cùm esset iustus, noluit eam traducere*, si deniq; temperantiam in illo exigis? Ecce plusquàm Angelus in illibata castitate vixit. Matt. 1.

Sacrum ergo beatissimi Ioseph, & Dei genitricis matrimonium habetis Catholici: desponsaram Dei matrem, non tàm viro, quàm potiùs virgini audistis: quàm certè felicissimam desponsationem, tum honor Virginis, ne siniſtram opinionem, de illa temeritas populi conciperet;

ciperet; tum honor Chriſti, vt partus eius celaretur diabolo: tùm deniq; noſtra vtilitas, vt omnes haberemus, quos & extra matrimoniũ, & in matrimonio poſſemus imitari, requirebat. Vidimus inſuper inter ſanctos iſtos ſponſos interceſſiſſe æqualitatem generis, quia & Deipara, & Ioſeph de ſanguine Regio geniti: æqualitatem diuitiarum, quia ambo cæleſti gratiâ repleti: æqualitatem indolis, quia ambo ad optimam & perfectiſſimam viuendi, in ſumma caſtitate & humilitate normam compoſiti; æqualitatem demùm fortunæ, quia ambo ſorte cæleſti, in Parentes Chriſto deputati. Igitur ad ſponſum ſanctiſſimæ Genitricis, recurramus hodiè, vt qui meruit cuſtodire hortum concluſum & fontem ſignatum, ex quo aqua vitis dimanauit (id eſt ſanctiſſimam Dei Genitricem) qui meruit cuſtodire lignum vitæ, Chriſtum infantem, vt nobis hodiè de fonte illo perenni, gratiam ſanctificantem; de ligno vitæ, beatitatem impetret: cùm ſit cæleſtis paradiſi præpoſitus, vt nemo illuc introeat, niſi per interceſſionem eius, Amen.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph Fili Dauid, noli timere accipere MARIAM coniugem tuam. *Matt.* 1.

Deus permiſit turbari S. Ioſephum circa ſuam Incarnationem, eò, quòd eſſet iuſtus.

MVltas rationes, attentâ conſideratione dignas, congerunt ſancti Patres, quare Angelus Domini, non in vigilia, vt Virgini, & Paſtoribus; ſed in ſomnis apparuit ſanctiſſimo Ioſepho. Euthymius cenſet, Angelum Virgini vigilanti apparuiſſe, propter inuſitatam nouitatem myſterij; Ioſepho autem in ſomnis, quia licet ille inſpexerat aluũ Virginis intumeſcere; cùm tamen optimè noſſet eximiam Virginis puritatem, ſufficiebat illi quælibet leuis inſinuatio, vt crederet Virginem Deum concepiſſe, eiuſq; vterum Spiritu Sancto eſſe repletum. *Quam ob cauſam* ait, *præfatus Author, in ſomnis ipſi Ioſeph apparuit Angelus, & non manifeſtè, ſicut virgini. Quia virgini quidem opus erat manifeſta viſione, propter rei, quæ ſignificabatur nouitatem. Ioſeph autem videns quidem vteri tumorem, cognitam tamen habens vitæ virginis puritatem, & innocentiam, aliquo modo faciliùs erat creditурus, tanquàm qui ſomnia probè nouerat diiudicare.* Sed genuinam iſtius facti rationem video inſinuari à D. Paulo 1. Corint. 13. vbi dicit: *Prophetia data eſt fidelibus; ſigna autem infidelibus.* Super quem locum ait S. Thomas. *Propriè autem reuelatio quæ dicitur prophetia, fit in ſomnis, iuxta illud, ſi quis inter vos fuerit Propheta, apparebo ei in viſione, vel per ſomnium loquar ad illum.* Bella equidem ratio: quia Ioſeph erat iuſtus, & fidelis, ideò Angelus corporali ſpecie viſibili, non debuit illi apparere, cùm talis apparitio, vt potè miraculoſa, ad infideles pertineat. ſed neceſſe erat, vt de ſupernaturalibus myſterijs, in ſomnis per Angelum inſtrueretur. Quippè tali modò Deus, inſcrutabilia ſua arcana reuelare conſueuit. Trepidus Salomon ex populi gubernatione, perrexit Gabaon ad orandum Deum, vt auxilium ad gubernandum poſtularet, optimè ſuam indigentiam callens, neceſſitatem penetrans, & quomodò ſine illo, nulla gubernatio, nullum rectum regimen poſſet eſſe.

Angelus cur Ioſepho in ſomnis apparuit.

Euthimius

1. Cor. 13.

S. Thom.

Cùmq; obdormiſceret, Deus ad eum per ſomnium loquebatur: *Poſtula quod vis, vt dem tibi.* 3. Reg. 3. At ille: *Ego ſum puer paruulus, ignorans egreſſum & introitum meum. Dabis ergò ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit.* Vbi Deus ſtatim non ſolùm ſapientiam, ſed & diuitias, & gloriam, Salomoni per ſomnium

Deus ad Salomonẽ per ſommũ locutus.

3. Reg. 3.

Ibidem, mnium loquens contulit: *Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, ſed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi; diuitias ſcilicet, & gloriam, vt nemo ſimilis fuerit tui in regibus, cunctis retrò diebus.* In vltima cæna S. Ioannes, *recubuit ſuper pectus Domini.* cùmq; obdormiſceret, *reuelata ſunt ei ſecreta cœleſtia.* D. Paulo arcanum Trinitatis non priùs reuelatum eſt, quàm dormiens, in Spiritu raptus eſſet ad tertium cœlum. Ita planè Deus, reuelare volens iuſto & fideli Virginis cuſtodi, ſanctiſſimo Ioſepho, myſterium Incarnationis, dormienti in ſuo lectulo, per Angelum in ſomnis loquitur:

Matt. 1. *Noli timere, quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Super quæ verba S. Chryſoſt. & Origenes, affirmant ſanctiſſimum Ioſephum cogitaſſe fugam, & voluiſſe Mariam ex humilitate deſerere? quia non poterat ratione naturali aſſequi, quomodò Virgo concepiſſet, teſte Chryſologo Serm. 175. vbi de S. Ioſepho dicit:

S. Chryſol. *Mens iuſta, & ſanctus animus ancipiti cogitatione torqueba ur; ſentiebat, ſed tantum non poterat penetrare ſacramentum.* Proindè ex Angelo in ſomnis ſibi apparenti, myſterium Incarnationis agnouit. Inueſtigabimus itaq; quare Deus permiſit turbari S. Ioſephum, circa Incarnationem filij ſui, & quomodò hic timor ab eo depulſus eſt.

Cauſam non aliam fundamentalem reperio, quare S. Ioſeph videns Beatam Virginem concepiſſe, timore perculſus turbabatur, niſi quia erat vir iuſtus, & Deo ſummè acceptus. Ille enim mos apud Deum inualuit, vt iuſtum hominem, priùs humiliet; quàm exaltet: priùs tribulationem immittat; quàm conſolationem afferat. Quòd ex ſacris literis, non operosè conijcere poſſumus. Sumus ille legiſlator Moyſes, deſcribens mundi creationem, Geneſis 1. ait. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux; & diuiſit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem, factumq; eſt veſpere & mane dies vnus.* Semperq; iam eodem ordine vlteriùs procedens, idem repetit, *veſpere & mane dies ſecundus, & tertius.* Res admirationis plena, quòd cùm Deus priùs nominaſſet lucem; quàm tenebras; poſtea tamen dies numerando, immutauit ordinem, & tenebras poſuit ante lucem. Nunquid priuatio antecedit habitum? aut certè principium, ſubſequitur finem: imò cùm tenebra ſit priuatio lucis, lux prior tenebris eſſe debet. Quare ergò Deus ſeruando ordinem, non dixit: *factum eſt mane, & veſpere, dies vnus.* ſed è contra immutauit: *veſpere, & mane, dies vnus.*

Arcanum huius rei aperit Regius vates, Pſal. 29. inquiens: *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Pſal. 29. En ratio ſufficiens, cur Deus ante lucem, poſuerit tenebras. In ſenſu enim myſtico, per tenebras, ſignificantur tribulationes; per lucem verò gaudia, & conſolationes. Cùm ergò in hac vita, triſtitia lætitiam, afflictio conſolationem præcedere debeant, meritò tenebræ ante lucem poſitæ ſunt. Veſpera ſæculum præſens denotat, teſte Diuo Baſilio in Pſal. 29. in quo quiſquis conſolari vult, priùs affligatur, neceſſe eſt. *In hoc*, ait, *ſæculo, qui ante ſuam beatitudinem plorauerint, aduenientè matutino conſolabuntur: nam qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* S. Baſilius. Ergò priùs lachrymæ, quàm exultatio; priùs nox tribulationis, quàm dies conſolationis. Quod equidem ſanctum & iuſtum videtur eſſe: expedit enim, vt antequàm Deus ſuos ſeruos ad ſe aduocet, antequàm eis ſe monſtret, vt priùs eos probet. Sic antequàm nouam lucem Tobiæ impertiretur, priùs eum excæcauit. Quæ cauſa? reſpondet Angelus Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, ideo neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Tobiæ 12.

Ioſephum Deus permiſit turbari, eò quòd iuſtus eſſet.

Deus non niſi præmiſſa tribulatione conſolatur hominem.

Gen. 1.

Expoſcebat benedictionem Patris Iacob, & ſimul omne bonum cum illa; non tamen illam ante probationem obtinuit, patre eum vocante, & tangente, Gen. 27. *Accede huc, & probabo te, vtrum ſis filius meus Eſau, an non?* Gen. 27. Populo Iſraëlitico

Deus

Deus apparuerat in manifeſtatione ita terribili, vt totus populus tremens, clamauerit ad Moyſen : *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Deus, ne fortè moriamur.* Exodi 20. Inquirite cauſam, cur adeò terribilis Deus populo apparere voluit ? profectò non aliam inuenietis, niſi quia cùm deſtinaſſet Deus, eos ad ſummam dignitatem euehere, ſcilicet; eligendo illos in populum ſuum peculiarem, priùs per depreſſionem eos probare voluit. Hinc Moyſes eos alloquens, dicebat : *Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus.* Quod probè animaduertens Rex Dauid, tribulationem Deo tribuit, tanquàm illi propriam, ſic eum alloquens 1. Paralip. 29. *Scio Deus meus, quòd probes corda, & ſimplicitatem diligas.*

Exodi 20.

Deus cur Iſraelitis in ſpecie terribili apparuit.

Ibidem vt ſupra.

1. Paralip. 29.

Ad quod vlteriùs probandum, offert ſe elegans locus Eccl. 27. vbi Sapiens ſic dicit : *Sicut vaſa figuli probat fornax, ſic homines iuſtos tentatio tribulationis.* Quaſi diceret : quemadmodùm figulus vaſa probat, an ſint legitima, an proijcienda, dùm formata in fornace ponit, & quod igni reſiſtit probat; quod verò frangitur, ejicit. Ita planè iuſtos probat Deus, an ſint in fornace tribulationis. Sed quænam obſecro eſt iſta fornax ? Num amiſſio rerum temporalium ? minimè : multi enim etiam ex Philoſophis Ethnicis, res temporales, vt potè caducas, & momentaneas abhorrebant. Num orbitas filiorum ? nil minus : nam multi, quibus cœlibem vitam ducere cordi eſt, pro delicijs habent, ſine coniugio & liberis viuere. Ergò forſan profuſio vitæ & ſanguinis ? ſed neque hoc ; nam Martyres ſancti, velut ad epulas, ad cruciatus & mortes properabant. Ergò tandem dedecora, & opprobria : Sed necdum ſcopum tetigimus : Nam & ipſe Epicurus iſta ridebat.

Eccl. 27.

Fornax tribulationis quænam ſit.

Eſt profectò ſupra hæc omnia, amiſſionem rerum, filiorum, vitæ, ac honoris, alia fornax, quâ Deus iuſtos ſuos probat, quàm Spiritus Sanctus in citata Scripturæ ſacræ authoritate, detegit ex lectione Cómplutenſi. Quæ illa verba, *ſic homines iuſtos, tentatio tribulationis* : ita exponit : *Sic tentatio hominis, in cogitatione ipſius.* Hæc eſt fornax, hic clibanus, hic eſt ignis ardens & vrens, conſumens oſſa, medulaſq; , triſtis cogitatio, ſpecies impreſſa intùs corrodens. Hæc eſt illa fornax, quæ ſupra cætera mala hominem deprimit, affligit, vrit, incendit, torret. Vt fatetur iuſtus Iob cap. 7. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt.* Quid ex hoc ? ingens cordis tortura : *torquentes cor meum.* Quæ cauſa ? quia cogitationes, ſunt cordis noſtri conatus. Sic exponit Vatablus. *Conatus mei intercepti ſunt.* Dicam amplius, ſunt articuli : nam Complutenſes ita legunt : *Articuli cordis mei rupti ſunt.* Addam amplius, ſunt paſſiones : ſic enim alia litera apud Vatablum vertit : *Paſſiones meæ.* Si ergò cogitationes acerbæ, ſunt conatus cordis, ſi ſunt articuli, ſi paſſiones, quale erit cor, dùm illæ diſſipantur ? qualis ignis illud vret.

Iob 7.

Vatablus.

Cogitationes maximè torquent cor hominis.

Neq; ſanè neceſſe eſt, vt quis actu æſtuet, vt præſtò adſit ignis, ſed ſufficit, vt ſolùm cogitet, licet neſcio quantis delicijs abundet. Quis Nabuchodonoſore lætior ? & tamen in ſummis voluptatibus, inſomnem illum cogitationes reddiderunt. Daniel 2. *Vidit Nabuchodonoſor ſomnium, & conterritus eſt ſpiritus eius, & ſomnus eius fugit ab eo.* Abundabat Caim, omni copiâ frumentorum, ita vt Amalteæ cornu in eius domo conſedisſe videretur. at, quid in illo triſtes cogitationes effecerunt ? hoc vnicum : vt neq; Deus ipſe potuerit illum conſolari. Addam inſuper cum S. Anaſtaſio tom 1. Bibliotecæ Patrum q. 48. cogitationes eſſe inſtrumenta dæmonum. *Ex animæ* inquit *affectionibus ſubiectis,* accipiunt dæmones occaſiones, in nobis mouendi turbulentas, & affectibus agitatas cogitationes; deindè aduerſus eas, per mentem bellum gerentes, & vim afferunt, vt aſſentiatur peccato. Eâ autem ſuperatâ, ducunt ipſam ad peccatum, quod eſt ex cogitatione.

Daniel. 2.

S. Athan.

Cogitationes ſunt inſtrumenta dæmonum.

eoq; perfecto, de cætero eam ducunt captiuam ad actionem. Omnes ergò turbulentæ & affectibus exagitatæ cogitationes, aut irritant, quæ in concupiscendo versatur, animæ facultatem; aut conturbant vim irascendi; aut tenebras offundunt rationis. Ex quo euenit, vt mens' calliget, ad Spiritualem contemplationem, & præstantiam contemplationis.

In hac ergò fornace, in hoc igne, Deus posuit sanctissimum Josephum, scilicet in vehementi & amara cogitatione, vt spectans virginem, vterum gestantem, licet dimittendo eam, & infamando, minimè peccasset, ob euidentiam facti. Nam in iure, pro eodem habetur, esse verum, & posse probari esse verum, licet in se sit falsum. Noluit tamen etiam leuissima suspicione erga virginem laborare, sed tantùm intra se forti angebatur cogitatione, tantum penetrare non valens sacramentum. vt docet Chrysosth. hom. 4. in Matth. inquiens: *Considera modestiam, ac maturitatem, viri, non cuiquam maroris sui causam detegentis.* Propter summam itaq; sanctissimi Joseph iustitiam, Angelus in somnis illi apparuit, anxietatem ex animo eius depellens, stupenda allocutione: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

S. Ioseph ne minimâ suspicione habuit de B. Virgine.

S. Chryso.

Matt. 1.

Non quòd Spiritus Sanctus', Christi pater fuerit, sed quòd Spiritus Sancti virtute factum sit, vt sine viro virgo conciperet. Quod enim virile semen facturum erat, hoc sine semine Spiritus Sanctus, multò perfectiùs effecit. Et licet non solus Spiritus Sanctus, sed etiam pater, ad conceptionem, & humanam Christi generationem concurrerit: *Omnia enim opera Sanctissimæ Trinitatis ad extra, sunt omnibus personis communia.* Duabus tamen de causis, Christi conceptio Spiritui Sancto tribuitur. Primò, quia Incarnatio fuit fœcunditatis ac viuificationis opus, Spiritus autem Sanctus, est quasi quoddam diuinũ semen, quo omnia

Cur Christi conceptio Spiritui Sancto tribuitur.

A fœcundantur, & animantur, iuxta illud 1. Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat.* Cùm enim Spiritus Sanctus, non producat personam ad intra, ideò vt eius potentia innotescat, tribuuntur illi multa opera ad extra, vt sic ipse vitam, quam habet communicatam à Patre, & Filio, aliquo modo, quantum decet, alijs communicet. Quemadmodùm discurrit D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 1. Geneseos. *Viuificat*, inquit, *omnia Spiritus Dei, & cùm ipse naturâ vita sit,* B *vt potè à vita, hoc est à Patre, & Filio procedens.* Secundò, tribuitur Spiritui Sancto conceptio Christi, quia Incarnatio fuit summum erga genus humanum beneficium, omniumque beneficiorum caput. Ita censet Diuus Augustinus l. 21. de Ciuit. c. 40. *Iste*, inquit, *modus, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso primo exordio naturæ suæ, quo esse capit, verbo Dei copularetur.*

1. Ioan. 6.

S. Cyrillus Alexandr.

S. August.

O verè immensum beneficium, C Christi Incarnationis! quòd non solùm in homines, sed etiam in Angelos refunditur. Nam & Angeli dum essent in via, habuerunt fidem Christi, per quàm viuam sanctificati sunt. vt docet S. Thomas 1. p. q. 64. *Et quia nunc defacto vident Incarnationis mysterium in verbo, propterea credibile est eos idem mysterium fide credidisse in via, vt plenè viso fidei successisset; quemadmodùm in nobis accidit, in quibus cognitioni vespertinæ, hoc est fidei, succedit matutina, nimirum viso beatifica.*

Angeli in via habuerunt fidem in Christum.

S. Thom.

D Ergò Sancti Angeli, per merita Christi habuerunt gratiam, vi cuius perstiterunt in obsequio Dei, & salui facti sunt. Quod S. Thomas 1. p. q. 8. art. 4. deducit ex illo ad Colossen. 2. *Qui est caput omnis Principatus & potestatis.* Ostendens, Christum esse caput etiam Angelorum, secundùm influentiam gratiæ, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 3. *Constituit eum Deus Pater, ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem potestatem, & Principatum, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo,*

Angeli ex meritis Christi habuerunt gratiam præseruatiuam à peccato.

ſæculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſub- A *iecit ſub pedibus eius.*

Tàm immenſum ergò beneficium, non aliter Deus mundo conferre voluit, niſi per ſanctiſſimam Virginem, caſtiſſimo Ioſepho deſponſatam, vt feliciſſimus ille partus, ſcilicet verbi diuini in carne humana, qui ſalutem perditis mortalibus allaturus erat, celaretur diabolo, vt cenſet S. Ignatius Martyr. Et licet Scotus in 4. Sent. diſt. 30. q. 2. Hanc rationem S. Ignatij improbat B exeo, quòd generatio, & integritas virginitatis, ſint res corporeæ, quas Angelus poteſt euidenter cognoſcere: proindè non videtur, quomodò partus virginis potuerit celari diabolo, qui facilè poterat intactam MARIÆ virginitatem cognoſcere, & ſcire euidenter, quòd Virgo miraculosè conceperit. Reſpondet nihilominùs S. Thomas cum D. Auguſtino libro 2. de Trinitate, diabolum à Deo impeditum fuiſſe, ne hoc C agnoſceret.

Conceptus & partus Chriſti latebat diabolum.

Scotus.

S. Thom. S. Auguſt.

Exiſtimo itaque, dæmonem non aliter impeditum fuiſſe, quominùs modum partus virginei agnouiſſet, niſi quòd B. Virgo, duplicem ſponſum habuerit, vnum caſtiſſimum Ioſephum, alterum diuiniſſimum Spiritum. Illi per legitimas nuptias tradita fuit; huic mente & animo copulata. Sic docet Ferdinandus Salazar in cap. 31. Prouerb. Salomonis. Et comprobat Diuus Laurentius Iuſti- D nianus, qui vtriuſq; iſtius ſponſi nuptias referens, & omnem zelotypiam, inter Spiritum Sanctum, ac Ioſephum recolens, ait: *Officia inter ſe ſic partitos fuiſſe, vt cura & cuſtodia corporis, ad Ioſephum pertineret, animi autem curam & cuſtodiam, Spiritus Sanctus ſumeret.* Quia itaq; Ioſeph corporis, & Spiritus Sanctus animi ſponſus erat, ideò ex omni parte, dæmon ab vtroq; impedimentum habuit, ne modum agnouiſſet, quo Virgo Chriſtum concepit, & peperit.

Sponſus B. Virginis duplex.

D. Laurentius Iuſtin.

Hinc Angelus ad ipſam locutus eſt, *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1. Diuus verò Auguſtinus verbum illud *obumbrabit.* ita exponit, *ab æſtu libidinis defendet, vt ſalua virginitate concipias.* Verùm & Joſeph, in huius gloriæ ſocietatem vocatus eſt: ſi enim Spiritus Sanctus, Virginitatis Marianæ defenſor, & aſſertor dicitur; & Joſeph pariter, eiuſdem virginitatis cuſtos agnoſcitur, teſte D. Auguſtino Serm. de Annuntiatione Mariæ. Vnde D. Bernardus verbum illud *obumbrabit.* ita ediſſerit. *Spiritus Sanctus, myſterium incarnationis, & virginitatem Mariæ teget, & quaſi tenebris obducet ne paſſim ab omnibus cognoſci poſſit.* Sed & ab hac gloria, non fuit alienus ſanctiſſimus Joſeph; ſed iſtius occultationis factus eſt ipſa vmbra, & integumentum, quia non aliter, partus Mariæ virgineus celatus eſt, & occultatus, niſi per nuptias Joſephi.

Lucæ 1.

S. Auguſt.

S. Bernard.

Vidimus igitur ſanctum Joſephum, ideò prius fuiſſe timore perculſum, & turbatum, quia erat iuſtus; ſed poſtea mirificè per Angelum recreatum, & conſolatum, quàndò audiuit, quòd Virgo de Spiritu Sancto concepiſſet. Quare ſi & nos volumus, diuina conſolatione D refocillari, timeamus eum, tanquàm ſeuerum iudicem; turbemur, noſtra trutinando delicta: recipiamus Mariam deuotè, ad omnes eius nutus obſequendo, & dubio procul intercedente ſanctiſſimo Joſepho, Angelus Domini depellet à nobis omnem timorem, & Spiritus Sanctus, corda noſtra gratiâ ſanctâ replebit.

DIE SANCTI IOACHIMI, SANCTISSIMÆ GENITRICIS DEI, PATRIS.

CONCIO.

Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. *Psalmo 104.*

S. Ioachimus excellentiam sanctitatis super omnes beatos ex eo obtinuit, quòd esset progenitor Beatæ Virginis.

S. Lucas imaginem B. Virginis pinxit.

PEculiali cultu & singulari deuotione, pleroſq; sanctorum in Ecclesia Christi Deus coli & honorari voluit; quicunque peculiare aliquod obsequium sanctissimæ genitrici præstiterunt. Multum elaborauit sanctus Lucas, religionis & pietatis zelo ductus, in varijs Deiparæ imaginibus summo artificiò depingendis, quæ veram illius effigiem ad amussim referrent: pariterque in sacris Mariæ arcanis copiosiùs, quàm alij Euangelistæ describendis insudauit, & ecce propter hoc opus laboriosè susceptum, voluit illum Deus per vniuersum orbem fieri celeberrimum. vt dicitur 2. Corinth. 8. *Cui* inquit, *laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* hoc est, vt exponunt Ignatius Epistola ad Ephesios. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiastis c. 37. Primasius, Anselmus, & D. Thomas. Beatum Lucam propterea, quòd copiosè Christi redemptionem; & eius matris arcana descripserit, in summa excellentia apud omnes Ecclesias illum haberi voluit Deus, mirisque efferri encomijs. Confecit sanctus Dionysius multo labore longissimum iter, vt cælestem virginis vultum intueri posset; & ecce morte Sanctorum in cælestia sublatus est; vt quod in vita assequi non poterat, in omni æternitate plenius spectaret. stetit acerrimè B. Cyrillus contra impios Hæreticos, in Matris Dei nomen debacchantes, ibique honorificentissimam Dei genitricis nomenclaturam in Concilio Ephesino strenuè defendit: & ecce in præmium tàm ardui negotij, æterna ipsi cessit laurea. S. Damascenus, pro singulari amore, quo Virginem prosequebatur, varia laudum eius præconia mundo tradidit; & ecce in tantæ lucubrationis compensationem, manum iniquè abscissam, benevolè ei sanctissima Mater restituit. Si ergo hos omnes, eò quòd speciali ratione se, suasq; lucubrationes Virgini simul & Matri consecrârunt, speciali cultu obseruari Deus voluit in tota Ecclesia; quantum quæso honorem Beatissimo Joachimo, qui paterno sanguine pariter & piè educationis officio, Virgini coniunctissimus erat, deferri voluit? Profectò quæcunq; excogitauero encomia, minora erunt, quàm Deiparæ parentis celsissima dignitas meretur; conabor tamen (Deo auxiliante) ex hac tanta dignitate, velut ex principio, excellentiam sanctitatis Diui Joachimi super reliquos Sanctos deducere, quòd eum solum Dominus constituerit, Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.

1. Cor. 8.

S. Ignatius S Hieron. Primasius, Anselmus. S Thomas

Qui in laudem B. V. laborarunt, magno præmio coronati sunt.

Ingeniosè & subtiliter admodùm D. Paulus ex dignitate & nomine Filij Dei, excellentiam eius super omnes Angelos intulit, Hebr. 1. *Tantò* (inquit) *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit.* Licebit puto & mihi hodiè, ad hunc magni Apostoli modum Philosophari, tantoq; B. Ioachimum alijs sanctiorem concludere, quantò

Hebr. 1.

diffe-

differentius præ illis nomen; & honorificentissimum Patris Deiparæ, & aui Christi Domini titulum obtinuit. Nec enim diuina prouidentia vnquàm consueuit inanes titulos, & rebus vacua nomina dare, sed quibus insignes titulos confert, insignem etiam idoneitatem impertitur. quemadmodùm docet D. Thomas S. Thomas. 3. p. q. 27. art. 4. inquiens: *Quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, vt ad illud ad quod eliguntur, inueniantur idonei.* Elegit ille Moysen, hominem agrestem in ducem populi sui, & ecce contulit ei sapientiam tantam, vt meritò ipsi illud attribueret. *Ego te constitui Deum Pharaonis.* Exodi 7. Exodi 7. Assumpsit Dauidem ex tugurio Pastorum, in Regem, eumq; caput plebis suæ constituit; & ecce *dedit illi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra.* Psal. 77. Psal. 77. & 2. Reg. 7. Elegit Ioannem Baptistam Christi præcursorem; & ecce illum multo ante tempore, priusquàm munus hoc exerceret, ita disposuit & præparauit, vt in materno adhuc vtero, latitantem sanctificaret. Lucæ 1. Lucæ 1. Cùm ergo B. Ioachimus electus fuerit à Deo, ad insignem Patris Deiparæ, & Christi aui honoratissimam dignitatem, nemo sanè eruditus inficias ibit, omnem sufficientiam & idoneitatem, ad tanti honoris possessionem necessariam, diuinitùs ei collatam fuisse. Et si Deus optimam omnium feminarum MARIAM elegit in Matrem, consentaneum quoq; erat, vt optimum omniũ virorum eligeret in eius parentem. Fatetur hoc B. Gregorius Nyssenus Sermone de Natiuitate Christi. S. Gregor. Nyssenus. *Insignis* (inquit ille) *quidem in illa exacta secundùm legem viuendi ratione, & nobilis propter summam virtutem Pater Virginis erat, sed expers sobolis consenescebat, propterea quòd coniunx eius ad liberorum procreationem apta non esset.* Et S. Hieronymus Sermone de Natiuitate B. Virginis. S. Hieron. *Vita*, inquit, *Parentum Mariæ erat simplex & recta apud Dominum, apud homines irreprehensibilis & pia: ita isti duo Deo chari,*

A *& hominibus pij omnem substantiam suam trifariam diuiserunt: vnam partem templo, & templi seruitoribus impendebant, aliam peregrinis & pauperibus erogabant, tertiam suæ familiæ, vsibus & sibi reseruabant.* Vnde apparens Ioachimo Angelus. *Non*, inquit, *in visione mea turberis ô Ioachim! Ego enim sum Angelus Domini missus ab illo ad te, vt annuntiem tibi eleemosynas tuas ascendisse in conspectu eius.* Isaiæ 52. ad vasa Domini deferenda iubebantur Sacerdotes mundari: *Mundamini qui fertis vasa Domini;* Isaiæ 52. B quis hodie dubitabit, quin Deus parem munditiem & sanctitatem, quæ ad purissimum Virginis MARIÆ corpusculum, in quo manna diuinitatis seruandum erat, dignè progenerandum requirebatur, eius parenti infudisset.

Et certè, si cùm arca Domini missa erat in possessionem Aminadab. 1. Reg. 17. *Eleazarum filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam Domini.* Hebraicus verò textus habet, *præparauerunt seu disposuerunt.* 1. Reg. 17. C quàm conueniens erat, Deum maiorem curam adhibuisse in sanctificando, præparando, & disponendo Beato Ioachimo, cui in prolem decreuerat Marianam arcam, in qua Filius Dei claudendus erat. Eccl. 80. *Ventris sub arca clausus erat* tradere. Eccl. 80. Tanta proinde dignitate Deus adornauerat B. Ioachimum, vt præcelleret cunctis, emineret vniuersis, antecederet Prophetas, supergrederetur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior esset Ioachimo. Nam D licet Christus Dominus de Ioanne dixerit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista* Hæc tamen verba Diuus Hilarius Canone 11. & D. Augustinus Libro quæstionum veteris ac noui testamenti quæst. 26. interpretantur, de maioritate & excellentia in solo dono Prophetiæ, vt dicit Hilarius, *Ex natis mulierum nullus maior Propheta surrexit;* S. Hilarius. maior nihilo minus & B. Ioanne, & omnibus alijs Sanctis extitit D. Ioachimus, non solùm in sanctitate; sed etiam in paternitate Deiparæ Virginis. Hoc certè no-

Quomodo S. Ioanne non sit maior inter natos mulierum.

tè nomen ipsum genitoris Dei genitricis significat: quid enim aliud nomen Ioachimi enuntiat, quàm *Deus eleuabit? Iuscitabit, eriget, confirmabit.* Eleuauit certè illum Deus, supra omnes creaturas, & imprimis ipsis Angelis fecit altiorem.

Angelorum choros nouem esse recensèt sanctus Dionysius de cælesti Hierarchia, & Diuus Gregorius Homil. 34. Beatus Joachimus nouem pulcherrimas dignitates obtinuit, quibus excellentiam Angelorum in nouem choris dispositorum longè superauit. Primi, inter cælestes illos spiritus in gradu ascensionis numerantur Angeli, quorum officium est hominum custodia. His excellentior erat Beatus Joachim, quia non iam vilis alicuius hominis custodiam; sed ipsius Dei Genitricis, educationem, & paternam gessit tutelam.

Officium Angelorũ.

Secundi sunt Archangeli, quorum munus est diuina exponere oracula, & magni momenti negotia nuntiare. vt fecit Gabriel ad Danielem missus. Danielis 9. Vriel ad Esdram, 4. Esdræ 4. Raphaël ad Thobiam, Thobiæ 4. His tamen maior extitit Beatus Joachimus, nam quod maius oraculum mundo reddere potuit, quàm cùm Dei Genitricem, totius mundi reparatiuam, in templo sacerdotibus Deo consecrandam, & dicandam exhiberet?

Officium Archangelorum.

Tertij Cælestium illarum mentium sunt, Angelicæ virtutes, quæ stupenda miracula non rarò operantur, quemadmodùm ministerio cælestis cuiusdam virtutis Angelicæ, ad petitionem Iosue Sol cursum suum cohibuit: sed mirabiliùs certè est, quòd Beatus Joachim, Solem ipsum iustitiæ, Christum Dominum, Deum simul & hominem, sistere potuerit, ne longiùs progrederetur; sed vt in eius Virgine Sol iste existens, suos misericordiæ radios communicaret, prodigio certè simile est, quomodò, cùm omnis philosophantium sententia approbet, omne continens suo contento maius esse debere; Beatus nihilominùs Joachimus, & sancta Anna, suâ humilitate, precibus, & eleemosynis impetrârunt hoc à Deo, vt in minori continente, in sacratissimo Virginis vtero, longè maius contentum, ipse scilicet Creator, cuius immensitas vastissimo cæli ambitu claudi non potest, contineretur.

Officium Virtutum.

Quartus Cælestis illius Hierarchiæ chorus, continet Angelicas potestates: quarum munus est, esse diuinæ omnipotentiæ executrices. Quod fatetur sacra historia 4. Reg. 19. vbi refert vnum ex Potestatibus, simul occidisse 180. millia Assyriorum. Sed maior Beati Joachimi in exequenda Dei omnipotentia vis eluxit, qui non Assyriorum tantùm; sed totius mundi rebellionem in Deum, per felicissimam prolem suam, Virginem Deiparam penitùs sustulit. innuente id scripturâ: *Tu sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo.* Et quod maximum: ipsam peccati grauissimam seruitutem abolenit, dùm tantam mundo parturiret Virginem, quæ vniuerso mortalium generi salutis partum ederet.

Officium Potestatũ.

4. Reg. 19.

Quintum inter numerum Angelorum ordinem, tenent Principatus; qui regiminis curam habent, & hæc inferiora sedulâ diligentiâ gubernant: sed procul dubio omnem tàm humanum, quàm Angelicum Principatum longè superat eminentia Beati Joachimi: quòd ipse regiminis curam haberet, non in inferiores tantùm populos, sed in ipsam Dei Genitricem, filiam suam, quæ omnes transgreditur creaturas, & ipsis Angelorum choris altiùs eleuata est; regiminis inquam curam habuit, dùm tanquàm verus Mariæ parens, eam omni pietate & morum decentiâ gubernaret. singularem prudentiam, ac solicitam illius curam habens, ne quid in illud Dei sanctuarium mundanæ labis cadere posset.

Munus Principatuum.

Sextum Angelorum gradum occupant Dominationes, quibus competit

Prærogatiua Dominationum.

petit ipsis etiam Principatibus dominari. Trutinate obsecro, an non excellentior B. Ioachimi erat dominatio? dùm natiuum & paternum haberet dominium illius, quæ futura erat omnium Principatuum Regina, ac vera Dei Mater. siquidem vera Iurisperitorum sententia pridem proclamata stetit, prolem nondum emancipatam, totaliter à voluntate parentum pendere, & iuribus illorum secundùm omnia subesse; vt meritò hic exclamare liceat. O miranda prorsùs B. Ioachim sublimitas tua! ó dignitas incomparabilis! quòd Mater Dei, Regina cæli, Domina mundi, te solum dignum parentem suum habere voluerit.

Thronorũ excellentia.

Septimi in ascensu Angelico censentur esse Throni Angelici, quorum illud muneris est, vt sedes sint Dei: in quibus ille requiescat. Profectò si mentis aciem, ad contemplationem diuinorum arcanorum sublimiùs eleuemus, aduertemus facilè, nullam vnquàm post Deum, & sanctissimam genitricem, creaturam perfectiorem, maiestatis sedem & thronum, repertam fuisse B. Ioachimo, qui sellam diuinitatis MARIAM, in sinu suo paterno benignè fouit, inter cuius illa brachia vigilans & dormiens, requiescere iucundum sibi duxit; super cuius pectus tanquàm super molle ceruical, caput suum reclinare toties voluit.

Officium Cherubinorum.

Octauus Angelicæ eminentiæ gradus sustinet Cherubinos, scientiâ plenos, sublimium rerum sacramenta scrutantes. Beatus Ioachim altissimum Incarnationis arcanum, ipsis etiam Cherubinis non satis perspectum, singulari Dei lumine illustratus agnouit; accelerationis eius circumstantias, de congruo cum alijs sanctissimis Patriarchis meruit, vt probabilissima fert Theologorum opinio, ipsiusq; Mariani pectoris secreta, quod archiuum Dei erat arcanorum, limpidissimâ cognitione penetrans, ipsis sacerdotibus in templo Dei educandam & custodiendam tradidit. Atq; huic veritati subscripsit antiquus liber de infantia Saluatoris. *Virgo*, inquit, *Maria tertio anno cùm ablactata esset, abierunt cum ea Ioachim pater eius, & Anna vxor eius ad templum Domini, illam tanquàm veram hostiam Deo oblaturi.*

Seraphinorum quid munus.

Supremum in Angelico cætu gradum conscendunt Seraphini, qui diuinam bonitatem, cuius dilectionis flammis æstuant, manifestare tenentur. Quis hic inficiabitur? beatissimum Ioachimum hac suprema Angelorum eminentiâ altiorem fuisse? transgressus ille est Seraphicum munus, qui bonitatem illam, quâ maior in rebus creatis cogitari nequit, ipsam Virginem, diuinam mundo parturientem bonitatem, non tantùm manifestauit; sed etiam in hanc rerum vniuersitatem felicissimè produxit. Iure meritò igitur, Deus constituit illum Dominum domus suæ, non alteri; quàm ei sanctissimam genitricem, cælestem prolem in pignus summi amoris tribuens.

Eneruant hic philosophantium capita suum cerebrum, indiuiduationem effectuum per ordinem ad causas indigare volentes. Cur scilicet hic numero effectus, ab hac & non alia causa producitur? Et fatentur absolutè loquendo, determinationem quorundam effectuum, non prouenire ab ipsis causis, potissimùm verò in serie rerum atq; generatione; siquidem & ille, qui erat Pater Alexandri, potuit esse filius ipsius: & qui hodiè ex Iudæo aut Saraceno natus est, nasci potuit ex Rege Christianissimo, aut Romanorum Imperatore. Quòd certè in B. Ioachimo summè verificatur: vnde enim quæso hanc determinationem habuit, vt ille, & non alius Virginem in Matrem Dei electam generaret? certè non ex seipso; sed à Deo: qui postquàm hunc rerum ordinem semel instituit, & seriem; simul etiam & effectus certos determinatis assignauit causis, vt proinde B. Ioachimus, non aliunde; quàm ab ipso Deo hanc acceperit determinationem, vt ex illo solo nascceretur Mater Dei, per-

quam iactura primi hominis, & indelebilis humano modo casus, instauraretur. Illum proinde solùm constituit Deus Dominum domus suæ, qui ex suo sanguine fabricaret vas illud admirabile & excelsum, in quo humanitate Christi positâ, in cibum animarum seruaretur; in quo sal diuinæ ac increatæ sapientiæ, ad sanandas aquas humanæ generationis, ne vltra in eis mors & sterilitas spiritualis grassaretur, depositum esset: in quo denique Deus ipse, præ ornamento insignis puritatis gloriaretur.

Neq; tantùm B. Ioachimum dominum domus suæ constituit, dùm eum paternitate Dei Genitricis honorans, super omnes Angelorum dignitates eminentiorem habere voluit; sed insuper & principem omnis possessionis suæ eundem fecit. Et quæ est ista possessio Dei? nisi mundus & creaturæ: iuxta illud Dauidis effatum. *Meus enim est orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*: super hunc ergo, & omnes in eo habitantes, Principem Ioachimum diuina ordinatiõ constituit. Princeps erat, quia & ipsi primo parenti præfuit: Adamum enim constituerat caput omnium gentium, B. Ioachimum super hoc, etiam sacræ illius familiæ, sanctissimæ Genitricis Dei, & ipsius Christi caput esse voluit; illius Patrem, huius auum eligens. Corpus capitis primi parentis est genus humanum, cuius plurima membra peccatis scatent. Corpus verò capitis B. Ioachimi, est ipsa Deipara, & Jesvs, sanctitate & diuinitate fulgentes. Primo parenti concesserat Altissimus potestatem, vt animantibus nomina imponeret; B. Ioachimo excellentiorem dedit auctoritatem, vt ipsi Dei Matri nomen Maria tribueret. Princeps erat diuinæ possessionis B. Ioachimus, quia antiquos omnes tàm legis naturæ; quàm scriptæ Patriarchas, longè superauit; erant pleriq; illorum sanguinitate Christo coniuncti; sed arctiori multò consanguinitatis vinculo, eidem B. Ioachimus adstrictus erat, cùm etiam Matris progenitor haberetur. Patres illi aduentum Messiæ, summis expectabant & exoptabant desiderijs; *Omnia tamen in figuris contingebant eis*, vt inquit Apost. Ioan. 8. B. Ioachimus hac feruentissima spe, certò iam recreatus, arcam illam mundo extruxit; in quâ verbum diuinum humanâ carne indutum, abbreuiaretur. Quid plura? excessit vt paucis dicam? omnes quoscunq; mundus progenerauit incolas, & singulos quos cælum in æternæ theatrum gloriæ triumphatores suscepit: quia cùm Deo & eius Matri coniunctissimus esset in terris, in cælis etiam primarium locum super omnes tenere debuit. Ioan. 8.

Deniq; non aberrabo à veritatis scopo, si Beatum Joachimum etiam ipsis Apostolis eminentiorem dixero? illi enim gentibus Christum prædicârunt; Beatus Joachimus per Virginẽ sanctissimam eundem mundo genuit; illi totum orbem iudicaturi à scriptura recensentur, *sedebitis*, inquit, *& vos super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Beatus Joachimus, non iam vt Iudex, sed vt patronus in tremendo illo iudicio affuturus creditur, qui per Matrem Dei pro cunctis supplicabit. vt meritò de illo verificetur illud Ecclesiastici 24. *Non est inuentus similis illi.* Maior enim erat in Beato Joachimo simplicitas animi; quàm in iusto Noé; obedientia; quàm in Abrahamo timorato: patientia, quàm in recto Job: feruentior oratio; quàm in iusto Iosue: maior fortitudo, quàm in robustissimo Samsone: quia non tantùm ea, quæ corpus lædunt; sed etiam quæ animum, fortissimè superauit. strictior castitas; quàm in Josepho; quia & in statu coniugali, solam castitatem illæsam Deo & mundo genuit; seuerior mansuetudo, quàm in Dauide; quia & cùm tantæ prolis Pater esset, nemini tamen præferri voluit. quinimò & omnibus inferior censeri appetijt. Fuit in illo stabilior constantia, quàm in Machabæis: fides maior, quàm in Petro: amor, quàm in Ioanne: siqui-

S Ioachimus Apostolis eminentior. Ecc. 24.

siquidem nunquàm sibi satis esse censuit, sed semper esurijt sitijtque iustitiam: ita, vt quò diutiùs viuebat, semper quantum in se est, iustior esse contenderet.

Agnoscite ergo boni Catholici, Dominum domûs Dei, & Principem omnis possessionis illius: Dominum inquam, quia mundi Dominæ & sanctissimæ Dei Genitricis progenitorem. Principem verò, quia omnium mortalium, quos Deus per gratiam possidere summè desiderat patronum; qui vt nostræ egestati non tantùm temporali, sed etiam spirituali subueniat, hodiè deuotis eum obsecremus animis, vt ille nobis tanquàm suo patrocinio concredito gregi, apud illum cuius genitricis pater esse meruit, & quem de suo sanguine & familia ardentissimis precibus incorporari efflagitauit, nobis quoque hoc impetret, vt eius societati, æternùm feliciter connumerari mereamur, Amẽ.

DIE SANCTI BENEDICTI, CONCIO.

Benedicam tibi & magnificabo nomen tuum, eriſq; benedictus. *Geneſis 12.*

S. Benedictus fuit nomine & re benedictus, per quem eius Religio, & tota Chriſtianitas benedicitur.

IN præmium eximiæ virtutis, qua Princeps, Patriarcharum fulgebat Abraham, nihil maius sibi à Deo promitti meruit, quàm honorem. *Magnificabo* inquit *nomen tuum.* Vbi non solùm vitam, sed etiam nomen, hoc est, famam magnificandam pollicetur ipsi Deus. Quia vt argutè Philo. Hebr. lib. de migratione Abrahami discurrit: *Sicut bonum ac honestum esse; ita & videri prodest. Est quidem veritas opinione melior, vtramq; tamen sua bona fortuna sequitur. Cui Deus vtrumq; concessit, vt bonus ac honestus & sit & videatur: hic vere beatus est, & verè vir magni nominis, nec est negligenda bona fama, res in omni vita vtilissima* Hinc D. Hieronymus Epist. 14. ad Celantiam, meritò eum, qui bonam de se famam spargit, beatum vocat. *Beatus*, inquit *est, qui tàm sanctè, tàm grauitèr disposuit vitam suam, vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dùm aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quisquam ausus est, quòd à nullo putat esse credendum.* Quia itaq; Abraham immaculatam in lubrica huius sæculi via vitam agebat, ideò Deus eum magnificare voluit. Sed vltra hoc etiam amplissima benedictione eum cumulauit: *Benedicam* inquit *tibi eriſq; benedictus*, hoc est; vt in Hebræo legitur, *eriſq; benedictio*, nimirùm vt ipsi explicant, nomen tuum ingredietur solennem benedicendi formam, quâ populus benedicetur, vt non solùm sis in te ipso benedictus, sed etiam benedictio, seu ratio & forma, per quam alij benedicantur. Quam formam in hunc modum conficiebant Hebræi, *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob benedicat tibi.* Quasi palam facere vellent, vt qualis fueras Abraham talis fieret benedicendus. In hodierna solennitate inclyti Patriarchæ D. Benedicti, simile quidpiam video, cuius profunda virtus, & inculpati vitæ laudabiliter transactæ mores, ita in sui amorem, traxerunt incarnatum illud verbum, vt cùm omnis benedictio in nomine eius sanctissimo danda sit, teste Ruperto lib. 12. supra Joannem, & in Psalmum 140. vbi verba illa. *Diriga*

Philo Hebræus.

S. Hieron.

Gen. 12.

Rupertus.

tur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, elucidans ſic dicit : *ſolum huius vnigeniti filij tui nomen, quod eſt Ieſus Chriſtus, neceſſarium vniuerſæ orationis eſt vehiculum, quo in cælum directo curſu perlata conſiſtat ante Patris conſpectum, ſalutemq; de ſinu eius & gratiam ſugere valeat remiſſionis peccatorum.* Nihilominus quaſi iam iure ſuo cedens æterna ſapientia, hanc prærogatiuam tranſtulit in S. Benedictum, cuius nomen adeò mirabiliter Deus extulit in Eccleſia Sancta, eiq; inſculpſit & impreſſit excellentiori quodam modo omnes benedictiones, quæ Abrahamo fuerant repromiſſæ. Quem cùm ego hodie nomine & re benedictum oſtendere contendam, & religioſiſſimas familias, & vniuerſum Chriſtianitatis cœtum per eum benedici & magnificari non obſcurè demonſtrabo.

Res prodigio ſimilis, poſtquam Deus magnis præmijs ſolicitaſſet Abrahamum, vt de patria ſua exiret. *Egredere*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui. Et ego*, inquit, *faciam te in gentem magnam*, hoc eſt; ſummis te opibus & felicitatibus cumulabo. Vbi verò paruit Abraham, & venit in regionem ſibi à Deo præmonſtratam, ecce ſacra pagina addit : *Facta eſt autem fames in terra, deſcenditq; Abraham in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi : præualuerat enim fames in terra* ibid. n.10. Æterna veritas quæ falli & fallere non potes, vbi obſecro nunc illæ tuæ promiſſiones ? illæ ſpes diuitiarum ? quò irritæ abierunt ? Reſpondet Lyranus, Deum conſultò permiſiſſe illam famem, vt maior Abrahæ fides eluceret, cum eum neq; felicitas incitare neq; calamitas reuocare poſſet, ſed prompta ſolùm voluntas ad parendum Deo inflammaret. Nam cum Abraham illis promiſſionibus acceptis, de patria exiret, ne abalijs ſpe lucri ductus exijſſe putaretur, Deus manifeſtare voluit eius animum, qui non obediuit, vt diteſceret, imò omnibus diuitijs libens renuntiauit, vt obediret. Permiſit itaq; Deus famem vt eius conſtantiam demonſtraret. Hinc Diuus Chryſoſthomus hom. 3. in 2. Cor. 1. tantam animi generoſitatem & celſitudinem admiratus *Abraham*, inquit, *non cauponabatur Dei bonitatem ;* quaſi diceret, non erat inſtar cauponis aut ſerui mercenarij, qui non priùs vendit ſuas merces, quàm certo pretio ad ſuam vtilitatem ſpectante paciſcatur. Et ecce vbi fidem & conſtantiam Abrahæ ita probauit Deus, tunc primùm ſuas illas adimpleuit promiſſiones, dùm de ſtirpe eius Chriſtum naſciturum prædiceret. *In ſemine*, inquit, *tuo benedicentur omnes nationes.* Quaſi apertiùs loqueretur : de ſemine tuo deſcendet Meſſias in mundum, de cuius influentia omnes generationes ſalutis gratiam recipient : ex meritis enim Chriſti, & ipſi Angeli, quemadmodùm & Sanctiſſima Virgo habuerunt, quòd præſeruati ſint, ne caderent : ex meritis Chriſti & mundi peccatores habent, quòd multoties lapſi præuenti eius gratia & adiuti, iterum reſurgere valeant : ex meritis Chriſti, habent iuſti, quòd in ſua perfectione perſiſtant, & indies magis ac magis augeantur. Hanc veram ſui magnificationem agnoſcens Abraham, olim ſeruum ſuum Eliezer ſic allocutus eſt : *Pone*, inquit, *manum tuam ſubter femur meum, vt adiurem te.* Gen. 24. In quem locum D. Gregorius citatus in Gloſſa, & in Catena Lippomani. *Non ſuper femur*, inquit, *ſed ſubter femur, manum ponere iubetur, quia inde deſcenſurus erat, qui homo, ſed ſuper homines eſſet.* vnde dignum non fuit vt manum ſuper femur poneret, quia nulla caro ſuper illam eſt.

S. Chryſo.

Gen. 24.

S. Gregor.

Similem hac in parte magno Abrahamo, non minorem veſtræ Religioſiſſimæ Familiæ pijſſimum Fundatorem D. Benedictum video, qui à primis ſtatim annis ita Deo placuit, vt eum Deus ad ſua ſtatim obſequia vocaret : *Egredere*, inquit, *de domo patris tui, & ego benedicam tibi, & magnificabo te, & eris benedictus.* Paruit ſtatim

statim excelsus ille animus, regali Christi obsequio natus. Nam Sanctus Gregorius in prologo lib. 2. Dialogorum sic de illo scribit. *Relicta* inquit, *domo rebusq; suis, soli Deo placere desiderans.* Abdicauit comitatum Nursiensem, & regale mundi imperium, quod & nobilitas sanguinis, & præclaræ stirpis origo, tanquàm meritis æquale ipsi pollicebatur. Româ egressus vastam solitudinem petijt, vbi maiori cum commoditate & feruentiori spiritus ardore, se totum amori & obsequio Dei libentius impenderet, & consecraret. Præconcepto omnium desiderio sese subtrahens, desertum & latebras solitudinis diligentissimè perquisiuit. Abijt zelantissimus religionis propagandæ Athleta, absq; vlla vitæ annonâ, ne quidem frustum panis secum deferens, quo victitaret. Et quale pro tantis tuis virtutibus præmium refers, ô decus omnium Religionum! triennio soli Deo notus, hominibus incognitus, in abditissima specu pungentibus spinis & sentibus plenâ, delitescit Benedictus, contra famem ab omnium hominum consortio iam segregatus, contra assiduas belluarum incursiones, contra dæmonum insultus, atq; vehementissimas mundi tentationes, solis in Deo ardenter fixis contemplationibus, & frequentibus in spinis proprij corporis lacerationibus, se fortissimè præmuniens.

Idem.

Verùm quemadmodùm indigentiæ & necessitati Danielis in lacu leonum constituti, misericorditer Deus subuenire volens, destinauerat Angelum, vt apprehenderet Prophetam Habacuc, cum parato iam prandio euntem in campum ad suos messores: *Apprehendit eum Angelus Dei in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; in Babylone super lacum in impetu spiritus sui.* Vbi Habacuc videns Danielem illæsum inter leones sedentem, alloquitur eum. Daniel. 14. *Daniel serue Dei tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Et ecce Daniel confestim prouolutus in genua: *Recordatus es,* inquit, *mei Domine Deus meus, & non dereliquisti diligentes te.* Ita planè sciebat optimè S. Benedictus, quòd Deus non permittat fame enecari eum, qui illum colit & amat, ideo oblitus sui, & solo amore seruiendi Deo captus, nullum vitæ sustentandæ subsidium secum in eremum detulit, nondum tredecim annos attingens: & ecce iam Deus præuenerat & deputauerat Romanum quendam Monachum, qui è vicino monasterio, suam eum illo portionem diuideret, eiq; vitæ necessaria suppeditaret.

Dan. 14.

Vultis Catholici mei similem Dei prouidentiam, in vestris necessitatibus, & indigentijs expiriri, exemplo D. Benedicti arripite illud Salomonis consilium. Sapientiæ 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis*: hoc est, vt exponit Petrus Chrysologus, adhærere Deo seruientes illi in sinceritate cordis, sine cura, anxietate, & vlla cupiditate lucri aut quæstûs, & sola amoris dulcedine illecti eum diligite, quia bonus est. Hanc Sapientis sententiam audiens Chrysologus in hæc verba prorumpit. *Quis Rex denotis militibus debitam non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus seruis iusta cibaria non ministrat?* Non minorem vos de Deo concipite opinionem, & estote certi, quòd si Deum secuti fueritis, eiusq; mandata non spe præmij, sed amore ipsius illecti seruaueritis, vestra obsequia condigno præmio remunerata experiemini. Zach. 14. mirabile quidpiam lego, *non erit*, inquit, *mercator in domo Domini*; ponderando hæc prophetica verba attonitus hæsi: commoramur vtiq; in hoc præsenti sæculo, vbi plurimis se negotiationibus & commercijs homines impendunt. Si ergo Deus omnes fæneratores de domo sua expellere vult, quis desideratam illam æternæ beatitudinis ianuam ingredi poterit. Respondent quidã Scripturæ sacræ interpretes, in his verbis legem gratiæ, legi antiquæ præferri à Deo. Quia in veteri lege ita dominabatur auaritia cordibus hominum, vt etiam domum Dei facerent

Sapien. 1.

Chrysolo.

Zachar. 14.

cerent domum negotiationis, & in-
satiabili quadam auiditate, lucris &
quæstibus inhiarent, quod in lege
gratiæ sacrilegum nefas esse iudica-
tur : difficilè enim commercia mer-
catorum, cum legibus & præceptis
Dei cohærere possunt. Verùm locum
hunc modernus quidam commenta-
tor egregiè præ omnibus exponit.
Mercator, inquit, *in domo Dei est, qui*
opera Dei, non Dei causâ facit, sed lucri aut
honoris, & ex bonis vnde sperare aternam
mercedem poterat, caducam & mox peri-
turam percipit. Hæc est causa Catho-
lici mei, cur adeò crebrescentibus in
dies malis, hucusq; afflicta patria no-
stra quassatur, & intestinorum diu-
turnitate bellorum penitùs iam ab-
sumitur; quia domum Dei facimus
domum negotiationis : In templo
sancto colloquia vana, detractiones,
lasciui aspectus, turpes concupiscen-
tiæ, indomiti ad peccatum consen-
tientes appetitus, turpiùs quàm in
stabulo modernis temporibus exer-
centur; in templo Sancto omnia am-
bitionis studio iam nunc permiscen
tur, vbi simonia, pro præsentatione,
munera corruptionis incentiua, pro
officio humanitatis reputantur, &
dum virtuti non fidimus, turpi quæ-
stu prælaturas in domo Dei ambigi-
mus. Cæterùm rectè Politicus dixit:
Panitet in Republica laboris, in qua igna-
uia amplissima merces, modestia nulla
ostentatur. Et Deum summè pænitet,
quòd in lege gratiæ, vbi sola virtus,
pietas, & sanctitas regnare deberet,
nunc iam sola impietas & auaritia
triumphet.

Causa regnorum ruinæ.

Sed ecce hodiè ad benedicen-
dam, & reconciliandam ex tàm ini-
quis negotiationibus domum suam,
zelantissimum diuini honoris patri-
archam D. Benedictum, omni bene-
dictione refertum, nobis diuina pro-
uidentia mittit. Magnificatum est
nomen eius, quia sicut stellas cæli &
arenam maris, ita semen D. Bene-
dicti, Religiosissimam scilicet Fami-
liam Benedictinorum, multiplicauit
Dominus in toto orbe. Vt nemo
illorum esset fænerator in domo Dei,
A nemo spe præmij, sed solo amore
Christi, nocturnas diurnasq; in diui-
nis laudibus & contemplationibus
excubias perageret. Nemo ex impe-
rio, sed ex voluntate, ad ferendum
Christi iugum sese submittat. Verus
enim in domo Dei obediens, pa-
rendi studium, opibus, vitæ, & honori
anteponit, quod hominibus difficil-
limum esse solet. Sic præceperat
quondam Deus Nòe, vt colligeret
induceretq; in arcam omnia bellua-
rum genera, cicurum, & ferarum,
B Vrsos, Tygres, Leones. Quis non
videt, quanto se periculo exposuit,
dum illas feras in siluis captaret.
Quis non videt quantum periculum
subijt, dum cum illis feris in arca
versaretur? non enim magis cæteri
homines inter vndas, quam vnus
Nòe inter feras periclitabatur. Ni-
hilominùs Nòe mortem contempsit,
& ad obediendum Deo festinauit.
Fecit igitur Nòe, inquit textus, *omnia,* Gen. 6.
quæ præceperat illi Deus. Gen. 6. Nec
sanè minorem laudem promeruit ille
C Monachus, qui iussus â superiore
vnam leænam capere & adducere,
cepit & adduxit; vbi vt Deo per
suum superiorem sibi præcipienti
promptus obedirer, libens ferarum
morsibus laniandum se exposuit,
vnamq; obedientiam pluris, quàm
vitam propriam æstimauit.

Propter hanc inauditam obedi-
entiam, Sanctum Benedictum omni
benedictione replere, & Religiosissi-
mam hanc Familiam ad eius instituta
sese omnimodè conformantem, spe-
D cialiter benedici & multiplicari vo-
luit. Quadruplici modo benedicti-
ones fieri solitas testatur Sacra scri-
ptura. Inprimis per manuum eleua-
tionem in cœlum, Lucæ Vltimo.
Eleuatis manibus sui benedixit eis. Se- Lucæ vlt.
cundò, per extensionem manuum
ad populum, vt refert sacer textus
Leu. 9. de Aarone : *extendens manum* Leuit. 9.
ad populum benedixit ei. tertiò, per
manuum impositionem supra capita,
sic Christus Dominus iubebat paruu-
los ad se adduci Marci 10. *Et impo-* Marci 10.
nens manus supra illos benedicebat eis.
quartò,

quartò, per manuum transpositionem in formam crucis. sic Iacob Gen. 48. Extendens manum dextram posuit supra caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem supra caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus benedixitq;. His ego quatuor modis per dilectum Deo Benedictum, totum mundum benedici cognosco. Inprimis eleuatione manuum in cælum, benedicit filijs suis, Religiosissimæ huius Familiæ obseruatoribus, impetrans illis illam benedictionem, quâ Isaac Iacobum allocutus est. Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cæli.* Vt rore diuinæ benedictionis irrigati, in cælo omnem suã conuersationem ponant. vtramque hanc benedictionem puto adumbrari illo Symbolo; pingitur ouum rore plenum, quod illuminante Sole à radijs solaribus sursùm attrahitur, inscripto Lemmate. QVIA RORE PLENVM. Liceat mihi hodie sciscitari, cùr Religiosissima Benedictinorum Familia, (quamuis non rarò aduersis prematur) nusquam tamen in sua perfectione deficit, sed in dies magis ac magis per gradus virtutum, & sanctitatis ascendit, & longè lateq; per omnes mundi oras propagatur. Dicam quod sentio? Quia Solem habetis D. Benedictum, nusquàm in lumine sanctitatis deficientem; ideo suis intercessionibus mentem vestrã semper eleuat, vt solum Deum ore & corde vbiq; circumferatis. Ideo ascenditis semper de virtute in virtutem: QVIA RORE COELESTI PLENI.

Deinde, idem magnus Patriarcha extensione manuum benedicit populo Christiano, ad propagationem Religionis, ad amplificandum Dei cultum, ad instructionem prædestinatorum, nouos quotidie progenerans filios. Inexhaustam fæcunditatem exprimere volens quidam, paradisum pinxit appositoLemmate: EX QVO QVANTVMCVNQVE ACCEPERIS, SEMPER ACCIPERE RESTAT. Paradisus amænus erat D. Benedictus, ex quo fluuius inexhaustæ diuinæ benedictionis, egreditur ad irrigandã vniuersam terram. Ex hoc fonte fluunt tres panes ad vestrã refectionem, sanctitas, iustitia, pietas. Sanctitatẽ eius miracula probant, doctrina pietatẽ, vita iustitiam. Ex his tribus panibus quantumcunq; sumpseritis, semper restat accipere. Præterea, per impositionem manuum benedicit omnibus Religionibus: omnes enim eius Sacrosancta statuta imitantur, teste Sancto Bernardo tract. de præcepto & dispensatione. Omnia proinde S. Benedicti instituta censenda sunt, quæ profitentibus in præcepta, præuaricantibus in crimina fiunt. Vt proinde Regulas & Statuta S. Benedicti, meritò vocare possim librum omnibus Religionibus cõmunem, cũ inscripto Lemmate: DE QVO OMNES RECIPIVNT. Tandem, per transpositionem manuum in crucem, benedicit hodie Deus per S. Benedictum, Regno Poloniæ; vt bonam spem concipiat, quia ad intercessionem D. Benedicti, suos à quibus nunc opprimitur, hostes vincet. Cæterùm cùm Christiano cuipiam, tres benedictiones, ad salutem consequendam summè necessariæ sint, vt inquit Pelbartus egregius & antiquus ordinis Seraphici Concionator. *Benedictio*, inquit, *triplex est nobis necessaria: videlicet; præueniens, adiuuans, & consummans. Prima est misericordiæ, quæ præuenit conuersionem. Secunda gratiæ, quæ adiuuat iustificationem. Tertia gloriæ, quæ perficit consummationem æterna beatitudinis.* Ideo postulemus hodie, vt per merita S. Benedicti, triplicem hanc benedictionem possimus obtinere, & benedictionem misericordiæ, vt lux illa æterna mentes nostras illuminare dignetur, ad dignoscenda peccata, & iustam de eis compunctionẽ faciendam: & benedictionem gratiæ, quæ nos in progressu virtutum, & diuinis obsequijs adiuuet, & potissimùm in decursu vitæ mortalis nobiscum finaliter perseueret. & tandem benedictionẽ gloriç, quæ nos ad æternam beatitudinem deducat. Et tunc cum dilecto Dei Benedicto, domum æternitatis omnes verè benedicti ingrediemur,

Amen.

S. Bernar.

Pelbartus.

DIE

DIE ANNVNTIATIONIS B. V. MARIÆ,

CONCIO PRIMA.

Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem. *Luc. 1.*

Cur ad annuntiandam Incarnationem solus Gabriel deputatus fuit, & quare Dei Filius nec de vidua, nec de maritata nasci voluerit, causæ afferuntur.

DVo in hodierno Euangelio stupenda agnosco, nimirùm tempus missionis Angelicæ, & locum. Si tempus considerare voluerimus, hoc nocturnum est, illudq; satis profundum, legationibus expediendis apud Principes insolitum. Nam licet Albertus Magnus super *Missus est.* Diuus Antonius prima parte summæ tit. 5. cap. 9. & Clithouæus, putent manè Beatam Virginem salutatam fuisse ab Angelo. Ad quod comprobandum adducunt hanc coniecturam, quia manna illud cœleste, matutino tempore descendebat, vnde inferunt, Virginem quoq; Deiparam, manè salutationem Angelicam excepisse, statimq; in vtero eius fuisse incarnatum verbum. Sed debile nimis argumentum, quoniam manna illud, non tàm diuinam incarnationem; quàm potiùs Eucharistiæ Sacramentum, quod orto Sole, id est incarnato Dei Filio, instituendum erat, figurabat. Nec satis firmum est, quòd aliqui contendant, Virginem circa noctis initium fuisse salutatam, ex eo fundamento, quòd S. Bonauentura obtinuerit à Summis Pontificibus, vt eâ horâ, quæ est initium noctis, signum daretur salutandi Virginem, in memoriam salutationis Angelicæ. Cùm enim omnes prorsùs homines, mediâ nocte dormiant, ideò præueniri solet, vt sic faciliùs ab omnibus memoria dictæ salutationis celebretur. Circa mediam igitur noctem, Angelicam salutationem contigisse, fatentur grauissimi Authores. Ac inprimis Simon Cassianus, inquiens: *In conclaui erat Virgo, eam vigilantem inuenit Angelus, deditam lectioni, aut orationi vacantem: nox apprehendebatur ex medio, nec adhuc tenella Virgo sua membra in quiete collegerat.* Idem docet Barradius tom. 1. lib. 7. cap. 6. quibus consentit sacra pagina Sap. 8. *Dùm*, inquit, *medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus, à regalibus sedibus venit.* Cuius rei prima ratio est, quia eadem hora Deus aliquandò, seueram iustitiam administrauit, cùm per Angelum primogenitos Ægyptiorum interficeret. Exodi 12. *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Ergò congruum erat, vt eadem Dei Filius, summam misericordiam faceret, naturam humanam assumendo. Altera ratio, quia mediâ nocte Christus natus est, ergò quoniam nouem mensibus in puncto completis natus est, media nocte, à qua nouem menses supputari inceperunt, conceptũ fuisse possibilius videtur. Quòdsi locùm inspexerimus, in quo B. Virgo salutationem ab Angelo excepit, fuisse Nazareth, exiguam & pauperem Galilææ ciuitatem, testatur Sacer Euangelista. Quid agis ô immensa Dei bonitas! mundi Principes in Regum palatijs, potentiâ, opibus, & omni splendore fulgentibus, suis filijs desponsationes quærunt; tu verò in vili cubiculo, sponsam simul & matrem Filio tuo quæris. Si in ipsa vrbium Principe Hie-

A Cassianus.

Beata Virgo non mane fuit salutata ab Angelo,

B Primogeniti Ægyptiorum media nocte ab Angelo interfecti.

Exodi 12.

Neque ad initium noctis,

C Christus expletis integris nouem mensibus à Conceptione est.

Cur ad initium noctis signum salutationis Angelicæ datur.

Media nocte Angelus venit ad Beatam Virginem,

D

Hiero-

Sapien. 8.

rosolyma, vbi Regum Sedes, ad stu-
porem totius mundi, vna cum tem-
pli magnificentiâ, erecta est, facilè
id tuæ gloriæ cederem, sed quòd in
Nazareth pauperrimo Galilææ oppi-
diculo, id facias, idq; profundâ no-
cte, quis non mirabitur? Verùm
desistat stupor: noctu micantia side-
ra, iucundiùs conspiciuntur, ac di-
gnoscuntur; Domus verò, in quâ
B. Virgo salutata est, non iam cum
sidereo, sed cum ipso empyreo cœlo
conuenire videtur. Quemadmo-
dùm in hoc Beati ita Deo fruuntur, B
vt semper fruendi desiderio accen-
dantur; ita in domo illa, quæ An-
gelorum ministerio, ex ciuitate Na-
zareth primò in Illyricum, deindè in
in Italiam, translata est, & nunc Lau-
retana Ecclesia appellatur, fideles
nescio quid deuotionis degustant,
vt iterùm degustare appetant, teste
Tursellino, in præfatione historiæ
Lauretanæ. *Tantam*, inquit, *Deus*
mortalium animis, inspirauit Ædis Lau-
retanæ religionem, vt quicunq; ad Lau-
retanam ædem accedunt, non tàm ad C
ædem Virginis, quàm ad ipsam Virginem
sibi adire videantur. Et sanè hîc Deus,
Deiq; Mater, miro quodam modo
præsentiam suam declarant. hinc
diuinus ille omnium pectoribus in-
cutitur honor, ad sacrosanctæ do-
mûs ingressum; hinc illud adeunti-
bus injicitur, eius reuisendæ deside-
rium. Cœlo itaq; purius palatium,
virgineam domum adijt Angelus, vt
in ea diuinitatis fulgorem, admira-
retur. Non alibi autem decuit, ver-
bum æternum humanam naturam D
assumere, nisi in Nazareth ciuitate
Galilææ, vt & ex prouinciâ Galilæa,
& ex Vrbe Nazareth, futura totius
Synagogæ ruina, ostenderetur. Quo-
niam Galilæa Auctore D. Bernardo
homil. 1. super *Missus est* transmigra-
tionem significat. *Quia*, inquit, *na-*
scente Christo, omnia illa transierunt,
hoc est, non solum ille externus diui-
ni cultûs apparatus; sed etiam ille
internus omnium virtutum chorus.
Nazareth autem flos dicitur, vt idem
Sanctus Doctor exponit: *Sed prodeun-*

Domus B. Virginis bis translata ab Angelis.

Tursellin.

S. Bernard.

te, inquit, *fructu flos decidit, quia veri-* A
tate apparente in carne, figura pertran-
siit. Et paulò inferiùs subdit. *Hos ergo*
flores, & nos, qui iam fructum tenemus,
pertransisse videmus; & dùm adhuc flo-
rere videbantur, transituri præuidebantur. Quod pulchrè prædixerat Pro-
pheta Isaiæ 40. *Omnis caro fœnum, &* Isaiæ 40.
omnis gloria eius, quasi flos agri: Exsic-
catum est fœnum, & cecidit flos, quia Spi-
ritus Domini sufflauit in eo. vbi per fœ-
num, intellexit populum Iudaicum,
subiungens *verè fœnum est populus.* To-
tus igitur ille populus, fœnum erat, B
quod hodiè est in agro, sed cras mittitur Lucæ 12.
in clibanum. Lucæ 12. Olim multis
diuinæ gratiæ beneficijs florens; po-
stea verò suorum scelerum incendijs
exarescens. Sic concludit D. Bernar-
dus: *Carnalis*, inquit, *ille populus Iu-* S. Bernard.
dæorum, fœnum fuit, an non fœnum
aruit, dùm idem populus, ab omni spiri-
tus pinguedine vacuus, siccæ literæ ad-
hæsit? An non etiam flos decidit, quandò
gloriatio, quam habebat in lege, non re-
mansit? Si flos non decidit, vbi est ergo C
regnum, vbi sacerdotium, vbi prophetæ,
vbi templum, vbi deniq; magnalia illa,
de quibus gloriari solebant, ac dicere.
Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & Psal. 77.
patres nostri narrauerunt nobis. Psal. 77.
In quibus verbis manifestè ostendit,
non solùm illam externam gloriam,
ex diuinis miraculis fulgurantem, sed
etiam illam internam gratiam, ex
diuini Spiritus afflatu floreſcentem,
tandem in Synagogâ prorsùs inte-
rijsse. Non fuit ergò ad expedien-
dam diuinam legationem tempus
magis opportunum, quàm profun- D
da nox; non fuit & locus conuenien-
tior, quàm Nazareth ciuitas Galilææ.
Causas itaque missionis Angelicæ
à Deo, & cur coæternus ipsi Filius,
non de maritatâ, nec de viduâ, sed
solùm de Virgine nasci voluerit, in-
uestigabimus.

S. Bernard

Quantum ad primum, obstupe-
scet non nemo, quòd Deus, cui in-
numera multitudo Angelorum ad-
stat; neminem tamen alium, præter
solũ Gabrielem mittat ad Virginem,
mysterium Incarnationis annuntia-
turum.

Cur non alius, sed Gabriel Archangelus ad Virginem missus.

turum. Cur enim in re tanti momenti, non expediuit Michaëlem Archangelũ, qui omnia Dei negotia, prudentissimè tractare nouit. Propter quod magni Principis titulum meruit. Daniel. 12. *In tempore autem illo, consurget Michaël Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui.* Glossa autem ordinaria legit: *Princeps magnus, & fideliter agens.* ergò maximè idoneus videbatur, ad hoc negotium tractandum. Varias hîc Authores causas allegant. Inprimis: ne ex eius aspectu nimiùm turbaretur Virgo. Si enim audiens Angelicam annuntiationem, quòd conceptura, & paritura esset Dei Filium, vehementer expauit, teste Sacro Euangelio. *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius.* Vbi S. Chrysosthomus quærit, quid est, quòd personam videt, & de sermone turbatur? An ideò, quia Angelum in assumpto corpore spectauit? minimè: vtique scimus ex historiâ sacrâ, plures Angelos in assumpto corpore humano, varijs Patriarchis apparuisse; nec tamen illos eapropter exterritos fuisse. Quomodò ergò Virgo, quæ illis Patriarchis fuit sanctior, etiam ante Incarnationis tempus, Angelos in humanâ carne apparentes, expauescere potuit. Præsertim cùm Euangelium non dicat, eam turbatam esse ex visione Angeli; sed in sermone. Et respondet S. Chrysosthomus eam fuisse turbatam, *quia vidit Angelum placidum in specie.* Quid si vidisset Michaëlem sanctum, fortissimum illum bellatorem, bella Domini Sabbaoth strenuè propugnantem, equidem non turbata, sed penitùs exanimis facta fuisset. Sic enim de illo dicit Chrysologus Serm. 140. *Fortis in bello, in sermone terribilis.*

Daniel. 12

S. Chryso

Chrysolo.

Et certè continuis bellis assuetum esse S. Michaëlem, palam facetur D. Ioannes, qui eum in ipsis statim mundi incunabulis, cum draconе præliantem introducit Apoc. 12. *Et factum est*, inquit, *prælium magnum in cœlo: Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius.* Quid est prô Deum immortalem! vtique in cœlo pax summa regnat, vnde ergo tanti origo belli, cùm omnia mundi bella, de duobus tantùm, videlicet Meo & Tuo, fiant; quæ in cœlo locum non videntur habere. Sed ne miremini: honorem maximum, qui soli Deo debetur, superbè sibi arrogabat Draco infernalis, tertiam partem Angelorum, in suam maledictam aduersus Deum conspirationem trahens. Apoc. 12. *Caudâ trahebat tertiam partem stellarum.* vbi per *stellas.* S. Victorinus Pictauiensis in citatum locum, intelligit Angelos. *Multi* inquit, *arbitrantur, tertiam partem hominum posse eum seducere; sed veriùs intelligi debet, Angelorum sibi subiectorum, cùm adhuc princeps esset, cùm transcenderet constitutionem suam, tertiam partem seduxisse.* Qui enim in principatu consistit, facilè in sua facinora, multos subditorum trahere potest. In quo enim non consentiant subditi Principi suo? sed malè cessit hæc aduersùs Deum rebellio draconis, quia à S. Michaële, honorem Dei acriter defendente debellatus, cum adhærentibus suis Angelis, augustissima illa cœli palatia, miserè perdidit. *Nec locus inuentus est eorum amplius in cœlo.* Vt hinc discant mortales, se ob temerariam præsumptionem, facilè omnia amissuros: vbi enim nunc sunt illæ sedes primorum parentum fortunatissimæ, in paradiso terrestri collocatæ? præsumptio vana contra Dei mandatum, eas demolita est. Probabile quippè censet Pererius lib. 3. in Genesim q. 5. nulla hactenùs earum vestigia supereſſe, ipso etiam paradiso in totum eradicato. vbi illa terra, quam homines ante diluuium incoluerunt? misera præsumptio illam, tanquàm vanitatis fumum euanuisse fecit. iuxta illud Gen. 6. *Dispergam eos cum terra*: quia vt referunt Hebræi, tota fuit à superficie, tres circiter palmos tabefacta, & in aquas diluuij conuersa: quoniam Deus in terprete Caietano, tanquàm Iudex e iam locum puniebat. Vbi illa sta-

Origo belli, meum & tuum.

Ibidem.

Paradisus post peccatum destructus.

Gen. 6.

Apoc. 12.

Luæ 1.

illa ſtatua portentoſa Nabuchodonoſoris, pluribus conflata ex metallis, & Babylonicum complexa forum? *Contrita ſunt pariter*, inquit, Daniel. 2. *textus, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nullusq; locus inuentus eſt eis.* Daniel. 2. Ita quidem: non ſolùm intereunt peccatores, ſed etiam eorũ loca pari interitu inuoluuntur. Ne ergò aſpectu S. Michaëlis, tanti bellatoris, ad cuius vocem concuſſum eſt cœlum, & contremuit terra, furibundum & indomitum Martem ſpirantis, Virgo exterreretur, ideò hæc legatio ipſi non fuit demandata, ſed Gabrieli. Quâ verò de causâ id factum ſit, diſcordant Authores.

Imprimis aliqui cenſent ideò, quòd Gabriel fuerit ſummè idoneus ad obeundas legationes; tales autem in omnibus monarchijs, magno in pretio apud Principes haberi ſolent, illiſq; grauiſſima quæuis negotia abſoluenda committuntur. Quoniam ergò feliciſſimam antea legationem, Gabriel Angelus expediuerat ad Zachariam, naſciturum ei filium annuntians Lucæ 1. *Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.* Lucæ 1. Quid eſt? Petro non niſi poſt multos annos, iam grandæuo, dictum fuit. *Tu vocaberis Cephas*, Ioan. 1. Ioan. 1. At verò ad imponendum nomen Ioanni maturauit Angelus, vt priuſquàm conciperetur, nomen eius prædicaret. Ne miremini: non patitur Deus nomina à ſe impoſita, poſſe videri nuda, & vacua vocabula, ſine effectu, qui per illa ſignificatur. Proindè tunc ponit nomina, cùm ſimul per effectus poteſt oſtendi eorum ſignificatio. vnde cùm Ioannes ab ipſo vtero, gratiâ adornandus eſſet, ideò ex tunc accepit nomen, gratiam ſignificans, & oſtendens. Petrus verò, cùm non niſi grandæuus ſuſtentaturus foret Eccleſiam, non niſi etiam grandæuus nomen à Deo debuit accipere, per quod eius marmorea firmitas exprimeretur. Sic cenſet D. Chryſoſth. homil. 18. in

A Ioan. *Deus*, inquit eſt, *qui nomina aptè imponit, qui Abram Abraham, & Sarai Saram vocauit; ita & Ioanni nomen cœlitùs impoſuit. Qui enim debebant ab ineunte ætate virtute pollere, eis tunc indita ſunt nomina; qui verò in ætatis progreſſu profecturi erant, poſtmodùm.* S. Chryſo. Illud tamen obſtupeſco, quòd poſtquàm Zachariæ, inopinatam Ioannis natiuitatem, Gabriel Angelus denuntiaſſet, Zacharias futurus pater hæreret, inquiens: *Vnde hoc ſciam.* Lucæ 1. Alij cenſent id eum B feciſſe ob ſenium ſuum, & vxoris ſterilitatem infæcundam. Alij veriſimiliùs, vt ſigno ab Angelo ſibi dato, in populo illo Iudaico, ſacerdotij, & Prophetarum ruinam præfiguraret. Signum autem hoc non aliud erat, niſi ſilentium à Deo inflictum: *Ecce*, inquit, *eris tacens, & non poteris loqui.* Quid enim aliud erat, Zachariam ſacerdotem, immò & Prophetam, ad quem Deum precandi, & populum docendi munus ſpectabat, obmuteſcere, & ſuo muC neri obeundo ineptum reddi? niſi omnes veteres ſacerdotes, ac Prophetas à ſuo miniſterio obeundo, arcendos eſſe, tanquàm inhabiles. Quoniam autem vniuerſus ille populus, ad Deum, per Sacerdotum & Prophetarum preces accedebat, quid aliud erat Zachariam Sacerdotem ac prophetam, à loquendi vſu præpediri, niſi totum illum populum, tanquàm diſciplinæ expertem, & miſericordiâ indignum, à Deo tandem ſeparandum oſtendere. Hæc D eſt mens Diui Ambroſij, citatum locum in ſenſu myſtico exponentis. *Non vnius*, inquit, *myſterium, nec vnius ſilentium eſt. Tacet Sacerdos, tacet Propheta: niſi fallor in vno vox totius populi obmutuit: quia in vno totus ad Dominum per Moyſen populus loquebatur. Ceſſatio ſacrorum, & ſilentium Prophetarum, taciturnitas Prophetæ, & taciturnitas Sacerdotis eſt.* S. Ambro. In quibus verbis palam oſtendit, Zachariam, & Sacerdotem & Prophetam, ſuo illo ſilentio diuinitùs inflicto, non obſcurè indicaſſe, totum illud ſacrificium,

cium, & prophetandi mysterium, penitùs à populo Iudaico auferendum fuisse.

Gabriel ad MARIAM Virginem missus fuit ex ordine Seraphinorum.

Secundò aliqui opinantur, ideo Gabrieli Angelo demandatam fuisse legationem, ad Virginem Mariam, quòd fuerit primarius ex supremo ordine Angelorum, videlicet ex ordine Seraphim. Quod probant tali ratione: quia mysterium Incarnationis fuit quasi basis, & origo cæterorum mysteriorum, hoc est, natiuitatis, Ascensionis &c. ergò sicut ad diuulgandam Natiuitatem, & Ascensionem Filij Dei, descenderant Angeli ex supremo ordine Seraphim, ita ad annuntiandam verbi æterni Incarnationem, ex eodem ordine supremum Angelum demissum fuisse, maximè consentaneum videtur. Potissimùm cùm ad regiam dignitatem spectet, mittere legatos ad sponsalitia contrahenda digniores. Proindè & diuinam maiestatem decebat, mittere nuntium alijs digniorem, pro spirituali & tanti momenti sponsalitio, quod cum humana natura contrahere decreuerat. Quod non operosè deducitur ex illo Scripturæ sacræ loco, Isaiæ 6. vbi

Isaiæ 6.

postquàm Propheta præmisit: *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri.* mox subdidit: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Vbi calculus ille, ex cuius contactu labia Isaiæ mundata sunt, figurabat corpus Christi in Sacramento, ex cuius sumptione dignâ, mundantur conscientiæ hominum, Auctore S. Hieronymo Epistolâ 143. & Iustino Martyre. Si ergò ad Prophetas Seraphinos legimus missos, quis non assentietur, Gabrielem missum ad virginem, fuisse vnum ex Seraphim.

Insuper Gabriel Angelus missus est ad Virginem, quia hoc eius nominis interpretatio suadebat: Gabriel enim dicitur, *Vir Deus*, vt exponit Cornelius. Quasi apertiùs dicatur? Deus incarnabitur, eritq; homo puer, quantum ad naturam, ac ætatis & temporis progressum, idem tamen erit Vir. Consultissimè itaq; missus est Gabriel, vt annuntiaret MARIÆ Incarnationis mysterium, MARIÆ inquam Virgini, quæ virginitatis studio cunctanter agebat, nec nisi post longam disceptationem, Deum in suo virgineo vtero corporandum, Gebrieli annuit; quam verbi æterni corporationem ipse feliciter persuasit. Sic censet Asterius tom. 1. Serm. in Danielem. *Quid*, ait, *Danielem interpretaris?* Asterius. *Arrige aures, & disce: Deus & homo. Quia itaq; ille, quem annuntiabat, Deus erat ac homo, quò facilius dispensationem persuadeat, rei miraculum, nominis notatione anticipat.* Quasi diceret: prudentissimè ad Virginis MARIÆ suadelam, super re Incarnationis, nuntius ac orator, missus est Gabriel, id est, *Deus & homo.* Nam cùm piè velut pertinax virginitatis studium, ac acerrimum illius seruandæ propositum, MARIÆ pectus votiuè impleuisset, haud facilè erat illi maternitatem persuadere, nisi illibato sincerissimè pudore: Cumq; portento simile videretur, Virginem concipere Deum, ac etiam parere, æquum erat ad suadelam, vt nuntius orator, & è cœlo Rhetor, *rei miraculum, nominis notatione anticiparet.* & quod ipse nominis vocabulo significabat, sui studio efficaciter cunctanti Vigini persuaderet. Hinc infert citatus Auctor: *Quia itaq; ille, quem annuntiabat, Deus erat & homo, quò facilius dispensationem persuaderet*, Deus & homo, Idem qui supra. cœlestis Rhetor nominatus est, vt quasi de sui studio feliciter rhetorisans, cunctanti Virgini efficaciùs suaderet, fore vt illibato pudore Deum conciperet, Deumq; pareret. Non potuit ergò Gabriel nomen suum, id est, *Deus homo*, meliùs manifestarè, quàm cùm Deum hominem nasciturum, atq; ex intacta Virgine proditurum, digno Dei nascentis partu prænuntiasset. Rectè igitur Dei hominis, de humana natiuitate vindicias egit, qui sui nominis elogio, Deum & hominem vocabulo præfert,

præfert, quò faciliùs de proprio mysterium ineffabile, persuaderet. Iam itaq; prima concionis parte expedita, cùm in Ecclesia Christi triplex status reperiatur, Coniugalis, Vidualis, & Virginalis, meritò controuertitur.

Cur Dei Filius, ex fœmina maritata carnem assumere noluerit; siquidem & in statu coniugali, multæ sanctissimæ feminæ repertæ fuerunt. Nonne multis elogijs celebrantur à Scriptura sacra virtutes Saræ, castissimæ coniugis Abrahæ. Cuius si pudorem ac verecundiam inspexeris, B obstupescès. Tres Angelos in domum suam receperat Abraham, cumque tanti essent hospites; hospitia verò sat exigua, nunquàm tamen Sara comparebat; adeò, vt vel ipsi Angeli admirati interrogarent, *vbi est Sara vxor tua?* Gen. 18. Quasi dicerent: hæc tua tabernacula, seu tuguria straminea parua sunt, & pauca, ita vt omnia vnico aspectui subijciantur, & à tribus hospitibus omnia occupentur; & tamen Sara non comparet, vbi est? Nimirùm secretiorem C inter domum partem, quærebat Sara, & ita occultas latebras, vt à nemine cerneretur. Quòd vel ipsi Angeli significare voluerunt, seu potiùs ipse Deus, cuius illi nomine loquebantur, vt rectè obseruat S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 5. circa finem. *Nunquid*, ait, *ignorabat Dominus, vbi Sara esset? sed docere nos voluit, quantus pudor esse debeat fœminarum, ne procaci occursu, hospitum in se oculos inflectant.* Et paulò post subdit: *Prouectior iam ætate Sara, iuueni* D *lem custodit verecundiam.* Quid loquar de eius humilitate? hac enim etiam viliſſimas ancillas superauit. Reges Israëlitarum sui panis delicias, etiam per iniurias totius Reipublicæ ambiebant, dùm ciuium filias, sibi in panificas, ac pistrices coaptarent, & primarias ac liberales feminas, ad humiles & ancillares artes, *verberum formidine*, vt loquitur Iosephus, compellerent. Ad hoc tamen vile ministerium, se aliquandò Sara vltrò abiecit, fœmina alioqui Princeps. Dùm A iubenti Abrahamo, ac dicenti: *tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.* Gen. 18. promptè obtemperauit. Quam eius humilitatem, Sanctus Chrysostomus oratione in illud Psal. 41. *Nolite timere, cùm diues factus fuerit homo* tom. 1. eleganter expendit, inquiens: *Non quæsiuit, quid hoc sibi vellet? eone ipsi illa animo nupsisset, vt eam ad pistrinam & panificium condemnaret: mulierem præsertim tot diuitijs abundantem. Sed humile ministerium ipsa statim humiliter exercuit.*

Fateor hæc magnæ perfectionis indicia esse, sed neq; etiam defectibus aliquibus caruit Sara. Cùm enim Deus in persona trium Angelorum, in domo Abrahæ humaniter exceptus, Saræ iam ætatis prouectæ filium polliceretur, inquiens: *habebit filium Sara vxor tua* Gen. 18. Quasi diceret: ne timeas Sara, licet enim iam sis 90. annorum, filium tamen paries. Quid verò Sara audiens hæc? *risit post ostium tabernaculi.* Genesis 18. Excusant quidem plurimi Saram ab omni culpâ in hoc risu, existimantes in tàm felici nuntio, Saræ per occultas Dei inspirationes fuisse insinuatum, de nascituro JESV Dei Filio. Sic censet S. Ephrem Serm. de Abraham & Isaac, inquiens: *Non propter Isaac risit Sara, sed propter natum ex Maria Virgine. Et sicut Ioannes exultauit in vtero; ita & suo risu Sara gaudium significauit.* Quasi diceret: in Sara fuit vera & grandis lætitia, in quâ ex MARIA natus JESVS præmonstrabatur, quem sicut indicabant saltus Ioannis, ita risus Saræ. Non enim desideratissimi filij, sic parentes suos gaudio implent, vt vnus JESVS MARIÆ Filius, scit homines in gaudia trahere. Sit nobis præ oculis vnus JESVS, & dubiò procul mox eo gaudio replebimur, quòd in nobis omnes tristitiæ causas absorbeat. Quod pulchrè figurauit Jacob Patriarcha, vocem illam emittens. Gen. 45. *Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit.* Hanc enim vocem, in JESVM transferens Guerricus Abbas, Serm. 1. de resurrectione Christi, ita di-

Gen. 18.

Gen. 18.

Gen. 18.

Sara 90. annorum, Isaacum peperit,

S. Ambro.

S. Ephrem

Gen. 45.

Saræ magna humilitas.

Guarricus Abbas. ita discurrit. *O vocem fidelem, & planè dignam amicis Iesu! sufficit mihi, si Iesus viuit. Quid mihi deesse poterit, si Iesus viuit? Imò desint omnia alia, nihil interest mea, dùm modò Iesus viuat.* Cùm sic amor Christi, totum absorbuerit affectum hominis, vt immemor sui, nonnisi IESVM Christum, & ea, quæ sunt IESV Christi, sentiat. Huic vtiq; qui sic affectus est, non est onerosa paupertas, iste non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imò nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat. En quomodò mœror malorum omnium, & paupertatis, & iniuriarum, & mortis funditùs absumitur in eo, cui vnus IESVS affulget. Quia ergò Sara supernâ illuminatione intùs edocta, IESVM nasciturum cognoscebat, ideò præ nimiâ lætitiâ in risum effundebatur, & sic ab omni culpâ fuisse immunis videtur.

Alij, ex eo fundamento censent Saram, in illo risu non peccasse, quòd in matrimonio sanctè & castè viueret, nolletq; amplius carnali voluptati vacare: & ideò Sancta illa mulier, audiens se parituram, risit! non incredula de promissione, sed solicita de seruandâ continentiâ. Hoc apertè indicant verba ipsius Gen. 18. Gen. 18. *Postquàm consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Licet enim Sara, in illa senili ætate esset pulcherrima, ac formosissima, ita vt oculos Geraræ Regis attraheret; Gen. 20. *Misit ergo Abimelech Rex Gerarę & tulit eam.* Gen. 20. Annosa erat, sed pulchra nimis, vt aiunt Hebræi: *in pulchritudine coloris, ac viuacitate carnis, erat sicut puella.* neq; tamen ipsa, neq; Abraham voluptati operam dabant, ad denotandam sanctitatem, moderationemq; quam tenere debent coniuges, in sancti matrimonij vsu. Nam hæc est differentia, inter legitimam vxorem, & scortum, quòd hoc propter voluptatem tantùm appetatur; vxores autem non nisi propter filiorum procreationem, vnde vxores non

Discrimen inter vxorem & scortum.

sic placere debent viris; sicut scorta suis amasijs. Quod ingeniosè adnotauit S. Chrysosth. in Epistolam Diui Pauli 4. ad Colossen. homil. 10. in fine inquiens: *Quo namq; discrimine discernitur vxor à scorto? quòd ista quidem hoc vnum respicit, quomodò corporis pulchritudine amicum attrahat; illa verò, & domum gubernat, & liberorum particeps est, & reliquorum omnium.* S. Chryso. Egregiè sanè: scorta quippè hoc vnum intendunt, vt pulchritudine attrahant homines, quia hominum finis erga illa, non est alius, nisi delectatio. At verò vxores, debent attrahere viros suos, non solâ pulchritudine, sed & prudentiâ, obsequio, domûs liberorumq; solicitudine. Cuius ratio est: quia finis viri cum vxore, non est delectatio, sed procreatio, sanctaq; progenies: & similiter finis vxoris, non est sola delectatio, sed vt vult S. Chrysosth. domûs liberorumq; gubernatio, virum cum Dei timore, non cum libidinoso suscipiens affectu. Ita protestata est eadem Sancta mulier Sara, Tobiæ 3. *Tu scis Domine, quòd virum cum timore tuo, non cum libidine meâ consensi suscipere*, vt scilicet benedictionem in procreatione acciperet. Quemadmodùm & vir eius, orans palam locutus est: *Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ, accipio sororem meam coniugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Præclarè equidem: non enim omne tempus matrimonij, in delectationibus consumendum est, cùm & orationi aliquid dandum sit, iuxta illud præceptum Apostoli 1. Corint. 7. *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Vnde benè per Salomonem dicitur, Ecclesiast. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.*

Finis viri atq; vxoris quis sit.

Tobiæ 3.

1. Cor. 7.

Eccl. 3.

Cæterùm non video, quomodò Sara in hoc risu, ab omni penitùs culpâ excusari possit, cùm Deus expostulans cum Abrahamo dixerit: *Quare risit Sara?* In stuporem hic agor, dicuntur tres viri descendisse

ad Abra-

ad Abrahamum: *Apparuerunt ei tres viri;* post risum autem Saræ, iam non viri, sed Dominus Deus nominatur: *Dixit autem Dominus ad Abraham.* Causa non alia est, nisi quia iam tunc aderat peccatum, in quod necessaria fuit animaduersio, & ideò personam virorum exuens Deus, induit naturam Domini, terrorem incutiens, sontem plectens, & si beneficijs affectus, & si promptissimis obsequijs honoratus, vt tu similiter addiscas, quomodò te cum tuis gerere debeas, quandò delinquent. Nam licet in alijs temporibus, eorum frater, vel amicus extiteris; dùm tamen culpa adest, magnum te præbeas oportet, & dominum, nullam respiciens rationem, nullum seruitium, nullum respectum. Illud nihilominùs difficultatem facit, quòd cùm Sara risisset, non Saram, sed Abrahamum Deus interrogauit. *Quare risit Sara.* An quia culpa Saræ refundebatur in Abrahamum? quasi ideò peccauerit ex incredulitate, quòd non benè à marito edocta & disciplinata esset. Sic censet Lippomanus in Catena inquiens: *Sara autem ridendo, & dubitando peccauit; & tamen Angelus, non statim eam increpauit, sed primò eius maritus interrogatus est, cur ipsa risisset, vt profectò innuat, virum esse caput mulieris, ad quem vxorem dirigere, & in moribus informare, ac delinquentem corripere pertineat, ita vt culpa coniugis, in ipsum penitùs redundet.* Non igitur discipuli, sed Magistri in magno Dei conspectu interrogabuntur, & discipulorum defectus, eorum erit peccatum, si vt debuerant, non corripuerint, non instituerint. Hinc Abraham, defectum Saræ ridentis acriter reprehendit: cùm enim illa negaret se risisse, *non ait, sed timore perterrita.* Seuerè Abraham instituit: *non est ita, sed risisti.* O pium Abrahami zelum, vt statim ad correctionem prorumperet, non obstante etiam Dei maiestatis præsentiâ, imò nec conuiuij festiuitate. Quia ergò Sara fœmina alias Sancta & nobilis, vt potè Ducissa, peccato leui, & ex fragilitate non caruit, ideò in matrem Dei non fuit assumpta, vt palam fiat, quòd in eam, quæ futura erat Filij Dei Mater, ne leuissimus defectus cadere debuerit.

Quod si Saram repudiauit, cur Rebeccam in matrem non assumpsit? de quâ dicit Scriptura sacra: *Puella decora nimis, virgoq; pulcherrima.* Gen. 24. puto eâ de causâ, quia & hæc alicuius vitij notâ non caruit. cùm enim Eliezer seruus Abrahami, redire ad Dominum suum festinaret, Rebecca interrogata, an tàm citò vellet ire cum illo homine, sine vlla cunctatione respondit: *vadam.* Quid agis lectissima puella, homini ignoto venustatem virgineam cõmittis? & iter longinquum aggredi non vereris, cùm in re tanti momenti, maturâ deliberatione opus sit, iuxta illud: *diu delibera, & citò fac.* Non sic B. Virgo processit, sed Angelo nuntiante, quòd Deum conceptura & paritura esset, diu cogitabat: *qualis esset ista salutatio* Lucæ 1. dubitando, bonusnè, an malus ille Angelus fuerit, vt probabiliter censet S. Bernardus Serm. 3. super Missus est, ex eo fundamento: quia ad spirituum discretionem spectat, magna circumspectione, considerare quis nam sit, bonusnè an malus spiritus. vnde cùm Virgo Deipara dono discretionis spirituum esset prædita, diligenti mentis examine perpendebat, qualisnam esset illa salutatio, ne in illo sublimi encomio, quo Angelus Virginem laudauit, adulationis insidiæ laterent. Cùm teste Salomone Prouerb. 18. verba assentationis blanda, & mollia, ad interiora ventris descendant, seu vt in Hebræo textu clariùs habetur, *adulationis oleum pernicioſum, facillimè penetrat, atq; caput impinguat, siue hebetat.* Alij verò censent, diu cogitasse Virginem, quò tenderet adeó sublimis & honorifica illa salutatio. Quod facilè colligitur ex verbis, quæ subtexuit Angelus: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quasi diceret: hic est

Sara videns ob promissionem filij peccauit.

Sara fuit de familia Principũ.

Gen. 24.

Lucæ 1.

Ibidem.

Lippom.

Culpa vxoris in maritum redundat.

hic est finis, ad quem missus sum, & cur te ita honorificè salutaui: quia electa es, ad concipiendum & pariendum DEI Filium, quem tantoperè videre in carne cupiebas. nam tunc, quandò apparuit Angelus, piè cogitabat Virgo, & feruenti desiderio postulabat aduentum Messiæ, vt docet S. Bernardus Sermone 3. super Missus est. Quippè sicut ex Scripturis sacris cognoscebat, hebdomadas Danielis fuisse impletas, & sceptrum à tribu Iuda translatum, ita suadebat ratio, vt precaretur celerem Messiæ aduentum. Non itaq; Rebeccam in matrem assumere voluit Dei Filius, vt ostenderet se, non nisi de prudentissima Virgine nasciturum.

Ergo Rachelem facie venustam, ad maternitatem Filij sui deputare potuit æternus Pater: sed neq; hæc ex omni parte beata reperta est. Inprimis, quia fuit inuidiosa: nam Liæ sororis suæ fæcunditatem, toruo oculo aspiciebat. Gen. 30. *Cernens Rachel, quòd infæcunda esset, inuidit sorori suæ.* ita vt ex hac inuidiâ, in amentiam grauem prolapsa, virum asperiùs alloqueretur: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Quibus verbis, Sanctus Chrysosthomus hom. 56. in Genesim docet, Rachelem desipuisse, quòd rem à Deo petendam, à viro postulauerit. Liberorum enim procreatio, ex Dei beneficio pendet, vt docet Theodoretus q. 5. *Quemadmodùm enim*, inquit, *agricolæ quidem est proprium, semina deijcere; Dei autem deiecta perficere; ita matrimonij quidem est, propria coniunctio, Dei autem est proprium, annuere naturæ, vt effingat & formet animal.* Desipuerat proindè Rachel, à viro liberos extorquens, quos humili & feruenti oratione, à Deo petere debuit. Sed non mirum: quia semper inuidia desinit in insipientiam. Præterea, quia Rachel Patrem suum fallere non timuit, quandò idola eius sustulit. Gen. 31. *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui.* Non talem matrem voluit habere Dei Filius, sed quæ nulla inuidiâ laboraret, parentumq; obseruantissima, & omnium amantissima esset, imò fons totius bonitatis, & misericordiæ.

Aut certè, si noluit Dei Filius, ex muliere coniugata nasci, cur ex deuotis viduis, matrem sibi non elegit? inuenisset profectò Iudith fæminam sanctam, austeram vitam ducentem, orationibus assiduò vacantem, & mortificationibus assuetam. Nam de illa dicit Scriptura sacra: *Habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, & neomenias, & festa domus Israël.* Iudith 8. Iudith 8. Inuenisset Annam Prophetissam; sanctitate vitæ celebrem. Inuenisset tot alias, magnis & præclaris virtutibus illustres viduas. Sed frustra; nec de coniugatâ, nec de viduatâ muliere, nasci decuit Filium Dei; verùm de Virgine, vt palam fatetur hodiernum Euangelium. *Missus est Angelus Gabriel, ad Mariam Virginem.* Lucæ 1. Scrutemini in quonam etiam statu fuerit Eua, antequàm peccasset? & dubiò procul fateri debebitis, eam non fuisse viduam, quia Adamo à Domino Deo in vxorem tradita erat. Non erat etiam coniugata: quia ante peccatum minimè à viro cognita: Virginem itaq; fuisse omnes censent. Et potissimùm Aloysius; qui dicit: *incepit peccatum, ex muliere Virgine.* Ergo quoq; necesse erat, vt ex Virgine gratia salutis oriretur. Proindè, vt medicina morbo correspondere, Dei Filius ex Virgine nasci voluit, ad ostendendum, quòd sicut Eua dùm esset Virgo, peccato vniuersum humanum genus infecit; ita MARIA Virgo, cum, qui homines redempturus erat, peperit. vt eruditè discurrit S. Bernardus, Serm. de verbis Apocal. *Crudelis*, inquit, *Eua, per quam serpens antiquus, pestiferum etiam ipsi viro, virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis; illa suggessit prænaricationem, hæc iniecit redemptio-*

Gen. 30.

Theodor.

Gen. 30.

Iudith 8.

Lucæ 1.

Eua ante peccatum fuit virgo.

Christus cur de Virgine nasci voluit.

S. Bernard.

demptionem. Præterea, quia Adam, formatus fuit ex terra adhuc non motâ, quàm Sancti Patres, ac Doctores, Virginem vocant, propterea, quòd nondum maledicta fuerit. Atqui Adam figuram Christi gessit, Rom. 5. vt testatur Apostolus Rom. 5. *Regnauit mors ab Adam, vsq; ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Ergò conueniens erat, Christum quoq; nasci ex terrâ, id est, B. Virgine, in exordio sui benedictâ, Lucæ 1. vt illam vocat Angelus Lucæ 1. *Benedicta tu inter mulieres.* Hic est discursus S. Andreæ Apostoli, vt referunt Presbyteri, in lib. de Passione eiusdem Apostoli, illius Ecclesiæ, cuius S. Andreas Apostolus. ille peculiariter Apostolus fuit. *Sicut*, inquit, *de terra immaculata factus fuerat primus homo, ita necesse erat, vt de immaculata Virgine Christus nasceretur.*

Audistis iam legationem Angeli ad Virginem MARIAM, audistis consensum à Virgine præstitum, vt diuinitas cum humanitate in eius vtero copuletur, audistis hodiè Dei Filio nuptias à Patre factas esse: sed quoniam ad nuptiales actus, consuetũ est hominibus munera deferre, eaq; neospensæ præsentare ac donare, ne ab hac laudabili consuetudine recedamus, munusculum aliquod Sanctissimæ Virgini, diuinissimo spiritui desponsatæ, debemus offerre. Et ne diu quæramus, adest in promptu pretiosum munusculum, quod et ipse Angelus Virgini obtulit dicens: AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM. vt & nos pariter cum debita submissione, hoc donarium Augustæ Virgini offeramus, dicendo: *Aue*, id est, Gaude Virgo Deipara, quòd hodiè ad supremam dignitatem maternitatis Dei sublimata es. Quippe vox ista, AVE, in signum lætitiæ ab Angelo pronuntiata est, teste D. Augustino Serm. de Natiuitate Domini: S. August. *Hæc vox*, inquit, *Aue, in hoc loco non est vox imperantis, sed annuntiantis, & exhortantis ad gaudium, & lætitiam.*

A Quasi diceret Angelus: iurè & multis titulis gaudere, ac lætari potes; sed præcipuè, quia immunis es ab omni peccato originali, & actuali, ob quæ solùm dolendum est. Ita exponit S. Bernardus Senen. tom. 5. Serm. 12. *Aue*, inquit, *Beata Virgo, sine primo væ, id est, sine Tyranno peccati originalis, quia sine eo concepta es.* S. Bernard. Comprobat S. Bonauentura in speculo Virginis cap. 2. *Aue*, inquit, *Maria absq; væ, à quo immunissima fuit Maria, væ culpæ actualis; væ miseriæ originalis,* S. Bonau. Væ triplex. B *& væ pœnæ gehennalis.*

Non est profectò, quod magis homini ad gratiam Dei obtinendam conducat, quàm salutatio Angelica, debitâ cum veneratione prolata. Sic censet S. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis cap. 4. *Libenter*, ait *nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum Aue Maria.* S. Banau. Cuius ratio est hæc, quia sicut per hanc salutationem, via nostræ salutis aperta fuit, ita quoties de nouo repetitur, debitâ cum veneratione, semper via C illa aperitur, per quam ad nos gratia fluit. Hinc S. Alanus lib. de Beatæ Virgin. Psalter. cap. 69. refert S. Alanus. de quadam Moniali, in Deiparam valde affectâ, quòd hæc post mortem cuidam sorori suæ apparuit, cum qua de salutationis Angelicæ vtilitate differens, hæc protulit: *Si possem redire ad corpus, & vnum duntaxat Aue Maria orando dicere, etsi sine magna deuotione, ego propter meritum illius, vellem tantum rursùs sustinere cruciatum, quantum ante mortem perpessa tuli* Salutatio Angelica ab ipsa Virgine MARIA commendata. D Et ne longiùs excurram, rem vnico miraculo comprobabo. Refert Sanctus Anselmus Libro Miraculorum cap. 17. de quodam peregrino defuncto, qui sæpissimè Virginem salutatione Angelicâ venerabatur: Hic igitur postea occisus est à latronibus, & ecce mirabile dictu, baculus quem manu deferebat, in eodem occisionis loco defixus, in arborem creuit, radicibus in ore defuncti peregrini iactis, quæ ex inde ramos & frondes protulit: in quibus verba hæc, ad viuum descripta cernebantur. Baculus peregrini occisi virtute salutationis Angelicæ floruit & in arborẽ creuit.

tur. AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM. Si ergò baculus aridus, virtute salutationis Angelicæ floruit, & in arborem excreuit, quomodò homo peccator, virtute eiusdem, non excrescet in arborem Deo dicatam, quomodò gratiâ diuinâ non florebit. Angelus salutando Virginem, teste Laurentio Iustiniano Serm. 1. de Annuntiatione, sensit non parum de plenitudine gratiæ Virginis, in sederiuari. *Gratiæ* inquit *plenitudinem, quæ in Maria erat, præsensit cœlestis nuntius, cognouit, manifestauit, dixitq; Aue gratia plena.* Quomodò etiam ij, qui deuotè hanc salutationem Angelicam pronuntiant, aliquid de gratiæ Marianæ plenitudine non præsentient. Cùm hoc non postremum prædestinationis signum esse censeat D. Alanus, deuotè salutationem Angelicam recitare. Sic enim habet in Psal. B. V. cap. 11. *Sciæ enim, & securè intelligas, & inde latè omnibus patefacias, quòd videlicet signum probabile est, & propinquum, æternæ damnationis, horrere, & attædiari, ac negligere salutationem Angelicam, totius mundi reparatiuam.* Si igitur Angelicam salutationem auersari, indicium damnationis est, dubiò procul erga eam benè affici, argumentum prædestinationis erit.

Laurentius Iustin.

S. Alanus.

Non habent mihi credite, & Angeli in cœlo quidpiam aliud, quo magis Virginem Beatam honorare possint, præter salutationem Angelicam. vnde Nicolaus Richardus Serm. 8. in Litanias dicit, cœlestes illos Spiritus, nimirùm Seraphinos, inceſſanter decantare ſalutationem Angelicam: Proinde & nos, hac eadem veneremur hodiè Augustam Dei Genitricem, & dubiò procul sentiemus multum diuinæ gratiæ, virtute istius salutationis, in nos deriuari, Amen.

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. *Lucæ 1.*

B. Virgo ad conſpectum Angeli ob reuerentiam trepidauit, & maximam gratiam, ſcilicet ipſum Dei Filium inuenit.

SCiebat optimè æternus ille rerum omnium Architectus, ad inusitatam & hactenus inauditam cælestis paranymphi Gabrielis, ad Augustissimam cœli & terræ Reginam, legationem factam, totum orbem non tantùm in admirationem; sed in stuporem etiam rapiendum. Quomodò enim miser homo peccatis obnoxius ad tanti mysterij arcanum, muti instar saxi elinguis non hærebit? cùm & ipsa sanctissima Virgo, cuius vitæ integritas cælo purior; morum sanctitas, beatis maior; contemplationis altitudo, Angelis eminentior; trepidasse ad Gabrielis Archangeli sermonem dicitur, dicente Euangelista: *Quæ cùm audisset turbata est in sermone eius.* Non quidem animo cadens; sed verecundiæ rubore perfusa, quòd inaudita ei nuntiarentur. quemadmodum dicit D. Thomas 3. p. q. 3. art. 3: in fine, vbi clarissimè ex multorum Patrum sententiâ docet; *Non fuisse turbatam in visione Angeli sanctissimam Mariam, cum hæc cognata sit virginitati; sed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur.* Quod comprobat ex ipso Euangelio, vbi dicit Euangelista, turbatam esse in sermone, non in visione Angeli; si ergo ipsa Cœlorum Regina, ex summa humilitate conturbata fuit, cùm cælestem nuntium spectaret: quomodò nos, quos conscientia ipsa grauiùs arguit, attoniti penè non mirabimur? quoniam hæc legatio adeò portentosa est, vt omnium scientiarum genere peritissimi illam perpendentes, stupeant, & expauescant; stupet hîc imprimis linguæ latinæ peritissimus, si fas est, verbis parumper ludere, cum insigni Doctore Alano: quando audit verbum illud diuinum, quod semper fuit actiuum, quia *per ipsum omnia facta sunt.* Ioan. 1. passiuum simul, neutrum, & deponens

A B C D

Lucæ 1.

S. Thom.

Alanus.

Ioan. 1.

nens fieri velle. passiuum inquam, dùm per Angelum legatum suum nuntiat, se passibilem carnem ex virginea puritate assumpturum; vt tanto maiora & grauiora, pro redemptione generis humani sustinere valeat. Neutrum; vt in triduo mortis, nec sit purus Deus, cum animam & corpus sibi copulatum retineret; nec in omni rigore homo; quoniam die crucifixionis; dissolutio vnionis, inter animam & corpus, (quæ teste Aristotele ad constitutionem hominis necessariò requiruntur) omninò fiet. vult deniq; verbum illud æternum, fieri verbum deponens: vt in die Resurrectionis, nostris miserijs, exutum corpus, immortalitatem, & glorificationem induat. Stupet hîc eloquentissimus orator, concipere non valens, quomodò hodiè præpotens Deus, cùm sit immortalis, ad deplorandam mortalium conditionem se demittere velit, cùm sit æternus, quomodò temporalis fieri consentiat? cùm sit immensus, quomodò in infantem abbreuiari patitur? cùm sit dives, quomodò pauper & egenus mundo apparere dignetur? Stupet ad hodiernam cælestis legati missionem, solertissimus dialecticus, cognoscere non valens, quomodò ex duobus principijs, infinito internallo à se distantibus, (cuiusmodi sunt Deus & homo) vnica conclusio possit inferri, scilicet hæc: *Et verbum caro factum est.* Stupet laboriosissimus Arithmeticus, dùm ex legato cæsti intelligere non potest, quomodò si Deus in vtero Virginis humanabitur, vnum suppositum duplicem habebit naturam: quomodò in vna suppositalitate duæ naturæ impermixtæ, diuina scilicet & humana poterunt subsistere? stupet hodiernum Euangelium, audiens sedulus Geometra, dùm genus hoc mensuræ non capit, quomodò infinitum finito, æternum temporali, immensum paruo corpusculo concludi possit? Stupet rerum naturalium scrutator diligentissimus, quomodò Virgo concipere, inuiolatâ castitate parere, & semper in eadem persistens puritate, nutrire possit Deum simul & hominem. Stupet disertissimus Musicus, dùm capere non potest, quomodò inter se consentiant vox Dei, & vox hominis: vt loquente homine loquatur Deus, & loquente Deo, loquatur simul homo? quoniam hæc est inaudita proportio concentûs. Stupet tandem & expauescit, sapientissimus Astrologus, dùm lucem illam inaccessam eclipsandam, nec obscurandam; densissimâ humanitatis nube operiendam, nihil tamen natiui splendoris ac lucis amissuram auscultatur. Sciebat igitur optimè rerum arbiter Deus, tàm prodigiosâ legatione, & totum orbem, & ipsam Genitricem suam conturbandam: ideò ad solandum Virginis animum, dulcem tunc præmisit salutationem: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* de cuius gratiæ inuentione, ipsâ gratiarum omnium Genitrice MARIA dirigente, differemus hodie.

Contendunt impij Hæretici, sanctissimam Virginem ex hac trepidatione ad legationem Angelicam, dubitasse de veritate rei ab Angelo sibi nuntiatæ. Quod probant hac ratiocinatione: vel inquiunt Virgo existimauit, ad Christi conceptionem opus esse viri concursu, & hoc dici non potest: quia optimè sciebat illud Isaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet.* Isaiæ 7. Quia sic expresse docet D. Ambrosius lib. 2. in Lucam. vbi asserit Virginem sanctissimam, verba hæc Isaiæ solertissimè legisse, immò vt docet D. Thomas 3. p. q. 25. art. 5. donum & vsum prophetiæ habebat, atq; fidem perfectam mysterij Incarnationis: atq; ideò quòd Deus concipiendus esset in Virgine absq; viri operâ, minimè dubitabat. vel inquiunt cognouit virilem operam, ad humanam Christi conceptionem non esse necessariam: & sic temerè & frustra timuisset. quia vt docet D. Chrysosthomus homil. 29. in Genesim. *Potiùs*, inquit, *ad concipiendum Christum, oportebat non cognouisse virum.* Isaiæ 7. S. Chryso.

rum. Ergo reſtat, vt dubitando timuerit, atque trepidauerit. Nodus hic nimiùm difficilis, & planè ſimilis eſt illi Herculeo nodo, in quo nec principium apparebat, nec finis. ſimilis inquam & illi alteri nodo Gordio, quem Alexander Magnus cùm diſſoluere non poſſet, enſe diſſecuit. Sed non eſt tantoperè implicatus, hic nodus Hæreticorum, vt multifariam diſſolui nequeat. Nam inprimis poteſt optimè dici, agnouiſſe quidem probè MARIAM, ex illo Iſaiæ vaticinio, Virginem concepturam, & parituram Chriſtum, inuiolato eius virginitatis clauſtro: quia tamen ſimul non ignorabat, per diuinam omnipotentiam effici poſſe, vt ex viro Virgo conciperet, abſq; iactura ſuæ virginitatis: ſicut docent non pauci, futurum fuiſſe in ſtatu innocentiæ, ſi duraſſet, vt ſcilicet abſq; læſione virginei clauſtri, fæminæ conciperent atq; parerent; ideo non de virginitatis amiſſione trepidauit Dei Genitrix, ſed de modo tantùm ipſo, quo Chriſtum conceptura erat; vt clarè indicant verba Sancti Euangelij: *Quomodò*, inquit *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Secundò, ſic optimè nodus poteſt ſolui, aſſerendo Virginem ſanctiſſimam, trepidaſſe ad annuntiationem Angelicam, non quòd dubitauerit, de re ab Angelo ſibi reuelatâ, ſed quòd admiraretur tantum myſterium, ſic docet Diuus Thomas 3. p. q. 30. art. 4. ad 2. vbi dicit: *trepidationem illam Virginis, admirationis; non incredulitatis fuiſſe.* Verùm adeſt cæleſtis legatus, in hoc ſtupore illam confortans, & omnem timorem ab illa depellens. *Ne timeas*, inquit, *Maria.* Sed cur potiùs non homo, tam felicem nuntium deferens, ad virginem deſcendit? cùm vtiq; magis rationi conſentaneum videatur, vt ad annuntiandum Deum futurum hominem, nuntius quoq; homo aſſumeretur; ſic enim miſſio humani nuntij ad Virginem, egregiè adumbraſſet miſſionem filij Dei, ad eandem, vt ex ea humanam carnem aſſumeret. Verùm congruentiùs multò fuiſſe, ad tàm puriſſimam Virginem, Angelum mitti, conuincit D. Thomas, Hieronymus citatus à S. Thoma, Serm. de Aſſumptione, vbi ait: *Benè Angelus ad Mariam Virginem mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas: profectò enim in carne prater carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis.* Cùm ergo B. Virgo pluſquàm Angelicam, ac cæleſtem in terris ageret vitam, conſentaneum erat, ſpiritum Angelicum ac cæleſtem, in tanto negotio ei paranymphũ mitti. Comprobat hanc rationem Venerabilis Beda, ſuper Lucæ caput 1. *Aptum*, inquit, *humanæ reſtaurationis principium, vt Angelus à Deo mitteretur ad Virginem, partu conſecrandam diuino: quia prima proditionis humanæ fuit cauſa, cùm ſerpens à Diabolo mittebatur ad mulierem, ſpiritu ſuperbiæ decipiendam.* Et reuera cùm B. Virgo ſuperior eſſet Angelis, quantum ad dignitatem, ad quam diuinitùs & ab æterno electa erat, vt in tempore fieret Mater Dei; quantum tamen ad ſtatum præſentis vitæ, inferior erat Angelis, vt docet D. Thomas 3. p. q. 30. art. 2. ad primum, erat enim viatrix, illi comprehenſores: idcirco oportebat, B. Virginem de diuino conceptu in vtero eius celebrando, non per hominem, ſed per Angelum inſtrui; quia conſtat ſecundùm doctrinam Dionyſij de cæleſti Hierarchia cap. 4. titulo 5. *Inferioribus creaturis, cæleſtia arcana ſemper à ſuperioribus reuelari ſolere.* Nec aliquis Angelorum magis huic obeundo muneri idoneus erat, quàm Gabriel: quoniam is cuſtos erat Beatæ Virginis, vt tradunt D. Ildephonſus Sermone de Aſſumptione, Petrus Damianus oratione prima de Tractatu Virginis; Abulenſis in Matthæi cap. 18. q. 60. Vdalricus apud Dionyſium, proprium eſt autem Angeli Cuſtodis, in rebus maximè arduis, illuminare perſonam, à ſe cuſtoditam.

Et certè ſi Deus miſit olim Raphaèlem, ad curandam Tobiæ infirmitatem, Tobiæ 11. Gabrielem ad libe-

Lucæ 1.

S. Thom.

Quare nõ homo ſed Angelus ad MARIAM miſſus.

S. Thom.

S. Hieron.

Beda.

S. Dionyſ.

Angelus Gabriel fuit cuſtos B Virginis

Ildefonſus Damian°. Abulenſis, Vdalricus.

liberandos captiuos, Danielis 9. Michaëlem ad expugnandos hostes, Apocalypsis 12. Quantò magis congruum erat, vt Angelum quoque mitteret ad annuntiandam Filij sui Incarnationem? qui ad omnia illa incomparabiliter excellentiùs præstanda, venturus erat: vt testatur ipsemet apud Prophetam Isaiæ 64.

Isaiæ 64. *Spiritus*, inquit, *domini superme, vt mederer contritis corde.* Ecce infirmitatis humanæ curationem, per aduentum IESV Christi promissam habemus? pergitq; vlteriùs sacra pagina: *& prædicarem captiuis indulgentiam*: ecce de carceribus tenebrarum, & misera æternæ damnationis seruitute, nostrarum liberationem animarum prædictam audimus? sed nondùm diuinæ Clementiæ finis: nam addit adhuc sacer textus: *& diem vltionis Deo meo*: ecce manifestum principis tenebrarum, & potestatum infernalium expugnationem, per Incarnationem IESV Christi declaratam legimus? Licet verò nuntius futuræ Incarnationis, cælestis spiritus fuerit; non tamen in Angelica specie, verùm sub corporea pulcherrimi viri formâ, sanctissimæ Dei genitrici apparuit, quemadmodùm docent D. Ambrosius lib. 1. do officijs, cap. 8. & lib. 1. in Lucam. Eusebius Emissenus homilia super Missus est. Petrus Chrysologus, Serm. 140. Hieronymus tom. 1. Epist. 7. ad Lætam, de institutione filiæ & Epistola 22. ad Eustachium de custodia Virgi. Origenes homi. 4. in laudem August. Serm. 14. de natiuitate tomo 10. vbi in persona Virginis sic loquitur. *Venit ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis*: similiter tradit Beatus Laurentius Iustinus, Sermone de Annuntiatione. *Insolito*, inquit, *fulgore vestitus Angelus, in humana specie descendit ad Virginem.* Et reuera, si legati preciosa veste indui consueuerunt; quando regis, ad quem missi sunt, in conspectum prodire, eumq; alloqui debent; quantò magis conueniens erat, vt cælestis legatus, sub humana effigie sibi artificiosè formatâ, Reginam cæli allocuturus, radianti amictu exornatus, sese ante illius maiestatem sisteret, significans totius orbis splendorem ex virgine oriundum, cuius coruscantis apparitionis, duplicem rationem tradit S. Thomas, 3. p. q. 30. Articulo 3. in corpore.

S. Ambro. Eusebius. Emissen⁹. Chrysolo. S Hieron. Origenes. Laurentius Iustinian.

Primam hanc: Quia cùm inuisibilis Deus, visibilem carnem assumere venturus erat, congruum fuit, vt inuisibilis quoq; spiritus, sub visibili carnis formâ Virgini appareret. quoniam & Patribus antiquis, omnes in veteri lege apparitiones Angelorum factæ, ad eandem verbi diuini in vtero virgineo Incarnationem celebrandam ordinabantur. S. Thom.

Alteram rationem optimam allegat Doctor Angelicus: quia inquit conueniebat dignitati matris Dei, vt cùm non solùm in mente; sed pariter & in corpore, ventre filium Dei receptura esset, vt inquam non tantùm mens eius; sed corporeus quoq; sensus Angelica refoueretur visione. Nam dicit B. Athanasius lib. 9. ad Antiochum, q. 12. B. V. non solùm corporali sensu externam Angeli effigiem vidisse; sed etiam pulcherrimã eius substantiam oculo mentis conspexisse: *Sola* (inquit ille) *sancta Deipara Virgo, nudam essentiam Gabrielis Angeli contemplata est.* Cui sententiæ subscribit Albertus Magnus, super Missus est. Cap. 109. vbi dicit: fuisse in Virginis animã speciem propriam, quam habuit dispositiuè per naturam, completiuè per gratiam; & secundùm hanc vidit Angelos, & animas, & dæmones. S. Athan.

Egregiè hanc Archangeli Missionem adumbratam reperio, in Eleazaro famulo Abrahæ, Gen. 24. vbi refert sacra historia, quòd Eleazar famulus Abrahæ, ex eius præcepto perrexerit, ad quærendam sponsam Isaac filio Domini sui, qui vbi peruenisset ad puteum quendam, vidit ibi affuisse pulchram Rebeccam, à qua cùm postularet aquam, & illa libenter offerret, non tantùm illi,

ſed etiam camelis: protinùs Eleazar agnouit eam eſſe ſponſam, quam quærebat. *Ipſa eſt*, inquit, *quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac.* Equidem ſenex Abraham, qui interpretatur *Pater altiſſimus*, æternum Patrem optimè præſignabat, qui etiam dicitur, *antiquus dierum*: Iſaac repræſentabat Chriſtum, de quo dicit Angelus Lucæ 1. *Filius Altiſſimi vocabitur.* Eleazar nuntius Abrahæ, Gabrielem æterni Patris nuntium, in Nazareth miſſum, ad viuum exprimebat: quia ſicut ille ſponſam filio Domini ſui quæſiuit, ita Gabriel matrem Filio Dei, & Domini ſui inuenit: quam vbi primum vidit, meritò potuit exclamare illud Gen. 24. *ipſa eſt, quam præparaſti Chriſto tuo, per Iſaac, figurato.* Nam ſi Rebecca erat puella, decora nimis, teſte ſacrâ paginâ: & Virgo noſtra erat omnium pulcherrima, ſicut Luna, vtpotè viro incognita. Si Rebecca petitioni Eleazar annuit, plus ei offerens, quàm poſtularet; ita pariter Virgo ſanctiſſima, Gabrieli conſenſum ab ea efflagitanti, vt Mater Dei fieri vellet, non ſolùm conſenſit; ſed plus etiam obtulit, cum ſe ancillam declararet. Lucæ 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Rebecca poſtulanti Eleazaro aquam liberaliter dedit, etiã camelis eius hauriendam Gen. 24. *Bibe Domine mi quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant*: non diſſimiliter B. V. omnibus tàm cælicolis; quàm terrigenis aquam ſalutarem de hydria ſua porrexit, vt cuncti biberent, & ſuam ſitim extinguerent. Sitiebat enim Filius Dei carnem aſſumere ex puriſſimis eius viſceribus, ſitiebat Angelus conſenſum, vt illâ non renuente, fieret in ea verbum caro, ſitiebant beati illi Patres in ſinu Abrahæ latentes, in lacu illo, in quo *non erat aqua.* Zachariæ 7. potum refrigerij. ſitiebant peccatores, velut cameli culparum pondere preſſi, & grauiter defatigati, ſalutis rorem, quo abluerentur, & refrigerarentur, ſed omnium iſtorum vota liberaliùs; quàm olim Rebecca expleuit ſanctiſſima Virgo: clarè hoc ei ſubſcribente Diuo Bernardo Sermonedeverbo vbi ſic inquit; *de plenitudine eius accipiunt omnes, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, Tota Trinitas gloriam, & Perſona Filij, carnis ſubſtantiam.* S. Bernard.

Agnouit hanc Virginis Regalem munificentiam Angelus, ideoq; vt pacifica ac tranquilla mente, ſecretiſſimum arcanum, eloquio Angelico ſibi reuelandum, gratanter ac beneuolè MARIA ſuſciperet, benigno ſermone illam affatur; *Ne timeas*, inquit, *Maria.* quaſi diceret; longè iam à te depelle omnem timorem, non enim ego ſum Angelus ille, qui primum hominem è paradiſo eiecit, & cum ancipiti gladio ſtetit in porta eius, ne quis hominum eò amplius introeat. Gen. 3. Sed venio ad te, vt homo in exilium pulſus, iterum in paradiſum introducatur: Non ſum ille Angelus, qui vniuerſam Ægyptum ſeptem grauiſſimis plagis exulcerauit, Exodi 12. ſed ille ſum, qui annuntio eum, qui ſacramentis, velut ſaluberrimis antidotis, humani generis vulneribus medebitur. Non ſum ille Angelus, qui graue legis onus in tabulis lapideis deſcriptum, vt grauitatem eius ſignificaret, Moyſi detulit in monte Sinai Exodi 24. Sed potiùs ille ſum, qui aduentum eius nuntio, cuius iugum ceruicibus impoſitum *ſuaue erit, & leue.* Matth. 11. Non ſum ille Angelus, qui vna nocte ingentem Sennacherib exercitum, nemini parcens interfecit. 2 Mach. 15. Sed ille ſum, qui iam cœlitùs venio, vt orbis vniuerſus, vitam per te, & fructum ventris tui habeat. Non ſum deniq; ille Angelus, qui Zachariam velut incredulum obmuteſcere fecit; ſed ille ſum, qui tibi ô MARIA, tanquàm Matri credentium, (vt ore Auguſtini loquar) tanquàm hæreſum interemptrici; (vt Athanaſij verbis vtar Sermone de ſanctiſſima Deipara) tanquàm Chriſtianæ Religionis

Gen. 3. Exodi 12. Exodi 24. Matt. 11. 2. Machabæor. 15.

gionis Magistræ : (vt Ignatij autho- A postulare præsumpsisset ; siquidem
ritatem sequar Epistola 1.) tanquàm ante Angelicum nuntium, cupiebat
sceptro fidei : (vt D. Cyrilli contra potiùs Virgo fieri ancilla illius, quæ
Nestorium verbo dicam) vt inquam futura esset Mater Dei, vt clarè docet
tibi, ad Verbi æterni Incarnationem S. Bonauentura, de meditatione vi-
consensum præstandum suadeam. Ne tæ Christi; vbi refert cuidam fæmi-
ergo timeas ô MARIA, cùm tàm sa- næ (quam refert fuisse B. Elizabeth)
lutarem nuntium audis. Et si teste factam fuisse à Virgine MARIA hanc
Plutarcho, in vitâ Cæsaris, cùm na- reuelationem. *Petebam*, inquit, *vt fa-* S. Bonau.
uigante Cæsare, magna & inopina- *ceret mihi videre tempus, in quo nata es-*
ta oriretur tempestas, ita vt intume- *set illa honestissima Virgo, quæ debebat Fi-*
scentes fluctus nauem absorbere vi- *lium Dei parere, & vt conseruaret ocu-*
derentur, cumq; nauclerus pauere *los meos, vt possem eam videre, linguam,*
Plutarch. cæpisset, Cæsar ei dixit : *ne extimescas,* B *vt possem eam adorare ? manus, vt pos-*
tecum enim est fortuna Cæsaris. Sic pla- *sem ei seruire ;* idcirco credibilius esse
nè & tu ô Deipara, si mysterium hoc putauerim, quòd licet Beata Virgo
videtur tibi tremendum ; ne tamen non postulauerit, Filium Dei conci-
extimescas, quia tecum est fortuna pere ; quia tamen ardentissimè desi-
Regis Regum, tecum est omnipo- derabat Matri Dei ancillari, propte-
tentis Dei indeficiens protectio ; *In-* rea gratiam hanc, vt ipsa fieret Ma-
uenisti enim gratiam apud Deum quasi ter Dei, inuenit : vt gratiæ auctorem
diceret ; non tantùm hunc fauorem ipsa, & non alia mundo gigneret :
apud Deum inuenisti, vt mediante quòd ex eo optimè stabiliendum
eius gratiâ infusâ, ei placeres ; quem- reor, quia Sacra scriptura comemo-
admodum Phrasi Hebraica inuenire rans alios, qui gratiam Dei inuene-
gratiam idem sonat, quòd fauorem runt, quosdam ex illis ait inuenisse
consequi : sed inuenisti gratiam lon- C gratiam coram Deo, qualis fuit Moy-
gè maiorem, quia gratiam Incarna- ses. Exodi 33. cui Sacer textus hoc
tionis. Ita sentiunt Doctores, Diuus adscribit : *Inuenisti gratiam coram me,* Exodi 33.
Ambrosius, & Origenes super cap. 1. *& te ipsum noui ex Nomine.* Alios dicit
Lucæ. quod deducunt ex illo vatici- inuenisse gratiã cum Deo, qualis fuit
Qualem gratiam B. Virgo inuenit. nio : *Apparuit vultus Saluatoris nostri* Noë, qui gratiã perfectionis cum Deo
erudiens nos : quod tali discursu de- ambulans inuenit. Gen. 6. *Noë vir* Gen. 6.
ducere conantur : Salmeron in com- *iustus atq; perfectus fuit in generationi-*
mentatione huius loci, Massil. in vitâ *bus suis, cum Deo ambulauit :* alios di-
B. Virginis lib. 3. p. 12. supponunt cit inuenisse gratiam ante Deum, vt
hi Doctores, quòd cùm B. Virgo di- de Dauide testatur Euangelista Lucas.
uinitùs illustrata agnouisset, proxi- & D. Stephanus Actor. 7. *Inuenisti* Actor. 7.
mum iam tempus aduenisse Messiæ *gratiam ante Deum.* Alios tandem re-
venturi, & ex prosapia Dauidica, D fert inuenisse gratiam, in oculis, aut
vnde originem ducebat, oriundum in conspectu Dei : vt habetur Gene-
fore : virginitatis propositum dili- sis 6. & 18. *Num ergo inuenerunt pueri*
genter custodiens, Deum precari *gratiam coram oculis vestris.* similiter
non cessauerit, vt dignaretur illam Exodi 32. vbi Moyses loquitur ad Exodi 32.
esse virginem, de qua Isaias dixerat : Dominum ; *Si* inquit, *inueni gratiam*
Ecce Virgo concipiet. hinc censent, eam *in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.*
suis precibus hanc gratiã quæsiuisse & At verò gratiam apud Deum nulli
inuenisse. Cæterùm non vsquequaq; alteri attribuit, præterquàm B. Virgi-
mihi probatur iste discursus, primùm ni, vt hoc peculiari modo loquendi
ideo ; quia cùm Virgo nostra esset significaret, gratiam quam inuenit
profundissimæ humilitatis, non vi- Augustissima cœlorum Regina apud
detur verisimile, vt Christi mater- Deum, fuisse ipsum Dei Filium, qui
nitatis eminentissimam dignitatem semper erat apud Patrem, iuxta il-
lud Io-

lud Ioan. 1. *Et verbum erat apud Deum.* Gratia ergo quam inuenit sanctissima Dei Genitrix, fuit ipse Dei Filius, quem conceptura erat. sic enim eum vocat D. Paulus Hebr. 2. inquiens: *vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* hoc est; Christus Dominus, vnde meritò D. Bernardus homilia 3. super Missus est, dicit: *Inuenisti, quod quærebas; inuenisti, quod nemo ante te potuit inuenire: inuenisti gratiam apud Deum, Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem.* Et comprobat D. Damascenus de dormitione Virginis, oratione 1. vbi dicit: *Gratiæ abyssum Virgo inuenit.* vbi nomine gratiæ quid quæso significare voluit aliud? quàm MARIAM inuenisse Filium Dei, qui abyssus est, & perennis fons gratiæ. Vnde quoniam sanctissima Virgo, hanc gratiam, scilicet ipsum Dei Filium inuenit apud Deum, optimè sequitur, gratiam illam præ omnibus Sanctis fuisse cumulatissimam: vt docet D. Athanasius, Sermone de Deipara vbi asserit: *Virginem omnibus gratijs abundasse.* Quod non obscurè indicant verba eiusdem Virginis, Cant. 7. *Omnia, inquit, poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* quasi diceret; quidquid & in Patribus antiquæ legis, & in sanctis Christi Ecclesiæ, repertum aliquando fuit, totum illud in me vberiori modo continetur.

Et profectò, si desideratis in Virgine Deipara cultum & religionem Abelis? longè excedit: Abel enim Agnum pro hostia; Virgo seipsam obtulit. Abel pecus gregis sui immolauit; hæc agnum immaculatum, fructum ventris sui, agnum qui tollit peccata mundi, dicauit Deo. Si vultis in eâ perfectionē Noé nauigantis? procul dubio maior reperitur: Noé enim in Arca lignea, se tantùm cum liberis indemnem seruauit; Virgo sacrata inundante mundi diluuio, in Arca illa diuina, hoc est; in purissima Christi humanitate, quàm eleuauerunt aquæ dolorum vsq; ad montem Caluariæ, non octo animas vt Noé olim; sed mundum vniuersum naufragantem, à naufragio æterno liberauit. Desideratis in Virgine obedientiam Abrahæ? qui ad vnicam vocem Domini obediens, protinùs iuit, vt mactaret illi filium; sed & hæc altior in Virgine eluxit, quæ cognita æterni Patris voluntate, de morte filij sui, & viuum nutriuit, & mortuum Deo obtulit. Et vt paucis multa complectar? si effulsit innocentia in Abele, donum orationis in Enoch, fiducia in Noé, fides in Abraham; castitas in Ioseph, obedientia in Isaac, longanimitas in Jacob, patientia in Job, mansuetudo in Moyse, inimicorum dilectio in Dauide, prudentia in Abigail, modestia in Ruth, pulchritudo in Rachele, virginitas in Sunamitide, fæcunditas in Lia, fortitudo in Iahele, generositas & magnanimitas in Iudith: hæc omnia cumulatissimè in solam Deiparam Virginem diffusa fuêre; adeò, vt non dubitauerit Diuus Bernardus Sermone 4. super Salue Regina dicere. *Nihil est virtutis, quòd in te non resplendeat, & quidquid singuli habuêre sancti, tu sola possedisti.* Seruauit ergo sanctissima Dei Genitrix dilecto suo poma vetera, hoc est virtutes omnes veterum Patrum, quas iure quodam naturali possederat. seruauit & poma noua, omnes scilicet dotes præclaras, quæ in alijs tantùm singulæ repertæ sunt. Fuit enim in Beata Virgine Angelica puritas Agnætis; fortitudo Apolloniæ; constantia Agathæ; sapientia Catharinæ; modestia Cæciliæ; zelus Vrsulæ, ac tandem ardentissima charitas Angelorum, cum quibusuis alijs cælestibus donis, ac priuilegijs; vt docet Angelicus Doctor, 3. p. q. 27. art. 1. *Rationabiliter, inquit, credimus, quòd illa quæ genuit vnigenitum, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit.*

Hic mihi occurrit illa singularis historia, cuius meminit Plutarchus, in conuiuio septem Sapientum: vbi refert pariter potentissimum & sapientissimum Amasium, Ægyptiorum Regem, proposuisse in illo conuiuio,

Ioan. 1.
Hebr. 2.
S. Bernard
S. Damasc.
S. Athana.
Cantic. 7.
S. Bernard.
S. Thomas.

uiuio, quod ſeptem ſapientibus apparauerat, hanc quæſtionem: quænam rerum omnium eſſet Antiquior, communior, maior, ſapientior, vtilior, nociuior, fortior, tractabilior, pulchrior tandem ac melior.

Niloſſenus Cui inprimis reſpondit Niloſſenus ſapiens: rem Antiquiorem, eſſe tempus; quia & mundus in tempore factus; mortem communiorem; quia nemini naſci contingit, niſi qui morti ſit obnoxius: mundum maiorem, quia in illo omnia, & extra illum iam nihil eſt: veritatem ſapientiorem; quia & falli, & fallere neſcit: Deum vtiliorem; cùm eius nutu omnia gerantur; ſpiritu viuificentur, prouidentiâ conſeruentur; malum genium & prauam inclinationem nociuiorem; quia ad omnia peſſima ducunt hominem: fortunam fortiorem; quia & victores deſerens vincit, & victos blandiens erigit. eandemq; eſſe tractabiliorem & ſuauiorem; quia nemo eſt, qui illam amplecti nolit: tandem pulchriorem edixit, eſſe lucem Solis; quia & totum orbem illuminat, & ea quæ pulcha ſunt, viſibilia reddit.

Sed diſplicuit hæc Niloſſeni reſponſio Bianti Philoſopho, ideò multis modis illam dilacerare conatus eſt, oſtendens primò, tempus rerum omnium antiquiſſimum dici non poſſe, quia conſtat tribus inſtantibus; præſenti, præterito, & futuro: quod verò aliquando eſt futurum, & aliquando præſens, omnimodâ antiquitate caret. Mortem etiam non poſſe dici cõmuniorem declarauit; quia beatos non attingit, neq; in ſpiritus immortales, quicquam iuris & poteſtatis retinet. Mundum inſuper non eſſe maiorem demonſtrauit; cùm & ipſe mundus contineatur certo loco; omne autem contentum, ſuo continente minus eſt, nedum maximum dici valeat. Quare ipſe tandem ex propriâ ſententiâ aſſeruit, rem antiquiorem, eſſe Deum; cùm ſit cauſa prima vniuerſorum: omnis autem cauſa ſuo effectu prior eſſe debet; maiorem, locum mundum continentem; ſapientiorem; tempus: quia hoc latentes veritates ſenſim hominibus manifeſtat: communiorem eſſe ſpem: quia iſtius nullus ſtatus manet expers, vtiliorem eſſe virtutem, quia ſemper habentem ſe inclinat ad optimum; nociuiorem eſſe, vitium; quia naturam deprauat, mores corrumpit, honeſtatem aufert: fortiorem eſſe, inſuperabilem neceſſitatem; quia huic omninò parendum eſt: ſuauiorem, eſſe ipſam conformitatem cum natura; pulchriorem denique, eſſe ipſam mundi machinam.

Verùm ſi nobis hodiè diſſoluenda eſſet hæc quæſtio, dicerem ego necdum Biantem Philoſophum viuam attigiſſe veritatem. Sed ſi penes Chriſtianum Philoſophum deciſio dubitationis maneret, audacter aſſeuerarem, rem inter omnes creaturas antiquiorem, maiorem, ſapientiorem, communiorem, vtiliorem, nociuiorem, fortiorem, tractabiliorem, ac pulchriorem, eſſe ſolam Virginem MARIAM. Fuit enim antiquior, quia fatetur de ſe ipſa Prouerb. 8. *Nondum erant abyſſi & ego iam concepta eram*: quia ex omnibus creaturis, inter Dei Filium, & MARIAM, ſtrictiſſima ſemper coniunctio interceſſit: cùm enim D. Paulus Roman. 8. aſſerat, Chriſtum Dominum prædeſtinatum fuiſſe ab æterno, vt eſſet Filius Dei, etiam prædeſtinari ſimul debuit, vt eſſet Filius Virginis: & conſequenter oportuit; vt quemadmodùm Chriſtus ſecundùm humanitatem aſſumptam, ita etiam Virgo ſecundùm ſuam maternitatem ab æterno exſtiterit in Dei præuiſione, & prædeſtinatione. Fuit ſanctiſſima Dei Genitrix ſapientior, quia de illa dicit Sapiens Prouer. 39. *Collaudabunt multi ſapientiam eius.* Fuit maior; quia Sancta Eccleſia de illa canit: *Trinam Regentem machinam clauſtrum Maria baiulat.* Fuit cõmunior: quia capax eſt ad recipiendũ omnes, teſte Salomone Eccl. 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.* Fuit vtilior: quia de illa dicit Sapiens.

Prouer. 8.

Eccl. 39.

Exodi 24.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Fuit nociuior antiquo serpente, iuxta illud diuinum eloquium Geneſis 3. *Ipſa conteret caput tuum.* Fuit fortior: quia de illa dicit Sapiens Prouerb. 8. *Manum ſuam miſit ad fortia.* Fuit tractabilior: quia fatetur ipſamet Eccl. 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Fuit deniq; pulchrior: iuxta illud: *Pulchra vt Luna electa vt Sol.* Quocirca propter tantam ſui perfectionem, meruit ſanctiſſima Virgo inuenire gratiam ſuper omnes creaturas rationales maximam.

Gen. 3.

Prouer. 8.

Sic expreſsè ſentit Honuphrius, Maneſtal. Serm. de Annuntiatione B. V. vbi in hunc modum ſcribit: *In dubium verti poteſt, an gratia Virginis Mariæ, ſit maior gratiâ reliquorum omnium ſanctorum; etiamſi ſimul omnes reliqui ſancti ſumantur. Reſpondendum tamen mihi videtur, tantam communicaſſe Deum optimum Maximum gratiam virgini Mariæ, vt hæc maior appareat quàm ſit gratia reliquorum omnium ſanctorum.* Suadetq; potentiſſima ratio Beatam Virginem, maiorem omnibus ſanctis gratiam inueniſſe, apud Deum; quia cùm Beata Virgo ſit exaltata, ſuper omnes choros Angelorum, quod confitetur ſancta Eccleſia, ideo neceſſum eſt, vt Virgo ſanctiſſima maiorem gratiam habeat, quàm ſit in omnibus etiam Angelis, ſi enim docet Beatus Dionyſius lib. de Cæleſti Hierarchia, ſupremum Angelum, omnem inferiorum gratiam Angelorum exæquare, immo, & ſuperare, tanquàm continens contentum. Igitur quoniam ſanctiſſima Dei genitrix, ſit omnibus Angelis eminentior, neceſſe eſt, vt contineat in ſe omnem gratiam, non tantùm æquiualentem; ſed etiam ſuperantem omnes gratias collectiuè ſumptas, quibus præſtant & Angeli & beati. Quodſi in rebus naturalibus videmus Deum, trinam hanc mundi machinam, elementarem ſcilicet, Cæleſtem, & Angelicam, ita prudenter diſpoſuiſſe, vt & inter elementa ſit vnum, quod cætera magnitudine ſuperat: qualis ſphæra ignis ſub concauo lunæ exiſtens, quæ reliqua elementa intra ſe continet. Et inter Cæleſtes orbes ſit vnum corpus, quod reliquos omnes cælos ambit, quale eſt iuxta Philoſophorum ſententiam, primum mobile, iuxta verò probabiliorem Theologorum opinionem, cælum empyreum: quod reliquos cæleſtes orbes, ſimul ſumptos, quantitate molis longè ſuperat. Et inter nouem Angelorum choros, ſit vnus omnium ſupremus, qui & ſapientiâ, & charitate, & gratiâ longè ſupereminet alijs, eoſq; ſimul ſumptos intenſiua perfectione naturali ſuperat. Ita planè & in ordine ſupernaturali conueniebat diuinæ omnipotentiæ, condere aliquam creaturam talem, cui tantam gratiæ plenitudinem conferret, vt illa omnium ſibi inferiorum gratias, non ſolum exæquaret; verùm etiam ſuperaret. ad eum planè modum, quo in Eccleſia Catholica videmus, Chriſtum inſtituiſſe, vt omnes gradus poteſtatis ſpiritualis, qui in ſubdiaconis, diaconis, presbyteris, Epiſcopis, Archipræſulibus Patriarchis reperiuntur; illi ſinguli ſimul ſumpti, ita in ſummo Pontifice exiſtant, vt ſuprema eius poteſtas, omnium inferiorum poteſtates longa intercapedine præcellat.

Honuphr.

S. Dionyſ.

Quid ergo obſtabat, quominus Deus optimus Maximus, eundem ordinem ſeruans in collatione gratiæ, Sanctiſſimæ genitrici ſuæ, tàm exuberantem gratiam contulerit, vt hæc ſola omnium gratias ſimul ſumptas, eminentiori modo & contineret, & ſuperaret; quemadmodùm ſenſiſſe videtur de Deipara Salomon Prouer. 31. *Multæ*, inquit, *filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Suadet & ipſa congruentia, B. V. inueniſſe gratiam apud Deum, omnibus Angelis & beatis maiorem: quia dignitas maternitatis illius exigebat; vt cum inter puras creaturas nulla ſanctior illâ eſſet, tantundem exaltaretur, & honorificaretur, quantùm illam honorari poſſibile fuit, ſine præiudicio excellentiæ Chriſti

Prou. 31.

Domini.

Domini. Quod sensisse videtur Cardinalis Caietanus, in libro de spasmo Beatæ MARIÆ. vbi dicit: *Virgo debet credi similis Filio per omnia, quantum fas est.* Si ergo oportuit, vt gratia Christi omnium Angelorum & hominum gratias superaret, maximè ex hoc fundamento; quia gratia eius fuit gratia capitis: sic planè conueniens erat, vt gratia quoque Dei genitricis, licet inferior in illa erat, quàm in Christo; omnium etiam gratias superaret: quoniam & ipsa capitis dignitatem mirum in modum participauit, quemadmodùm docet Diuus Irenæus, libro 3. contra Hæreticos. capite 33. *Sicut*, inquit, *Eua inobediens, sibi & vniuerso generi humano, causa facta est mortis, sic Maria & sibi, & vniuerso generi humano facta est causa salutis.* Quod confirmat D. Augustinus Serm. 33. de Sanctis inquiens: *Hæc Primæ matris damna resoluit, hæc homini perdito redemptionem adduxit.* Denique Diuus Bernardus Serm. 3. de Assumptione, id ipsum clarissimè illustrat: *Meritò*, inquit, *in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis, quidquid creauit, recreauit.* Vbi ex tot grauissimis sanctorum Patrum sententijs, Dei genitrix capitis dignitatem mirum in modum participasse videtur.

Caietanus. S. Irenæus. S. Augustt. S. Bernard.

Miror hic Abulensem tàm manifestæ veritati, & Doctorum Ecclesiæ sensui contrauenire velle, qui 1. Prol. in Matthæum q. 19. duabus euincere contendit rationibus, Beatæ Virgini non fuisse maximam omnium gratiam à Deo collatam: quia inquit plus dilexit Christus Ecclesiam; quàm Virginem: consequenterq; illi maiorem gratiam contulit, quàm huic; deducit hoc inprimis ex eo; quia inquit B. V. fuit pars Ecclesiæ: quoniam redempta est, sicut quicunq; alius de Ecclesia; pars autem cùm non sit dignior toto, nec maior illo, non debet magis honorificari, quàm ipsum totum; deinde conatur hoc etiam deducere ex eo, quia inquit non fuerunt priuilegia collata virgini, nisi propter Ecclesiam, propter quam tot gratiæ muneribus fuit dotata, vt esset Mater Dei, ad quam dignitatem nusquàm eueheretur, nisi propter saluandam Ecclesiam, Filius Dei carnem assumpsisset, vt eam proprio sanguine redimeret.

Abulensis.

Verùm debile satis fundamentum. Nam in prima ratione falsum supponit Abulensis, quòd reliquum corpus Ecclesiæ absq; Virgine acceptum, sit tota Ecclesia: quoniam inter eius etiam membra, potissimum omnium hominum, est Beata Virgo. Est ergo corpus illud Ecclesiæ, seclusâ Matre Dei, pars tantùm Ecclesiæ, multitudine & numero Virgine maior; sed intensiuo valore & pretio multò minor. Quod clarè docuit D. Bernardus, Serm. 15. de festo Virginis cap. 3. vbi dicit: *Magis fuisse intentam à Deo redemptionem Matris suæ, quàm omnium seruorum eius.* Præterea, quamuis Deipara fuerit pars quædam Ecclesiæ; nihil tamen obstabat, quominùs reliquas omnes partes, ex quibus constat Ecclesia, magnitudine gratiæ sibi collatæ excederet: quemadmodùm etiam supremum Cælum, licet sit pars totius vniuersi, magnitudine tamen sui ambitûs, reliquas eiusdem vniuersi partes simul sumptas, complectitur. In secunda etiam ratione falsum pariter supponit Abulensis, Beatam Virginem propter Ecclesiam fuisse dilectam Deo: cùm potiùs propter ipsam tota Ecclesia sit amata; videns enim Deus summam Virginis puritatem, decreuit vt ipsa remedium afferret Ecclesiæ, concipiens & pariens eius redemptionem.

S. Bernard.

Audistis igitur Catholici Angelicam legationem, ab æterno Patre ad Virginem sanctissimam missam. Audistis illam ad tàm inusitatum nuntium trepidasse, non animo cadendo, sed inscrutabile mysterium Incarnationis admirando; non dubitando de reuelatione facta, sed erubescendo, quòd ad humilem ancillam immensus Deus hospitaturus

turus deſcendere velit: Audiſtis inſuper eam inueniſſe gratiam apud Deum inſolitam, quia ipſum Dei Filium; gratiam omnibus maiorem, quia vltra ſortem beatorum & choros Angelorum euectam. Proinde & nos eius exemplo diſcamus, quærere gratiam non apud homines; non illam, quàm obtinuit Joſeph apud Pharaonem: non illam, quam inuenit Daniel apud Darium: aut Aman apud Aſſuerum Regem, aut Achitofel apud Abſalonem: quia gratia talis fallax eſt, quoniam & Aman crucem peperit, & Achitofel ſuſpendium attulit; ſed quæramus gratiam apud illum, per quem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, & cui omnes potentatus, tàm terreni, quàm cæleſtes ſubijciuntur, gratiam inquam apud Deum quæramus per Virginem ſanctiſſimam, quæ & omnium gratiarum auctorem, Angelico credens nuntio, concepit, & mundo pereunti vitam genuit, & nobis omnibus ſubſidium tanquàm pia Mater, ferre non dedignatur.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. *Lucæ* 1.

Oſtenditur, deſcendenti è ſinu Patris Verbo Incarnato, humilitatem primariò occurriſſe, illudq; in Virginis vterum deduxiſſe.

INter ferociſſima quadrupedum animalia, maximè indomitum Rhinocerotem, ſeu vnicornem agnoſcunt Naturaliſtæ, cui ſingulares & præ cæteris animantibus excellentes tribuunt proprietates, vel ex eo, quia à mundi ipſius penè exordio, Chaldæi, & mox Hebræi, eius mentionem fecerint, venuſtiſſias inde allegorias deſumentes. Inter quas, tria potiſſimùm reperio præcipua ſignificata. Inprimis fortitudinem, ita enim animal hoc acutum & validum eſt, vt quidquid impetierit, aut ventilet, aut perforet. Naturale illi eſt odium in elephantum, immani corporis vaſtitate belluam. vter horum robore præſtaret, experiri voluit Emanuel Rex Portugalliæ Anno 1513. Qui viuum Rhinocerotem ex India adductum, colore buxeo, ſeu vermiculato, teſtis clypeatis tectum, omniq; ex parte armatum Vlisbonæ, in pugnam cum Elephanto produci iuſſit. Inturus certamen Rhinoceros, cornu ad ſaxa limato, aluum Elephanti maximè petebat, hanc non ignorans ſuis ictibus peruiam eſſe; elephantus verò dentibus fortiſſimis, cutem Rhinocerotis; quantumlibet duram, & vix iaculo peruiam, validiſſimo ictu lacerabat ac dilaniabat: impari tamen conatu, ita vt in eo certamine, elephantus ſuccumberet. Hanc nimiam ferocitatem, & inuictam iſtius animalis fortitudinem, indicare voluit Regius vates. Pſalmo 13. clamans ad Deum: *Saua me Domine ab ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Similiter Iſaias loquens de ira Dei, aduersùs Idumeos, & Aſſyrios, populi ſui perſecutores: *Vnicornes*, inquit, *cum eis, & tauri cum potentibus.* Iſaiæ 34. Nec minus patientiſſimus Iob, indicare voluit, Rhinocerotem animal eſſe indomitum, & ferociens cap. 39. loquens: *Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad gregem tuum, aut alligabis Rhinocerota ad arandum.* Quaſi diceret: equos, mulos, tauros, ſubijcere, cuiuslibet quidem eſt potentiæ, & ideò non magnæ gloriæ: Nec eſt, quòd quis ſe equum edomaſſe glorietur. At verò Rhinocerotem, prorſuſq; indomabile animal, ad præſepe adducere, ligare, iugoq; collum ſubdere, hoc inſolitum, & vix hominibus poſſibile, cum Rhinoceros ſemper ſit inuictus, & mori potiùs, quàm ſubdi paratus. Præterea, in Rhinocerote cum naturaliſtis reperio, exaltationem: cùm enim animal hoc

Rhinocerotis odiũ & pugna cum elephanto.

Pſal. 23.

Iſaiæ 34.

Iob 39.

Rhinoceros maximè indomitus.

Rhinocerotis virtutes.

mal hoc, concessum sibi habeat à natura cornu validissimum, quo velut sceptro regio adornatur, meritò super cætera animantia, principatum sibi vsurpare potest, vt quemadmodùm nemini vnquàm cedit, & venatorum tela generoso animo spernit, quod verè Regium est; ita omnibus alijs animantibus regnet. Insuper reperio in Rhinocerote, scilicet castitatis typum, & integritatis: quoniam teste Æliano, Rhinoceros solitarius obuagatur per deserta, & inuia hominibus loca. Hinc aliquot Pontifices, nominatim Clemens VII. & Paulus III. Rhinocerotem vsurpârunt in suis Symbolis, indicaturi fortitudinem, exaltationem, & integritatem, aliasq; virtutes suas consimiles. Et nihilominùs cùm tantæ sit fortitudinis Rhinoceros, vt nullâ venantium virtute capiatur, vnius tamen Virginis aspectu mansuescit: nam teste Isidoro libro 12. Etymologiarum cap. 2. Virgo puella præponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate depositâ caput reclinat, moxq; ibi conquiescens, & dormitans, velut inermis à venatoribus capitur, Rhinocerotis Symbolo, cælestem illum, in sinu æterni Patris delicatè conquiescentem filium, cuius fortitudini non est, qui resistere valeat, adumbrari video. vt enim indomitus Rhinoceros cornu ferit, & lacerat; ita omnipotentis Patris Filius Incarnatus, regna mundi dissipat, & imperia conuel. lit, iuxta illud Moysis de Iosepho, in Christi Domini typum: *Cornua Rhinocerothis, cornua illius; in ipsis ventilabit gentes, vsq; ad terminos terræ.* Deutor. 33. Cornu Rhinocerotis est antidotum, contra omnia venena præsentissimum, ita, vt si plagam infert, medicinam conferat. Hinc Aluianus inter sua Emblemata, pingebat vnicornem, cornu suum, in riuulum quendam aquarum immergentem, hac in inscriptione apposita: VENENA PELLO. Idem regio Christi sceptro attribuit D. Ambro. lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 11. *Hoc*, inquit, *cornu, Dominus Iesus comminuit gentes, vt superstitionem obtereret, salutem redderet, sicut ipse ait: percutiam, & sanabo.* Quis non agnoscat, felicem esse plagam, quâ venenum egeritur, salutare vulnus, quo lethale virus euomitur; fortunatum supplicium, quo peccatum, seu peccato infecta anima curatur. Et ideò addit D. Ambrosius in Psal. 43. *Noli timere, quia ventilat: dixit enim: percutiam & sanabo. Bona cornua, quibus ferit, vt cornua aduersarij timere nequeamus.* Rhinoceros est terribilis omnibus animalibus; Dei Filius pariter, terribilis omnibus creaturis. 1. Reg. 6. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius.* Rhinoceros exaltatur super omnia quadrupedia; eandem exaltationem, & prærogatiuam in toto mundo, Christo subscribit Rex Dauid: *Exaltabitur sicut cornu vnicornis, cornu meum.* Psal. 91. Rhinoceros tantæ est fortitudinis, vt nullâ vi capi queat; Dei pariter filius, nullâ ratione in terras deduci potuit. Tentauit hoc iustus Abraham, dùm prompto & alacri animo, ad immolandum Filium descenderet, sed loco vnicornis illius cœlestis, in recompensationem promptæ suæ obedientiæ, ariete contentus esse debuit: *Leuauit Abraham oculos suos, viditq; post tergum arietem, inter vepres hærentem cornibus.* Genesis 22. Tentabat Iacob Patriarcha, luctando tota nocte cum Angelo vsq; ad auroram, sed irrito conatu: Quia Angelus, *tetigit nernuum eius femoris, & statim emarcuit.* Gen. 32. Tentauit Rex & Propheta Dauid, cum vniuerso populo Israël ludens ante Arcam Domini, in omnibus instrumentis fabrefactis, vt hoc iucundo apparatu, Dei Filium in terras euocaret; sed responsum audiuit: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Tentauit insuper vniuersus mundus, continuis suspirijs, & gemitibus ad Deum clamans: *Rumpe cœlos, mitte rorem.* Sed mox audijt vocem. *Nunquid Rhinoceros seruiet tibi?* Verùm quemadmodum

Stratagema capiendi Rhinocerotem.

Deut. 33.

Aluianus.

S. Ambro.

Idem qui supra.

3. Reg. 6

Psal. 91.

Gen. 22.

Ibidem 32.

Iob 39.

Rhinoceros, quantiſcunq; irarum facibus exardeſcat; ad vnius tamen Virginis conſpectum, illicò deferueſcit, ac miteſcit. vt docet D. Gregorius lib. 39. Moral. cap. 10. ita planè Dei Filius, qui ante terribili in totum mundum zelo inuehebatur, ad nulliuſq; preces ſuam iram temperare voluit, hodiè nimiâ venuſtate B. Virginis, captus, in eius vterum deſcendit, cuius admirando deſcenſui, quæ virtus in B. Virgine primariò occurrit, hodiè conſiderabimus.

Dei Filius quonam temporis momento incarnatus ſit.

Solertiùs perueſtigant interpretes Scripturæ ſacræ, quonam temporis puncto, præcisè Dei Filius in vterum Virginis deſcendit, & de puriſſimo eius ſanguine incarnatus ſit? Elias Cretenſis Oratione de Annuntiatione, cenſet eum incarnatum eſſe, antequàm Angelus, diuinæ corporationis paranymphus & encomiaſtes, veniret ad Virginem. Putatq; Angelum ſalutando Virginem, annuntiaſſe ipſi Incarnationem non futuram, ſed factam, & in ea non ſentiente, ante conſenſum illius peractam. Quod probat ex verbis Angeli, quibus Virginem allocutus eſt; *Dominus*, inquit, *tecum*. vbi Angelus clarè videtur ſignificare, iam tunc Dominum Virgini adfuiſſe. Nicephorus autem lib. 1. cap. 8. cenſet Dei Filium tunc incarnatum eſſe, quandò Angelus obſequentiùs ſalutans Virginem, dixit: *Aue gratiâ plena*. Cui ſententiæ videtur fauere Sanctus Hieronymus Epiſtolâ 140. ſic loquens. *Sancta Maria*, inquit, *quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratiâ ſalutatur*. S. Auguſtinus quoq; aliter ſentirè videtur, quòd verbum æternum tunc ſit incarnatum, quando Angelus dixit Virgini: *Dominus tecum*, in eandemq; ſententiam, propendet Petrus Damianus Ser. 1. & 3. de Natiuitate Virginis, qui verba hæc. *Dominus tecum*, ita explicat: *Audiſne*, inquit, *in hoc verbo Incarnationem Dei, redemptionem hominum, renouationem mundi*. Sed magis conſentaneum veritati videtur, Dei Filium non aſſumpſiſſe carnem humanam, niſi poſtquàm illa conſentiret: *fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. Quod deduco Authoritate S. Bernardi, qui Serm. 4. ſuper Miſſus eſt, de aſſenſu Virginis Angelicis verbis, ingeniosè in hunc modum diſcurrit: *Fiat mihi de verbo, ſecundùm verbum tuum, verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea, ſecundùm verbum tuum: fiat obſecro mihi verbum, non prolatum, quod tranſeat, ſed conceptum, vt maneat, carne videlitet indutum, non àere; fiat mihi non tantùm audibile auribus, ſed viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris: fiat non imaginariè ſomniatum; ſed ſilenter inſpiratum, perſonaliter incarnatum, corporaliter inuiſceratum*. Ergò antequàm B. Virgo conſentiſſet, Filius Dei nondum carnem aſſumpſerat. Et profectò decebat, vt liber Beatæ Virginis conſenſus, ad Incarnationis Sacramentum expeteretur, atq; expectaretur. Non quòd puella, Incarnationis arbitra, aut ſequeſtra fieret: non quòd tantum myſterium, ex iuuenculæ MARIÆ arbitrio dependeret; ſed vt oſtenderetur, omnia bona per MARIAM mundo concedenda. Sic argumentatur S. Irenæus. *Quid eſt*, ait, *quòd ſine Mariæ conſenſu, non perficitur Incarnationis myſterium? quia nempè vult illam Deus omnium bonorum eſſe principium*. Eam igitur ob cauſam, Beata Virgo velut Incarnationis arbitra, conſtituta eſt, vt ipſa poſt Deum, ſit omnium bonorum, & gratiarum omnium principium.

Lucæ 1.

S. Hieron.

Petrus Damianus.

S. Irenæus.

Hinc prudentiſſimo Dei conſilio factum eſt, vt Angelus priùs ad Virginem mitteretur, antequàm conciperet. Ita enim ſua MARIÆ chara erat pudicitia, ſanctaq; puritas, vt ſuper ipſam eam æſtimans vitam, affirmet S. Chryſoſthomus ob id priuſquàm conciperet, Angelum ad eam miſſum fuiſſe, ne videns ſe grauidam, præ nimio pudore, & verecundiâ moreretur. vnde homil. 41. in Matth. citatus S. Doctor ita loquitur. *Et cuius rei gratiâ*, inquies, *non idipſum cuſtodiuit in Vir-*

S. Chryſo.

in Virgine, vt ad illam quod, post conceptum veniret? ne scilicet stupentis, ac verecundantis animum, anxietas, mœstitiaq; consumeret: valdè enim fieri potuit, vt tanti ignara secreti, aliquid crudele de se decerneret, & quantùm honestatis amans tantum famæ turpis intolerans, vel ad lignum subitò, vel ad gladium conuolaret. Et manifestè hoc expressit illa salutatio Angeli; ad Beatam Virginem: *virtus altissimi obumbrabit tibi.* in quibus verbis, circa prodigiosam Filij Dei conceptionem, obumbrandam Beatam Virginem prædixit Angelus, vt ingeniosè exponit D. Bernardus Epistolâ 77. vbi docet, Angelum expressè significasse, *modum secretissimum arcani, incomprehensibilis, & ineffabilis sacramenti, quo quasi in vmbra, cum sola, & in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura diuinum.* Ergò non ante consensum Beatæ Virginis, verbum æternum, carnem assumpsit, alioquin sine obumbratione virtutis Altissimi concepisset, quod manifestè veritati Euangelij derogat. Hinc rectè concludit S. Damascenus, citatus à Magistro sententiarum in 3. dist. 4. Spiritum Sanctum, non nisi consentiente Virgine in eam superuenisse, inquiens: *Post consensum autem Sanctæ virginis, Spiritus Sanctus peruenit in ipsam secundùm verbum Domini, quod dixit Angelus, purgans ipsam, & potentiam Deitatis verbi receptiuam præparans, simul autem & generatiuam.*

Lucæ 1.

S. Bernard.

S. Damasc.

Quoniam ergò post consensum Virginis, incarnationem Diuini verbi, in purissimo eius vtero, Sanctissima Trinitas operata est, meritò considerandum occurrit, quid in Virgine Deipara, ita potens & excellens fuerit, vt Dei Filium, in suum traxerit gremium. Quippè in edocta Virgine ab Angelo, de ineffabili modo, quo diuina incarnatio fieri debuit, pulchra statim virtutum æmulatio exorta erat, quæ de tanto mysterio piâ ambitione certabant. Sed quænam illarum proximè in ore, ac effectu Deiparæ, diuini verbi incarnationem peregerit, nimirùm, quam illarum vltimò exhibuit MARIA, quod expectans Deus, confestim Incarnationis sacramentum, in eius vtero purissimo operatus est, ambigunt Doctores Sancti, D. Augustinus Serm. 17. de Sanctis, Virgineæ obedientiæ videtur suffragari, illiq; in hoc certamine palmam deferre, ex hoc fundamento. Quia posito consensu Virginis, diuina Incarnatio facta est; hic autem consensus, ex virtute obedientiæ processit. Vnde super illud: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ita discurrit: Hæc sunt verba consentientis, & assensum præstantis, diuinæ voluntati, hunc autem consensum Angelus expectabat, & hic solùm requirebatur. Alij feruentissimæ Virginis orationi, verbi diuini Incarnationem tribuunt, simulque fidei firmissimæ. Ita S. Ambrosius cum Euthymio sentiunt, verba illa Virginis: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, ita exponentes: Perindè est inquiunt, ac si diceret: *Credo, quod dicis: Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Nec dissentire videtur S. Bernardus Serm. 4. super Missus est, in prædicta verba ita discurrens: *Nihil obstat intelligi: Fiat, esse verbum orantis. Nemo quippè orat, nisi qui credit, & sperat.* Quibus verbis, hanc prærogatiuam orationi Virginis attribuit, spem non excludens: dùm in personaVirginis ita loquitur: *Fiat mihi de verbo, secundùm verbum tuum, verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea, secundùm verbum tuum, fiat obsecro mihi verbum, non prolatum, quod transeat; sed conceptum, vt maneat, carnê videlicet indutum, non àere. Fiat mihi non tantùm audibile auribus, sed visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Fiat non imaginariè somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter inuisceratum.*

S. Ambro. Euthymi.

S. Bernard.

Nihilominùs S. Bernardus ex propriâ sententiâ, sublime hoc elogium, deducendi Dei Filium in vterum Virginis, duplici virtuti adscribit, nimirum virginitati, & humilitati. *Virginitate*, inquit, *placuit, humilitate*

Idem qui supra.

militate concepit. Et meritò equidem: ipsa enim ex Dei nomine ab Angelo salutata, & ad supremum Genitricis Dei fastigium, quo maius aliquid humana mens cogitare non valet, euecta, non ignara legum veræ magnitudinis, vt & amplissimæ dignitatis sibi oblatæ, possessionem acciperet, & singulare aliquod specimen daret, quo tanto honori aptam, natamq; se esse ostenderet, ingenti animi submissione, respondit: *Ecce ancilla Domini:* nimirùm, à supremo Regni, cœli ac terræ fastigio, ad extremum ancillarum locum, & obsequium sese abijciens: Quod ingeniosè premit D. Ambrosius lib. 2. S. Ambro. de Virginibus. *Nam & humilior* inquit *facta est, vbi se à Deo cognouit electam.* Quid sibi volunt verba hæc? *humilior facta est:* vt scilicet ipsa apud Deum, & homines, meritis ac dignitate crescente, apud se demissionè decresceret, dignitatemq; humilitate exæquaret. Quia humilitas cum dignitate, de amplitudine contendit: & ideò Virgo humilitate Deum concepit, summumq; eius maternitatis honorem assecuta est, teste D. Bernardo supra illud Apocal. 12. signum S. Bernard. magnum. *Facta est*, inquit, *omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam.*

Hanc certè tempestiuam, glorioſamq; Virginis Deiparæ humilitatem, prædixerat olim Salomon, cum lilio eam componens, Canti. 2. Cantic. 2. *Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Agnoscite, inter Virginem, & lilium, similitudinem magnam. Lilium ex vna parte Auctore Plinio lib. 2. cap. 5. principem inter reliquos flores locum obtinet, & eminentibus omnibus caput attollit: Plinius. *Nulli florum excelsitas maior, interdùm cubitorum trium*, inquit Plinius. Ex altera verò, insigne illud excelsitatis, seu proceritatis suæ documentum præbet lilium, quòd vbi ad debitam celsitudinem peruenit, obstipo capite ad terram inclinat: *Longitudo collo est, & non sufficienti capitis oneri*, subiungit citatus Plinius. An non eandem Lilij imaginem, in MARIA ad viuum expressam cernimus? dùm Angelicis choris dignitate superior, languido collo, nec sufficienti capitis oneri, infimam se ancillam exhibet: *Ecce Ancilla Domini.* Obstupescit S. Ambro. lib. 2. in Lucam. & exclamat: *Vide*, inquit, *deuotionem, ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.* S. Ambro. Cui aurea Chrysologi verba consonant, Serm. 142. propè finem: *Quæ*, ait, *vocatur ab Angelo Domina, ipsa se cognoscit, & confitetur ancillam: quia deuotus animus, infulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam profilit, non ad superbiam pertumescit.* S. Chrysol. Stupendum est illud, quod protulit Sapiens Eccl. 43. de Luna. *A luna*, Eccl. 43. inquit, *signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione.* Cùm tamen de Luna materiali, hoc nequaquam intelligi possit, quæ non antea minuitur, & postea crescit, sed è conuerso; nec minuitur in consummatione, sed post consummationem. Ideò Hailgrinus Cardinalis, humilitatem Virginis, quæ in canticis dicitur, *pulchra vt Luna.* Cantic. 6. in Cantic. 6. his verbis significari contendit, inquiens: *Hic verborum ordo exprimit Beatam Virginem, nam cum ipsa, audisset sibi promissam tantam magnitudinem, quòd foret Mater Dei, sese minuit vsq; ad ancillam, & in hac minutione concepit, & facta est luna plena.* Hailgrin. Nam luna iuxta Mathematicos, ex omnibus Planetis propiùs se ad terram demittit, teste Tullio libro 2. de Diuinatione. *Docet*, inquit, *ille ratio Mathematicorum, quanta humilitate luna feratur, terram propè contingens.* Luna terræ proxima. Ita prorsùs Beata Virgo se gessit: cœlo namq; admota, & super Aquilonis latera euecta, Dei pedibus, vt humilis ancillula, aduolui elegit. In quam sententiam pulchrè alludit Bernardus Serm. 42. in Cantic. *Sponsa*, inquit, S. Bernard. *humilitas voluntaria est, perpetua est, fructifera est; audierat illa in Canticis, sponsum loquentem, pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis, & collum tuum sicut monilia:*

monilia : acceperat repromissionem ornatus aurei, & nihilominùs tamen cum humilitate respondet, & quantò maiorem se audit, tantò humiliat se in omnibus. Non gloriatur in meritis, non inter laudes suas humilitatis obliuiscitur, quàm & humiliter confitetur. Quasi voce Virginis MARIÆ apertiùs diceret : Nullius mihi meriti conscia sum, nisi quòd respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.

Nec certè efficacius quidpiam in Virgine reperiri potuit, quod immensum illud Dei verbum, ad verum eiusdem deduceret corporandum, quàm humilitas. Hac quippè altissima quæq; fastigia firmari, stabiliri, immotaq; reddi, alias casura, ituraq; in præceps, vel ex ipso terræ ac cœli firmamento, non operosè colligitur. Cui enim nisi humilitatis fundamento, magna hæc terræ moles incumbit, atq; subsistit ? Nam dùm subtiliùs inuestigant Philosophi, super quonam etiam fundamento terra, per tot millia annorum stet immota? Hanc, vt certam rationem assignant, quòd cùm terræ summa grauitas naturalis insit, suopte nutu, ac pondere, infimum mundi locum, id est centrum petat, in quò dum consistit, & naturaliter quiescit, immotam stabilemq; permanere necesse est. Siquidem omne, quòd extra centrum mouetur, necesse est, sursùm ascendere, cùm omnis locus, qui in circulo extra centrum reperitur, centro ipso superior sit, vt ergò magnitudo terræ, & grauitas subsistat, atq; immota quiescat, infimum locum petit, & ad ipsum, tanquàm ad suum centrum indesinenter anhelat. Quid loquar de cœli consistentia ? & huic non aliud, nisi humilitatis fundamentum subesse, facilè conuincitur. Quoniam tum cœlum quasi deperditum, atque demolitum, ipsummet cœli nomen demeruit, cùm ab illo per superborum Angelorum elationem, humilitas abesset; ita vt illud instaurari opus foret, teste D. Paulo Ephes. 1. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso.* Ergò cœlum deperditum erat, quoniam ipsum instaurari necesse esset. At quomodò hæc instauratio, & renouatio, in cœlo & in terra facta est ? audite D. Gregor. libro 31. Moral. cap. 19. hanc renouationem, ita explicantem : *In ipso, ait, restaurantur ea, quæ in terra sunt, dùm peccatores conuertuntur : in ipso instaurantur ea, quæ in cœlis sunt ; dùm illuc humilitate homines redeunt, vnde Apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt.*

Cœlum & terra in humilitate fundata.

Ephes. 1.

S. Gregor.

Describens Isaias superbissimi peccatorum primatis, primi illius cœli domiciliarij, diuinam excelsitatem affectantis, ita eum, Deo in faciem resistentem, & inflatissimis buccis effutientem, inducit : Cap. 14. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Vbi per montem, intelligitur templum : ita enim exponit Hugo : *Sedebo in Sion, vbi Arca & tabulæ testantur.* Quid agis ô superbè Lucifer, nonne meliùs in oriente solium tuum collocasses ? vnde principium omnis motus : sic enim facilius thronum tuum stabilire posses ? cur non in meridie ? vnde verus Messias venturus promittebatur : Habacuc 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Cur non in occidente, quàm partem potior templi Dei pars respiciebat. Ne miremini : ferunt enim Doctores Sancti, in templo Sion, ad partem Aquilonarem mansisse Virgines, Deo ad obsequium dicatas, inter quas erat Virgo MARIA, quousq; Iosepho desponsaretur, quæ futura erat verbi incarnandi Mater. Hoc igitur cognito, rebellis Deo Angelus, nihil intentatum reliquit, vt MARIAM Virginitate spoliaret. Sicq; incarnationem Filij Dei præpedire posset, ne illi adorationem exhiberet. Hic sensus est illorum verborum : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis :* Quasi diceret : ita illustre, & diuinum caput, supra omnia creata attollam, vt nec Dei Filium, si humanâ in-

Isaiæ 14.

Habac. 3.

na induatur carne, velim vnquàm reuereri. Vnde dicit S. Basilius: *Perpetuus*, inquit, *virginitatis defraudator, ac inquietor est diabolus, Virgines namq; obseruabat, quarum vnam Deum parituram cognouerat.* Sed longè aberrauit à scopo; & à via rectoq; itinere deflexit: qui enim ad summum cœli voluit conscendere, ad profundiora inferni deturbatus est. Subiungente Isaiâ: *Verum tamen ad infernum detraheris, ad profundum laci.*

S. Basilius.

Isaiæ 14.

Vicit itaq; Augusta Virgo, illibatam suam virginitatem Deo vouens, & conseruans; ita vt cœlestem illum vnicornem, quem superbus Lucifer, frustra rebelli ausu impetere voluit, de cœlo in terras, de sinu æterni Patris, in suum purissimum vterum, feliciter traxerit. Quia virginitate Deo placuit, humilitate eundem concepit, dulcẽ illam occinens cantilenam. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Mirabilem certè suauitatem, ex hac Virginis responsione, effluxisse fatetur Spiritus Sanctus Cantic. 4. illud in cõmendationem Virginis proferens: *Eloquium tuum dulce.* Quem locum explicans Delrius, ait: *Quis vnquàm tàm dulci fuit eloquio, quàm Mater dulcedinis? si ex abundantia cordis os loquitur, quid poterat condulcedinem redundans eructare, nisi verbum dulce? quid poterat nubes illa dulcedine grauida stillare, nisi dulcedinem, nisi mel, & fauum.* Quid igitur mirum: si è Cypro stillet balsamum, cum radix & stirps, quæ Cypri velut sunt viscera, balsami vim productricem intra se habeant, & enutriant. Quid mirum: si electrum effundant arbores, ad Eridani ripas, & thure, ac myrrhâ in Libano sudent, aromatiferæ plantæ, cum succum præstantem intra corticem gignant, & coquant, quem postea maturum guttatim emittunt. Siquidem Deiparæ labia, instar faui, mellifluam stillabant dulcedinem: quia mellifluos intus ipsa alebat in animo succos eloquij diuini, quod supra mel & fauum est dulce. Hunc fauum distillantem, desiderabat ab æterno immensus Dei Filius, loquens: *Osculetur me osculo oris sui.* Quasi diceret: cùm ego sim flos campi, & lilium conuallium; tamen Virgo tanquàm apis argumentosa ex me, mel suauitatis diuinæ haurias, quod ex tuis labijs, tanquàm ex confecto fauo, dùm loqueris, in audientes effluat. Sic fatetur S. Brigitta, Orat. 4. sibi reuelatum. *O Domina*, inquit, *mea Virgo Maria, laudetur lingua tua, Deo & Angelis gratissima, super omnes arbores fructiferas: nam omne verbum quod lingua tua protulit, nulli personæ vnquàm nocuit, sed in alicuius commodum semper venit: erat enim ipsa lingua tua prudentissima, omnibus dulcior ad audiendum, quàm aliquis dulcissimus fructus ad gustandum.*

Cantic. 4.

Delrius.

Balsamum è Cypro stillat.

S. Brigitta.

Magnam vim inesse sonis musicis, ad temperandos hominum affectus, & huc illucq; flectendos, fatentur non pauci. Vnde D. Basilius homil. 24. de legendis Gentilium libris refert. Pythagoram in ebrios aliquandò incidentem, iussisse tibicinem, qui luxurioso conuiuio præerat, voluptuosam harmoniam nimiùm sensibus concinentem, in Doricum sonum commutare. Qui Doricus sonus erat grauis, & ad modestiam atque honestatem alliciebat. Porrò illa melodia Dorica illud effecit, vt conuiuæ ad sobrietatem concitati, ejectis de capite coronis, omnes erubescerent, ad omnemque honestatem & modestiam componerentur. Sed quid hoc est ad vocem Virginis MARIÆ? quæ multò maiorem efficaciam habuit, ad moderandos hominum affectus, illoq; à mærore in lætitiam vertendos, & ad puritatis ac cœlestium rerum desiderium concitandos. Palam id habetur ex Reuelat. Sanctæ Brigittæ, in Sermone Angelico cap. 13. vbi sic dicitur: *Qui ad peccandum proniissimi erant, ex eius verborum & gestuum honestate, statim peccati feruor extinguebatur, quamdiu ipsam conspiciebant.* Imò parum est, voci Deiparæ diuinitùs concessam fuisse vim, excitandi in audientibus amorem pudicitiæ, cùm &

Sonus musicus affectus humanos moderatur.

S. Brigitta.

ipsum

ipsum Dei Filium ad se traxerit. Ita vt Dei Filius, audiens illam humilem Virginis cantilenam: *Ecce ancilla Domini*, satis illa ad satietatem animi oblectari non valens, iteratam eius repetitionem postulauerit: Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Quem locum de Virgine accipiens Martinus Del Rio ait: *Delectat me vox tua, quia dulcior voce Abelis veniam postulans, & nunquàm rauescens, nunquàm desinens, vel deficiens.* Quasi diceret: dùm dicis ô dilecta Mater mea: *Ecce ancilla Domini.* Quid aliud facis, nisi labia tua moues, ad fundendas pro hominibus preces, quo mihi nihil dulcius esse potest. Cuius pulchram rationem affert Theophilus Alexandrinus, in libro de Incarnatione verbi, ita loquens: *Gaudet filius orante Matre, quia omnia, qua nobis precibus sua Genitricis euictus donat, ipsi Matri se donare putat, & accepta ab illa sine patre humanitatis, vices reddere.* Quod statim compro-bat Gregorius Nicomediensis, oratione de oblatione Deiparæ ad finem; vbi sic dicit: *Tuam enim gloriam creator existimat esse propriam, & tanquàm filius eâ exultans, quasi exoluens debitum, implet petitiones.*

Cantic. 2.

Del Rius.

Theophil. Alexandr.

Gregorius. Nicomed.

Hæc tua dulcis & humilis vox, *Ecce ancilla Domini*, cœlestem illum Rhinocerotem, quem mundus nulla ratione capere potuit, in tuum gremium detulit. Vt fatetur ipsemet Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cur quæso in vno tantùm? An quia alterum non habebat, quo cœlestem Vnicornem intueretur? minimè: duos oculos Virgo Deipara habuit, vnum quem ad solam Dei naturam contemplandam dirigebat. Alterum, quem ad Virgineam puritatem custodiendam obuertebat. Duo quippè oculi, ex mente Sanctorum Patrum, significant mundi-

Cantic. 4.

Duo oculi quid significent.

tiam & contemplationem. Quo igitur Dei Filium vulnerauit, & in sua viscera traxit Augusta Virgo? oculone contemplationis, an pudicitiæ, & humilitatis? Equidem oculo humilitatis, dùm considerans inscrutabile mysterium diuinæ Incarnationis, & se quasi indignam Maternitatis prærogatiuâ reputans, verba illa protulit: *Ecce ancilla Domini.* tunc statim vulnerauit vnigenitum Patris: quia summè placet Deo oculus humilitatis. Sic profitetur ipsamet Dei Genitrix: *Dùm, inquit, esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Cantic. 1. Quasi diceret: tunc cùm adhuc vnigenitus in sinu æterni Patris sederet, cæpi eum ad meum thalamum inuitare, statimq; addit: *Dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* Vnde obsecro tàm repentina mutatio, vt Rex ille, qui paulò ante in cœlis, apud Patrem sibi coæternum commorabatur, inter vbera Virginis appareret? Nardus, id est profunda humilitas Virginis, eum miro amore vulnerauit, & potenter traxit. Hæc est mens D. Bernardi: qui verba illa, nardus mea dedit odorem suum, Serm. 42. in Cantica, ita exponit: *Nardus humilis herba est, quàm & calida natura ferunt esse hi, qui herbarum vires curiosiùs explorârunt, & ideò per hanc videor mihi, non inconuenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, sed qua sancti amoris vaporibus flagret.*

Cantic. 1.

S. Bernard.

Quare descendente in purissimum Virginis vterum, cœlesti illo Rhinocerote, æterni Patris Filio, cui illa virginitate placuit, & quem humilitate concepit, nos pariter coram inaccessa eius maiestate, humiles prosternamur, vt per humilitatem in mentibus nostris conceptus, nobiscum permanere non dedignetur, Amen.

IN COENA DOMINI,
CONCIO PRIMA.

Accipite & manducate, hoc est Corpus Meum. *1. Corint. 11.*

Per sacram Eucharistiam dignè sumptam, vera amicitia inter Deum & hominem radicatur.

PRidem immensus æterni Patris Filius, amicitias cum genere humano ineundas affectauit, easq; indissolubili nexu & fœdere perpetuo roborare studuit. Principium huius desiderij fuit creation s beneficium : *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ioan. 1. Sed quia tunc Dei Filius adhuc in sinu Patris conquiescens, infinitè distabat ab homine, Empyream illam sedem inhabitando, homine ima terræ incolente : quòd pulchrè decantat Regius Vates : *Cælum*, inquit, *cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* ideò non est mirum, quòd homo reciproco affectu tunc in Dei amicitiam venire non studuerit, siquidem ea, quæ à nobis procul absunt, minus æstimamus. Certatum est præterea de hoc amicitiæ vinculo, beneficio Incarnationis : quandò Filius Dei nostræ mortalitatis purpurâ indutus, factus est quasi vnus ex nobis, & nobiscum conuersari cæpit, quasi iam maiorem voluptatẽ habere non posset; quàm inter lutea vasa commorando, vt ipsamet Incarnata Sapientia edisserit : *Delicia mea esse cum filijs hominum.* Sed quia & tunc adhuc tenebræ erant super faciem abyssi : Nam Gregorius Magnus lib. 6. Moralium dicit, Christo nato Iudæos in tenebrosa suæ cæcitatis nocte ambulantes, illas voces ingeminasse, *Custos quid de nocte, custos quid de nocte?* Isaiæ 21. Quasi dicerent : quæ sunt ista noua, quæ de Christo feruntur ? Ergone iam aduenit Messias ? quibus cum excubitor responderet, dixit Custos : *venit mane, & nox :* hoc est; venit lux qui est Christus, illi vt potè in tenebris loquentem non intellexerunt, teste S. Ioanne cap. 1. *Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioan. 1. Proinde hic modus non successit Dei Filio, siquidem amicitia in aperto, non in occulto; in luce, non in tenebris stabilienda est. Vltimò tandem per munera hominis amicitiam quæsiuit, dum pignus illud delicatissimum & inæstimabile, sacratissimum suum Corpus sub speciebus Panis & Vini nobis in vltima Cœna proponeret, *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.* Quod cæleste epulum, ad vniendam hominis cum Deo amicitiam efficacissimum esse ostendam.

Vt scopum quem præfixi, contingere possim, euidens Argumentũ, vel ex ipso nomine Eucharistiæ desumo. Triplici potissimùm vt video de causa, SS. Eucharistia bonam gratiam significat. Primùm ideò : Quia in se continet Christum Dominum, fontem omnis gratiæ. Nam secundùm veritatem Catholicam, indubitatum est, in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, post Panis & Vini consecrationem, Dñum Nostrum IESVM Christum, verum Deum atq; hominem, verè realiter atq; substantialiter contineri, sub vtraq; specie, vt apertissimè deducitur ex illis Ioan. 6. verbis : *Panis quem ego dabo caro mea est.* Ioan. 6. Atqui post impletum Incarnationis mysterium, Panis iste quem Christus daturus erat, alius non potest assignari præter Eucharistiam. Ergo si in Eucharistia continetur vera Christi caro, simul ibidem & anima Christi glorioſa, & diuinitas præsens adest : quia inter hæc intercedit necessaria connexio, siquidem verbum

verbum quod semel assumpsit, nus- A quam postea dimisit: imò adest & tota Sanctissima TRINITAS per concomitantiam, & inseparabilitatem diuinarum personarum. Et quid oro causæ tantæ Christi humiliationis, vt Corpus illud glorioſum, quod in cælo triumphat, sub minutissimo Panis consecrati fragmento ita existat, vt partes eius ibidem non secundùm positionem partium quoad locum extensas; sed secundùm substantiam ita indiuisibiliter ponat, vt corpus Christi prout est in hoc Sa- B cramento, non possit facere operationes Physicas, tàm actiuas; quàm passiuas. Neq; enim ibi oculus Christi videre potest, neq; intellectus facere naturaliter species intelligibiles, & intellectiones rerum producere, eò, quòd sensus exteriores corporis Christi prout sunt in hoc Sacramento, non recipiant species rerum sensibilium, cùm non agant modo naturali per successionem, vtpotè indiuisibiliter existendo. Vt quid ob- C secro tanta Christi Domini quasi sui-ipsius exinanitio? ad hoc vnicum: vt nos suæ naturæ consortes, & comparticipes faciat. Proclamat hoc magnus ille Christi arcanorum Cancellarius, qui supra pectus Domini recubuit Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quasi diceret: vt mors animæ quæ fit per amissionem gratiæ, separat nos à Deo: quia facit ex Filijs Dei, captiuos diaboli: ex sanctis, peccatores: ex iustis, impios, ita vita D animæ, præsentia Christi Domini, quæ in Epulo Eucharistico hodie nobis confertur, fortissimè nos cum Deo vnit: in quo enim Christus præsens manet, ille alienus à Christo esse non potest.

Ioan. 6.

Hinc Doctor Angelicus S. Thomas 3. p. q. 73. art. 3. ad 3. comparat mysterium Eucharistiæ Baptismo: *Sicut*, inquit, *Baptismus dicitur Sacramentum fidei, ita Eucharistia dicitur Sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis.* Quasi dicere vellet:

S. Thomas.

A Quemadmodùm per Baptismum regeneramur in fide Christi, ita Eucharistia arctissimum efficit vinculum inter Christum, & dignè eam recipientes: siquidem auget in homine præexistentem erga Deum charitatem. Proinde præparatio requisita ad dignè accumbendum huic cælesti mensæ, non est alia nisi concordia fidelium, & charitas fraterna, quâ inter se indissolubiliter vniuntur. Hoc illa cælestis Sponsi inuitatio luculenter demonstrat, qui hor- B tando fideles animas ad epulum Eucharisticũ, sic eas alloquitur, Cant. 5. *Comedite amici, & bibite.* cui inui- Cantic. 5. tati respondent: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quod mysterium? vtique responsio interrogationi conformis esse debet. Si Sponsus in numero plurali inuitat, *Comedite amici, & bibite*, etiam inuitati conformiter respondere debebant: *Nos dormimus, & cor nostrum vigilat.* Scilicet quamuis dormire videamur, quoad sensus corporis exteriores somno ligatos, C tamen cor nostrum perpetuas agit excubias. Nodum soluit doctissimus Abbas Gilbertus: *Quid*, ait, *mirum, si ad communem inuitationem responsum redditur singulare: Multi quidem ad hoc epulum inuitantur, sed omnium est cor vnum, & anima vna: amor enim vnit & inebriat.* In eandem sententiam propendet Symmachus, qui locum illum Canticorum sic legit: *Comedite fraterni, & bibite:* Septuaginta autem vertunt: *Comedite proximi:* quasi palam facientes, per charitatem ita inter se adunari fideles, quasi vna solummodò omnium anima efficiatur, & vnum cor. Proinde inuitanti Sponso, omnes tanquam vnus respondent: *Ego dormio.* Si ergo illi duntaxat merentur epulo Eucharistico refici, quos veræ charitatis vinculum adunauit, manifestè sequitur, per sumptionem Eucharisticam eos cum Deo vniri, tanquàm vera Christi membra cum suo capite, ita vt illos Christus meritò hoc titulo inuitet, *Comedite amici & bibite.* Vocatur secundò Eucharistia, bona gratia:

Gilbertus.

Symachus.

LXX.

quia dignè ſuſcipientibus ampliſſimam gratiam confert, & ratione corporis: nam hominem inprimis præſeruat ſpecialiter à peccatis mortalibus, propterea, quòd Euchariſtia ſit Panis vitæ, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur: hoc autem fit per ſpecialia auxilia, quæ Deus confert homini mediante Euchariſtiâ, ad vitanda mortalia peccata, vt docet Concil. Trid. Seſſ. 13. cap. 2. ſic loquens: *Sacramentum hoc inſtitutum eſſe, vt antidotum, quo à mortalibus præſeruamur.* Præſeruat inſuper & à periculis imminentibus, præſentiaque propulſat. Grauiſſimam olim peſtilentiam comminatus fuerat Deus Iſraëlitis, triduò duraturam: *Tribus*, inquit, *diebus erit peſtilentia in terra* 2. Reg 4. n. 13. quæ tamen vix ad dimidium diem durauit, atteſtante ſacro textu, ibidem n. 15. *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſraël, de mane vſq; ad tempus conſtitutum.* Quare obſecro peſtilentia per tres duratura dies, eodem die ad horam prandij euanuit? Dicam quod ſentio, videtur mihi in ſenſu Allegorico tempus illud eſſe, quo Euchariſticum epulum exhibetur: ante hoc tempus mors impunè & liberè ſæuiebat, ſed propoſito cæleſti illo vitæ ferculo, illicò extinguitur. Quæ enim morti cum vita omnium viuentium conuentio eſſe poteſt? Hæc eſt mens D. Cyrilli Alexandr. lib. 3. de Adoratione: *A mane*, inquit, *hoc eſt; à primis ſæculi temporibus, mors depaſta eſt eos, qui in terra erant, vſq; ad horam prandij?* nimirum; vſque ad menſæ tempus: vbi enim aduenit nobis ſanctæ menſæ tempus, nimirum illius myſticæ, in qua veſcimur pane illo cælitùs dato, quæ priùs terribilis erat mors, ceſſauit.

Confert hoc cæleſte epulum ampliſſimam nobis gratiam etiam reſpectu Animæ. Nam inprimis confert gratiam gratum facientem: cùm enim in Euchariſtia recipiatur author & fons gratiæ, ſcilicet; Chriſtus: qui dat ſuam gratiam omnibus affluenter. Ideo Sacramentum hoc ſuſcipienti ſine obice, confert magnam gratiæ copiam, cuius effectus & officium eſt, vnire nos Chriſto per amorem & charitatem, iuxta illud S. Ioannis. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Confert & augmentum eiuſdem gratiæ: ideò enim Euchariſtia datur nobis per modum cibi, & potus: quia ſicut cibus nutrit & auget; ita Euchariſtia eoſdem effectus ſpiritualiter in homine producit, vt docet Tertullianus libro de Reſurrectione carnis: *Caro noſtra*, ait, *ſaginatur carne Chriſti, quia charitas augetur, roboratur, perficitur.* Confert inæſtimabilem dulcedinis guſtationem: ideo enim Euchariſtia vocatur manna, Panis cœleſtis, Panis Angelorum, pinguis adeps frumenti, petra mellis. Hinc recte exclamat Propheta: *Cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.* Pſal. 69. vbi per petram intelligitur Chriſtus: iuxta illud 1. Corint. 10. *Petra autem erat Chriſtus.* Sed cur obſecro, non omnes hanc dulcedinem ſentiunt ad hoc Epulum cæleſte accedendo. Gulielmus Pariſien. tra. 1. de Euchariſtia, cenſet id fieri propter imperfectionem palatûs, & defectum maſticationis, fundans ſe in illa Dauidis authoritate Pſalmo 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* hoc eſt; maſticate meditando & contemplando, cuius menſæ participes facti eſtis. Cæterùm crediderim ego cauſam hanc eſſe: quia non omnes cum omnimoda conſcientiæ ſuæ probatione, & diſpoſitione, ad huius Sacramenti ſumptionem accedunt, prout iubet Apoſtolus 1. Corint. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat.* Diſcipulis à Chriſto Domino quærentibus, quo in loco vellet parari Paſcha, ſignum præbuit Chriſtus Dominus Lucæ 21. n. 10. *Ecce* inquit, *introëuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, ſequimini eum in domum, in quam intrat.* Vbi D. Ambroſius, in illa aquæ amphora, exiſtimat Sacramentum Baptiſmi

Concil. Trident.

2. Reg. 4.

S. Cyrillus

A

B

C

D

Tertullia.

Pſal. 96.

1. Cor. 10.

Pſal. 33.

1. Cor. 11.

Lucæ 22.

ptiſmi fuiſſe adumbratum. *O aqua*, inquit, *quæ Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti, quæ lauas omnia, nec lauaris.* Moxq; paulò inferius addit: *Per te fœtor rabidæ carnis aboletur, & præuntia ſitu viſcera aſperſo ſale in multam ſeruantur ætatem: per te arentibus æſtu corporibus, dulcis ad gratiam, ſalutaris ad vitam, ſuauis ad voluptatem potus infunditur.* Sit ſanè ita vt vult Magnus iſte Doctor, nondum tamen plenè ſopita difficultas? Cur enim homo ille qui baptiſmum repræſentabat, duxit Chriſti diſcipulos in domum, vbi Sacra Euchariſtia proponenda & ſumenda erat? Certè non aliam ob cauſam, niſi vt ſumma Innocentia ad ſacram Euchariſtiam ſuſcipiendam requiſita deſignaretur. Quemadmodùm enim Sacramento Baptiſmi omnia peccata tàm originale; quàm actuale: totaliter expiantur, vt hoc lauacro ablutos meritò alloquatur cœleſtis ſponſus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Canticorum 4. Ita accedentibus ad Sacram Euchariſtiam neceſſarium eſt, vt conſcientia eorum etiam à minimis maculis ſit emundata. In quonam autem iſta innocentia & puritas conſiſtat, certè in ſola dilectione Dei & proximi, hoc ipſemet Chriſtus in diuiniſſimi huius Sacramenti inſtitutione declarauit, quando modum diſponendi ſe ad ſacram Cõmunionem illis verbis præſcripſit: 1. Corint. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quaſi diceret: quotieſcunq; ad menſam Euchariſticam acceſſeritis, perpendite, & alta mente rutinate id, quod ego in duro crucis lecto pertuli, & quanta probra, quantos cruciatus, veſtrum omnium amore perpeſſus ſum, & ad eundem amoris gradum aſpirate, vt quemadmodùm ego dilexi vos, & animam meam poſui pro vobis, ita & vos diligite ad inuicem.

Ad hanc Euchariſticam menſam oculos reflectens Dauid: *Filij*, inquit, *tui ſicut nouella oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Pſal. 127. Qui enim hac menſâ nutriuntur, tales eſſe debent, vt nihil in eis aridum, nihil inueteratum, nihil ſuperfluum inueniatur, ſed omnia in eis vireant & vernent, omnia germinent ac fructificent. Et cur non dixit Propheta Filiæ tuæ, ſed Filij. Reſpondet Caſſiodorus quia licet par ſit vtriuſq; ſexus eſſentialis perfectio; tamen in fœmineo quædam accidentalis cernitur imperfectio, ab hoc epulo penitùs repellenda; in virili autem elucet quædam accidentalis perfectio, ad hanc menſam maximè deſideranda. Neq; enim in hoc cæleſti conuiuio ſola à mortalibus culpis innocentia requiritur, quæ eſt quodammodò eſſentialis; ſed etiam a venialibus, quæ eſt quodammodò accidentalis magnopere deſideratur. Hinc emanauit illud diuinum præceptum Exodi 23. n. 17. *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum, coram Domino Deo tuo.* Quod expendens Philo Hebr. lib. 2. Allegoricorum: *Tribus*, inquit, *temporibus ô anima tota coram Deo ſemper appareas, non fœmineum vllum affectum tecum trahens, ſed virilem, fortem exercitatamq; rationem, ceu ſuffitum offerens.* Talis fuit lex illa holocauſti: *Maſculum immaculatum offeret.* Leuitic. 1. n. 3. Vbi Philo libro de victimarum generibus, per maſculum, vult ſignificari intellectum, ſeu potius totum animum, qui ſenſui toto genere præſtat, æqualis lex de ſacrificio data fuit, Leuit. 6. n. 18. *Mares tantum comedent illud.* hoc eſt; vt exponit Heſychius: *qui nihil fœmineum, nihil fluxum in cogitationibus vel operibus habeant.* Si ergo ad illa vetera ſacrificia, virtus quædam maſcula, hoc eſt; ab omnibus imperfectionibus aliena requirebatur, quomodò imperfectio mollis & effeminati animi, ad Euchariſtiæ Sacramentum admitteretur.

Antequàm gentilis fœmina ad nuptias cum viro Iſraëlita admitteretur, non modò veteres cultus, ſed etiam affectus exuere iubebatur. *Reddet*, inquit Dominus, *Cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in quâ capta eſt, ſedenſq; in domo ſua, flebit*

§. Ambro.

Cantic. 4.

1. Cor. 11.

Pſal. 127.

Exodi 23.

Philo Hebræus.

Leuit. 1.

Leuit. 6.

Heſychius

Deut. 21.

flebit Patrem & Matrem suam vno mense. Deutoron. 21. n. 12. vbi cultum externum deponere iubebatur: quia interprete D. Hieronymo, Epistola ad Damasum, profanos mores & gentilitios ritus abiurare oportebat: & quicquid erat superfluum de amore & cura rerum sæcularium, in vnguium morem ferro acutissimo desecare iubebatur, insuper parentes suos etiam superstites, tanquàm vitâ iam defunctos flere. Quia Auctore Procopio, necesse erat omnes carnalis cognationis affectus, non modò leuiter sedare, sed etiam penitus sepelire. Nuptiæ istæ adumbrabant conuiuium Eucharisticum, ad quod accedentibus, necessum est exuere veterem hominem, vt Sol non occidat super iracundiâ illorum, sed charitas superabundans, cum Christo eos firmiter copulet.

Procopius

Ad extremùm, Sanctissima Eucharistica significat bonam gratiam: quia datur in pignus futuræ gloriæ. Nam præcipuus huius Sacramenti effectus est, assecutio gloriæ æternæ, atq; ideo hoc Sacramentum appellatur viaticum. Quia per illud mediante gratiâ, datur nobis ius perueniendi ad gloriam, vt docet S. Thomas 3. p. q. 79. art. 2. Hinc Sancta Ecclesia meritò canit: *O sacrum conuiuium, in quo recolitur memoria Passionis, mens impletur gratia & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Sed rem hanc clarè elucidat S. Ioannes cap. 6. inquiens: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Triplicem enim vitam homo ex sumptione Eucharistiæ haurit. Inprimis vitam corporalem: nam hanc Eucharistia & habitam conseruat, & perditam reuocat. Conseruat Christo Domino testante Ioan. 6. *Hic est panis, qui de cælo descendit, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Reuocat autem: quia ibidem paulo inferiùs, n. 54. additur: *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quærit S. Thomas Opuscul. 58. de Sacramento Altaris cap. 9. Cur hoc Sacramentum sub speciebus Panis & Vini, à Christo Dño institutum sit.

S. Thom.

Ioan. 6.

Ibidem.

Et respondet: Quia hæc sunt præcipua corporibus vitæ conseruandæ alimenta, proinde sub speciebus cibi ad corporalem vitam sustentandam accommodatissimi SS. Eucharistiam Christus voluit instituere. Haurit homo ex hoc epulo cælesti, vitam spiritualem, scilicet gratiam sanctificantem, per quam non secùs anima spiritualiter viuificatur, quemadmodùm corpus per animam. Haurit deniq; ex hoc diuinissimo ferculo vitam æternam; sed quid mirum: à pane vitæ æternæ vitam nobis æternam communicari, de quo D. Cyrillus Alexandr. libro 3. in Ioannem cap. 37. sic dicit: *Viuificat Corpus Christi, & ad incorruptionem suâ participatione reducit: Non enim alterius cuiusquam, sed ipsius vita corpus est, virtutem Incarnati verbi retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa viuunt & sunt.* Mortem ab æterna beatitudinis mensa, procul exulare nemo dubitat, iuxta illud Apocalypsis 21. *Absterget Deus omnem lachrymam, ab oculis eorum, & mors vltra non erit*, num. 4. Morti autem in æternum exulanti, quid nisi æterna vita succedit, quâ beati illi continuò perfruuntur. Sed non minus ab Eucharistico conuiuio in æternum exilium mors amandatur, vt ibi à conuiuantibus æterna vita prælibetur. Si enim populus Israëliticus, dum Angelorum pane in deserto pasceretur, similem Angelis vitam agebat; asserente id Tertulliano lib. 3. aduersùs Iudæos: *In eremo*, inquit, *mannâ populus ille quadraginta annis ad instar æternitatis reductus, nec hominis passionibus contaminatus.* quomodo Panis Eucharisticus, in quo simul cum Christi diuinitate, tota æternitas continetur, æternam vitam Christi fidelibus non communicabit? S. Augustinus l. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 3. & l. 1. contra Aduersarium legis cap. 15. probabile esse putat, duos illos eximios heróas, Henoch & Heliam, fructu de ligno vitæ hucusque sustentari. Quo alimento ita viuaces & vegeti redduntur, vt à Tertulliano de re-

S. Cyrillus

Tertullia.

S. Auguſt.

de resurrectione cap. 8. æternitatis candidati appellentur : nam si lignum vitæ in paradiso habet vim hominem immortalem reddendi, certè Panis Eucharisticus maiorem vim habet, suos conuiuas æternitatis possessores faciendi, iuxta illam Christi promissionem : *Sicut ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me* Ioan. 6. Felices igitur & iterum dico felices, qui pane Eucharistico pascuntur, per quem dignè sumentibus confertur bona gratia, quia Christus, in quo mens humana omni dulcedine repletur, & animus gaudio reficitur. Per hoc cæleste ferculum confertur fidelibus bona gratia : quia animam sanctificans : quia ex peccatoribus sanctos, ex impijs iustos ; quia ex filijs iræ, beatificæ visionis heredes efficiens. Confertur demùm pignus æternæ gloriæ : quia etiam de præsenti, qui manducat hunc Panem, habet vitam æternam, scilicet; in spe certissimâ, & pignore iam possessionis futuræ gloriæ. Sed quoniam ad hæc pascua nemini patet aditus, nisi amicis : deponite Christiani de cordibus vestris omnem iram, odium, & maleuolum affectum, & renouati in mutua charitate, atq; dilectione, consistite in Christi conuiuio, vt iste cæleſtis Paterfamilias, vos benignâ illâ voce alloqui dignetur. *Comedite amici, & bibite.*

Ioan. 6.

A

B

C

D

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Ioan. 6.*

Eucharistia hominem immortalem efficit.

AB ipsa mundi creatione, Deus in sua laudis & gloriæ maiestate incomprehensus, conuiuio regali statim tractare voluit hominem, Auditores. Vt sic quemlibet nostrum cæleſti cibo, & dulcedine ipsiusmet Deitatis suæ, pretioso sanguine optimè condito, ad æternam cælestis beatitudinis gloriam alliceret. Regem enim voluit esse hominem, omnia sub pedibus eius subijciens, *boues, & oues, & vniuersa pecora campi ;* idcirco necessitare eum ad sua obsequia indignum duxit, sed velut regem in negotio salutis, eundem cum reuerentia disponere voluit. Hinc vix omnipotenti suâ manu vniuersum hoc condidit, & statim primum parentem nostrum, in paradisum, inter delicatos fructus excelsâ suâ dexterâ radicatos introduxit, lautissimo eundem excipiens conuiuio. *Ex omni*, inquit, *arbore comedes præterquàm de ligno scientiæ boni & mali, ex quo in quocunq; die gustaueris, morte morieris.* Genesis 2. In illo enim paradiso, duæ præ alijs peculiares fuerunt arbores : vna dicebatur lignũ vitæ, altera scientiæ boni & mali. Arbor quæ dicebatur lignum vitæ, habuit vim causandi immortalitatem, seu perpetuitatem in viuendo corporaliter in illis omnibus, à quibus secundùm fructus suos comederetur. quia (vt inquit Suarez lib. 3. in Gen. cap. 15.) instauraſſet humidum radicale mirâ sua puritate, & calorem debilitatum corroborasset. Idcirco probabile putat esse Becanus, nec Euam, nec Adamum ante lapsum ex eo comedisse, quia ætate superassent Matusalem, & Noê multis annis, à quibus tamen sine comestione fructus vitæ, superati sunt annis non paucis. multò minùs post lapsum, ex eo quòd Deus expulso homine ex paradiso, posuerit statim Cherubim ad custodiendum illud lignum, ne subreptitiè fructus eius ab Adamo fuisset decerptus : Altera fuit arbor scientiæ boni & mali, ideo ab euentu sic nuncupata, quia hominem post gustatum sui pomum cõegit experiri bonum & malum, tàm morale, quàm Physicum. Conuiuiũ proindè semper apparari voluit Deus propter hominem. Nam & quando popu-

Pſal. 8.

Gen. 2.

Virtus ligni vitæ.

Suarez.

Adam non comedit de ligno vitæ.

Becanus.

Arbor scientiæ, cur sic dicta?

lum ſuum è tyrannide Pharaonis liberauit, induxit illum in terram melle & lacte fluentem. Vbi inquit Sacra pagina, *pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli manducauit homo.* Venit in mundum Filius Dei, & ibi ſtatim in Cana Gallilææ hominem conuiuio tractare cæpit, cumq; Sanctiſſima Virgo, multitudine hoſpitum commota, moleſtare illum cæpit inquiens: *Fili vinum nobis deficit.* ille verò ne ſe in immensâ diuitiarum ſuarum copiâ egenum oſtenderet, vnico omnipotentiæ ſuæ verbo, aquam tranſmutauit in vinum. Deniq́ue antequàm è terris in cælum aſcenderet, inappretiabile conuiuiũ homini reliquit, carnẽ ſcilicet ſuam, & ſanguinem. Quæ duo cur Deus homini in cibum & potum propoſuerit, & quid conuiuanti homini conferant, conſiderabimus.

Ad vitam corporalẽ tria requiruntur.

Tria Philoſophi ad vitam corporalem requirunt. Primò, generationem, per quàm producatur viuens: deinde augmentationem, quæ iuxta Ariſtotelem 1. de generatione textu 25. & 31. eſt motus ad maiorem quantitatem: tertiò, nutritionem, quæ iuxta Ariſtotelem 2. de generatione cap. 4. eſt facultas animæ vegetatiuæ, conuertens alimentum in rei, quæ alitur, ſubſtanſtiam. Sic planè Chriſtus volens nos regenerare ſpiritualiter. Tria nobis ad hanc vitam ſpiritualem neceſſaria propoſuit, nimirum Baptiſmum, per quem homo verè generatur Deo in anima. Et Confirmationem, per quam augetur, & fortiores acquirit vires ad perſiſtendum in fide, vincendaſq́; Diaboli tentationes, & mundi concupiſcentias. Et Euchariſtiã, quæ eſt nutrimentum quoddam ſpirituale, homini iuxta Deum viuenti neceſſarium ad ſalutem. Quia verò neceſſitas ad ſalutem duplex eſt, alia medij, alia præcepti. Neceſſitate igitur medij, illa vocantur, ſine quibus etiam inculpabiliter non poſitis, ſalus haberi non poteſt. Vt ſine gratia iuſtificante; ſine finali perſeuerantiâ. Neceſſitate verò præcepti, illa ſcilicet, quibus inculpabiliter omiſſis, ſalus haberi poteſt. Vt eſt reſtitutio rei alienæ, obſeruantia ieiunij, &c. Certum eſt proinde Euchariſtiam, non eſſe cuiquam neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medij, quia Tridentinum Seſſ. 21. cap. 4. definit, paruulis antequàm ad annos diſcretionis perueniant, non eſſe neceſſariam ad ſalutem Euchariſtiam, & plures Martyres, ſine Euchariſtiæ ſuſceptione, ſalutem conſecutos eſſe. Eſt tamen omnibus adultis, ad ſalutem neceſſaria, neceſſitate præcepti. Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod ſi magna eſt neceſſitas cibi corporalis, qui iuxta ſententiam Philoſophorum, vertitur in ſubſtantiam aliti, fitq́; vnum corpus cum manducante. Quantò maior vtilitas, & neceſſitas Sanctiſſimæ Euchariſtiæ? corporalis cibus debilior manducante eſt, idcircò ab eius calore digeſtus, in ſubſtantiam manducantis tranſire debet, cibus verò Euchariſticus, longè fortior & potentior comedente, ita vt non iam in manducantem conuerti poſſit, ſed totum ſua virtute in Chriſti corpus conuertat, & arctiſſimâ quadam vnione annectit. Hæc arctiſſima amoris vnio effecit, vt Chriſtus ſeipſum nobis, in cibum & potum propoſuerit. vt ſic plenè iam in ipſum transformati, iam non ipſi, ſed Chriſtus in nobis viuat, iuxta illud Apoſtoli ad Galatas. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* De Ionatha 1. Reg. 18. dicitur, animam eius conglutinatam fuiſſe cum anima Dauidis, Chriſtus non tantùm animam, ſed etiam corpus ſuum, nobis conglutinari voluit. S. Chryſoſthomus homil. 6. ad populum. *Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquàm corpus capiti coaptatum.* Ex hoc cibo magna vtilitas redundat in hominem dignè manducantem; Ferunt enim Naturaliſtæ, hominem quò præſtantioribus & ſubtilioribus vtitur cibis, melio-

Totidem ad vitam ſpiritualẽ.

Neceſſitas ad ſalutem duplex.

Trident. Concil.

Ioan. 6.

Galat. 2.

1. Reg. 18.

S. Chryſo.

meliorem & firmiorem acquirere ſanitatem. Equidem ſubtiliſſima hominis anima (cum ſit ſpiritus) ad ſanitatem acquirendam, meliorem & ſubtiliorem cibum adinuenire non potuit, pretioſo Chriſti corpore ſub ſpeciebus Sacratiſſimi Panis Euchariſtici contento: corruptioni iam & mutationi obnoxium illud eſſe nequit; *Semel enim mortuus Chriſtus ampliùs non moritur.* Per ipſam ſui ſumptionem, hanc glorioſi corporis ſui proprietatem, præcipuam immortalitatem ſcilicet animæ noſtræ impertitur, atteſtante id hodierno Euangelio. Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sed obſtupeſcunt ad tantum myſterium ex ore ſui Magiſtri, verba hæc audientes Apoſtoli, *durus eſt*, inquiunt, *hic ſermo.* Dicitur enim Ioan. 6. *Spiritus eſt qui viuificat, caro* Ibidem. *non prodeſt quidquam*; ſi nihil prodeſt, quomodò ergo qui illam comedunt vitam æternam habere poſſunt? Rupertus, Cyrillus, Auguſtinus, Bernardus, reſpondent: carnem quidem Rupertus. Cyrillus. Auguſtin⁹. Bernardus. Chriſti ſi precisè ſumatur, nihil prodeſſe: non enim ex ſe virtutem habet animas hominum viuificandi, ſed quia ſemper eſt vnita diuinitati, (*quod enim ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*) quia inquam plena ſemper eſt diuinitatis Spiritu. Et diuinitas ſicut viuentium productiua eſt; ita & viuificatiua; ita quoque & corpus Chriſti eandem habet vim per communicationem idiomatum. Quiſquis igitur corpus Domini manducat viuet in æternum, quia Deum animæ ſuæ præſentem, & per comeſtionem vnitum habebit, à quo & productio viuentiũ, & conſeruatio, & vita omnis procedit. Sed ſi duritiam illam, diſcipulorum benigno toleraſti animo Chriſte IESV, conniue certè & noſtræ imbecillitati, namq; & nobis ad cognoſcenda diuina tua myſteria impotentibus, durior adhuc quàm tuis Apoſtolis videtur ſermo iſte. Imò nec par eſt illi cognoſcendo mortalis intellectus. Nonne duodecim Apoſtoli tui, quos tu profundè omnem fidei obſcuritatem edocuiſti, cum magno timore & reuerentia pane hoc Euchariſtico veſcebantur. Nonne tot mirâ ſanctitate conſpicui, quorum memoriam hucuſque gratâ veneratur recordatione Eccleſia, & piâ celebrat ſolennitate, nonne inquam ad cœleſte hoc tuum epulum, poſt multas animi tribulationes, cruciatus carnis varios, ieiunia aſpera accedebant; & tamen ineuitabili fato ſuccubuêre. *Statutum eſt omnibus ſemel mori.* Quomodo ergo verba hæc mens humana concipere poteſt, quod quicunq; panem hunc, ſcilicet corpus tuum manducauerit, viuere debeat in æternum, quoniam & Prophetæ & Apoſtoli Sanctiſſimi, quiq; mortem non effugêre.

Ad hoc reſpondet ipſamet æterna Sapientia: *Etſi quis mortuus fuerit,* Ioan. 6. *viuet in æternum.* Minimè trepidandum eſt: ſancitum quidem eſt in cœleſti conſiſtorio, & in vniuerſum orbem proclamatum, vt quilibet noſtrum propter originale peccatum, lethali Libitynæ falce ſuccinctus corruat. Cuius nos memores eſſe vult Eccleſia, ſæpiùs nobis in mentem reuocans. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Verumtamen ſi quis cæleſti hoc pane ſatiatus, inter homines agere deſierit, viuet in æternum. At, quomodò Chriſte IESV, homo in puluerem redactus, in æternum viuere poterit? *Ego*, inquit, *reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Ecce animæ noſtræ immortalitas è corpore Chriſti proueniens: nec mors per effætos inueterata cineres nocere poteſt, quam piè morientem Chriſti caro, ſua immortalitate viuificauit. Confert cibus iſte immortalitatem animæ, quia panis vitæ omnem aufert ex anima mortiferam peccati noxam. In veteri teſtamento Exodi 23. Deus ſeuerè præcipiebat, ſummo Sacerdoti Synagogæ, vt in medio templi decenter apparatâ menſâ, panem recenter piſtum exponeret: vt quicunque alicuius noxæ conſcius, templum illud ingreſſus eſſet, Deoq; reconciliari vellet, per illius panis come-

comestionem feruenti charitate in Deum accensus, domum suam rediret. Christus Summus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex, videns nos peccatorum pondere aggrauatos, & in seruitio eius languidos, exponit hodiè in altari sacratissimum corpus suum, vt omnes huc congregati, & per veram humilitatem Deo reconciliari cupientes, ab hoc cælesti cibo, feruentiùs in Dei amore incalescamus. Si enim viuens in terris Dei Filius, mutum sibi adductũ sanare cupiens, linguam eius sacratissimâ suâ dexterâ priùs tetigit: si cæco instituere volens visum, manibus oculos eius palpauit; si surdo nares sputo liniens adaperuit: si deniq; leprosum mundare volens, tangere corporis eius partem non erubuit. Accedite hodie ad comestionis contactum Sacratissimi Eucharistiæ Sacramenti, quorumcunq; peccatorum catena, linguas constringit, mundana concupiscentia intellectum obcæcat, carnis luxuria obstinat, & effusa libido leprosa fælicitate animam contaminat, accedite feliciter, cibus iste vnico contactu suo, hominem & à mortalibus præseruat, & omnia venialia remittit, Trident. Sess. 13. partim mediatè excitando feruorem charitatis: partim immediatè delendo maculas omnes, dummodò præcedat negatio affectus, seu complacentiæ ad veniale. Instaurate in cordibus vestris diuinum amorem non amplius extirpandum, vt iustè de nobis doctrina Apostoli ad Corint. verificari possit. *Quis nos separabit à charitate Dei.* Jonatas, vt animam suam cum anima Dauidis conglutinasset, suis se vestibus vsq; ad baltheum exuit, & induit eis Dauidem 1. Reg. 18. Elias igneo curru raptus Elisæo in signum amoris pallium suum reliquit, 4. Reg. 2. Christus in tantum dilexit hominem, vt eundem non tantùm suis vestibus, pretiosâ scilicet deitate vestiret, non tantùm insignia, in quibus nostram redemptionem operatus est, sed carnem quoq; nostram ad vescendum nobis proposuit. Vt

Concil. Trident.

1. Reg. 18.

4. Reg. 2.

A quemadmodùm omnia alia facilè obliuiscimur, cibi tamen & potûs non possimus obliuisci: nam indigentia panis mortalis, quotidiè nos Dei meminisse, & ad eum recurrere cogit. Vt quoq; panis iste Eucharisticus, reuocet nobis singulis momentis Christi passionem, vt si cætera eius beneficia obliuiscamur, sacratissimi tamen eius corporis & sanguinis, quæ in pretium nostræ redemptionis dedit, non possimus obliuisci. Potens est cœlestis iste cibus, B si illum frequenter dignè susceperis conuerteris in ipsum, ac proinde non patitur obliuionem sui apud te: quomodò enim tui oblitus esse potest, cùm vnum quid cum illo efficiaris.

Ester 1. refert historia sacra Assuerum, qui regnauit ab India vsque Æthiopiã, supra 127. Prouincias, tertio imperij sui anno, splendidum instituisse conuiuium cunctis Principibus, & præfectis suis, ad ostentandam Regni sui gloriam. Christus cùm es- C set totius mundi Dominus (*meus enim* inquit, *est orbis terrarum*) conuiuium lautissimum apparari voluit propter vniuersum mundum, vbi non iam terrestribus ferculis, sed pretioso corpore & sanguine suo, vnumquemq; nostrum tractat, vbi gustus insatiabilis: *Parauisti in dulcedine tua pauperi mensam Deus.* Psal. 67. Delicatus hic cibus tantæ virtutis est, vt quicunq; eo decenter vescitur, illius animam quicquid molestiarum acciderit, non amplius conturbabit, D Ioannis 16. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Hic cibus confert homini magnum fructum, quia eundem replet gratiâ sanctificante; confert maximos honores; quia hominem in Dei filium transformat, confert sublimes prærogatiuas: quia hominem facit Christi fratrem, confert deniq; summa priuilegia: quia hominem efficit cælestis patriæ heredem, diminuitq; in cordibus hominum, fomitem ardoris & concupiscentiæ: per cibum corporalem debilitatum natiuo calore, corpus hominum

Ester 1.

Psal. 67.

Ioan. 16.

minum roborat & reſtauratur. Per cibum Euchariſticum, vires animæ conferuntur, partim ex opere operato, partim ex opere operantis, ſi manducans panem hunc, benè priùs probauit ſuã conſcientiam. Si enim beatæ illæ mentes omni quo poſſunt modo venerantur Chriſti præſentiam; tu quoq; quiſquis ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedis, præſentem ſumma conſcientiæ puritate adorare debes. Duplicem portam aduenienti Chriſto, aperis, os & linguam ſi in ſalutem animæ panem hunc manducare, vis nihil ſit in ore noxium, nihil in lingua fætidum. Væ enim homini, qui non indutus veſte nuptiali, ad regale hoc conuiuium accedere audet, cùm plùs in corde turpitudinis, quàm humilitatis & caſtitatis, plùs fædiſſimarum cogitationum, quàm diuinarum contemplationum, cùm homo non ex deſiderio & amore feruenti erga Deum, ſed ex motiuo vanæ oſtentationis, vt tantùm ab hominibus videatur, ad cæleſte hoc epulum accedit. Cùm enim S. Thomas q. 80. de vſu huius Sacramenti tractat, docet accedere ad Euchariſtiam cum mortali culpa mortale eſſe, non tantùm contra Religionem, ſed etiam contra poſitiuum Dei præceptum. 1. Corint. 11. *Itaq; quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Verendum eſt eiuſmodi homini, qui aut indignè Chriſti carnem manducat, aut licet præparatâ benè conſcientiâ, ſtatim tamen paſtus hoc cibo, ad libidinoſam carnis turpitudinem reuertitur. Verendum inquam eſt, ne cum venerit ad tremendum Dei iudicium, vbi vix iuſtus ſecurus erit, exprobret illi Chriſtus illa verba: *Amice non habes veſtem nuptialem, & quomodò huc intraſti, ligatis pedibus & manibus, mittite eum in tenebras exteriores.*

S. Thom.

1. Cor. 11.

Cùm fames eſſet in terra Chanaan, Gen. 42. decem filij Iacob deſcenderunt in Ægyptum, vt apud Pharaonem frumentũ emerent Beniamin autem natu minimum Pater domi detinuerat, dicit Scriptura: *Cumq; adoraſſent eum fratres ſui, & agnouiſſet eos, quaſi ad alienos duriùs loquebatur.* Hoc futurum eſt cum illis, qui corpus Domini indignè manducant, & calicem indignè bibunt; Attingit quidem Chriſtus ſua ſanctiſſima carne, os tuum omni fæditate contaminatum, ingreditur ad cor omni impietate plenum, cognoſcit te fratrem ſuum, ſed cum ineuitabili fame in ipſa mundi conſummatione premeris, duriùs te alloquetur, & in æternum carcerem detrudi iubebit. Si enim ad illam veteris teſtamenti arcam, nulli accedere licuit præterquam Summo Pontifici, idq; ſemel tantùm in anno. Ioſue 3. *Videte ne appropinquetis ad arcam.* & 1. Reg. 6. Quinquaginta millia de Bethſames grauiſſimo morbo percuſſi erant, quod propiùs ad arcam accedere auderent, & Exodi 18. *Deus montem Sinai conſcendens, præcepit populo ne vllus montem illum attingeret, omnis inquit qui tetigerit montem morte morietur.* Quanto magis ſeuerus apparebit in eos, qui cæleſtem hunc cibum, ſeipſos non dijudicando manducant.

Gen. 24.

Ioſue 3.

1. Reg. 6.

Exodi 18.

Inuitat igitur hodie nos omnes ad regale iſtud conuiuium, vt nos in ſeipſum tranſmutatos efficiat immortales: vt reſtauret conſcientias noſtras omni puritate, vt vires animæ conferat ad ſeruiendum ſibi ſincerè, vt deniq; per hunc panem nos cum illo, & ille cum nobis maneat. Accedite proinde feliciter ad diuinum hoc epulum, (& vtinam decenter & ſine omni offensâ) manducetis panem hunc, qui eſt fons ſalutis, cauſa prædeſtinationis, & certiſſima redemptionis ſpes, Amen.

EODEM DIE CONCIO TERTIA.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Ioan.* 13.

Sub tempus belli Suetici, Anno 1657.

MAgnam contradictionem hodiernum Euangelium inuoluere videtur, dum Christus horrendam hanc sententia fulminat in Petrum; *Si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum: Et vos mundi estis sed non omnes.* Si enim Petrus totus mundus fuit, iuxta testimonium Christi eccur partem cum Christo nequit habere, pedibus non lotis: quoniam in cælo ipsi duntaxat puritati locus debetur. Apocal. 14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, & ideo sequuntur agnum, quocunq; ierit.* Et soli tantùm immunditiei aditus in cælum præclusus est: quia *nihil coinquinatum intrabit in Regnum cælorum.* Nodum soluit D. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. asserens hanc lotionem non fuisse necessariam ad mundandos pedes, sed potiùs ad roborandos ne iterum ruerent: *Quia,* inquit, *Adam supplantatus à Diabolo est, venenum ei effusum est super pedes: ideò lauat pedes, vt in ea parte, in quâ insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo posteà te supplantare non possit, lauat ergo pedes, vt lauet venena serpentis.* Quasi dicere vellet: pedes, id est; affectus Apostolorum ex lapsu primi Parentis labiles facti sunt, procliueséque ad malùm; ideò lauantur, ne postea ruant. Bella equidem ratio: quoniam enim impossibile est homini Christiano, vt possit omnia peccata vitare, sine auxiliante Dei gratia, vtq; semper valeat cum victoria vehementes tentationes superare, & doctrina Theologorum proclamat, defacto nullam dari gratiam, nisi ex meritis Christi; igitur rectè concludit Christus; *nisi te lauero non habebis partem mecum.* Quia sine eius speciali concursu, etiam summæ perfectionis homo, difficile est, quin corruat: immò prosus impossibile, vt virtutes Christianas toto conatu arripiat, licet in dies, in horas, in momenta exteriùs doctrinam Christi audiat. Cùm prædicatio exterior etiam ipsiusmet Christi non possit quicquam prodesse, sine interna Spiritus Sancti illuminatione, attestante id ipsamet Incarnata veritate. Ioannis 14. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero* Quasi apertiùs loqueretur: quòd homo non possit ea capere, quæ Christus sensibiliter in Euangelio enarrauit, nisi Spiritus Sanctus mentem illuminando, eundem instruat. Hinc D. Gregorius homil. 30. concludit. *Ergo,* inquit, *nemo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: nisi enim Spiritus adsit cordi, qui doceat, otiosus est sermo Doctoris.* Immò & ipse Deus non ad eruditionem homini loquitur, si non per compunctionem cordis loquatur; certè Cain corripientem se Deum audiuit: *Peccasti; quiesce.* sed quia culparum suarum voce est admonitus, non punctione spiritûs, ideo audire verbum Dei potuit, sed seruare contempsit. Quid itaque in hac lotione pedum Christus nobis commendare voluerit, scisitabimur.

In hac lotione pedum, duas potissimùm virtutes ex omnibus maximè obseruandas Saluator noster nobis commendare voluit. nimirum charitatem & humilitatem. Ita Diuus Ambr. libro 3. de Virginibus locum hunc exponit. *Didicisti,* inquit, *in Euangelio, quod lauare pedes, fidei mysterium, humilitatis insigne sit.* Verùm & ipse Saluator noster idem declarat hodiernum Euangelium concludens: *Ecce,* inquit, *exemplum dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis.* Et quid est eiusmodi, quod fecisti Christe IESV? chariras immensa: quæ æterni Patris Filium mouit ad hoc, vt cùm esset inaccessæ Maiestatis Dominus, vilissimi formam serui assumens, pro salute nostra opprobrium hominum & abiectio plebis fieri vellet. Charitas; quæ effecit, vt cùm esset naturâ Deus, immortalis & impassibilis, incarnatus tamen & habitu inuentus vt homo; velut sceleratissimus à satellitio Iudaico capi, à peruerso mundi iudicio, velut reus alicuius criminis iudicari, velut latro à diris lictoribus

Apocal. 14.

D. Ambro.

Ioan. 14.

D. Grego

A

B

C

D

flagel-

flagellari, velut Author læsæ Maiestatis, spinis coronari, deniq; velut fur, aut enormissimus Archipirata, in crucem agi pro nostra salute voluerit. Hanc ergo charitatem tibi ô homo commendat hodiè Saluator tuus, vt quemadmodùm ille fecit, & tu similiter facias.

Sed cheu miserum statum nostrum! piget nos imitari Christum, pudet sequi exempla eius, & nimiâ charitate nos amantem redamare. In quod grauiter animaduertit Redemptor noster. Apocal. 1. *Habeo*, inquit, *aduersùm te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Prima charitas est, diligere Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsum, quam S. Ioannes omni statui, omni conditioni hominum commendat. 1. Ioan. 6. *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis.* 1. Ioan. 2. Quasi diceret: hæc est prima & maxima charitas, peccatis non offendere Deum, non sequi mundi vanitatem, non trahi carnis concupiscentiâ. Quod ne vobis arduum videatur, replicate vetustissimos quosuis añales, & inuenietis plurimos in ipso ætatis flore constitutos, qui tanta Dei charitate æstuabant, vt pro amore illius se ab omnibus peccatis retraherent. Sic Isaac ex ephebis nondum egressus, Deo se obtulit in holocaustum. Genesis 22. Gen 22. Samuel trieñis, in diuino cultu mirabiliter profecit. 1. Reg. 2. n. 26. 1. Reg. 2. *Puer autem Samuel proficiebat, atq; crescebat, & placebat tàm Domino, quàm hominibus.* Paulus Eremitarum parens quindecim annos natus, in solitudinem se abdidit. Agapitus totidem annorum, innumeris pro Fide cruciatibus occubuit. Nicolaus adhuc anniculus, multò religiosiùs, quàm ille veteranus Pharisæus ieiunabat, bis in Sabbatho, & quartas & sextas Ferias à lactè abstinebat. Thomas adhuc ad vbera nutricis pendens, salutationem Angelicam, AVE MARIA præferebat ore, & corde feliciùs conseruabat. Hæc est tua prima charitas populę Dei, quàm à primis statim annis filios tuos edocere debes. Sed reliquisti eam, dùm filij tui, adolescentes, & iuuenes, quasi cum vitijs simul nati, & in vitijs enutriti, petulanter & impudenter se gerunt, ieiunia ab Ecclesijs indicta frangunt, carni & voluptatibus inhiant, nec rectum coram Domino operantur. Fuit hæc tua prima charitas quondam populę Dei, cùm puellas filias tuas, ita in Dei charitate erudiebas, vt mundi impudentia ab earum pudicitia facilè frangeretur. Talis fuit virgo illa Iustina, à qua cùm diabolus multis artibus, extorquere conaretur aliquem amoris affectum erga Cyprianum Magnum, qui illam ardenter deperibat. *Nihilominus*, inquit D. Gregorius Nazianz. *à Virgine quidem non secùs, ac bellicâ quadam machinâ, à firmo & valido muro repellitur.* D. Gregor. Nazianze. Nunc autem Virgines tuæ, neglectâ honestate & grauitate morum, oculis omnium sese vltrò præsentantes, augent in animis libidinis faces, & ad illicita desideria trahunt. Fuit hæc tua charitas populę Dei, quando viri tui, & matronæ, ne leuissimam occasionem suo prauo exemplo alijs dare vellent. Quemadmodùm ille Eleazar, qui mori potiùs voluit, quàm contra legem Dei carnes porcinas manducare. teste sacra pagina 1. Machab. 6. *Destinauit*, inquit, *non admittere illicita propter vitæ amorem.* 1. Machabæor. 6. Nunc verò recessisti ab hac prima tua charitate, dùm & viri, & fœminæ, & iuuenes, & senes, & puellæ, & adolescentes, promiscuè vetitas carnes, cibos ab Ecclesia prohibitos manducantes, omnibus scandalum, & occasionem pessimè viuendi præbent.

Disceptant SS. DD. an Heli summus ille Synagogæ Hebræorum Sacerdos, morte repentinâ sublatus, salutem æternam consecutus sit, num verò damnatus. Et aliqui SS. PP. probabiliter opinantur, non fuisse æternâ morte damnatum. Fundamentum habent: quia Heli licet esset negligens in suo officio, & auctoritate pastorali remissus; pro hoc tamen peccato videtur satis feciſſe: nam reuera grauissimas subijt pœnas, orbatus

orbatus filijs, denudatus ſacerdotio, propriâ tandem vitâ ſpoliatus. Alij tamen probabiliùs affirmant, Heli in peccato deceſſiſſe, & in æternam mortem abijſſe. Scrutemini obſecro ſcripturas, & non inuenietis aliam huius damnationis cauſam, præter ſolam negligentiam in caſtigandis filijs diſcolis. Sic docet D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 170. ad Cyrillum Alexandrinum. *Condemnationem*, inquit, *Heli pertimeſco propterea, quòd peccantes filios non caſtigauit.* Petrus Damianus tom. 3. Bibliot. Epiſt. 16. Opuſc. 6. *Quis*, ait, *Heli Sacerdotem neſciat reprobatum, & tam pro lenitate ſuâ, quàm pro liberorum effrenata licentia, diuinæ animaduerſionis ſententiâ condemnatum* Et clariſſimè pro hac ſententia ſtare videtur, D. Cæſarius Arelat. to. 2 Bibliot. 2. edit. hom. 15. *Quia*, inquit *eos*, (puta filios) *non cum grandi feritate diſtrinxit, & ipſe retrocedens de cella, fractis ceruicibus mortuus eſt, & nomen eius de libro vitæ deletum eſt.* Tandem S Ephrem cauſam eius damnationis aſſignat, aſſerens non fuiſſe illi cordi diuinum cultum, diuino zelo non tangi. Erigite hic aures Catholici mei: Heli quòd non caſtigauerit prauos filios, damnatus eſt, licet innumeras alias virtutes habuerit, minimè eum poterant iuuare, teſte D. Chryſoſth. libro 3. aduersùs vituperatores vitæ monaſticæ. *Contemptus*, inquit, *illius ſcelus inſtar fluctus tetri, & ingentes virtutes eius cunctas tranſiliuit, vniuerſaq; rectè facta ſuâ magnitudine operuit.* Quid vobiſcum fiet, qui veſtrorum filiorum, inſolenter, ne dicam impudentiſſimè viuentium prauitatem, caſtigare negligitis: qui filias veſtras ſuam virginitatem turpiter proſtituentes, non modò à tanto ſcelere non retrahitis, ſed etiam ad tantum ſcelus patrandum inducere non veremini. Heli damnatus eſt, quòd zelum Dei negligeret; & vbi maior diuini honoris negligentia, quàm inter vos. Chriſtus veſtibus ſpoliatus, nudus in cruce pependit, exemplum vobis relinquens, quomodò etiam omnibus bonis ſpoliari potiùs velle debeatis, quàm deſerere Religionis ſtudium: & ecce iam eò ventum eſt, vt negligatur honor Dei, ſpernantur diuina, deſeratur Eccleſia. Chriſtus in cruce crucifigentibus offenſam condonauit, clamans: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt* exemplum vobis relinquens, quomodò amore Dei, proximis veſtris etiam non rogantibus offenſas condonare debeatis. Deſeruiſtis hanc primam charitatem; quia pluris terrena, quàm Deum ipſum iam appretiatis, ideò excidiſtis à gratia Dei, excidiſtis à protectione Dei, excidiſtis à prouidentia eius primâ. Hanc vobis pœnam comminatus eſt Deus Apocal. 3. *Quia*, inquit, *tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Sed ecce hodiè ad priſtinam charitatem, ad priſtinam perfectionem, ad priſtinas virtutes nos reuocat. Exemplum inquit dedi vobis vt non peccetis. *Sed memento homo vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Apocal. 2.

Comendat nobis hodiè Saluator noſter & aliam virtutem, nimirum; humilitatem: quia ſe ad viliſſimum obſequium lotionis pedum ſubmittere non erubuit. Excitat igitur nos hoc ſuo exemplo ad humilitatem: quia hæc eſt virtus principalis, ſine qua difficile eſt Deo placere. Documentum euidens habemus in Publicano & Phariſæo, qui ſimul ingreſſi ſunt templum ad orationem, & tamen licet idem vtriuſq; ſtudium, idem principium, diuerſus omninò exitus. Nam vnus illorum iuſtificatus eſt, alter à diuina miſericordia reiectus; vnus gratiam affluentem obtinuit, alter grauem in ſe Dei indignationem concitauit. Quæ cauſa diſcriminis? Hæc ſola: quia vnus eorum fuit veſte virgineâ indutus, hoc eſt; virtute humilitatis, & ideo complacuit Deo: quoniam virgo hominem cum Deo ſociauit. Alter verò, nimirùm Phariſæus, muliebrem amictum induerat, hoc eſt; pallium elatæ præſumptionis, & ideo repudiatus eſt; quia hominem & Deum mulier

D. Iſidorus Peluſiota.

Petrus Damian⁹.

D Cæſari⁹ Arelat.

S. Ephrem

D. Chryſ.

Apoc. 2.

lier diuisit. Quòd verò virginalis amictus humilitati seruiat, probat Apo-
S. Paulus. stolus hac ratione : *Quia virgo ea quæ Dei sunt, cogitat : humilitas quoq; ea quæ Dei sunt, facit.* Quòd etiam præsumptioni muliebre vestimentum conueniat, concludit idem Apostolus : *quia mulier ea quæ mundi sunt cogitat ;* præsumptio quoque ea quæ mundi sunt, auidè quærit, quomodò placeat mundo. Verùm quid adeò mali Pharisæus commisit, quo iram Dei in se prouocauit : si enim se laudauit : *Decimas do omnium, ieiuno bis in Sabbatho,* verùm dixit : nam & Samuel Propheta ita se coram Israëlitis laudauit; *vos scitis quia nullius vestem concupiui, neminem oppressi.* & tamen ista collaudatio non imputatur Samueli ad peccatum ; Pharisæus verò quomodò eam ob causam culpandus? Ratio est : quia Samuel ex necessitate seipsum laudauit ; Pharisæus verò ex vanitate, iactando inanem suam gloriam, & nesciens vtrùm odio, an gratiâ dignus esset. Deo autem exosum est, dùm quis sua facta prædicat, & alios vt iniustos condemnat, iuxta illud Prouer. 21. *Abominatio est apud Deum pondus & pondus.* hoc est ; homo ille Deo est ingratus, qui conscientiam suam iniquitate grauatam non agnoscit, sed tumore ambitionis inflatus, vult alieno damno placere, ostendendo se esse meliorem cæteris. Vnde Sapiens eiusmodi hominem ad mare
Isaiæ 51. feruens comparat. Isaiæ 57. *Cor impij quasi mare feruens.* Mare feruens duo operatur ; seipsum motu purificat ; littora verò deturpat & fædat. Homo præsumptuosus pariter idem præstat.

Verùm in hodierno Euangelio, abominabilem nobis Christus proponit hunc vestitum muliebrem, videlicet ; præsumptionem, quandò suo exemplo, iubet nos profundam publicani humilitatem imitari : vt inquit, *sicut ego feci, ita & vos faciatis.* Magnam certè & inauditam humilitatem exhibet, cùm ad os nostrum descendit, vt nos pascat ; cùm nobis quotmomentaneâ suâ prouidentiâ, ad vitam sustentandam necessaria subministrat ; cùm nobis in omnibus periculis succurrit, in manibus suis nos portans, ne hostium, & mundi potentia nobis quicquam noceant, cùm pedes nostros, id est ; affectus nostros effrænes abluit, & moderatur. Igitur ne ingrati tantorum eius beneficiorum existamus, tanquam vera eius correlatiua, debemus vicissim profunda humilitate de ipso mereri, abluendo pedes ipsius lachrymis pœnitentiæ, quemadmodum eos lauabat mulier peccatrix, quæ vt misericordiam impetraret, accessit ad eum non in faciem ; neq; enim tantum habebat confidentiæ, non apprehendit manum eius ; neq; enim tantum præsumere ausa est : sed pedes tantùm amplexa & osculata est, eosdemq; lachrymis lauit, & capillos ad tergendùm exeruit : & ecce vocem miserentis audire meruit : *Mulier remittuntur tibi peccata tua.* obstupesce prodigium ! mulier procumbens ante vitam suscitatur è morte peccati : plorans ante iustitiam veniam consequitur. Fit è publica peccatrice sancta ; ex inferni face, lucerna Ecclesiæ ; ex abominabili mundo, cælo gratissima ; ex despecta, hominibus, Angelis sumè amica. Quid tàm repentinæ causa mutationis ? pœnitentia : quæ summos peccatores, quos mundus plurimis annis suis voluptatum illecebris corrumpere solet, in momento ad Deum conuertit. Nefas est Catholici mei, vos cum impurâ conscientiâ ad hoc diuinissimum epulum accedere, nisi priùs corde contrito & humili Deum vestrum placaueritis : qui enim indignè suscipiunt Sacram Eucharistiam, morte inprimis temporaria, vt plurimi à Domino Deo plectuntur. 1. Corint. 11. *Ideo,* inquit Apostolus, *multi inter vos infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quasi diceret : ideò inter vos multi periculosos morbos contrahunt, & immaturas mortes incurrunt ; quia indignè ad Eucharistiam accedunt. Quemadmodùm S. Chrysosthomus, Theophyla-
1. Cor. 11.

phylactus, Anſelmus, & multi alij interprætantur.

Quærunt rei medicæ curioſi exploratores, cur à quadrageſimali ieiunio & paſchali celebritate, frequentiores ægritudines & mortes plurimos inuadant. Et forſan nonnemo cauſam adſcriberet mutationi ciborum, tam in quantitate, quàm in qualitate, quæ ſub hoc tempus fieri ſolent. Cæterùm D. Anſelmus loco citato ad peculiarem diuinæ prouidentiæ rationem digreditur. *Adhuc*, inquit, *multi homines poſt paſcha varijs infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Redemptoris indignè ſuſceperunt.* Hinc Guillelmus Durandus Epiſcopus Nicomatenſis in rationali diuinorum officiorum lib. 6. cap. 10. refert. Peſtilentiam illam, quæ Romæ graſſata eſt tempore Pelagij Papæ, vſq; ad Gregorium Magnum, multaq; hominum millia abſumpſit, diuinitùs fuiſſe immiſſam, in pænam eorum, qui poſt quadrageſimalia ieiunia, & paſchalem communionem, ad priſtina ſcelera redierunt. Nam morte plecti debet, quiſquis Euchariſtiâ, quæ eſt vita omnium viuentium, abutitur. Sic D. Cyprianus Serm. 5. de lapſis locutus de fœmina quadam indignè cõmunicante. *Non cibum*, inquit, *ſed gladium ſibi ſumens, & velut quadam venena lethalia, palpitans & trepidans concidit: & quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit vltorem.* Violaſtis Catholici ieiunia ſacra, faſtidiendo quadrageſimales cibos, & more Iudæorum murmurando: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes.* Numeror. 11. Sed verendum vobis eſt, ne illud malum veniat ſuper vos, quod ſuper Iudæos venerat: quia acceperunt quidem quod poſtulabant, ſed ſuo malo: nam addit ibidem ſcriptura; *adhuc carnes erant in dentibus eorum; & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plagâ magnâ nimis.* Ne inquam & in vos ira Dei deſæuiat, & cùm iam carnium eſus appropinquat, vobis ſaporem adimat.

Neq; tantùm mortem temporalem meretur, qui indignè ad cœnam Chriſti accedit, ſed etiam ſpiritualem infeliciſſimè incurrere ſolet: quia tales ſunt veri Deicidæ iuxta D. Pauli ſententiam 1. Cor. 11. *Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quem locum Theodor. ſic exponit. *Hoc*, inquit, *ſignificat, quod quemadmodùm tradidit ipſum Iudas: ita eum ignominiâ & dedecore efficiunt, qui ſanctiſſimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum, & inceſtum os immittunt.* Concinit D. Chryſoſthomus hom. 6. ad populum: *Conſidera*, inquit, *quantum aduerſus proditores indignaris; & contra eos qui crucifixerunt. Itaq; conſidera, ne tu quoq; ſis reus corporis & ſanguinis Chriſti; illi ſanctiſſimum corpus iugularunt; tu verò pollutâ ſuſcipis animâ poſt tot beneficia* Quaſi dicerer: Si indignè ſuſcepiſti, non minùs tu, quàm illi Chriſtum Dominum in crucem ſuſtuliſti. Quòd ſi D. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 38. tom. 4. refert, homini qui Thomæ Apoſtolo alapam impegerat, vitam à leone ereptam, & manum à carne præciſam, mordicuſq; comprehenſam, in domum vbi Apoſtolus conuiuabatur illatam; teſtem diuinæ vltionis omnibus, qui aderant futuram. An non maius ſupplicium meretur, qui Chriſtum in Euchariſtia ſacrilego ore non tàm ſuſcipit, quàm occidit: dignus profectò qui à leone occidatur. Si enim Propheram de Iuda, panem in Samaria contra præceptum diuinum comedentem leo interfecit. 3. Regum 13. Hominem ſacram Euchariſtiam ſacrilego ore recipientem, quis neget, dignum eſſe, qui à leonibus diſcerpatur; imò & à canibus deuoretur. Sic temporibus Optati Mileuitani Hæretici quidam, qui ſacram Euchariſtiam canibus deuorandam obiecerant, à canibus diſcerpti & deuorati ſunt, canes enim obiectam Euchariſtiam venerantes, ipſos proiectores dilacerârunt & deuorârunt.

Immò quod magis horrendum, indi-

D. Anſel.

Guillelm. Durandus.

D. Cypria.

Theodor.

S. Chryſo.

S. Auguſt.

4. Reg. 13.

indignè ſuſcipientes ſacram Eucha-
riſtiam, mortem æternam ſubituros
proclamat Apoſtolus 1. Corint. 11.
1.Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium*
ſibi manducat & bibit. hoc eſt; æter-
nam damnationem: id enim ſignifi-
Ioan. 5. cat *iudicium.* Ioan. 5. *Procedent, qui*
malè egerunt in reſurrectionem iudicij.
Ad Gal. 5. Et Galat. 5. *Qui conturbat vos portabit*
iudicium. Piſtor ille Pharaonis, in-
ter ſomniandum, farinam & cibos re-
gios ſuper caput ſuum ſibi portare
Gen. 40. videbatur. Gen. 40. Sed quid ei re-
gia fercula profuerunt? qui poſt ter-
tium diem à natalitio conuiuio, quod
Pharao celebrabat, ad patibulum
damnatur. Siſara lactis poculo, ex
diuturna fatigatione refectus eſt, Iu-
dic. 4. Sed refectus & conſopitus
Iudic. 4. trabali clauo configitur. *Qui ſoporem*
morti ſocians defecit, & mortuus eſt.
Neq; potuit lactis dulcedine mortis
amaritudines declinare. Isboſeth in-
ter ſpicas triticeas, ſaturitatis & abun-
dantiæ præſagia, interfectus eſt.
2. Reg. 4. 2. Reg. 4. & vbi felicitatis indicium
habere debuit, infelicitatis præcipi-
tium ſubijt. Ne ergo & vos Catho-
lici, ad menſam æterni regis hodiè
accedendo, iram Dei in vos prouo-
cetis; redite ad priſtinam Dei chari-
tatem, & eum ſuper omnia appre-
tiando, fugite peccatum. Redite ad
primæuam humilitatem, fraudis &
omnis aſtutiæ ignaram, vt cum pu-
blicano iuſtificati, dignè regale fer-
culum, Chriſti corpus ſuſcipiatis.
Hoc conſilium vobis proponit Diuus
Auguſtinus Sermone 1. de tempore.
Mutet vitam, qui vult accipere vitam: S. Auguſt.
nam ſi non mutet vitam; ad iudicium ac-
cipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpi-
tur, quàm ſanatur, magis occiditur,
quàm viuificatur. Hoc vobis ſuadet
Chriſti exemplum, pedes ſuis Apo-
ſtolis lauantis. Pedes profectò, quos
inſtante ſolemnitate paſchali lauare
debemus, ſunt affectus noſtri, vt ex-
ponit S. Ambr. ſupra citatus. Vtiq;
hîc, non corporis, ſed animi intellge
pedes, quos cûm ieiunando macera-
mus, verè pœnitendo frenamus, Chri-
ſto lauamus pedes, vt ſupponat ma-
num ſuam fragilitati noſtræ, &
dirigat greſſus noſtros, ne
iterũ corruamus.

DIE PARASCEVES.

CONCIO PRIMA.

Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atq; inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atq; inde, non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis. *3. Reg. 10.*

Thronus Salomonis applicatur paſſioni Chriſti, & oſtenditur Chriſtum per ſex gradus ad thronum regni ſui peruenisſe.

SAlomonem filium Dauidis, typum & figuram noſtri Saluatoris præceſſiſſe, vel ex ipſis ſacris literis, facilè vnuſquiſque conijcere poteſt: hunc enim titulum ipſi adſtruit Sacra pagina Matth. 12. n. 42. *Ecce pluſquàm Salomon hic.* Nam quid- Matt. 12.
quid in præclaris operibus Salomonis Regis admirari licet, id totum,

in actionibus noui istius Salomonis Christi, impletum est. Salomon duo significat: primò, pacificũ; ad monstrandum quippè futurum regnum pacificum, puer hic Salomon vocatus est, iuxta promissionem Dauidi factam. 1. Paralip. 22. *Filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum; & ob hanc causam pacificus vocabitur; & pacem, & otium dabo.* Ergonè pacificus Princeps tantum valet, vt aduersùs illum hostes ne mutire quidem audeant? Nonne ad hostes cohibendos, regnumq; sedandum, bellicosus princeps aptior est, qui bellis, armisq; omnia conterat, & quiescere cogat? Minimè sanè: à nullo quippè meliùs, quàm à pacifico Principe, hostes comprimi & cohiberi possunt, ne turbationem faciant. Hinc Matt. 6. dicebat Dominus: *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Et cur obsecro pacifici singulariter filij Dei? Quoniam pacifici tanti Patris Dei virtutem, & efficaciam referunt, in cohibendis propulsandisq; aduersarijs, teste D. Nysseno orat. 7. de Beatitud. vbi dicit: *Quinam sunt mihi pacifici? imitatores humanitatis diuinæ, qui id, quod proprium diuinæ efficientiæ est, in sua vita ostendunt. Tollit & ad nihil redigit Deus, quidquid extra naturam boni, & à bono alienum est. Hoc etiam tibi præscribit opus, & officium, ejicere odium, finire bellum, abolere inuidiam, exterminare pugnam.* Quòd ergò proprium est diuinæ efficientiæ, hoc in viris pacificis, quasi in veris Dei filijs singularissimè appareret, quòd pugnas exterminent, & bella finiant, nec permittant ab vllo pacis fœdera confringi. Præterea Salomon significat, amabilem Domino, eò quòd à Domino diligeretur. 2. Reg. 12. *Misit manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius amabilis Domino, eò, quòd diligeret eum Dominus.* Et cui magis hæc duo significata conueniunt, quàm Redemptori nostro? qui tanquàm quietissimus, & pacificus Princeps, venit in mundum, vt hominem rebellem cum Deo offenso pacificaret. Qui summè amabilis à Patre æterno, in monte Thabor proclamatus est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Matthæi 17. Rex fuit Salomon vnius populi; Christus quoq; Rex, Regum & Dominus dominantium. Bethsabeæ matri Salomonis, iuramento se obstrinxerat Dauid, quòd post fata eius, nemo in Israël regnaturus esset, præter Salomonem. 3. Reg. 1. *Iurauit Rex & ait: viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quia sicut iurauit tibi per Dominum Deum Israël, dicens: Salomon Filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me, sic faciam hodiè.* Ita Deus Pater, iurauit Virgini MARIÆ, quòd solium regni eius, non alius conscensurus esset, nisi Christus Psal. 131. *Iurauit Dominus veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quam promissionem confirmauit per Angelum Lucæ 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis* Salomon mulæ insidens, regni gubernacula, & possessionem adijt, 3. Reg. 1. *Imponite Salomonem filium meum, super mulam meam, & ducite eum in Gibon, & vngat ibi eum Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israël.* Christus autem super mulæ matre sedens, regnum suum ingressus est. Matth. 21. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum.* Salomoni regni sceptra suscipienti, cum ingenti plausu populi acclamatum est: *Viuat Rex Salomon.* 3. Reg. 1. Christo autem Hierosolymam cũ triumphali pompâ ingredienti, à præeunte & subsequente turbâ acclamatum est. *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Matt. 21. Quod magis adhuc die hodiernâ comprobatur, vniuerso concilio Iudæorum vociferante: *Aue Rex Iudæorum.* Salomon inauguratus in Regem, templum magnificum, orbis miraculum, post quadringentesimum, & octogesimum annum egressionis de Ægypto, ad honorem Dei ædificauit, in quo vniuersus populus Deum sibi propitium expe-

1. Paralip. 22.
Matt. 6.
Nyssenus.
Salomon amabilem significat.
1. Reg. 12.
Matt. 17.
Dauid Bethsabeæ iurauit pro Salomone.
Psal. 131.
Lucæ 1.
3. Reg. 1.
Matt. 21.
3. Reg. 1.
Matt. 21.

experiretur; Christus parirer cœleſte ædificium conſtruxit, nimirùm Eccleſiam ſanctam Catholicam, contra quam & portæ inferi non præualebunt. Salomon poſt templum abſolutum, eiuſq; cultum & ornatum perfectum, in quo iuuante Deo ſeptem annos poſuit, Regiæ ſtructuram, in qua fabricandâ tredecim annos inſumpſit, aggreſſus eſt. In hac thronum de ebore grandem poſuit, auro puriſſimo vndequaque adornatum. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis.* Quid loquar de throno Chriſti, id eſt; de cruce ſanctâ? ab hoc throno Chriſtus Regnum ſuum auſpicatus eſt: *Dicite in nationibus: quia Dominus regnauit à ligno.* De hoc throno vaticinatus eſt Iſaias cap. 9. n. 6. *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Ne verò dubitetis, omnes illos ſplendores & pulchritudines, quæ erant in throno Salomonis, in ligno quoq; crucis Chriſti inueniri, rem claris documentis cognoſcite. Thronum Salomonis affirmat Sacra pagina de ebore factum fuiſſe, *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem.* Ebur, ſi naturaliſtis credimus, corruptibilitati minimè obnoxium cenſetur, & quid obſecro firmius, ac diuturnius cruce ſanctâ poteſt cogitari? hæc à nulla comprehenſibilem creaturâ, Deum incarnatum ſuſcepit, & quem cœli cœlorum capere non poterant, thronus totius corporis eius facta eſt, vt inde eius poteſtas toti mundo innoteſceret, iuxta illud: *cuius imperium ſuper humerum eius.* Thronus Salomonis vndique auro fuit adornatus, crux pariter Redemptoris noſtri, plena eſt auro, ſcilicet charitate Dei, in cuius comparatione aurum, viliſſimi luti ſpeciem præſefert. In medio throni Salomonis, poſitum erat ſedile, quòd ex vtraq; parte, duæ manus tenebant: *& duæ manus hinc atq; inde tenentes ſedile.* 3. Reg. 10. Siue vt habetur 2. Paralip. 9. *Duo altrinſecus brachiola*, quibus ſedentis Regis brachia nitebantur. Erat enim ſuprema throni pars ſella, quæ duo prætendebat brachiola, patula & aperta, vt ſeſſurum exciperent. Quo ſignificabatur ipſe Princeps, qui brachijs apertis debet eſſe, vt excipiat, & amplectatur omnes venientes ad eius tribunal. Quid aliud erat crux ſancta, niſi ſedile Saluatoris noſtri, in quo conſedit, vt vniuerſum mundum iudicet. Quod eleganter expoſuit Sanctus Chryſoſthomus Serm. de feria 5. Paſſionis, inquiens: *Conuenite Chriſtiana gentes, concurrite fideliſſimæ nationes; Dominus enim Rex noſter, non in patibulum, ſed in tribunal crucis aſcendit, expandit ecce manus, & alas extenſas aperuit, vt nos ex omni orbe congregaret.* Expendite accuratius illa verba, non in patibulum, ſed in tribunal crucis aſcendit: expandit ecce manus. Quibus euidenter oſtenditur, crucem ſanctam, non patibulum pœnæ, ſed tribunal cœleſtis illius Principis eſſe: quod nimirùm in illa Rex noſter, IESVS Chriſtus expanſas manus, & aperta brachia habeat, vt excipiat vniuerſos. Hoc eſt regaliſſimi throni ſymbolum, hæc præſtantiſſimi Principis oſtenſio, quòd nulli ſe neget, ſed grato omnes excipiat amplexu. Hoc ſedile vtrinq; tenebant duæ manus: ecce duæ manus Chriſti, cruci acutiſſimis clauis affixæ, ecce duæ manus verè amantis Magdalenæ, quæ crucem ſanctam amplexa, à lachrymis ſibi temperare non poteſt. Pergit vlteriùs ſcriptura ſacra, aſſerens duos leones ponere vtramq; manum, ſedile illud Salomonis tenentem aſtitiſſe: *& duo leones ſtabant, iuxta manus ſingulas.* Et cur duo leones adiunguntur illis manibus, ſedile tenentibus? vtique pro conſeruatione paradiſi non leones, ſed Cherubim poſitum legimus: vtique pro purificatione Iſaiæ nouimus deſcendiſſe Seraphim: vtiq; ſingulis hominibus, ſingulos datos eſſe Angelos, qui eos cuſtodiant à primo inſtanti conceptionis, Theologia ſacra docet? Duabus autem manibus ſedile Regium tenentibus, cur non adſtant Angeli, vel Seraphim, aut Cherubim, ſed duo leones. Reſpondent

Salomon ſeptem annis templum ædificabat, Regiam verò tredecim annis.

Iſaiæ 9.

3. Reg. 10.

2. Paralip. 9.

S. Chryſo.

dent aliqui per illud sedile, in throno Salomonis positum, adumbratam fuisse Virginem MARIAM, quod deducunt ex ea ratione: quia sicut thronus Salomonis fuit de ebore factus. LXX autem vertunt: *de elephantinis dentibus*: qui sunt candidissimi; ita & Virgo MARIA; ex ore Altissimi prodiuit. Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Quasi diceret: Non eo modo, quo filij Adam concipiuntur, ex visceribus maternis, sed quomodò candidissima quæq; ex ore diuino veniunt, sic ego prodiui. Vnde S. Ambrosius per istos duos leones, intelligit Deum Patrem, & eius Filium, qui immediatè pro ipsius conceptione voluerunt excubare, vt illam immaculatam conseruarent. Non mirùm itaque, quòd ad custodiendum paradisum destinatus est Cherubim; quia illum non custodiuit; nisi post peccatum in eo peractum, nec Seraphim purificauit labia Isaiæ, nisi quæ antea polluta erant; nec Angeli vllius hominis custodiam suscipiunt, qui priùs non fuerit serpentis infectus halitu. At verò conceptio MARIÆ, quæ sine labe peccati fieri debuit, non Cherubinis, nec Seraphinis, aut Angelis, sed summo Patri & Filio competebat. Nihilominùs verior mihi videtur sententia, per illud sedile in throno Salomonis, intelligi corpus Christi, cruci sanctæ appensum, cuius manibus astant duo leones, hoc est latrones, quorum vnus blasphemabat IESVM innocentem: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.* Matt. 27. Summitas throni Salomonici erat rotunda in parte posteriori, figuram præferendo immensæ Dei misericordiæ, quæ in vniuersum orbem, cuius rotunda figura est, abundè diffunditur. Quod emphaticè locutus est Apostolus, Matt. 6. *Solem suum facit oriri super bonos, & malos.* Quia sicut Sol paratus est, ad vniuersos fouendos, & à nullo radios suos diuertit, sed potiùs expansis radijs omnes excipit, ita bonitas Saluatoris nostri nescit mensuram. *Ipse enim præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimum præbet, omnium deniq; necessitati, amplissimo quodam miseretur affectu.* Præstantiam throni Salomonici, super omnia mundi opera effert Sacra pagina: *Non est,* inquit *factum tale opus in vniuersis regnis.* At verò crucem Redemptoris nostri, etiam fulgentissimo Soli anteponit B. Andreas: *ô crux splendidior Sole.* In hoc igitur throno noui Salomonis, Christi Domini, omnia illa ornamenta incomparabili modo reperiuntur. Salomon thronum regni sui ascendebat per sex gradus, inter duodecim leunculos. *Et duodecim leunculi, stantes super sex gradus hinc atq; inde.* Saluator noster thronum regni sui, crucem sanctam, per asperos satis gradus, inter sæuissimos leones hodiè conscendit pariter, ita vt Patrem æternum inclamet: *De ore leonis libera me Domine.* Psal. 21. ℣. 22. Quod adhuc magis expressit Psal. 34. ℣. 17. *Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.* Quare incalescite Catholici mei eius charitate, qui pro vobis hodiè ignominiosè, à colluuie Judaicâ tractari spontè elegit, vt vos ab æternâ ignominiâ eliberet. Inflammemini eius deuotione, qui totus sanguineo sudore in horto perfusus, coram viris sanguinum sistitur, vt ad vltimam sui sanguinis guttam, toto corpore nondùm anteactis temporibus auditâ simili tyrannide, cruentetur, vulneretur, laceretur. Erigite aures, auscultate, & videte iam sex asperos gradus, per quos Saluator noster ducitur ad crucem sanctam, in Regem omnium creaturarum inaugurandus. Tu verò ô bone IESV os meum tange flammâ charitatis tuæ, sicut quondam labia Isaiæ Prophetæ, igne de altari sublato inflammasti, vt Auditorum animos somno grauatos, ad piam tuæ passionis contemplationem, & deuotam compassionē excitare valeam. Concede, non tàm verba; quàm potiùs lachrymas, vt in hac populi tui frequentiâ, pium affectum & amaram

Eccl. 24.

Matt. 27.

3. Reg. 10.

Psal. 21.

contri-

contritionem, ad deplorandam funeſtam tuam mortem, commouere poſſim, quòd omnes in genua procumbentes ſuppliciter exoramus.

Primus gradus paſſionis Chriſti in horto.

Primum gradum in horto Gethſemani ponit S Euangeliſta, Ioan. 18. *Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus: in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius.* Benè equidem, Chriſtus non ab alio gradu ſuam paſſionem inchoat, niſi ab horto, vt medicina morbo proportionetur. In horto voluptatis, Deus poſuerat primum hominem, vt ibi rectè operando, & mandata Dei cuſtodiendo, ſalutem æternã promereretur: ſed mox ab infernali ſerpente, inuido ſalutis humanæ hoſte, fraude circumuentus, vehementiſſimiſq; tentationib⁹ impetitus, ab illo felicitatis culmine detruſus, & æternæ damnationis reus factus eſt. *Eiecitq; eum Dominus ex paradiſo.* Proinde tàm grauis lapſus, non ampliùs ab homine ſubleuandus exigebat, vt ſecundus homo, Chriſtus IESVS, humani generis reparationem, ab horto inciperet operari. vt vnde mors egreſſa eſt, inde vita reſurgeret. Eheu, quantæ aſperitatis gradus hic! in quo vehementiſſimus pauor, & triſtitia cor Chriſti occupârunt, Marci 14. *Capit pauere, & tædere.* S. autem Matthæus dicit: *cæpit contriſtari & mæſtus eſſe.* Matthæi 26. oſtendens, eò mœrorem & anxietatem proceſſiſſe, vt ſanguinem è venis eius extorſerit: *Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Lucæ 22. Vultiſne ſcire Catholici, quid cauſæ tantæ anxietatis? Auſcultate: vidit Saluator noſter, in hoc primo gradu, duos ferociſſimos leones; parte ab vna Patrem æternum irâ percitum, & peccatis hominum ſummè offenſum; ab altera verò mortem crucis, cum omnibus cruciatibus, quàm Hieroſolymis paſſur⁹ erat. Nam ex mente SS. Patrum, eò tempore, quo Dominus IESVS ſuper terram proſtratus orabat, futura mors atrociſſima, ſtetit ante oculos eius, tanquàm leo furibundus, ſimulq; exquiſitiſſima tormenta, cum omnibus opprobrijs, ludibrijs, ſubſannationibus, deſpectibus, & alijs innumeris contumelijs. Quæ omnia ita dura erant, vt Chriſtus eorum acerbitatem indicare volens, Patrem æternum, in ipſa ſuæ paſſionis nocte oraret: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Mat. 26. ℣. 29. Maldonatus verò exponit: *Paſſio & mors iſta terribilis.* Quid eſt æterne Pater, cur mortẽ, quæ ſe miris modis Filio tuo incarnato terribilem repræſentat, ab illo non aufers? Cur orantem non exaudis? quaſi tibi poſſibile non ſit, calicem hunc ab illo transferre? Abſit: poſſibile quidem, ſed neq; voluntati Patris, atq; Filij, neq; iuſtitiæ diuinæ, ac bonitati erga nos propenſæ, conſentaneum. Quod ingeniosè tetigit Paſchaſius. lib. 12. in Matth. *Impoſſibilitas*, inquit, *iſta de iuſtitia venit, & bonitate Dei, quia ſic eſt omnipotens, vt & iuſtus ſit, & bonus, & miſericors: & ideò quantum ad vtramq; naturam ſpectat, impoſſibile erat, vt nos bonitate ſuâ, ſuaq; iuſtitiâ, & miſericordiâ ſaluaret, quos creauerat.* In quibus verbis, vt Deum ad omnimodam miſericordiam faciendam, & veniã nobis dandam, ſeſe inflectentem oſtenderet, eius iuſtitiam aduocauit. *Sic eſt*, inquit, *omnipotens, vt & iuſtus ſit, ac bonus.* Sed quomodò obſecro rationem ſubiunxit illam: *Impoſſibile erat, vt nos ſuâ iuſtitiâ ſaluaret*: cùm manifeſtè hæc ratio, antecedentibus verbis videatur repugnare. Saluare enim pietatis, miſericordiæ, ac bonitatis eſt; iuſtitia verò vnicuiq; ius ſuum tribuendum reſpicit. Si ergò Deus ſaluat, pietate ſaluat, & ſi iuſtus eſt, non miſericordiam, ſed ius tribuit. Verùm vt video, ſubſiſtit ratio Paſchaſij: *impoſſibile erat, ne nos ſuâ iuſtitiâ ſaluaret, quos creârat.* Vbi ſalutem, & redemptionis noſtræ totum beneficium, ad iuſtitiam & ſtrictum ius quodammodò reuocat: oſtendens; quòd Deus nos ante decretum ſalutis noſtræ remedium creaſſet, & quæ eius bonitas, ac perpetuus geminandi ſua beneficia mos eſt, in ipſo creationis beneficio ſyngrapham, ſeu

Gen. 3.

Marci 14.

Matt. 26.

Lucæ 22.

Sanguinei ſudoris Chriſti in horto quæ cauſa.

Matt. 26.

Maldonat.

Paſchaſius

cautio-

cautionem, ad opem ferendam, & obtinendam nobis dederit. Duo proindè simul ad Patrem æternum pulsabant, Dei Filius positus in agoniâ, prolixè orans: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste:* & homo simul peccator, vt Deus sibi opem ferret, ex creationis beneficio, ac velut ex syngrapha iure agebat, vt Deus saluaret, quem crearât. & sic exorando, ne à Christo passionis eius calix transiret. vt argutè respondet Tertull. de homine tunc pulsante ianuam æterni Patris, in hunc modum differens. *Itaq; ad eum pulsat, ad quem ius illi erat, cuius ianuam norat, quem habere panes sciebat.*

Tertullia.

Mouebit forsan non neminem hæc ratio, si homo eatenùs ad Dei ianuam iure pulsat, quatenùs ex priori creationis beneficio, ad noua dona percipienda, Dei syngraphan, atq; cautionem habet, cur non potiùs Christus æq; ad Patrem pulsans exaudiatur? cum multò maiora ab ipso beneficia acceperit, ac proinde fortius ius ad alia promerenda habeat? Equidem si homo iuri creaturæ, filij, amici, siue dilecti, qui diuinis aliquandò donis fuerit ornatus, innititur, ne Christi calix ab illo transeat. Christus autem iure naturalis Filij, viuæ imaginis, dilectissimi, & eius in quo, non qualiacunq; dona, sed ipsimet thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei permanent, cùm Patre æterno agit? Quâ ergo ratione? quo iure? dùm vterque & homo peccator, & Christus pulsat. Pater potiùs pro adoptiuo filio, & transumpta imagine, quàm pro naturali sententiam fert? Ne miremini? magno id iure dispositum & peractum est. Nam & Christi iure, & iure hominis, ad vnam & eandem rem simul concurrentibus, prudenter trutinari debuit, vtrum eorum antiquius, & vetustius esset, ac pro maiori antiquitate sententiandum: iuxta comune prouerbium, qui tempore prior, iure quoq; potior est. Cùm itaque prius anteriusq; hominis ius fuerit, vtpote ante Christum creati: non enim homo propter Christum, sed Christus propter hominem, vt habetur in Symbolo Apostolorum: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.* Idcircò æternus Pater, bonitate ac iustitiâ suâ sic efflagitante, homini salutem suam ex cautione exposcenti, & sese à prima creatione, velut creditorem exhibenti, ius suum tanquàm anteriori creditori reddidit. *Proprio autem filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* Rom. 8. Præterea, quia tàm Patris, quàm Filij voluntati, non conueniebat, vt calix ille acerbæ passionis à Christo remoueretur, quia Christus non absolutè eius remotionem postulauit; sed in quantum paternæ voluntati placeret: Vnde in illa sua oratione addit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quibus verbis duæ in Christo exprimebantur voluntates, altera diuina, altera humana. Quæ igitur erat humana, & quasi ab infirmitate oriebatur, potestatem Dei respiciebat, & id petebat, quo Dei potestas splendesceret, dicens: *Si possibile est, transeat.* At verò voluntas eius diuina, dimissâ potestate, id solùm attendebat, quod conducibilius videbatur, vt homines saluarentur. vt enim infirmitatis humanæ est, omnia potestatis velle; sic diuinæ virtutis est, potestatem suam absolutam obliuiscì, vt ad hominibus conuenientia condescendat. Ita censet D. Leo Ser. 5. de Passione. *Vt*, inquit, *susceptionis, susceptæq; naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis, diuinam desiderauit potentiam; quod erat Dei, ad causam respexit humanam.* Proindè Dei Filius, in illa sua vehementi oratione, solùm petijt, vt eius prompta voluntas, ad redimendum genus humanum, Patri æterno accepta esset, cùm optimè sciret, ita ab æterno dispositum fuisse, vt in eius sanguine peccata mundi abluerentur. Hanc veritatem sufficienter inde colligo, cùm Petrus nefarios satellites, in Christum irruen-

Rom. 8.

Christus remotionem calicis sub conditione postulauit.

S. Leo.

ruentes, ferro animosè exciperet, ac repellere conaretur, mitissimâ eum oratione Dominus reprehendens, dicebat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum.* Ioan. 18. Quasi diceret: suauissimum poculum, quo me Pater meus, singulari beneuolentiâ reficere, ac recreare dignatur, è manibus siue è labris meis extorquere vis. Quî obsecro hæc subsistere possunt? antea Christus calicem passionis, terribilem & acerbitatè plenum, transire à seipso optabat; nunc verò Petrum increpat, quòd eundem calicem, velut suauissimum poculum, sibi à Patre oblatum, impedire velit. Non mirum: quia Christus, iuxta paternæ voluntatis manifestationem, quâ ad obediendum reddebatur promptissimus, quod priùs acerbum & horribile videbatur, post Patris cognitam voluntatem, suaue & iucundum nominauit. Ita exponit Maldonatus in c. 26. Matt. *Loquitur quidem*, ait, *Christus, vtrobiq; de morte suâ, eamq; calicem appellat, sed in oratione antequàm Patris sententiam audiret, calicem, id est, rem difficilem & horribilem appellabat; nunc Patris cognita voluntate, eandem mortem, calicem, id est, rem sibi iucundissimam appellat; nihil enim non dulce, nihil non suaue est obedientia.*

Ioan. 18.

Maldonat.

Et quid te Christe IESV eò perduxit, vt tàm acerbam & terribilem mortem sponte subire velles? amor certè immensus: in tantum enim genus humanum dilexisti, vt parum tibi fuerit, in similitudinem nostræ mortalitatis, mortale corpus assumere; nisi etiam pro nobis, qui mortem æternam promeruimus, ad acerbam mortem te vltrò offerres. Primus parens noster, in pœnam delicti commissi, ad sudores damnatus erat: *in sudore vultus tui vescêris pane.* Gen. 3. Dominus autem noster IESVS Christus, sponsorem se pro homine Deo Patri obstringens, sanguineo sudore totum corpus suum perfundit. *Factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram.* Lucæ 22. Ecquis vnquàm tantum sensit dolorem in mundo, vt ex eius corpõre sanguineum sudorem elicere posset? nunc cognosco ô bone IESV, quia in humeris tuis portas omnia onera naturæ nostræ. nunc cognosco, quia super te posuit Dominus iniquitates omnium nostrum, vt præ graui earum pondere, sanguineo sudore totus perfusus, nimium fatigeris. Nunc cognosco, corpus tuum sacratissimum, meritò nubibus comparari. Isaiæ 19. ℣. 1. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem.* Quemadmodùm enim nubes matutinæ, arescentem præ nimio æstu terram, rore copioso irrigant, & fœcundam reddunt; ita hodierna die, de corpore tuo ô bone IESV, sanguineus sudor guttatim fluens, aridam naturæ nostræ terram fœcundat. Nunc agnosco ô bone IESV, te iuremeritò vocatum esse florem lilij campestris: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Flores habent hoc, quòd aheno impositi. & ab igne incalescentes, aquam pretiosam fundant, curandis omnibus morbis efficacem: ecce hodiè de corpore Domini IESV, flu t vbertim sanguineus sudor, ad medendum peccatis mundi efficacissimus. Hic est ille flos, quem vidit Ezechiel, lineis vestitum, prunas ignis, quas eius manus capere poterat desumentem, & in terram ad conflagrandos homines effundentem, Ezechiel 10. *Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis: ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem.* Ecce totus igne amoris succensus, effundit ignem, vt corda nostra charitate eius inardescant, & fructibus iustitiæ repleantur. Flores delicatum odorem spirant, ecce Christus in horto, verus flos campi, & lilium conuallium, omnium florũ odores complectitur, vt nos facilius ad se alliciat. Ad quod seriò nos hortatur D. Ambr. Ser. 14. in Psal. 118. *Carpe*, inquit, *nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis; carpe lilium, in quo est splendor æternitatis: carpe rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem.*

Gen. 3.

Lucæ 22.

Isaiæ 19.

Christus quare flos dictus.

Ezech. 10.

S. Ambro.

Canes venatici ab inuestigandis feris florum odore impediuntur.

Ferunt Naturalistæ, canes venaticos, dùm leporem insequuntur, si in floridum pratum incidant, statim resilire, & in vestigio hærere, nec vlteriùs velle persequi fugientem. Eò, quòd scilicet florum odore, odoris prædæ obruatur. Vnde hoc odore orbati, & illo capti, à cursu refrænantur. Ecce pratum odoriferum, vbi totus Christus maximis angoribus contritus, suauissimum odorem exhalat, vt huius suauitate odoris, ad contemplandam eius passionem, corda vestra rapiantur. Considerate B quæso, cuius gratiâ Christus in horto orat, cuius causâ pauet, & contristatur. Propter vestra scelera, propter vestram salutem, totus in sudoribus, totus in amaritudine. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Matthæi 26. Conijcite hanc tristitiam, nonnisi de nostris damnis, iacturis, atque peccatis Christo inesse. Non enim ob propriam passionem, & mortem, quæ iam iam instat, sed potiùs ob grauissima peccantium crimina, & pœnas in posterum luendas, C tanto dolore discruciatur, teste Diuo Ambro. lib. 10. in Lucam. *Tristis*, inquit, *erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegij pœnas daturos, & ideò dixit: Transfer calicem hunc à me: non quia Deus, Dei Filius, mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat.* Sic quondam idem pijssimus Saluator, Lazarum suscitaturus, & lachrymas fudisse, & infremuisse spiritu dicitur, Ioan. 11. ℣. 33. *Infremuit Spiritu, & turbauit semetipsum* & ℣. 35. *& lachrymatus est Iesus.* Quor- D sùm oro tunc flebat, quorsùm infremebat, cùm potiùs Lazari suscitatio, egregiæ benignitatis opus, & bene merendi ac exultandi occasio esset. Equidem, vt ostenderet, eundem se cum Patre Spiritum habere, qui sua beneficia copiosè, & sine mensurâ elargitur, vt notat S. Cyprianus supra citatum scripturæ locum: *Profluens*, inquit, *largitor Spiritu, nullis finibus premitur, nec cœrcentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur, manat iugiter, & exuberat affluenter.*

Matt. 26.

S. Ambro.

Ioan. 11.

S. Cypria.

A Flebat igitur & fremebat Christus spiritu, quòd spiritum & vitam, immensasq; bonitatis suæ diuitias, non omninò effunderet, sed ad mensuram vni tantùm impertiret. Quemadmodùm notat Chrysologus Ser. 64. his verbis: *Fremit spiritu, & totâ se eommotione viscerum conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat.* Ita pariter hodiè conturbatur vehementer, & sanguineo perfunditur sudore, quòd multos in suis sceleribus obstinatos videat, quibus suam passionem non profuturam agnoscit. Moueat vos Catholici mei tanta Christi perturbatio, vestri causâ facta, & conturbemini, recogitando grauissima vestra facinora, atque ad eius clementiam festinando. Moueat vos eius pauor, vt quem nunc velut agnum mansuetum, ad mortem crucis euntem videtis, seuerum iudicem futurum, ante tempus expauescatis, conscientias vestras ab omnibus peccatorum maculis emundando. Moueat C sanguineus eius sudor, & lachrymas pœnitentiæ de contrito corde eliciat, vt iam procedentem vlteriùs pio affectu sequi possitis.

Chrysolo.

Consurgit Iesvs de primo gradu, alterum conscendens, & discipulos suos alloquens: *Surgite eamus hinc, ecce appropinquat, qui me tradet.* Matt. 26. Quid agis bone Iesv, cur in apertum discrimen profilis? ecce securis ad radicem posita est? ecce ludas quasi leo furibundus gradum hunc occupauit, graues & periculosas tibi struens insidias? subsiste ergo paulisper, & de agoniâ, in quâ prolixus orasti, lassatas vires aliquantum refice, ne præ debilitate corruas. De leone ferunt Naturalistæ, quòd vngues dùm incedit, nunquàm ostentet, sed illos retrahat veluti in vaginas, partim ne hebetentur, partim ne aliæ feræ eum pertimescentes, fugiant. Ita planè Iudas proditor hodiè procedit cum Christo, qui Caimi astutiam imitatus, fratrem suum Abelem sub specie deambulationis, & iucundæ recreationis, ad campos inui-

Matt. 26.

Secundus Christi passionis gradus.

Leo incedens vngues occultat.

Gen. 4. inuitantis, Gen. 4. *Dixitq; Caim ad Abel fratrem ſuum : egrediamur foras. Cumq; eſſent in agro, conſurrexit Caim aduersùs fratrem ſuum & interfecit eum.* ſub ſpecie amicitiæ Chriſtum ad mortem quærit. Ita enim impius de Chriſti in humanum genus bonitate; atq; charitate inurbanè ſenſit, ita malignè præſumpſit, quaſi ille inuitus, & non potiùs per proprios pedes, ad mortem iturus eſſet, vt firmiſſimis ſponſionis, atq; pacti conuenti vinculis, eius traditionem perficere ſtuduerit. Lucæ 22. *Et abijt,* Lucæ 22. *& locutus eſt cum principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus, quemadmodùm illum traderet eis; & gauiſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare, & ſpopondit.* Videte, quantâ curâ Juris ciuilis ſolemnitatem obſeruauerit? quàm ſecuris hinc inde ſponſionibus, contractum perfecerit? quâm ſtrictè Dominum, pro cuius ille ſanguine ſpondebat, ad mortem obligatum inuoluerit? Audite ſubinde, quid nefarijs ſatellitibus, dûm Chriſtum apprehenſum irent, dixerit? *Quemcunq; oſculatus* Marci. 14 *fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.* Marci 14. Impiè & demens Iuda, qui amoris ſigno inuitum tèneri vis, dementior, qui cautè, ne elabatur, eum ducendum admones, à quo non ita pridem audieras : *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor, vſq; dùm perficiatur.* S. autem Irenæus legit : S. Irenæus. *& valde propero ad illud.* Quibus verbis manifeſtè indicauit Chriſtus, tâm ſibi in votis atq; delicijs mortem eſſe, tamq; à ſuamet bonitate, & deſiderio ad eam conſtrictum ſe eſſe, vt nimis iam ſibi anguſtum corporis, venarumq; domicilium proprio ſanguine videretur, proinde non ſecùs, atq; ea, quæ arctantur, & in anguſtum rediguntur, exitum anxiè & percupidè peroptare. *Valde*, inquit, *propero ad illud.* Quaſi diceret : non lento, ſed concitato gradu pergo; non ambulo, ſed propero, & curro. Quid igitur perfide Iuda, ſtimulos & calcaria admouere conaris? O peccatum irremiſſibile, ſeu veniâ indignum! ô blaſphemiam in Spiritum Sanctum.

A Sacrificium agni mandabatur Iſraëlitis, vt ab Angelo vaſtatore protegerentur, qui inter ipſas Ægyptiorum ſtrages, animaduertens Iſraëlitarum familias, agni ſacrificio munitas, non audebat illas attingere. Ecce quod nec Angelus, nec diabolus, ad vnicam agni vmbram audebat, hoc Iudas audet in Chriſtum, cuius ſacrificio, tanquàm agni immaculati, in vltima cæna interfuit, quem vt traderet, *oſculatus eſt eum.* Matt. 26. Matt. 26.

B Quærunt hic non pauci, quomodò Iudas auſus fuerit Chriſtum oſculari, & Magiſtrum vocare, dicendo : *Aue Rabbi*, & ſalutare hominem, quem perdebat ob pretium viliſſimum; & reſpondent hoc eum feciſſe ob reuerentiam. Sic cenſet Origenes hom. 35. in Matthæum. *Si cau ſam*, ait, *quærat aliquis, cur oſculo Iudas tradidit Ieſum, hanc dabimus rationem. Quoniam ſecundùm quoſdam, voluit reuerentiam quandam ad magiſtrum ſeruare, non audens manifeſtè in eum irruere.* Quaſi diuina prouidentia, non C potuiſſet etiam in perditiſſimo proditore, aliqualem reuerentiam ſui generare. Quid putatis, quantum hæc ſimulata amicitia, cor innocentiſſimi IESV ferijt? vt meritò ad necem viliſſimo pretio, immaniſſimis hoſtibus ab hoc improbo diſcipulo diuenditus, non de ingratitudine, non deſceleris immanitate, non de vilitate pretij, non de ipsâ immaniſſimâ morte conquereretur; ſed ad ſolam ſimulationem, quâ ſub pacis atq; oſculi ſigno, traditionem Iudas D perfecit, quaſi admirans, & inhorrens, ingemuit. *Iuda, oſculo Filium hominis tradis.* Lucæ 22. Quaſi diceret, vt exponit Paſchaſius lib. 11 in Matth. *Non qualitercunq;, ſed oſculo me tradis quod eſt ſignum amoris, & indicium veræ dilectionis. Pignus offers veræ pacis, ſed vulnus infigis, ac venenum ſerpentis.* Acerbior enim præ omnibus eſt, hic tradendi modus, & propterea odio maiori dignus, teſte S. Ambr. lib. 10. in cap. 22. Lucæ. *Quaſi*, inquit, *amantis affectu corripiat proditorem, dicit : Iuda oſculo Filium hominis tradis.*

Iudas ob reuerentiã Chriſtum oſculatus eſt.

Origenes.

Lucæ 22.

S. Paſchaſ.

S. Ambro.

tradis. hoc est, amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio, sanguinem fundis? & pacis instrumento, mortem irrogas. Quod magis adhuc perstringit in Psal. 39. inquiens: *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo, quod sacræ pacis insigne est? osculo, quo amicitia fida firmatur? osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes.* Videte Dominum ac Redemptorem nostrũ, plus simulatione, quàm vi incensum? sed quid mirum, cùm Iudas fuerit domesticus, è numero discipulorum Christi. Pati ab externo durum est, sed à domestico durissimum. Sic olim Julius Cæsar, cùm teste Tranquillo in eius vitâ, cap. 82. videret in Senatu, multos districtis pugionibus in se vnum irruentes, & inter eos M. Brutum, qui eius filius credebatur, emphaticè cum illo expostulauit, his verbis: *Etiam tu fili.* Quasi non de externorum, sed de vnius filij iniuriâ quereretur. Hinc illa Dauidis conquestio: *Cor.* inquit, *meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Psalmo 37. ℣. 11. Vnde hæc tàm acerba exinanitio, vt non solùm se à corde, & à virtute; sed etiam à diuina prouidentiâ, quodammodò destitutum lamentetur? nam per lumen oculorum suorum, diuinam prouidentiam Theodoretus interpretatur. Attendite ad verba, quæ sequuntur: *Amici mei, & proximi mei, aduersùm me appropinquauerunt, & steterunt, & qui iuxta me erant, de longè steterunt.* Quasi diceret: ex amicis meis, quidam mihi fuerunt exitio, alij verò præsidio esse noluerunt. Quemadmodùm ergò deficiente animâ, tabescit corpus; ita deficientibus amicis, qui sunt instar animæ, mirum non est, si totus homo extabescat. Quantò magis, si viderit amicum suum hostilia sibi machinantem. Multa ab inimicis Rex Dauid patiebatur; ea tamen omnia æquo animo pertulit. At verò cùm videret Achitofelem Gilonitem consiliarium tuum, se ad Absalonem transferentem, 2. Reg. 15. ℣. 12. *accersiuit quoq; Absolon Achitofelem Gilonitem consiliarium Dauid.* Summo cum dolore ingemuit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; : tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Quasi diceret, vt exponit Theodoretus. *Ea, quæ ab inimicis fiunt, toleranda, & ferenda censemus : omnium molestissimum mihi videtur, virum familiarem, & concordem, meum sodalem, & conuictorem factum, & diuinarum, & humanarum rerum mecum conscium, res inimicas & hostiles facere.* Ita planè, Christus Dominus, pati voluit non solùm à gentibus, sed etiam à Iudæis, vt amarior esset eius passio; quàm non solùm ignotæ gentium manus, sed etiam cognatæ Iudæorum intulissent. At verò futuram ingrati discipuli proditionem spectans, tristem se exhibuit, ac turbarum. *Turbatus est spiritu, & dixit: Amen amen dico vobis quia vnus ex vobis tradet me.* Ioan. 13. ℣. 21. Quia multò durius illi videbatur supplantari à domestico, quam necari ab externis teste S. Cyrillo Alexandr. lib. 9. in Ioan. *Adeò*, inquit, *molestè ferebat scelera illius, qui cùm eius panem manducaret, calcaneum contra ipsum eleuauit.* Hinc illa Christi de proditione Iudæ querela: *Homo pacis meæ, in quo speraui, magnificauit super me supplantationem.* Quia molestius est ab amico etiam leuiter tangi; quàm ab inimico grauiter vulnerari.

Sed liceat mihi paulisper tecum Christe IESV disceptare, cùm probè nosses Iudam fore tuum proditorem, cur illum elegisti, & in tuam societatem cooptasti? Ideò, censent aliqui, vt faciliùs reliquos discipulos, in humilitatis studio contineret, vt nimirùm, videntes Iudam ex pari secum statu corruisse, eandem sibi ruinam formidarent, formidantesq; ab omni statu se auerterent, & in humilitatis studio custodirent. Aliqui putant, Christum Dominum ideò Iudam in suum collegium adsciuisse, vt nobis patientiæ exemplum præberet. Sic censet D. Ambr. lib. 5. in cap.

Pſal. 37.

Ibidem.

2. Reg. 16.

Ioan. 13.

S. Cyrillus

Chriſtus Iudam proditorẽ elegit.

S. Ambro. in cap. 6. Lucæ. *Eligitur*, inquit, *Iudas, non per imprudentiam, ſed per prouidentiam.* Quænam autē fuerit iſthæc prouidentia, reſpondet ibidem his verbis: *Voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, vt tu, ſi à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras tuum erraſſe iudicium, perÿſſe beneficium.* Quaſi diceret: parum fuit Chriſto Dño, præbere nobis exemplum patientiæ, in veris inimicis ſuſtinendis; niſi etiam præberet & in falſis amicis tolerandis. Cùm enim hoc poſterius patientiæ exemplum, ſit longè maximum, non debuit in maximo patientiæ præceptore deſiderari. Hinc Tertullianus lib. de patientia c. 3. poſtquàm laudauit Chriſti Domini patientiam, in ſuſtinendo Diabolo tentante, eoq; à ſe non verberibus, ſed verbis tantùm repellendo, ſtatim maiorem eius patientiam commendat in ſuſtinendo Iudâ, eoq; non ſupplicijs, ſed blanditijs, tractando, ſubdit. Tertullia. *Parum*, inquit, *hoc, ſi non etiam proditorem ſuum ſecum habuit, nec conſtanter denotauit.* Ac ſi diceret: patiens fuit Chriſtus in ſuſtinendo diabolo, patientior in ſuſtinendo Iudâ, quia faciliùs eſt ferre oppugnantem inimicum; quàm amicum inſidiantem. Illa tamen mihi præ omnibus videtur optima ratio, Chriſtum Dominum, ſuam in ſocietatem Iudam proditorem cooptaſſe, & inter amicos poſuiſſe, quem inimicum fore præſciebat, vt domeſticus hoſtis, ſuæ ſanctitatis oculatus foret teſtis, eamq; apud Principes Sacerdotum palam teſtaretur, dicens: Matt. 27. *peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Matthæi 27. ℣. 4. Nemo enim niſi demens, de inimici teſtimonio dubitandum iudicare potuit. Sic cenſet D. Ambroſius lib. 5. in Lucam, docens, ideò Iudam Apoſtolico Collegio adſcriptum eſſe: S. Ambro. *Vt ſciremus*, inquit, *quanta ſit veritas, quam nec aduerſarius miniſter infirmat.*

Quid profuit tantum beneficium Iudæ proditori, à Chriſto præſtitum? videte, factus Iudas proditor Apoſtolus, diſcipulorum Chriſti ſocius, A menſæ eius particeps, pecuniarum diſpenſator, ad cœnam deniq; corporis & ſanguinis Chriſti admiſſus, ſummum in Chriſtum odium concepit. *Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, recalcitrauit, dereliquit Deum* Deut. 32. *factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Deutor. 32. ℣. 15. Potuitne iam atrocius quid Chriſto accidere? minimè ſanè: Grauius hæc ingratitudo Iudæ proditoris, cor Chriſti pupugit, quàm omnes alij cruciatus, opprobria & illuſiones. Quod ſic B deduco, mirum eſt, quòd S. Iob in illa ſua malorum Iliade, nullam de inimicis ediderit querimoniam; qui tamen de amicis acerbiſſimas excitauit. Abegerant eius boues Sabæi, abſtinuit à querelis. Depeculati fuerant eius camelos Chaldæi, querulas in voces contra illos non erupit. Totum eius corpus diabolus exulcerauerat, nullum retorſit verbum, contra hoſtem tàm diras plagas imponentem. Quid tandem? Adfuere amici, non tàm, vt conſolarentur; C quàm potiùs vt calumniarentur. ecce tibi totus Iob in querimonias exarſit. *Vſquequò affligitis animam meam,* Iob 19. *& atteritis in ſermonibus.* Iob 19. ℣. 2. Quid eſt hoc rectiſſime Iob, ſingulare patientiæ exemplar? Maiorem tibi concitant bilem amicorum verba, quàm inimicorum tela? Ita ſanè: quia conuitia, à quibus iure amicitiæ ſperare poteras ſolatia, ſunt iacula, quæ non hærent foris in corporibus, ſed intùs in animis infigunt. Vnde Origenes ad hunc locum D in Catenâ Græcâ: *Iobus*, inquit, *fortiſſimus athletarum, in cuius libro nihil ita eminet, vt fortitudo, vt patientia; labores tamen ſentit, quos ex eorum duro ſermone, qui ad eum viſendi causâ venerant, hauriebat.* Origenes. Quaſi diceret: Iobus, qui ad iacula inimicorum callum obduxerat, ad amicorum iurgia delicatiſſimum doloris ſenſum præferebat: magis enim his, quàm illis pungebatur. vt ingeniosè aduertit D. Chryſoſth. homil. 15. in Matth. *Iob*, inquit, *omni lapide, & adamante* S. Chryſoſt. *olerantior, cùm quidem patrimonium amit-*

amitteret, malaq; innumera sustineret, cumq; subitò numerosâ sobole esset orbatus, cùm quasi fontem quendam, vermium to to videret corpore bullientem, supraq; hæc vxorem sibi molestiùs imminentem, perfacilè cuncta superauit. vbi verò exprobrare sibi amicos, atq; insultare sibi vidit, & malignam illam de se existimationem fouere, & dicere, quod talia propter peccata pateretur, ac malitiæ suæ solueret vltionem, tunc demum, vtiq; turbatus est ille vir maximus, ille fortissimus. Quid loquar de Sarâ, filiâ Raguelis, vxore Tobiæ iunioris, grauiter vexatâ à diabolo. Septem illi viros, quibus antea fuerat desponsata, crudelis ille spiritus interfecerat. Tobiæ 3. ℣. 8. *tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus, occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam.* Neq; tamen legitur Sara, tot funerum iniurijs commota lachrymasse, aut ingemuisse. At verò cùm audiret illud graue improperium, ab vna ex ancillis suis: *Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.* Ibidem ℣. 9. Deus bone, quantas hæc vna contumelia tragædias excitauit? Adeó turbata erat ad illam vocem Sara, vt perrexerit, *in superius cubiculum domus suæ.* LXX verò addunt: *vt suffocaretur.* hoc est, vt vitam laqueo finiret. Multi enim, vt notat D Chrysosthomus homil. 15. in Matth. *ad laqueum conuolârunt, famæ opprobria non ferentes.* Et licet à laqueo abstinuerit Sara, nihilominùs tamen, tres integros dies lachrymando, ieiunando, & orando, procul ab omnium consortio permansit. Quid cauiæ? Sara tot plagas dæmonis non sensit, & vnius ancillæ voculâ commouetur? certè hoc vnicum: quia ab illo externo hoste, nonnisi exitia; ab hac autem domesticâ ancillâ, nonnisi obsequia sperabat. Vnde cùm pro obsequio conuitium accepit, durius, quàm exitium iudicauit.

Saræ septem viri à dæmonio interfecti. Tobiæ 3. LXX.

Hinc Salomon docet, amicorum rixas, facilè tranquillari posse, dummodò conuitium non interfuerit: *Ad amicum, inquit, etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus: si aperueris os triste, non timeas, est enim concordatio? excepto conuitio, & improperio.* Eccl. 22. Ostendens ita molestum esse inter amicos, familiaresq; conuitium, vt illo vno, amicitiæ non solùm dissoluantur ad tempus, sed etiam in æternùm rescindantur. Ad quod pulchrè allusit Diuus Chrysosth. proximè citatus illis verbis: *Nescio,* inquit, *quomodò omnibus rebus, amariùs solent mordere maledicta* Statimque rationem reddit: *quia alia pericula tolerantem, multorum præconia consolantur; in maledictionibus verò, etiam consolatio ipsa subducitur.* Quod respiciens Michæas Propheta, vt Iudæorum statum exprimeret, non excidia ab externis inferenda, sed dissidia inter domesticos excitanda lamentabatur. *Filius,* inquit, *contumeliam facit Patri, & filia consurgit aduersùs matrem suam, nurus aduersùs socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Michææ 7. Palam faciens, omnia infortunia in eam vrbem aut Rempublicam irruere, in qua domestica dissidia regnant. Sic Isaias post innumeras ab externis gentibus calamitates, populo in discordijs viuenti, tandem minitatur exremam perniciem à domesticis euenturam. *Erit,* inquit, *populus, quasi esca ignis: vir fratri suo non parcet, vnusquisq; carnem brachij sui vorabit. Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, simul ipsi contra Iudam.* Isaiæ 9. O rem mirabilem, & incredibilem! exclamat super hunc locum Cyrillus Alexandrinus. *Non,* inquit, *sibi ipsis comparcent, ex impotenti videlicet insania. Proruptâ enim semel & desperata audaciâ freti, ad omnia turpissima acerrimè, & quasi iuueniliter prorediuntur.* Quia nimirum hæc vna est extrema calamitatum linea, ad quam possit Reipublicæ status deuenire, cùm fratres in fratres, & domestici in seipsos, per odia ac dissidia concitantur. Conuertite nunc oculos in IESVM innocentissimum, considerate in eius passione tot addita, ac superinducta, imò coaceruata supplicia, cum vel quiuis moriendi

Michææ 7. Isaiæ 9. Cyrillus Alexandr. S. Chryso. Eccl. 24.

riendi modus, & quæuis gutta ſanguinis, ad humanum genus redimendum, ſatis ſuperq; fuerit: & admiremini inſolitum in tot pœnis atque cruciatibus à Chriſto cuſtoditum ſilentium. *Ita, vt miraretur præſes vehementer.* Matt. 27. Pulchrè hac de re differit Chryſologus Serm. 23. *Tacet*, inquit, *qui volens patitur, clamat, qui laniatur inuitus.* Quaſi diceret: ideò Dominus noſter in medijs cruciatibus, vſque ad iudicis admirationem tacuit, vt decenti gaudio ſe plenum eſſe, & ſpontaneo animo, opprobria atq; ſupplicia pro delicijs habere, manifeſtè oſtenderet. Qua de re Tertullian. lib. de patientiâ cap. 3. ita differit: *Taceo quod figitur; in hoc enim venerat; nunquid tamen ſubeundæ morti, etiam contumelijs opus fuerat: ſed ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat; deſpuitur, verberatur, irridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* Premite verba hæc: *ſaginari volebat*: quaſi cruciatus atque ſupplicia, pro noſtra ſalute perferenda, non ſecùs, ac rem omnium gratiſſimam, iucundiſſimam, & velut delicatiſſimum cibum ad ſe reficiendum, & ſaginandum ipſe ſumeret. Sic enucleat Cyrillus Alexandr. lib. 10. in Ioannem cap. 21. *Homo*, inquit, *factus, vnigenitus Dei Filius, abſq; peccato omnia ſuſtinuit, quæ Iudæorum excogitare peruicacia potuit: nec vnquàm ſputis dedecoratus, verbis deriſus, verberibus cæſus, & tandem patibulo affixus, vllo mœrore affectus fuit, ſed decenti ſemper ipſe gaudio plenus (qui voluntatem Patris conſummari videbat, & homines hinc ſalutem habituros non ignorabat) illa opprobria, delicias ſibi eſſe putabat.* At verò proditionem Iudæ, ita moleſtè tulit, vt eum verbis aſperiùs obiurgaret. *Iuda oſculo Filium hominis tradis.* Oſtendens nihil in vniuerſo mundo, ita crudele potuiſſe inueniri, quod magis Chriſtum exacerbaret; quàm doloſum Iudæ oſculum.

Matt. 27. S. Chryſol. Tertullia Cyrillus Alexandr.

Quærite ſi placet, ex ipſis rerum naturalium prudentiſſimis indagatoribus, ad quid oſculum natura excogitauit? & facilè deprehendetis, quia ad conteſtandam mutuam amicitiã, ac beneuolentiam. Nam hæc conſuetudo, obuios amicos beneuolentiæ causâ deoſculandi, viguit olim inprimis inter Ethnicos, teſte Xenophonte lib. 1. Herodot. lib. 1. Deindè apud Hebræos, vt habetur Geneſis 27. *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi.* Exodi 4. n. 27. Vbi Aaron miſſus in occurſum Moyſi, oſculum ei dediſſe fertur: *Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & oſculatus eſt eum.* 1. Reg. 20. Vbi Ionathas & Dauid mutuis ſe amplexibus oſculati referuntur: *& oſculantes ſe alterutrum fleuerunt pariter.* Tandem poſtea inter naſcentis Eccleſiæ Chriſtianos, vt docent S. Dionyſius Areopag. lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 5. Origenes homil. 1. in Cantica. & clarè id patet ex D. Paulo ad Roman. 16. *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* Imò oſculum, non ſolùm eſt ſignum amicitiæ, ſed etiam participatio ſpiritus: dùm enim boni amici oſculum ſibi tradunt, tunc animam ſibi quodammodò communicant. Hinc illa veterum conſuetudo, vt moribundi dilectos filios & amicos ad ſe accerſerent, vt per oſculum ſpiritum ſuum de corpore exeuntem, in illos transferrent. Cùm autem hoc naturali modo fieri non poſſet, ſiquidem non datur tranſmigratio animarum, de vno corpore in aliud; proinde rerum parens natura, excogitauit ſecretum oſculi, quo mediante, ſpiritum ſibi communicant. Nunc ergò conijcite, quantis doloribus Iudas affecit Chriſtum, doloſum oſculum ei tradens, cùm non ſpiritum ſuum, qui longè alienus erat à Chriſto, ſed diabolum, hoc ſimulatæ amicitiæ ſigno, ei communicare vellet: Quia vt docet Euangeliſta, introiuerat in eum Sathanas, quo maior inimicus Chriſti non datur. Maledictus profectò, qui hoc beneuolentiæ ſigno foris vtitur, & maleuolentiæ venenum intus occultat, vt cum proditore Iuda, IESVM excruciet. Quod deplorat D. Chryſoſthomus de compunctione cordis, loquens de oſculo pacis: *Vereor,*

Conſuetudo oſculi antiquiſſima. Exodi 4. 1. Reg. 20. Rom. 16. Per oſculũ anima communicatur.

S. Chryſo. *Vereor*, inquit, *ne fortè plures ex nobis, labijs hoc tantummodò faciant, cùm Chriſtus pacem non ex ore, ſed ex corde deſideret, & affectu velit proximum, non ex labijs ſalutari.* Agnoſcè ergò ô anima fidelis, doloſum Iudæ oſculum, ſuper omnes cruciatus, & opprobria, cor Domini IESV tranſuerberaſſe. Vide quòd Iudas proditor oſculetur caſtiſſima IESV labia, ad æternam ſuam confuſionem, hoc vnicum intendens, vt maledictis ſuis labijs, illum ſplendorem, illam pulchritudinem, in quam deſiderant Angeli proſpicere, de facie IESV abſtergat, & deformem ac odibilem reddat. Et nihilominùs amore tui ô anima fidelis, ſpontè patientiſſimus IESVS, faciem ſuam proditori inclinat, non arguens, ſed amicum vocans. *Amice ad quid veniſti?* Circa quæ verba Theophylactus: *Iudam*, inquit, *amicum vocat, inceſſans illum & blandiens.* Ecce blandimenta verborum, in ore IESV aduersùs proditorem proferuntur. Sed quid mirum: ſemper enim ſapientiſſimus Dominus noſter, ad has verborum blanditias confugere ſolet, tanquàm ſpicula contra nequiſſimos homines. O pie IESV, quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, vt lachrymis meis vbertim profluentibus, maculas de fœdo Iudæ proditoris ore, in puriſſima tua facie relictas, detergere poſſim: qui in hoc ſecundo gradu, tàm amara ab ingrato diſcipulo paſſus es. Necdum ſatis, ſed antequàm ad tertium gradum progrediaris, adhuc tibi alter ſæuus leo occurrit, qui te de manibus ſceleſti Iudæ rapit, & vinctum in Hieruſalem ſine vllo reſpectu, per torrentes, per ſaxa, trahit. Vultis ſcire quiſnam ſit? audite S. Euangeliſtam.

Ioan. 18. *Tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum.* Ioan. 18. Et quis obſecro valuit ità diuiniſſimi IESV manus ligare, & nectere, vt non extendat manum ad benefaciendum? Sola certè obſtinata hominum corda, & incòêrcibilis malitia. Sic reſpondet S. Leo Serm. 18. in Paſſione. *Comprehendi ſe à perſecutoribus patitur, qui continet mundum, & eorum manibus nectitur, quorum corde non capitur.* Comprehenditur ergò, & ligatur ab illis. *Quorum cordè non capitur:* vbi enim IESVS in corde hominis non eſt, ibi ſic ligatur & nectitur, vt minimè ad benefaciendum extendat manum. Prò infelicitatem hominis, qui non curat IESVM in corde ſuo tenere, is enim nullum beneficium, ad ſalutem æternam conducens, recipit à Deo, iuxta doctrinam D. Pauli ad Galat. 4. *Miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba pater.* Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. En quantum beneficium, vt hominibus Deus daret, & adoptionem, & libertatem filiorum, hoc medio efficaciſſimo vſus eſt, nimirùm miſit in corda ipſorum ſpiritum Chriſti filij ſui. Non enim aliter quidpiam à Deo recipere poſſumus, niſi in cordibus noſtris Chriſtum habeamus. Vnde dicit S. Athanaſius oratione contra Arianos. *Certe in quorum cordibus non eſt filius, horum Pater Deus nominari non poteſt.* Damnata ergò malitia militum, innocentiſſimas Chriſti manus ligauit, ſpontè eas porrigentis, vt hoc ſuo inſigni contemptu, inſolentiam primi parentis, manus contra legem Dei ad vetitum in paradiſo fructum extendentis, à pœna æterna eliberet. Quomodò bone IESV non metuis, ne ex hac graui ignominiâ, tua exiſtimatio in opinione mundi periclitari incipiat. Si enim Alexander Magnus ſagittâ ſauciatus in bello, non permiſit ſeipſum ligari, quò faciliùs & ſagitta ſine periculo vitæ extraheretur, & vulneris ſalutem reciperet: reſpondens: *non decet vinciri regem.* Quomodò tu cùm ſis Rex Regum, & Dominus dominantium, à nefarijs lictoribus ligari pateris? Quomodò ſacratiſſimum illud tuum corpus, quod virgineæ manus pannis molliter inuoluebant, nunc funibus & fereis compedibus ſtringi non vereris: Ne miremini: *Sic enim oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.*

S. Leo. Galat. 4. Homo ſine Chriſto nihil à Deo accipit. S. Athan. Chriſti manus ob inſolentiã primi hominis ligatæ ſunt. Lucæ 24.

Lucæ 24.

Lucæ 24. Non alijs mihi credite gradibus, niſi per opprobria & cruciatus, ad thronum regni ſui conſcendere voluit.

Tertius gradus Chriſti paſſionis domus Caiphæ.

Siſtitur iam ab inſolente militum cohorte, in tertio gradu, nimirùm in domo Caiphæ Pontificis: *at illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, vbi ſcribæ & ſeniores conuenerunt.* Matt. 26. O bone IESV, ergonè à domo Principis Sacerdotum, à domo Pontificis, vbi etiam reis confugientibus, omnimoda ſecuritas conceditur, tuum iudicium incipit? Quod enim à viliſſimâ militum turbâ, minùs dignè tractatus ſis, non mirum: genus enim hoc improbum, nemini honorem deferre, ſed vnumquemq; iniuriare aſſueuit. Verùm quòd Principes in tuam perditionem conſpiraſſe audiam, obſtupeſco, & prorſus exanimis hæreo. *Principes autem Sacerdotum, & omne concilium, quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum.* Vnde meritò plangit, & exclamat S. Bernardus Ser. 1. in conuerſione Pauli. *Heu, heu Domine Deus: quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere Principatum.* Accedunt falſi teſtes, duo præſtantiſſima Chriſti attributa volentes deſtruere, nimirùm iuſtitiã dùm eum iniuſtum aſſerunt: *prohibet,* inquiunt, *tributa dare Cæſari:* & potentiam, quaſi impoſſibile exiſtimantes, vt templum deſtructum in triduo reædificare poſſet: quoniam dixerat. *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud:* & conſequenter volebant illum ſpoliare ipſamet diuinitate; qui enim à Deo aufert bonitatem, ſapientiam, potentiam, tollit Deum, cùm Deus ſit ipſamet ſua bonitas, ſapientia, potentia. Recurrite oro ad centricum punctum, & ſeriò indagate, vndenam iſtæ prauæ lineæ deducantur? vnde falſi teſtes contra Chriſtum? & facilè deprehendetis, quia à Principibus. Hoc colligo ex D. Hieronymo, qui verba illa Pſal. 54. n. 12. *Aſcendit ſuper maros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniuſtitia:* ita legit: *peruerſitas ſiue prauitas in medio eius.* Vbi Principis iniquitatem, cum puncto centrico, à quo omnes lineæ deriuantur, componit: eò, quòd eius peruerſitas atq; prauitas, omnium iniquitatum in ſubditis, cauſa & origo ſit; nam vt ſcitè dixit Horatius:

Falſa regula prima
Omnia mendosè fieri, & diſtorta neceſſe eſt.

Palam inferens, nullum vitijs obſeratum eſſe oſtium, omnem virtuti ac pietati intercluſum aditum; & in ea vrbe, aut Republica, vitia & peccata, inſtar Senatorum, atque illuſtrium ciuium, quietam & pacatam vitam in publicis plateis agere, in qua malus Princeps dominatur. Pulchrè id notauit Paſchaſius his verbis: *Miſer populus, cuius rincipes iniqui ſunt, & quorum ſeniores peruerſi, quia multi falſi teſtes in eorum nunquàm deſunt concilijs; nam Princeps, qui libenter audit mendacia, omnes miniſtros habebit impios.* Huc facit imago illa, arboris proceræ magnitudinis, ſubter quam omnia animantia, & belluæ habitabant, quæ Nabuchodonoſori Regi per ſomnium oſtenſa fuit. Cùm vt & ſemetipſum, & aulicos ſuos contemplaretur, ac velut de facie noſceret, videre ſibi videbatur ingentem ac robuſtam arborem, cui denſa foliorum luxuries, magnaq; baccarum vbertas eſſet, & quæ ita patulis explicaretur ramis, vt tum in ipſis omnes penè volucres, nõ modò modulari, & cantillare, ſed nidos etiam ſuos commodè poſſent conſtruere: Tum etiã variæ belluæ opportunum perfugium haberent Daniel. 4. n. 18. En aulam Nabuchodonoſoris impij Regis graphicè depictam: Fructus eius fuit quercicus, Auctore D. Hieronymo: aut ſylueſtris alterius arboris, vt cenſet Maldonatus, belluarum palato, hoc eſt, ijs qui terrena ſapiunt, accommodatus. Quid in belluis, niſi omne vitiorum, ſeu vitioſorum hominum genus, adumbratum fuit? Bellua quippè rapax, auaritia eſt; bellua turpis & fæda, libido eſt; bellua immanis, ira eſt, crudelitas eſt; bellua

Paſchaſius

Arbor Nabuchodonoſori Regi in ſomnis oſtenſa.

Per belluas vitia ſignificantur.

bellua ſubdola, ſimulatio eſt; bellua belluarum, ſuperbia eſt. Quid in volucribus, niſi innatæ aulicorum proprietates, adulatio, garrulitas, mendacia, conficta verba, & quò tandem omnia ipſorum vota eunt, ambitio. Sic exponit Nicolaus de Lyra: *Per volucres*, inquit, *intelliguntur garruli, & mendaces, ad alia tendentes, quia tales ſolent eſſe Principibus laterales* Tales fuêre in aula Nabuchodonoſoris: etenim improbi illi homines, ſeu potiùs belluæ, adulatores, ambitioſi, rapaces, omniq; vitiorum lue infecti, eius fructibus, id eſt, exemplis victitantes, & animati, animi ſui conceptus & partus, flagitia & crimina edebant.

Lyranus

Adulatores & ambitioſi Principibus grati.

Dùm conſidero ægritudinem, quâ ad mortem ægrotabat Ezechias 4. Reg. 20. *In diebus illis ægrotauit Ezechias, vſq; ad mortem.* S. Cyrillus Alexandrinus, ſæuum vlcus & peſſimum, alij lethalem morbum appellant. Chaldæus Paraphraſtes lepram, aut ſcabiem. Regia Biblia inflammationem. Quid cauſæ, quòd lethalis morbus, lepra dicatur? quid enim lentæ ægritudini, & citiſſimæ morti? Equidem vt innuatur, quamcunq; ægritudinem Regiam, lepram eſſe, hoc eſt, contagioſum malum, quod ſubditos ſimul inficiat, atque corrumpat. Nam vt dicit S. Bernardus: *Si quis de populo deuiat, ſolus perit; verùm Principis error multos inuoluit, & tantis obeſt, quantis præeſt ipſe.* Rege igitur leprâ infecto, & inter ſubditos degente, omnes ſimul leproſi, atq; corrupti eſſe cenſentur, cùm regia ægritudo in ſubditos peſtis inſtar graſſetur. Appoſitè id Diuus Chryſoſth. homil. 33. in Epiſt. ad Hebræos tangit, vbi cùm ad comendationem Principatus dixiſſet, non aliter populo, ſine Principe euenire; quàm Choro ſine Coryphæo, phalangi ſine duce, naui ſine nauclero; gregi ſine paſtore. Poſtmodum tamẽ ſubijcit, grauius multò eſſe malum, quandò ipſe Princeps malus exiſtit. Licet enim hoc vtrumq; malum ſit, & exitioſum; tamen inter hæc duo

4. Reg. 20.

S. Bernard.

A mala, illud diſcrimen intereſt, quòd vt ſine gubernatore nauis, ſine paſtore grex, homo ſine Principe, feratur vt velit, at fortè fortuna ad caulam grex, ad portum nauis illa applicuerit; ſubditus verò à prauo Principe ductus, in certum interitum, cui vlla vix remedij ſpes ſubſit, ruit. Sic docet S. Chryſoſt. *Ille quidem* ait, *(qui ſine gubernatore ſibi eſt relictus) ſaluatus eſt ſæpenumerò, plerumq; etiam in periculis decidit. Iſte autem modis omnibus periculà ſubiturus eſt, dùm ad foueas, &* B *ruinas impellitur.*

S. Chryſo.

Nec procul abeſt Salomon, veritatem hanc plurimùm confirmans, Prouerb. 25. n. 5. *Auſer iniquitatem à vultu Regis, & iuſtitiâ firmabitur thronus eius.* Et cur potius in vultu, & non in manibus, quibus iniquitas hærere videtur. Iob 31. *Si manibus meis adhæſit macula*, Regis impietatem conſiderauit Salomon? Num forſan ideò: quod priuatorum errata, velut maculæ in corpore; Regum verò in facie, vbi magis conſpicuæ, & inuiſæ ſunt, conſiderentur. Ita quidem cenſet Plutarchus, in Præcept. Politic. loquens: *Quomodò enim in facie lentigo, & verrucæ magis ſunt, quam notæ mutilationes, & cicatrices, reliqui corporis odioſæ; ſic exigua peccata, quandò apparent in Principum & Politicorum vitijs, magna propter exiſtimationem, quam de Magiſtratu ac Republicâ habet vulgus, vt de re magnificâ, quæ omni vacare vitio, & delicto debeat, videntur.* Sed crediderim potiùs eam ob cauſam, quòd Salomon ſubditos in fa- D cie Regis, tanquàm in ſpeculo ſe intuentes, & ad eius nutus ſe componentes conſideraret: hinc enim eſt ipſos pro facie Principis, facies ſuas ſumere, & ſpeculo infecto, maculas ſibi etiam haurire. Et ideò addidit: *Iuſtitiâ firmabitur thronus eius.* Quoniam ex Regis iniquitate, ſubditi omnes iniqui, thronuſq; Regius inſtabilis, & exitio obnoxius maneat. teſte Seneca Thragæd. in Thyeſte auctore.

Iob 31.

Plutarch.

Regum vitia ſubditis perniciosa.

Vbi non eſt pudor,
Nec cura iuris, ſanctitas, fides, pietas,
Inſtabile Regnum eſt.

Sic

Sic quia omnes Hieroſolymæ Principes erant peruerſi, quærentes falſum teſtimonium contra IESVM, eandem peruerſitatem totus populus abijſdem traxit, falſis teſtimonijs Chriſtum impetens. *Hunc*, inquiunt, *inuenimus ſubuertentem legem noſtram, & probibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe, & Filium Dei ſe facit.* Lucæ 23. ergone ille legem veſtram ſubuertit, ô pleni diabolica rabie ludæi! qui legem Dei venit adimplere, qui nil magis docuit, quàm legis obſeruantiam? ergonè per hoc deliquit, quia ſe Dei Filium, & Regem nominauit? An non Dei Filius, qui de Spiritu Sancto conceptus eſt: qui à Patre luminum ante omnem æternitatem proceſſit? Deus de Deo, lumen de lumine. An non Rex, in cuius manu poteſtas, & imperium. Audi ſcelerata gens D. Auguſtinum tract. 116. in Ioannem: *Vtrumq́*, ait, *verum eſt, & vnigenitus Dei Filius eſt, & Rex ab eo conſtitutus, ſuper Sion montem ſanctum eius, & vtrumq́ nunc demonſtraret, niſi quantò erat potentior, tantò mallet eſſe patientior.* Summa igitur patientia erat in cauſa, quòd IESVS tunc, non ſe Regem & Deum aduersùs tot blaterones monſtraret: quantò enim erat potentior, tantò malebat eſſe patientior: quia neceſſum erat, ſupra poteſtatem humanam & Angelicam, vires oſtendere in patiendo, qui ſub tanta occaſione, præſtantiam ſuam, & diuinam & regiam, prorsùs latere vellet. Quod admiratur Tertull. lib. de patient. *Naſci*, inquit, *ſe Deus in vtero patitur matris, & expectat, natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci.* Et quis tamdiu ſui manifeſta opera cohiberet? quis inter tot conuitia ſileret? niſi Deus eſſet, aut Dei Spiritu plenus. Ait Iſaias cap. 42. *Dedi Spiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferre. Non clamabit, non accipiet perſonam, non audietur vox eius foris.* Sanctus autem Matthæus legit cap. 12. *Non contendet, neq́ clamabit, neq́ audiet aliquis in plateis vocem eius.* Fuerat equidem IESVS, & dux, & Iudex, gentium conſtitutus, & quid inde? An ad ſcelerum conſpectum clamoribus, rixis, minis, implebant forum? An reis obiurgatis, ſuam poteſtatem promebat? Abſit hoc ab innocentiſſimo IESV: Moyſes ita faciebat, qui dux & protector populi ſui factus, nullâ in occaſione ſuam poteſtatem non promebat, ſiue Ægyptum interficiens, ſiue Iſraëlitas monens, ſiue abigens à puellis Madianitis paſtores, IESVS autem in medio calumniatorum conſtitutus, inter falſos teſtes poſitus, tanto premitur ſilentio, vt nullam proferat vocem: quia Deus Pater in eo ſpiritum ſuum, cum tota patientia collocauit.

Vbi non ſuccedunt falſa teſtimonia, vtpotè non conuenientia ipſiſmet teſtibus, conſcendit Chriſtus quartum throni ſui gradum, vbi videt, ab vna Pontificis oſtiariâ, Petrum ad peierandum impelli. *Accenſo autem igne in medio atrij, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cùm vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier non noui illum.* Lucæ 22. Obſtupeſcite? Ille Petrus, qui auditâ à Domino IESV, ſuæ negationis prophetiâ: *antequàm gallus cantet ter me negabis*, promittebat ſe futurum ab omni negatione alienum: *etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Matt. 26. Ille Petrus, qui in horto armatas cohortes non exhorruit, ſed euaginato gladio imperterritus, in medias phalanges proſiliens, auriculam ſeruo Pontificis amputauit: hodiè ita imbellis, ita timidus ac impotens factus eſt, vt Magiſtrum ſuum ad vnius ancillulæ vocem abneget: *neſcio quid dicis: non noui illum.* Excuſet hic quantum vult D. Ambroſius, pro felicis ſui lenitate ingenij, & generoſâ indole, inſigniq; pietate in Petrum, hanc eius negationem, qui lib. 10. in Lucam ſingulis eius negationis verbis, ſanum ſenſum reddere conatur. Aſſerens, dùm prima vice interrogatus, reſpon-

Quartus gradus Chriſti paſſionis eſt negatio Petri.

Lucæ 22.

Matt. 26.

Petrus defenditur à peccato negans Chriſtum.

Matt. 26. respondit : *non noui illum* Matth. 26. de perfectâ diuinitatis notitiâ intelligendum esse, quam nemo in hac vita habere potest, inquiens : S. Ambro. *Temerarium quippè erat, vt diceret, quia nouerat eum, quem mens humana non potest comprehendere.* Deinde, cùm an ex discipulis eius esset interrogatus, affirmauit : Ioan. 18. *Non sum.* Ioan. 18. ad sui potiùs, quàm Christi negationem spectare : *Maluit*, inquit, *videlicet se negare, quàm Christum.* Tandem cùm tertio interrogatus dixit : Matt. 26. *Nescio quid dicas.* Matt. 26. eum Iudæorum sacrilegia respexisse : quasi diceret : nescio vestra sacrilegia. Excusat D. Hilarius asserens, quòd Petrus negans se Christum nosse hominem, solam eius humanitatem negauerit ; non autem diuinitatem, cùm dicit Canone 32. S. Hilarius *Et verò propè iam sine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium primus agnouerat.* Quia ipsemet Christus non eum excusat, vt concludit supra citatus D. Bernardus. S. Bernard. *Nos*, inquit, *excusamus, Dominus ipse non excusauit, Non enim satis est inuoluta responsio confitentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba inuoluere, si videre vis denegasse.* Et profectò cùm Christus ex vtraq; naturâ, diuinâ & humana constet, non minùs lædit nostræ salutis mysterium, qui eum hominem, quàm qui Deum inficitur. S. Leo. *Paris periculi malum est*, (inquit Leo Pontifex Ser. 7. de natiuitate Domini) *si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas.* Vnde Paschasius, inde Petri negationem grauiùs vrget, quòd suâ ancipiti locutione Deitatem Christi sic asseruerit, vt humanitatem negauerit lib. 11. in Matth. S. Paschas. *Grauiùs*, ait, *quidem, ac grauiùs negat, quia quantò profundiùs in negationem vadit, tantò etiam cum iuramento ampliùs peccat. Et idcò non sunt audiendi, qui dicunt, quòd non negauerit Deum, sed hominem : quia & hominem negare Iesum, mendacium est.* An non manifestè grauissimi peccati arguit Petrum, ipsummet frigus ? quoniam ad prunas ignis sedebat ; cùm tamen mense Martio, quo Dominus ac Redemptor noster A passus est, vehementes calores in illis regionibus esse soleant. Nam 15. huius mensis, dicuntur Israëlitæ nouas fruges comedisse Iosue 5. n. 11. *Et comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes, & polentam eiusdem anni.* Deinde quia in mense Martio, in quem festum azymorum incidebat, manipulus nouarum frugum Domino offerebatur Leuitic. 23. *In eo die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus, in holocaustum Domini.* Nec nimirùm : cùm B enim illa regio sit calidior, quàm nostra, vtpotè vicinior Æquatori : nostra enim in altitudine graduum circiter quadraginta ; illa in altitudine graduum triginta tantùm sita est. Vt obseruat Abulensis in cap. 3. Iosue cap. 25 facilè in mense Martio tempus messis euenire potest. Quale ergò tunc frigus, ita premebat D. Petrum, vt se ad prunas calefaceret, cùm in horto absq; vllo igne, nullam frigoris molestiam senserit. Equidem non aliud, nisi frigus peccati, C & abnegationis Christi. Sic respondet D. Ambro. in cap. Lucæ 22. *Si tempus*, inquit, *consideremus, frigus esse non poterat, sed frigus erat, vbi Iesus non agnoscebatur ; vbi non erat, qui lucem videret, vbi negabatur ignis consumens.* Frigus ergò erat mentis, non corporis. S. Ambro.

O quantum hæc negatio Petri, magnis iam opprobrijs lacessitum Christum pupugit, dùm candidissimus ille Nazaræus, nitidior lacte, rubicundior ebore, antiquo Sapphiro D pulchrior, Petrus nimirum, firmissima illa Petra, cuius lapis angularis Christus est, columna Ecclesiæ, ac culmen, sese commiscens seruis & ministris Iudæorum, adhærens fuligine tinctis, & ad sacrilegum focum sedens, fuliginem erroris & ipse suscepit, & perfidorum fumo denigratus est. Quia fieri non potest, quin qui versatur, & adhæret fulgine tincto, & ipse fuliginem ab eo participet. Cùm ergò nefarij illi satellites, frigidissimum anhelitum odij, & criminationum in Christum spirarent, cumq; sacri-

ſacrilegus ille focus, infidelitatis fumum exhalaret, ſubitò oppleuit anhelitus ora fidelis diſcipuli, obſcurauit, & denigrauit eius pulchritudinem, & fidem fumus ex igne, fauilla de ſacrilegio. De quo pulchrè

Idem qui ſupra. S. Ambr. lib. 10. in Lucam. *Conſideremus*, inquit, *in quo actu neget; frigus*, inquit, *erat. Mala flamma Iudaica vrit, non calefacit; malus focus, qui quondam etiam ſanctorum mentibus fuliginem erroris aſperſit.* O Petre! vbi eſt illa tua animoſitas: *Domine tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem*

Lucæ 21. *ire.* Lucæ 22. Vbi eſt illa tua trina reſponſio, de vero in Chriſtum amore: *Domine tu ſcis quia amo te.* Si tàm citò ab amore eius recedis? ſi ad vocem vnius viliſſimæ ancillulæ Chriſtum abnegas? ne miremini: ſi quondam vna mulier ſancta in domo Nabuchodonoſor, occiſo Holoferne, fecit confuſionem; maiorem hodiè in domo Chriſti, maledicta oſtiaria fecit confuſionem, dùm Petram Eccleſiæ ſolâ voce, magis quàm baſiliſcus aſpectu, confregit, & lethaliter infecit. Tantum virus erat in voce iſtius oſtiariæ, vt Petrus vniuerſam Eccleſiam ſuis humeris ſuſtentaturus, ei reſiſtere non valeret. Audite Origenis reſponſum doctrinâ plenum,

Origenes. homil. 35. in Matth. *Nec enim poterat fieri, vt factâ interrogatione potuiſſet dicere Dominum Ieſum in Spiritu Sancto.* Quaſi impoſſibilē rem putans, quòd interrogationis fæmineæ halitu percuſſus Petrus, poſſet IESV veri Dei memoriam retinere. Adeò enim efficax eſt fæminei halitus venenum, vt in mente viri difficillimè poſſit, vel cum vmbra mulieris, Dei memoria permanere. Exiguū eſt quodcunq; damnum ex fæminæ halitu, niſi Deus perdatur. Sic dùm puella ſaltatrix, Regi Herodi placeret, funeſta Ioannis mors fabricata eſt, *cùm*

Matth. 6. *introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiuit dicens: volo vt protinùs des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Matthæi 6. Miraris, quòd tantus vir, caput amittat in mulieris ſaltu? ſed quantum id ad fæminæ virus? ſanè hoc fuit in Ioanne mirandum, quòd vel amiſſo capite in fæminæ ſaltu, potuerit ſibi Deum conſeruare, vt meritò dicat D. Fulgentius in citatum locum: *Quid agimus Ioannes?* S. Fulgen. *quem non terruit vaſta Eremi ſolitudo, terrebit mulieris iſta ſaltatio? caput tuum mulier petitura eſt, ſed melius eſt, inquit Dominus, vt vnum ex membris tuis abſcindas, quam totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas.* Quaſi nec ſanctiſſimus, poſſet â mulieris veneno euadere liber; ſic Ioanni gratulatur, quòd in illo conflictu liber à gehennæ ignibus euadat, etiamſi neceſſum fuerit amittere caput. Vbi enim intercedit fæmina, præſentiſſimum eſt periculum perdendi Deum, & incidendi in inferni barathrum. Interceſſit fæmina in cauſa Ioannis, & petijt eius caput. Quid hoc? ſanè minimum eſt damnum, quod in fæmineo aſtu, non Deum, ſed ſolum amittat Ioannes caput. Nihil enim aduersùs filios Dei efficacius, quàm vel leuiſſimus mulieris halitus. Noluit hoc virus ipſe Ioannes, audiens enim fæminam laſciuam eſſe in Herodis aulâ, relicto Eremo Hieroſolymam aduolat, clamans: *Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui* Matthæi 14. Sanè, nefanda alia vitia tunc temporis vigebant Hieroſolymis, vbi & ſacerdotia venalia erant, & nulla religio non periclitabatur, turpis lucri cauſâ. Et cur relictis hypocritis, ſacrilegis, Ioannes ſolum aduersùs fæminam, mouit arma? nimirùm inſtabat iam tempus diuinæ regenerationis, nouella Chriſti ſponſa, nempè Eccleſia iam parabatur, ſponſus iam aderat, vt filios Dei fieri virtute daret. Quid ergò faceret ſponſi amicus, niſi aduersùs fæminam laſciuam dimicaret, quæ notius periculum erat, diuinam regenerationem damnandi. Sic cenſet Diuus Paſchaſius libro 7. in Matthæum, inquiens: *Ex eremo venit Ioannes ad Regis præſentiam, vt increparet adulterium. Et quia amicus ſponſi erat, inceſtuoſos ferre non poterat. Nihil ergò amico ſponſi intolerabilius erat, illecebrā fæmineæ vo-*

S. Paſchaſ.

Ex præſentia fæminæ certus interitus.

Matt. 14.

luptatis, vtpotè, quæ ad filios Dei irretiendos plurimum valet.

O Petre, quomodò non conſideraſti, quòd non ſit malitia ſuper malitiam mulieris? quomodò cum vna oſtiariâ ad colloquendum acceſſiſti, non conſiderans, in halitu mulieris certiſſimum latere venenum, ad ſubuertendos etiam perfectiſſimos viros? quare non es ſecutus Ioannem, qui licet tecum ſequeretur Chriſtum, à militibus tamen comprehenſus, *reiectâ Sindone, nudus profugit ab eis.* Marci 14. tu autem temerario auſu, te in manifeſtum coniecisti periculum aulam Pontificis ingreſſus. Hinc tua ruina, hinc occaſio periurij, vt acutè perſtringit Chryſoſth. Serm. 15. *Mirum*, inquit, *fratres, cùm prehenderetur Dominus, Ioannes abiecit Sindonem, & Petrus inuentus eſt nudus; quia Ioannem texit fuga, Petrum negatio ſic fugauit. Petrus quia fugere noluit, abnegauit; Ioannes ne abnegaret, aufugit.* Sic ſemper confidentia vltra humanum faſtum, virtutis naufragium eſt, imò & fidei tribulatio. Quod ergò ſupereſt Petro rememedium, vt ad bonam frugem & fidem ſe recipiat? vnicum certè: maturus & inſtantaneus ab aula diſceſſus. Aula Deo ſemper infenſa, & qui Principibus placere ſtudent, rarò Deum in corde habent. Sic ingenuè fatetur S. Gregor. Nazianz. orat. 32. *Valete*, inquit, *Imperatores, & palatia, atq; omnes Imperatoris famuli, & cubicularij. Siquidem Imperatori fideles, haud quaquam certum habeo, Deo autem magna ex parte infidi.* Signum dederat Saluator noſter, futuræ negationis Petro, galli cantum. *Antequàm gallus cantet, ter me negabis*, & ideò Petro adhuc pernegante, tertiò, cantauit gallus. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & ad eius cor altè locutus eſt, mutâ oculorum voce. *Et confeſtim egreſſus foràs Petrus fleuit amarè.* Lucæ 22. confeſtim inquam, non reſpiciendo Chriſtum ſe aſpicientem, nec tantùm ore, ſed etiam oculorum mutus egreſſus eſt. Lachrymarum euntibus riuulis, ore taciturnitate ſignato, abundè reſpondit, ſilentio culpam confitente, & defenſionem negante, certioris veniæ auſpicio. Audite S. Maximum hom. 3. de pœnitentia Petri, vbi dicit: *Rectè planè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod deſleri ſolet, non ſolet excuſari; & quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Non ſuæ linguæ credidit, quia Chriſtum negauerat.* Quam multa præclara breui oratione comprehendit. Nimirum Petrus, vera Eccleſiæ Petra, & optima pœnitentium idea, culpam ſuam animitùs dolens, & illachrymauit, & ſiluit: quia lachrymæ excuſationem ablegant, negant defenſionem. *quia quod deſleri ſolet, non ſolet excuſari.* Addit adhuc viuacius. *Et quod defendi non poteſt, ablui poteſt*: palam faciens, ablui, ac remitti non poſſe, quod affectatis excuſationibus accuratiùs defenditur. ô quoties & vos Catholici, Deum veſtrum turpiter viuendo abnegaſtis! quoties falſis teſtimonijs offendiſtis! quoties grauiſſimis periurijs dishonoraſtis! nunc vos excitat flens Petrus ad veram pœnitentiam, deflete ergò vberrimis lachrymis commiſſa crimina, pro quibus hodiè IESVS atrociter patitur; deflete periuria & temerarias abnegationes, dùm vos hodiè clementiſſimus IESVS reſpicit, & progredientem IESVM ad quintum throni ſui gradum pia attentione, ac compaſſione ſequimini.

Vultis ſcire, quis ſit iſte gradus? erubeſcit, & horret lingua referre: ſunt enim turpiſſimæ conſputationes, & colaphizationes. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt.* Matt. 26. Itane Chriſte IESV, in domo Pontificis tractaris, vt ad ſumma opprobria veniatur? nec enim in mundo poteſt inueniri maior contemptus, quàm faciem alicuius conſpuere, cùm ſputa nonniſi in locum turpiſſimum demitti ſoleant. Inuitatus erat olim Diogenes Philoſophus, à quodam diuite nimium auaro, cuius domum ingreſſus, omnia auri & argenti plena conſpexit: parietes aulæis acu Phrigia depictis exorna-

Marci 14.

S. Chryſo.

Aula ſemper Deo infenſa.

S. Gregor. Nazianz.

Lucæ 22.

S. Maxim.

Quintus Chriſti paſſionis gradus.

Matt. 26.

Auarus inter omnia fœda turpissimus.

ornatos, pauimentum marmore po- A litissimo stratum; ipsum verò diuitem turpi & lacero vestitu indutum. Cumq; sederent ad mensam, & Philosophus locum in quem spueret, non inueniret: mensam enim conspuere nefas erat, pauimenti quoque elegantia id vetabat, in ipsum diuitem sputum proiecit, loquens: *Non inueni locum turpiorem te ipso.* Ita planè agitur hodiè cum Domino IESV, in aula Caiphæ Pontificis. Fœtidi Iudæi, parcentes aulæ splendori, illam faciem IESV, in quam desiderant An- B geli prospicere, conspuunt. Patienter id sustinet clementissimus IESVS.

Diogenis audacia.

Isaiæ 6. *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Isaiæ 6. Vnde tibi ô indomita malitia Iudaica, tantus ausus, vt faciem creatoris & Regis tui conspuere, minimè vereris? forsan, vt hoc facto mortem Christo acceleres. Ita equidem colligo ex doctrina Philosophorum, asserentium saliuam hominis ieiuni, efficacissimam esse ad perimendos serpentes. Sciebat benè improba gens Iu- C dæorum, Christum esse serpentem, qui in ligno debuit eleuari, ad sanandos morbos animarum, iuxta illud vaticinium: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* ideò saliuâ populi ieiuni, eum interimere studuit. Et quis vnquàm magis famelicus extitit, quã gens Iudæorum? ad cuius duram famem subleuandã, descendit in carne humanâ Dei filius, *& esurientes impleuit bonis.* Lucæ 1. O bone IESV, ergonè pro tanto beneficio, ab indi- D gno populo hanc gratitudinem refers? vt maximis eius opprobrijs satieris. Credo piè IESV, omni contemptu & morte ipsâ, duriora tibi fuisse fœtida Iudæorum sputa, dum illa tua splendòre diuinitatis perfusa facies, cœli decus, vnicum hominum & Angelorum delicium, sputis fœdaretur. Specta nunc mater doloris, & vide illam faciem filij tui, quam toties humiliter prostrata, castis labijs osculari solebas, ita maculatam esse, vt ei non sit decor. Verùm non hic rabiei plusquàm infernali terminus.

Saliua ieiuni hominis serpentes enecat.

Lucæ 1.

Cæditur immanissimè illusus, IESVS in faciem. At vbi? Audite Drogonem de Dominicæ passionis Sacramento. *In domo*, inquit, *Principis Sacerdotum, velatâ facie colaphizatur Christus, quia in domo conscientia, cæcatâ mente colaphizatur Christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto: quòd ille foris à ministris Caiphæ, ego intus à negotijs Sathanæ.* Quid agis Christe IESV, cur læsæ Maiestatis tuæ crimen non vindicas? vtiq; non es quondam passus, Regem Ieroboam erigere manũ contra tuum Prophetam, quin statim de illo vindictam sumeres. Nam statim *exaruit manus eius, quam extenderat.* 3 Reg. 13. Mariam murmurantem contra Moysen, & Oziam sacrilegium committentem, extemplò lepra percussisti. Numer. 12. & 2. Paralip. 26. Eos qui contra Moysen & Aaronem murmurabant, viuos in infernum detrusisti. Numer. 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos, cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum, descenderunt qui viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Nunc autem illudentes tibi, & colaphis cædentes, ita patienter sustines. Facit hoc Catholici mei, vt nos suo exemplo ad veram patientiam alliciat. Auctore D. Chrysost. in cap. 4. Isaiæ. *Christus*, inquit, *cùm in faciem colaphis cæderetur, nihil durius fecit. Ieroboam verò cùm extenta manu conaretur apprehendere Prophetam, à quo coarguebatur, manus illi exaruit. Per hæc te erudiens, vt quæ tibi ipsi inuehuntur, cum mansuetudine feras; quæ verò in Dominum ingeruntur, multâ cum vehementia vlciscaris.* Vult ergò IESVS patiens, vt iniuriarum, quæ nobis inferuntur, memoriam deponamus; ad iniurias verò, quæ contra ipsum perpetrantur vlciscendas, alacriter inuolemus. Nos profectò Catholici mei, nos sumus, qui hodiè cædimus, & cruentamus faciem Christi, nostris enormibus peccatis; dùm ne quidem hoc sacro eius passionis die, inueterata odia, inimicitias, & leuissimas iniurias,

Drogo.

3. Reg. 13.

Num. 16.

S. Chrysost.

rias, volumus obliuiſci. Sic ipſemet Saluator noſter proteſtatur : *ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores.* Super quem locum Fernandus excurrit. *Faciem*, inquit, *mihi velauerunt, faciem meam in terra defixerunt, & dorſum incudem ſuam fecerunt, & ſuper dorſum meum fabricauerunt peccatores.* Ad quod addit S. Bernardus Serm. 3. in Natali Domini. *Agnoſce ô homo, quam grauia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt Chriſtum Dominum vulnerari. Si hæc non fuiſſent ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquàm pro eorum remedio Dei Filius moreretur.*

Fernandus. S. Bernard.

Quid tamen cauſæ eſt, quòd acutiores illi Roboamo, ſed maligniores multò, nefarij illi ſatellites Iudæorum, qui Chriſto Domino in domo Principis Sacerdotum illudebant, ſimulq; impio furore diuinam eius faciem percutiebant, vt hoc inauditum facinus commodiùs perpetrarent, auguſtiſſimam Domini IESV faciem priùs velârunt Lucæ 22. *Et velauerunt eum & percutiebant faciem eius.* Reſpondet Beda in cap. 14. Marci, ne eum ipſi viderent : *Non*, inquit, *vt eorum ipſe ſcelera non videat, ſed vt à ſeipſi, ſicut quondam Moyſi fecerunt, gratiam cognitionis eius abſcondant.* Vix enim fieri poterat, vt in tantam vultûs Domini noſtri maieſtatem, tàm impio furore debaccharentur. Magis tamen ego credibile cenſeo, ideó nimirùm illos velaſſe Chriſti faciem, ne ſeipſos in eius oculis viderent, vt ita facilius omnem humanitatis ſenſum exuerent. Cùm enim ea ſit pupillæ oculorum natura, vt totum obiectum repræſentet, teſte Plinio lib. 11. cap. 17. *Adeò ijs (id eſt oculis) abſoluta vis ſpeculi, vt tàm parua pupilla totam imaginem reddat.* Ideó nihil ſui, nihil humanitatis ob oculos habere volentes, Chriſti faciem velauerunt, vt ſui ipſorum imaginem ab oculis remouentes, omni humanitatis ſenſu depoſito, nullo compaſſionis affectu, atrociùs, velut immaniſſimæ beluæ in eum ferocirent. Quippè ea naturæ lex eſt, vt quâ homines ſumus, nõ flere cum flentibus non poſſimus,

Iudæi cur faciem Chriſti velabant.

Lucæ 22.

Beda.

Plinius.

Flere cum flentibus vnicuique proclive.

A vt docet Apoſtolus Rom. 12. cuius rationem affert Theophylactus: Quia fletum natura ipſa ſuppeditat, vt flenti compatiamur. Hinc illa Chriſti verba : *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Matt. 26. hoc eſt, vt exponit D. Hieronymus, Iudæorum peccatum atq; ſupplicium : magis enim hoc, quàm mortem propriam extimeſcebat. ſubdit citatus Hieronym. *Poſtulat autem non timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & B ſignanter non dixit, tranſeat à me calix, ſed calix iſte, hoc eſt populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, ſi me occiderit.* Quod vel ex eo facilè quiſpiam conijcere poteſt : ſtetit armatus miles, & in conſpectu omnium, manu non molli, ſed ferrea, dedit alapam IESV, dicens : *Sic reſpondes Pontifici?* Ioan. 18. Et tamen IESVS manſuetè ſatis ei reſpondit : *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe.* Miraris Chriſtiane manſuetudinem IESV, quòd inter dolorem, & dedecus alapæ acceptæ, nil iræ oſtendat C in verbis? hoc enim nouum & inauditum eſt, vt meritò miraculum reputari debeat. Ait D. Ephrem Ser. de paſſione Domini : *Grande*, inquit, *miraculum fratres, ſtuporis pleniſſimum eſt, cernere Chriſti Regis, ac Domini noſtri manſuetudinem. Palmæ cæſus à ſeruo, rationabiliter prudenterq; reſpondit, cum omni manſuetudine ac reuerentia. Seruus furit, Dominus patitur. Iraſcitur ſeruus, Dominus in ſua benignitate perſiſtit; indignationis aculeos, rixamq; tumultuan- D tis animi, iræ maximè tempore, quis continet?* Non poteſt iniuria homini illata, mille tumultus in animo non excitare, & mille immittere indignationis aculeos. Inter hæc autem iram cohibere, cum præcipuè & tempus & res ipſa iram extorquent, non mediocris animi eſt. Et validiſſimæ mentis opus cenſetur, atq; elogium, recentem iram diſſimulare. Diſſimulauit tamen Chriſtus, quia militem, vtpotè nullam de Deo vero notitiam habentem, ignoranter feciſſe ſciebat. At verò Iudæorum delictum ſummo

Ioan. 18.

Chriſtus à milite alapâ percuſſus, patienter tulit.

S. Ephrem

summo dolore, & sanguineis lachrymis deplorabat: quia hi per legem edocti, Christum quem verum Messiam esse sciebant, omni barbarâ immanitate, tanquàm indomitæ feræ, atrociùs tractabant.

Sextus gradus Christi passionis.

Conscendit iam IESVS sextum throni sui gradum, qui non alius est, nisi columna illa, ad quàm IESVS crudelissimè flagellabatur: *Tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.* Ioan. 19. Quis non speraſſet, IESVM in hoc gradu, post tot illusiones & opprobria, iam tandem quietem habiturum. Postquàm enim purpuratus ille Cæsaris, nimirum Pilatus sedisset pro tribunali: *Misit ad eum vxor eius dicens: nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum per visum propter illum.* Matt. 27. Res stupenda, quòd in totâ illâ scenâ accusationum aduersùs IESVM, nullus inuentus esset, qui auderet ludicem alloqui in fauorem IESV, præter mulierculam hanc vnam, quæ sola stare pro IESV, coram iniquissimo iudice ausa est, inquiens: *Multa passa sum per visum:* Planè iam visu gustauerat aliquid passionis illius, quò adeò roborata fuit, vt non solùm staret à parte IESV; sed & maritum illi acquirere niteretur. vt censet ibidem D. Hilarius. *Quia, inquit, ipsa multum sit passa pro Christo, in eandem gloriam futura spet, illum, cum quo conuersabatur, inuitat.* Ecce, vt maritum traheret in IESV liberationem, hoc vnum proposuit, nimirum: *Multa passa sum.* Quasi non posset vir non misereſcere vxoris patientis dira, & acquieſcere precibus illius. Ait D. Chrysosth. homil. 87. in Matth. *Multa patitur vxor, vt maritus vxori condolendo, tardior ad eadem redderetur.* Validissima enim est vxoris ærumna, vt persuadeat quoduis difficile viro. Paret vxoris persuasioni Pilatus, IESVM foras producit: *Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis: quia nullam in eo inuenio causam.* Ioannis 19. Egreditur iterùm, innocentem eum iudicans, liberatione dignum æstimans. *Ego nullam in eo inuenio causam.* En quàm constans in Filij Dei liberatione, en quàm stabilis pro IESV dimissione. At postquàm ambitione tactus est: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Quod fuit dicere, gloriam, honorem, famam, & gradum, ac dignitatem, quam apud Cæsarem obtines, deperdes. Statim IESVM innocentem flagellauit, ergò quod iustitia non potuit, vna valuit ambitio. sic potens, sic valida, apud humana corda est appetentia honoris, sic impotens affectus laudis. Quod tunc Pilato Catholici mei, idem nunc plurimis in dignitatibus constitutis accidit, qui Deum quidem timent, Filium Dei tradere reformidant. At sine vt ambitione tangantur, sine vt aliquid eis contra suum proponatur honorem, æstimationem, & gloriam, aut spes acquirendi gradum, mox videbis, vt omnia euanescent. Et Deum condemnatum videbis, nocentem absolutum, innocentem proscriptum, mortis damnatum. Quid dico? videbis ipsam fidem deperditam, imò ipsam Dei omnipotentiam, summamq; iustitiam pro nihilo habitam.

Matt. 27.

Vxor Pilati pro IESV stetit.

S. Hilarius.

S. Chrysost.

Ioan. 19.

Hinc equidem fit, vt peruicaciam, eruditatem, ac huius passionis rebellionem, Deus optimè callens, vt eam exterminet, non quocunque vtatur iudicio, sed singulari; non quocunq; supplicio, sed vnico, & tandem, ambitiosos peccatores, ne ordinariâ exterminet morte, sed inconsuetâ, & horrendâ. Quod in morte Core, Dathan, & Abiron, quisq; aduertere potest Numer. 16. *Terra aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersâ substantiâ eorum.* Mirum, quòd ad perdendos ambitiosos illos homines, nouũ inuenerit Deus mortis genus, vsque tunc inuisum, vt affirmat Abulensis hîc q. 17. Quid ergò isti ampliùs, quàm Ægyptij; quid ampliùs, quàm Sodomitæ, quid ampliùs, quàm cæteræ peccauerunt gentes? vt nouum fuerit necessarium genus inuenire mortis, nouum supplicium? ne mireris: peccatum erat ambitionis, ita Deo infaustum, ita populo pernicio-

Num. 16.

Propter ambitionẽ nouum mortis genus à Deo inuentum.

sum, ita durum & peruicax, ac pertinaciter in animo residens humano, vt ne, & si mortui, terram contaminarent, aërem, cœlum, ac per hoc & viuentium animos, dignum fuerit, ne dicam necessarium, vt nouum mortis genus iustitia diuina repperiens, illos pessundaret, ac obrueret. Sic discurrit S. Ambrosius Epist. 82. S. Ambro. *Immugiens*, inquit, *terra, in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis; vt nec aërem actu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Egregiè sanè: si enim mare præfocarent? si cœlum eis vitam adimeret, si terra eos in se includeret, hæc omnia ambitiosi, etsi mortui infecissent, ac proinde & viuentium animos. Quid igitur? sic eos terra deglutiuit, vt non intra se eos retineret, sed viui descenderunt in infernum. Num. 16. *Descenderunt viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Numer. 16. Et cur non mortui, sed viui descenderunt in infernum? Quia nimirum ambitiosi, & ideò, vt eos infernus deglutiret, mors necessaria non fuit, sicut in cæteris peccatoribus: sed infernus, in quo mors est sine morte, viuos vti rem propriam rapuit, vt hinc agnoscamus, quantum sit malum ambitio, quæ taliter puniri meretur.

Vultis euidentius documentum? conuertite oculos in IESVM, ad columnam immisericorditer flagellatum, & admiremini, atque obstupescite, quòd etsi cordi illi esset, pro hominibus mori; illud tamen genus elegerit mortis, quod ignominiosum, quod vilissimum, & talibus indecoratis, vt sic dicam circumstantijs vallatum est, vt ignominiosius nullum aliud excogitari possit. Dicam amplius, voluit mori, sed flagellatus, voluit crucifigi, sed inter latrones, voluit extingui, sed cum dedecore, & confusione. Quid ergò immensæ Maiestatis Deum nostrum compulit, vt sic pateretur? Equidem hoc vnicum, vt ambitionem exterminaret, vt humanam omninò excluderet gloriam. Sic censet D. Chrysosth. homil. 28. in cap. 12. ad Hebr. *Esto enim* S. Chryso. inquit, *sustinuit mortem, cur ignominiosè? non propter aliud, quam nos docens, vt gloriam, quæ ab hominibus datur nihili ducamus, erudiens nos, vt aduersùs eam simus audaces, & nihili faciamus.* Vah, quam durum ambitio vitium, quàm horrendum peccatum, quàm vt ita loquar inexterminabile, vt ad illud delendum, ipsa iustitia diuina, non consuetâ morte homines ambitiosos occidat, & ipsa misericordia velit, vt Dei Filius, ignominiosam mortem oppetat, vt scilicet hoc considerans, expauescas: dùm totum Deum, & quâ iustus, & quâ misericors est, ad hoc vnum exterminandum vitium aspexeris, animumq; resumas totis viribus contra peccatum ambitionis bellandi, intelligendo, quòd quantus quantus es, contra illud armari te oporteat.

Nunc ergo ambitionem Iudaicam, & efferatam rabiem consideremus. Parum illis erat apud Annam, & Caipham Christo illusisse, parum colaphis & sputis dishonorasse, nisi etiam ad cruentas plagas descenderent, vt sic IESVM infamem & toti mundo abominabilem redderent. Apud Iudæos in puniendo non licuit quadragenarium plagarum numerum excedere. Quod tali modo concipite. Lex apud Iudæos erat, vt delinquentes plagis corrigerentur, ita tamen, vt modus ille correctionis, 39. plagas non excederet, ne forsan adimplendo, aut superato quadragenario plagarum numero, taliter punitus infamaretur. Lege diuinâ sic præscribente Deutor. 25. *Si autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensurâ peccati, erit & plagarum modus; ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè leceratus ante oculos tuos, abeat frater tuus.* Deut. 25. Hinc D. Paulus referens suas verberationes, quibus pro Christi nomine affectus est, dicit: *à Iudæis quinquies quadragenas vnâ minus accepi.* 2. Cor. 11. 2. Cor. 11. Quid est, quòd Paulus strenuus Christi athleta, in laborum ac persecutionum

num ſtadio, pugnare paratus, & vincere aſſuetus, dùm reportatos à ſe triumphos piè recenſere ambit, liuidas verberum vibices, cruentas à ſe exceptas plagas, & tergora virgis frequenter cæſa glorioſiùs cõmemorans, à Iudæis quinquies quadragenas, vnâ minus ſe accepiſſe referat? niſi vt oſtendat, eum qui integras quadraginta, vel amplius plagas accepiſſet, ſceleratiſſimum ac infamem fuiſſe. vt præclarè docet Theodoretus. *Iudæi*, inquit, *quadragenas vnâ minus inferunt, quia maior numerus vapulantem infamat.* Cauſam aſſignat Procopius, quia numerus 40. pœnæ Ægyptiorum eſt; dedecus autem erat Iſraëlitæ, terræ ſanctæ ciui, numero Ægyptiorum puniri. Nam & Iudæi 40. annis in Ægypto captiui detinebantur, & plagæ, quibus Deus Ægyptios puniuit, 40. diebus durabant. Auctore Suidâ, verbo *plagæ*. Et ſic quoniam Ægyptij, vtpotè gentiles, probro erant Iudæis, ideò quicunq; quadragenario plagarũ numero apud Iudæos afficiebatur, inſtar gentilis, proſcripti, & infamis habebatur. Conſideremus igitur, quomodò à Iudæis dishonoratus eſt IESVS, quitotus nudus, columnæ lapideæ alligatus, quinq; millia, & quadringentas plagas accepit, vt habetur in reuelationibus S. Brigittæ lib. 4. diuin. viſion. c. 33. Alij probabiliſſimè cenſent, à tota legione militũ flagellatũ fuiſſe, & quoniam legio more Romanorum continebat militum 6666. aſſerunt Dominum IESVM plagis 6666. cruentatum fuiſſe. Bone Deus, quanta, & quàm inaudita carnificina. Quomodò æterne Pater, vnigenitum tuum ita excruciari paſſus es? quomodò illam tyrannidem, de excelſo gloriæ tuæ ſolio proſpicere potuiſti? vt ille ſplendor & imago bonitatis tuæ, horrendis cicatricibus, & liuore obduceretur. Quomodò diuiniſſime Spiritus, præſto non adfuiſti, vt deificatam illam carnem, quæ tuâ operâ in puriſſimo virginis vtero formata eſt, de manibus carnificum eriperes? Quomodò Angeli cœleſtes, qui Chriſto recens nato protinùs deſcendiſtis, ad obſequia ei humiliter impendenda, illud decus veſtrũ, quo nuſquàm ſatiari poteſtis, non aduolaſtis, & efferatam hanc legionem militũ flagellantium non interfeciſtis? iuſta & ſancta pro Dño veſtro bella pugnantes. Lumina cœli, mare, elementa, cur non defenditis creatorem veſtrum, pro quo in conſummatione ſæculi pugnabit mundus vniuerſus contra inſenſatos. O cor hominis? ſi vel vnica diuini amoris ſcintilla in te remanſit, perfunde genas tuas lachrymis, dùm innocentem IESVM, ad animi vſque deliquium, ad mortem, non virgis tantum, ſed ferreis ſcorpionibus laceratum, 6666. plagis vulneratum audis. Vlulate, vlulate paſtores, toti in amaras lachrymas, in gemitus, & doloroſas lamentationes reſoluti, dùm illum Principem paſtorum, enormiſſimo peius latrone ad columnam extenſum, dirè laniatum ſpectatis. Anima mea, inclina feſtinanter aurem tuam, ecce in tantis cruciatibus vix ſemiuiuus Saluator tuus alloquitur te: *O vos omnes qui tranſitis, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.* Pro te hæc patitur IESVS, tu verò pro illo quid vnquàm feciſti? ergò ad lachrymas propera, patienti IESV compatiendo, qui non quadragenis vnâ minus, ſed 6666. plagis pro te plagatus eſt, & per hoc pro ſcelerato, infami, ac proſcripto in ſpectaculum, & ludibrium mundo propoſitus.

Theodor.

IESVS flagellatus 6400. plagas accepit.

Symbolum inuincibilis patientiæ quidam excogitauit, iuſſit in medio mari depingi columnam lapideam, fluctibus vndique horrendè quaſſatam, hac inſcriptione appoſitâ: FRANGAR, NON FLECTAR. Ad oſtendendum, quòd ſicut illa columna, à valido impetu fluctuum citiùs frangi, quàm deijci potuit, ita ſolicitudines, anxietates, & infortunia, citiùs virum conſtantem enecare poſſint, quàm ad impatientiam deducere, cùm in eum non cadat perturbatio. Tuæ hoc Chriſte IESV inuictæ

Columna patientiæ ſymbolũ.

victæ patientiæ elogium est. Alligaris ad columnam, imò ipsemet columna es immobilis, iuxta illud, *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Impetunt te vehementer fluctus furiarum Iudaicarum, impetunt manus militum flagellantium; sed patientiam tuam infringere non possunt, quia tibi illud lemma appositum est: FRANGAR NON FLECTAR. Nonne potuisti more Samsonis, columnam hanc ita violenter commouere, vt non tantùm flagellantes te, sed etiam admirantes interficeres? sed *nec frangi, nec flecti voluisti:* pro quo beneficio, infinitæ tibi cedant gratiæ. Scio Herculem, peragratâ magnâ orbis parte, ad littus Oceani duas columnas posuisse, hac illis appositâ inscriptione. NON PLVS VLTRA. Ostendens hominem frustra cogitare, & niti vlteriorem gressum. O vtinam ad hanc columnam tuam Christe IESV, ad quam atrociter flagellaris, hæc ponatur inscriptio: NON PLVS VLTRA, vt tandem pœnarum tuarum sit finis. sed frustra, in tantum enim genus humanũ dilexisti, vt non solùm ad columna flagellari, sed etiam tanquàm verus Rex, coronari velis: *Tunc milites Præsidis, suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes:* AVE REX IVDÆORVM. Matt. 27.

Matt. 27.

Coronatio Christi.

Pertransitis tandem sex gradibus, satis asperis & molestis, inter sæuos leones, ad thronum suum accedit Christus, vtq; Rex Regum, & Dominus dominantium cognoscatur, sceptrum & diadema regium suscipit, nimirùm coronam de acutissimis spinis, & arundinem. Salutatur ab vniuerso populo. *Aue Rex Iudæorum.* Ludibrium putabit non nemo? non abnego: Sed non aliter Christus thronum Regni sui conscendere potuit, nisi per ludibria, & illusiones. Sic quondam Saulem,

A Dauid fugiens, ad Regem Achis declinauerat, quem cùm Satrapæ vidissent Philisthinorum, eum agnoscentes, nuntiauerunt regi. *Nunquid non iste est Rex terræ Dauid.* 1. Reg. 21. 1. Reg. 21.

Adductus igitur Dauid in conspectũ Regis, videns quòd de vitâ ipsius ageretur, se insanum finxit: *Immutauit os suum coram Achis, & collabebatur inter manus eorum.* Quem sic videns Achis, insanum reputauit: *vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me.* Ergò insanus reputatus

B Dauid, quia collabebatur inter manus seruorum Achis, sed breuî post, regium thronum conscendit. Ita planè factum est cum Domino IESV, percrebuerat fama, quòd ille regnum ambiret, aut Regem se faceret. Stetit igitur ante præsidem, tanquàm omnium scelerum reus, coram Pilato Iudice, interrogatur seriò de Regia potestate. *Tu es Rex Iudæorum.* Ille verò quasi amens, nihil respondit ei: *Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.* Matthæi 27. Matt. 27.

C Sciebat enim optimè, meliorem esse causam, quæ non defenditur, & probatur; pleniorem iustitiam, quæ non verbis adstruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, vbi ipsa æquitas sibi adest. Taceat lingua in bono negotio, quia malas causas tueri consueuit. Nolo sic defendi iustitiam, sicut solet iniquitas excusari. Sciuit probè Saluator noster, qui est summa sapientia, quomodò tacendo vinceret, quomodò non respondendo, & velut ce-

D dendo, superaret. Pergit S. Maximus homil. de accusat & iudicio Domini: *Quæ enim res illum compelleret ad loquendum, cùm silentium satis sufficeret ad vincendum? Sed fortasse metus eum cogeret, ne salutem perderet, nisi quòd ipsa erat tota causa victoriæ: suam enim salutem perdidit, vt salutem omnium lucraretur. In se vinci maluit, vt victor esset in cunctis.* Tacuit ergò Saluator noster quasi cedens, vt iudicio vinceretur, cuius vinci, omnium victoria est. Os suum mutâ taciturnitate signauit, ne causam suam defensione S. Maxim.

clypea-

clypearet : quia vitam perdere, ipſa erat tota cauſa victoriæ.

Sed ecce velut inſanus, ex hac taciturnitate reputatus eſt, & pro regio diademate, ſpinis coronatus; pro ſceptro, arundine inſignitus: quia peccatoris perſonam geſſit. Erant in paradiſo floridi rami, odoriferæ herbæ, pulchertima folia, & tamen illis prætermiſſis, primi homines, à turpi, & rudi ficulneæ folio, veſtimenta quæſierunt. Gen. 3. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Cur non potiùs à florentibus ramis, ab odoriferis herbis? ſanè, quia ſicut ſuperbiſſimi peccato erant madidi, ita apud illos viliſſima omnium, cæperunt pro floribus æſtimari, & in pretio haberi. Ait Leontinus Serm. de creat. apud Bibliothecam Photij : *Incoctum peccati cibum habuerunt & illius nuditatem induentes, purpuram eſſe regalem, ficus folia exiſtimarunt.* Expende, quid intulerit peccati infectio? vt peccati cibum guſtauêre primi parentes, quaſi ad purpuram, ad vile ficulneæ folium manus extenderunt. Folium vile, & rude erat, quod purpura putabatur ab animis illis regijs, quos peccati labes infecit. Sic prorsùs milites Præſidis, coronam ſpineam poſuerunt ſuper caput IESV, & arundinem in dextera eius : quia peccatorem, & reum arbitrabantur. Quid vilius? quid abiectius? Milites tantam vilitatem excogitârunt, vt IESV illuderent? at IESVS cur tantam vilitatem paſſus eſt? niſi vt oſtenderet mundo, quæ ſint in rei veritate glorioſiora ornamenta Regum. Papæ quod natura peccati rea putat purpuram, putat radiantem gemmis coronam, putat ſceptrum, pannus vilis eſt, ſpina eſt, arundo eſt ei, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Ait Theophylactus orat. de cruce tom. 2. *Conſidera honoratiſſimum regalis dignitatis habitum, tempore crucis illuſum, coronamq; gemmis diſtinctam, ſpinis & curis exaſperatam potenſq; ſceptrum, & omnem ſpeciem eſſe fragilem, & inanem arundinem, purpuram ex qua valde extolleris, alienum eſſe bonum ex ſanguine manans, eam enim milites tibi circumdant; genuflexiones, quibus honoraris, & acclamationes exiſtimas plerasq; fictitias, & ab illis, qui caput tuum, non modò libenter verberarent, ſed & amputarent.* Vide ergo quis ſit regius ornatus in IESV : vbi nulla impoſtura, nullus dolus, ſed ſimpliciſſima veritas eſt. Conſidera arundinem vilem, quod ſceptrum tibi videtur. Conſidera ſpinam, imò ſpinarum ramum, quæ tibi corona apparet. Conſidera hoſtiles acclamationes, & machinamenta, quæ tu amicorum obſequia, & reuerentias exiſtimas famulantiũ. Heu quam vilia ſunt in ſe, vbi non eſt peccatum, quæ pulchra & pretioſa putantur à naturâ infectâ peccato. Dicebat aliquandò Regius vates : *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Pſal. 118. Quod ſi cupis ſcire, quænam ſit hæc vanitas non videnda, Audi S. Chryſoſthomum in Pſal. 4. *Vanum eſt, quod eſt inane, quando nomen quidem fuerit, res nequaquam. vt in humanis rebus nomen eſt diuitiarum, res nullo modo; nomem principatus, & remanet nudum & exile nomen.* Qui ergò oculi ſunt, ne ad ea ferantur, quæ cùm nihil ſint in re, in nomine, & ſpecie, magna ac ſplendida apparent. Equidem ſunt oculi peccatores, corporales, quos ſolùm implent res euanidæ. Sic cenſet D. Hilarius incitatum Pſal. *Quærendum,* inquit, *eſt, quos oculos, & à qua vanitate oret auerti. Orat autem & animi, & corporis oculos, eos ſcilicet, qui in theatra ibus ludis captiui incubant, eos qui circenſium certaminibus ſeruiunt, eos qui veſtium pretia mirantur, eos quos auri ſplendor, & gemmarum varietas occupat.* Tales oculos habebant Iudæi, & milites Pilati, Chriſtum ad ſumum ludibrium ſpinis coronantes, ignari quòd talia corona Chriſtum verum regem deceret, in quo non eſt inuentum peccatum.

Sed erras ô impietas Iudaica! quæ enim tibi videntur mera ludibria, ſummi regum Regis inſignia ſunt; & quem inſanum reputas illudendo

Primi parentes cur e foliis ficulneæ veſtimenta ſibi fecerunt.

Gen. 3.

Leontinus

Pſal. 118.

S. Chryſo.

S. Hilari.

Theophil.

dendo ei, verè tuus Rex est, verè ipsissima sapientia est. Sumite documentum istius veritatis ex D. Paulo

1. Cor. 1. 1. Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atq; Græcis, Christum Dei virtutem; & Dei sapientiam.* Quæ verba Tertullianus lib. 2. contra

Tertullia. Marcionem cap. 2. sic exponit. *Ita Deus tunc maximè magnus, cùm homini pusillus, & tunc maximè optimus, cùm homini non bonus.* Insurgebant audaciùs contra Christi diuinitatem Iudæi B atq; gentiles, mordicùs oblatrantes.

Volusian°. *Intra corpusculum vagientis infantiæ latet, cui parua putatur vniuersitas, patitur pueritiæ annos, adolescentia iuuentute solidatur, tamdiu à sedibus suis abest ille regnator, atq; ad vnum corpusculum totius mundi cura transfertur, deinde in somnos resoluitur, cibo alitur, omnes mortalium sentit affectus, nec vllis competentibus signis tantæ maiestatis indicia clarescunt; quoniam carnalis illa purgatio, debilium cura, reddita vita defunctis, hæc & alia, si cogites, Deo parua sunt.* Vt refert Volusianus Epist. 2. ad August. quæ habetur inter Epistolas D. Augustini tom. 2. Quasi dicerent: Quæ hæc diuinitas Christi, quæ carnis infirmitates non absumit? Nonne dicit Sapiens Prou. 18. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam.* Cur ergo Christo, diuinitas loco spiritûs non est: sit quantum voluerit homo; at qui Deus simul est, cur ab homine abripiatur, & non potiùs hominem eleuet, ac diuinum reddat. immortalem, impassibilem, humaD næ infirmitatis, famis, sitis, defatigationis, tristitiæ, aliorumque humanorum accidentium expertem. Hæc omnia per summum dedecus Christo Iudæi cum gentilibus improbrabant. Sed audiant respondentem Tertullianum lib. 2. contra Marcionem cap. 22. *Totum denique ait Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis.* Et cur? dignam sapienti pectore reddit rationem. *Miscente in semetipso hominem & Deum, vt tantum homini conferat, quantum Deo detrahit.* En humanæ reconciliationis sacramentum, vt iuribus suis Dei Filius renuntians, à Dei forma (quemadmodùm dicebat S. Hilarius) se euacuaret, atq; exinaniret, vt quam sibi impassibilem maiestatem, gloriosamq; viuendi rationem detrahit, homini conferret; ad opprobria & illusiones se demisit. vt eleganter discurrit D. Cyprianus de bono patientiæ: *De illa*, inquit, *sublimitate cœlesti, ad* S. Cypria. *terrena descendens, non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere, vt cùm peccator ipse non esset, aliena peccata portaret: immortalitate interim posità fieri se & mortalem patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur. Dominus baptizatur à seruo, & remissionem peccatorum daturus, ipse non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere. diebus quadraginta ieiunat, per quem cæteri saginantur: esurit, & famem sentit, vt qui in fame sermonis & gratiæ fuerant, cœlesti pane saturarentur.* Et paulo post subdit: & cum ad crucem Domini confundantur sidera, elemenC ta turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, Sol ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahat, ille non loquitur, non mouetur, nec maiestatem suam sub ipsa saltim passione profitetur. Tacet igitur Dei Filius, licet tàm horrenda ab improba Iudæorum gente patitur; tacet dùm coronatur spinis, & arundine, quasi insanus loco sceptri dishonoratur, quia non aliter humanæ reconciliationis, posito Dei decreto, confiD ciendum erat sacramentum, nisi hac Dei Filij exinanitione, & euacuatione factâ.

En vobis post durissima verbera Crucifixio inflicta, post spineam coronam capiti diuinissimo impositam, sedentem in regali suo throno Dominum IESVM, nimirum in cruce sancta loan. 19. *Crucifixerunt eum* Hic ille Ioan. 19. gratiæ & simul misericordiæ, sumè glorioſus atq; illustris thronus, quem vidit olim Isaias cap. 6. *Vidi Dominum* Isaiæ 6. *sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* In hoc throno positus Saluator noster,

noſter, hominibus ſalutem & vitam æternam attulit. Accurrunt velociter cœleſtes illi ſpiritus, ſtupent & adorant in hoc throno exaltatum Regem Regum: Sic enim de Seraphinis D. Hieronymus loquitur. *Et mirari ad inuicem incipiunt, quòd Dominus Sabbaoth in forma Dei Patris poſitus, formam ſerui acceperit, & humiliauerit ſe vſq; ad mortem, mortem autem crucis.* S. Hieron. Quod comprobat Gloſſa his verbis: *Mirantur autem, quòd Dei Filius tantum ſe humiliauerit, vt crucem ſubierit.* Chriſti crux eſt thronus miſericordiæ. Nuſquàm ergò glorioſior, nuſquam magnificentior Dei Filius; quàm in cruce homines ſaluans: nec ſplendidior, aut magis eleuatus eius thronus, quàm cùm miſerationis & gratiæ thronus factus eſt. vnde S. Ioannes c. 12. ſignatè ait: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* Ioan. 12. Perpendite, quid viderit Iſaias, certè non aliud, niſi miſericordiam atq; bonitatem: quâ adeò illuſtris & conſpicuus apparuit Dominus Iesvs, vt præ fulgore eius maieſtatis, in crucis throno relucentis, facies ſuas velare cogantur. Hinc D. Paulus 1. Cor. 2. Chriſti crucifixi mentionem faciens, Dominum gloriæ eum appellat: *Nam ſi cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 1. Cor. 2. Quæ verba Oecumenius ita expendit. *Vide quomodò factâ Chriſti mentione, Dominum gloriæ ipſum vocat, oſtendens, quòd non ſolùm nihil illi ad gloriam crux, aut mors obfuit; verùm etiam ob humanitatem, ſeu benignitatem magis glorificatus eſt.* Oecumenius. Et paulo inferiùs ſubdit: *Opportunè Dominum gloriæ appellauit: nam quoniam crux ignominioſa eſſe videbatur, oſtendit eam eſſe magnam gloriam.*

Verùm vt pleniùs cognoſcatis throni huius maieſtatem, perpendite ſingula, quæ facta ſunt pendente Iesv in cruce. An non magnificus ſatis titulus ei appoſitus. Iesvs Nazarenvs Rex Ivdæorvm. Inſtabant Iudæi potenter, vt Pilatum in huius tituli abolitionem traherent. Et nihilominùs, qui adductus fuit, vt Iesvm verberaret, vt ei vitam eriperet, non potuit adduci, vt vel vnam tituli literam abraderet. Quia nimirùm in hoc titulo Chriſti regnum oſtendebatur, quod ſemper firmum manet; in Pilato autem poteſtas erat, quæ habebat tempus, quod neceſſariò erat claudendum finibus, ne quid vlteriùs ageret. Pilatus quare tituli crucis immutare noluit. Ait D. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 31. *Non vult autem Pilatus mutare titulum, quia non fuit in omnibus ſibi diuinitùs permiſſum, aduersùs Saluatoris gloriam furere. Stabile namq; & citra calumniam Chriſti regnum eſt.* S. Cyrillus. Ecce quomodò Pilato permiſſum fuit tempus florendi, & furendi aduersùs Iesvm, quod in Chriſti crucifixione abſceſſit, nec inde amplius efficere valuit; regnum autem Chriſti & tunc, & ſemper immutabile apparuit. Reges in ſolio conſidentes, ſupplicationes & poſtulata populi, benignâ aure ſuſcipiunt. An ab hac clementia alienus fuit cruci appenſus Dominus Iesvs? minimè: orabat eum bonus ille latro: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Didicerat quippè à Scribis & Phariſæis Chriſtum blaſphemantibus, illius regnum & diuinitatem, cùm inſultarent: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Matt. 27. Matt. 27. Hoc autem quid erat, niſi Chriſtum verum Regem ac Principem, qui alijs potiùs, quàm ſibi allaturus ſalurem venerat, velut digito demonſtrare. Quia ergò Chriſtum ita Deum agnouerat, vt hominem etiam ſibi ſimilem aduerterit, ideo ab illo non dubitauit miſericordiam poſtulare. Quod ingeniosè obſeruans S. Cyrillus Hieroſolymit Cathecheſi 13. in Perſona boni latronis ſic loquitur: *Non dico vt operum meorum memineris, hæc enim metuo: ſed omnis homo afficitur ad comitem ſuum; ſimul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui.* D. Cyrill. Venerabilis autem Drogo de Sacram. Dom. Paſſio. ita exponit. *Imaginis tuæ miſerere, ſed in quo te agnoſcam miſereri? in eo, quòd imaginem meam in te video, ſimilem & eandem mecum miſeriam pati. Quid ergò reſtat, niſi vt ſperem de tanta miſericordia.* Drogo. Nec ſanè eum ſpes præconcepta fefellit: ſtatim

statim enim Christus, non solùm recordaturum se promisit, sed supplicum preces & vota excedens, regnum suum eodemmet die liberaliter ipsi donaturum repromisit. *Amen dico tibi hodiè mecum eris in paradiso.* Matt. 27.

Ambigat hic non nemo, cur Christus transiens ex hoc mundo ad Patrem, eiq; partæ à se victoriæ spolia, & dona hominumque primitias allaturus, non alium, quàm latronem secum assumere vult. Itane Christi latus, latrone socio, atq; comite, securum & adornatum videtur? Nonne opportuniùs esset, primarium quempiam virum, aut sapientissimum sacerdotem, vel virum aliquem sanctitate insignem, qui reliquas è Christi triumpho manubias, velut de facie ostenderet, secum deferre? Minimè equidem: Si enim ad illius æui Principes, sacerdotes, aut Pharisæos oculos conuerteris, omnes eiusdē farinæ agnosces. *Principes eorum nonne fraudulenti, socij furum, omnes diligentes munera, sequentes retributiones.* Isaiæ 1. Nonne Prophetæ illorum, ex eodem furum manipulo? dicente Domino Ieremiæ 23. *Ecce ego ad Prophetas ait Dominus, qui furantur verba mea, vnusquisq; à proximo suo.* Quid illorum Pharisæi, qui sanctiores in populo habebantur? nonne etiam hypocritæ, gloriam ab hominibus quærentes, hoc est, occulti fures erant? teste D. Bernardo Serm. 13. in Cantic. *Quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris ipsi furaris.* Vt ergo Christus sanguinis sui fructum, diuitias, efficaciam, ostenderet, atq; commendaret, latronem in turpissimis priùs flagitijs volutatum, postmodùm regiâ Christi purpurâ splendentem, secum in paradisum ducit, vt vbi abundauit delictum, superabundet splendeatq; donum. *Hodie*, ait, *eris mecum in paradiso.* antequàm Petrus, antequàm vllus Apostolorum, regnum cœlorum tenebis. Et cur Domine Iesv sic latroni acceleras possessionem regni cœlestis? ne miremini: erat illi cordi & oculis Iesv s crucifixus; qui vbi fidem latronis impleuit, non patiebatur illum aliqua dilatione regni torqueri. Hanc rationem assignat D. Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum, de populo Christiano. *Cui*, inquit, *primò redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum, difficultate fidei magnitudinem meruit præmiorum.* S. Hieron.

Christus cur non quempiam alium, sed latronem secum in paradisum assumere voluit.

Reges in suis thronis iudicia exercent, Christus pariter in cruce sanctâ iudicia facit: adiudicat enim Sanctum Ioannem B. Virgini pro filio: *Mulier ecce filius tuus*: Et Ioanni pariter virginem pro matre: *Deinde dicit discipulo, ecce Mater tua.* Ioan. 19. Quid agis ô bone Iesv, ergone iam à te matrem tuam ablegas, dùm eam non matrem, sed mulierem vocas? Ita enim verba hæc dura fuêre castissimæ virgini, vt illis impletam fuisse Simeonis Prophetiàm arbitretur sanctus Bernardus Lucæ 2. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Vnde citatus Bernardus Ser. super c. 12. Apoc. in hunc modum B. Virginem alloquitur: *An non tibi plusquàm gladius fuit sermo ille (reuera pertransiens animam, & perstringens vsq; ad diuisionem animæ & spiritus) mulier, ecce filius tuus? ô commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur.* Sanè gladius fuit acutissimus, verbum illud nomen matris præteriens, & Mariam à Iesv pauliſper diuidens. Et cur Domine Iesv tàm acutum gladium exeris in Mariam? Quid necesse erat taliter matrem afficere? Dicebat Catholici mei Iesvs Matt. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem aduersùs Patrem suum.* Qui ergò gladium porrigebat suis, quo se pro Deo etiam à parentibus diuiderent, meritò & nunc gladium exerit, quo maternam teneritudnem diuidat, dùm pro mundo satisfacit diuinæ iustitiæ. Recipe ergò iam mœsta parens, Ioannem pro filio: *Ecce filius tuus.* Et quid obsecro causæ, quòd spirans in cruce Iesvs, non Petrum potiùs, quàm Ioannem dederit in tutelam & obsequium matri suæ? Quia nimirum erat in Maria & Ioanne propositum virginitatis, quod ex

Christus in cruce iudicia celebrat. Ioan. 19. S. Bernard. Matt. 10.

consor-

conſortio alterius in altero illuſtrabatur. Ait enim Petrus Damianus Serm. 1. de Ioanne Euangeliſta. *Rectè ergò virgo virgini ad obſequium traditur, & pro Domino ſeruus vice filij ſubrogatur, vt virginalis pudicitiæ ſplendor, ex vtraq; perſona ſibimet inuicem congruat & floridus intimi candoris aſpectus, quod in ſe virere conſiderat, hoc vernare & in altero deprehendat.* Certè maximè in affectu virtutis creſcunt, qui ſe mutuò conſiderant, in operibus eius fulgere.

Petrus Damian⁹.

Reges de ſolio regni ſui decreta ferunt, ſtatuta & leges condunt; Chriſtus pariter de throno crucis legem toti mundo protulit: *Conſummatum eſt* Ioan 19. Cuius myſterij non obſcurus index mihi videtur fuiſſe Eſdras, qui librum legis coram omni multitudine legit apertè: *Stans ſuper gradum ligneum quem fecerat ad loquendum.* 2. Eſdræ 8. vbi per Eſdram, accommodatè intelligi Chriſtum exiſtimo, de gradu ligneo, hoc eſt, de cruce ſancta librum legis, ſeu totam ſcripturam mundo interpretantem his verbis: *Conſummatum eſt.* hoc eſt, tota in me ſcriptura impleta eſt. Si enim legente Eſdra omnes intellexerunt, vt palam fatetur ſacer textus, quantò magis Chriſto Domino in cruce ſancta myſteria legis interpretante, vniuerſus mundus intellexit, vt docet Tertullia. lib. aduersùs Gnoſticos cap. 12, *Quis*, inquit, *nunc medullas ſcripturarum magis noſcet, quam ipſa Chriſti ſchola, quos & ſibi diſcipulos Dominus adoptauit, omnia vtiq; edocendos & nobis Magiſtros ordinauit, omnia vtiq; docturos.* Dùm Reges inaugurantur, & in Regio collocantur throno, ex varijs orbis terræ partibus accurrunt nuntij, ſceptrum & diadema gratulabundi. Quando ad mortem ducebatur Dei Filius, deſertus fuit ab omnibus, etiam à ſuis diſcipulis, imò vt ipſe ait, à Patre derelictus, vt meritò clamet per Iſaiam cap. 63. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Sed vbi in ſolio regali, in cruce ſancta conſedit, currunt vndiq; etiam de viſceribus terræ legati,

Ioan. 19.

2. Eſdræ 8.

Tertullia.

Iſaiæ 63.

cum gratulatorijs acclamationibus: *Multa corpora ſanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt.* Matt. 27. Paſſus eſt ſolus Chriſtus, ſed multis conſurgentibus ſe ſuſcitat, habens non paſſionis, ſed gloriæ reſurrectionis participes. Pulchrè alludit Paſchaſius lib. 12. in Matthæum. *Chriſtus*, inquit *quamuis vnus ſit mortuus, & ſolus pro omnibus, noluit ſolus reſurgere, ſed cum pluribus, vt primùm teſtes haberet reſurrectionis; deinde ipſe vna cum multis, vt ſpem refunderet deſperatis, teſtis extitit perpetuæ reſurrectionis.* Itaq; qui cauit in paſſione, ne quis diſcipulorum de eius calice biberet, in reſurrectione omnẽ gloriæ abyſſum in homines effudit, vt haberet diuitiarum & proſperitatum participes. In primo aditu Principum ad ſolium Regni, exquiſitiſſimè totum palatium adornatur, & omnia noua conquiruntur ornamenta. Sic dùm cruci ſanctæ adhæreret Dominus noſter, protinus pulcherrima cœli lumina, noua & inuſitata aſſumpsêre indumenta. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſq; in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol.* Lucæ 23. Tenebris patiente IESV inuoluitur vniuerſa terra, quia Dominum & creatorem ſuum agnoſcere noluit. Ait Simon de Caſſia. *Dantur tenebræ mundo ignoranti, quia mundus eum non cognouit.* Et Sol, & lumina cœli caliginem tenebroſam induunt, vt reſpondeant Iudæorum cæcæ caligini in crucifigendo Chriſto. Ait S. Leo Serm. 10. de paſſione. *His vocibus veſtris ſtultis, reddunt vniuerſa elementa reſponſum, & vnam in vos ſententiam ferunt. Cœlum, terra, Sol, ſyderaq; indignos vos ſuo miniſterio proteſtantur terribili motu, inſolitoq; defectu tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt.* Fit nouus & inuſitatus creaturarum motus. *Terra mota eſt, & Petræ ſciſſæ ſunt.* Matt. 22. Milites de veſtimentis eius ſortes mittunt, Iudæi prætereuntes blaſphemant: *Vah qui deſtruis templum Dei.* IESVS autem immemor tot iniuriarum, pro illis orat: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Lucæ 23.

Caſſianus.

Cur morienteChriſto lumina cœli obſcurata fuêre.

S. Leo.

Matt. 27.

Notum itaq; Salomonem vobis Catholici produxi, IESVM crucifixum, crucem eius, thronum verè Regium ostendi, & sex gradus per quos ascendebat, recensui. Adorate ergo nouum hunc Regem, vt qui pro nobis tanta pati dignatus est, fructum suæ passionis nobis applicet. Ne memineris Domine IESV iniquitatum nostrarum: *Quia apud te propitiatio est.* Psal. 129. Quæ verba Hebræi apud Agellium sic legunt. *Quia apud te propitiatio est, vt timearis.* Innuentes, Christum propitiationem factum, qui peccatorum pœnas in seipso susciperet, magnitudinem diuinæ iustitiæ, nostrorumq; scelerum grauitatem nobis ob oculos ponere, vt ea summoperè exhorreamus. Seriò id monente Eucherio Gallicano Episcopo homil. 2. de Symbolo: *Ita & Dominus noster Iesus Christus, non solùm diuinitatem, sed etiam crucem, & mortem suam post futuris saculis voluit celebrari, vt à peccatis, propter quæ moriebatur, non solùm nos Dei mandata reuocarent, sed illata pro nobis supplicia, & vulnera deterrerent,* Ideò quippè Dominus noster propitiationem se pro peccatis nostris opposuit, vt dùm homines atrocissimas pœnas, atque dolores, quos pro illorum scèleribus pertulit, vident, simulq; animaduertunt, nouis modò peccatis, quantum ex se est, eum rursùs crucifigere, & super dolores vulnerum eius addere, non possint non ad illum timendum vehementiùs permoueri atq; perduci, sub quo sensu, illa verba Isaiæ 50. *Stemus simul? quis est aduersarius meus? accedat ad me*: accipiebat Stephanus Cantuariensis, in allegòrijs Gotfridi Tilman. ad cap. 3. Sophoniæ, vt ex consideratione vulnerum atq; dolorum, quæ pro homine Saluator sustinuit, magnus ipsos occupet pudor, quo à peccando refugiant: *Accedat,* inquit, *& videat propter nos mulctatum morte, turpatum cruce, sputis illitum, plagis liuidum, spinis coronatum, lanceâ perforatum, & esse aduersarius erubescat.* Ego autem addo, ô Domine IESV, quem & ipsa cœli lumina erubescunt, nec audent nuditatem tuam aspicere, cui vestem pulchritudinis nostra scelera detraxerunt, excita in nobis pium pudorem, vt ampliùs te peccatis offendere erubescamus.

Psal. 129. Eucherius. Isaiæ 50. Stephanus Cantuar.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Et audiui vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis: ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram. *Apocal.* 16.

Septem phialæ iræ Dei, à septem Angelis in consummatione sæculi, in omnia elementa, & cœlestia lumina effundendæ, Christi passioni accommodantur.

RECTÈ pronuntiauit Diuus Paulus Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Senserunt Azotij seueritatem diuinæ manus, cùm eos ob dishonorationem Arcæ fœderis, duplici pœnâ, & in proprijs corporibus, & in bonis externis flagellaret. 1. Reg. 5. *Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos. Et percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ & agri, in medio regionis illius: & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.* Sensit impia Hierosolyma, potentiam manûs diuinæ, diuturna obsidione hostili pressa in tantum, vt etiam vltimam famem humanis carnibus explere cogeretur, & tota in hostili gladio caderet. Quod deplorat Ieremias Thren. 2. n. 4. *Tetendit arcum suum, quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis, & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam.* Hac manu iratus Deus, vehementer terruit insolentes Israëlitas Ezechiel. 6. n. 14. *Extendam manum meam super eos,*

Hebr. 10. 1. Reg. 5. Threu. 2. Ezech. 6.

eos, & faciam terram deſolatam & deſtitutam, in omnibus habitationibus eorum, & ſcient, quia ego Dominus. Quod fuſiùs perſtringit D. Ambroſius in Pſal. 37. poſt initium. *Manum* inquit
S. Ambro. *Dei, virtutem intelligimus puniendi. Hæc manus Regem Ægyptiorum, propter Abrahæ iniuriam, ob tentatam Saræ pudicitiam flagellauit. Hæc manus Ægyptiorum currus, equos, & populos rubri maris demerſit profundo. Hæc manus mentem grauauit Regis Saul, vt gratiam ſui conſeruatoris odiſſet, & gladium in ſe ſuum conuerteret, ne captiuus ſenex viueret, filijs & regno ſuperſtes.* Maximè tamen in duobus, implacabilis diuinæ manus ira eluxit. Inprimis in diluuio vniuerſali, cùm Deus iratus hominibus, illos ſuo ſpiritu indignos, & vltima exterminatione puniendos reputans, induceret aquam diluuij in vniuerſam terram Gen. 7. *Ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Vt lenta illa, & paulatim procedens inundatio, magis furorem Domini indicaret. Quemadmodùm ingeniosè obſeruat D. Chryſoſth. inquiens. *Num erat,* inquit, *ei poſſibile, vt*
S Chryſo. *vno die totam pluuiam induceret? Quid inquam, vno die? vno momento poſſet. ſed hoc deditâ operâ fecit, volens ſimul & timorem incutere, & occaſionem præſtare; quâ poſſent pœnam, quæ iam in foribus eſſet, effugere.* Solus Noè, quia iuſtus inuentus eſt, cum filijs, & vxoribus, ac iumentis iubetur arcam ingredi. Gen. 6. *Et ingreſſus eſt Noè, & filij*
Gen. 6. *eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius, cum eo in arcam propter aquas diluuij. De animantibus quoq; mundis, & immundis, & de volucribus, & de omni quod mouetur ſuper terram, duo & duo ingreſſa ſunt ad Noè in arcam.* Miror homines ſic ſe claudere tetro arcæ ſepulchro; ſic velle priuari Solis lumine, & credi fragili ligno. Quanta hæc mors? quanta afflictio? eodem quo belluæ carcere tenebantur, nigris tenebris iacebant ſepulti; omni ſolis vſurâ priuati erant, feriebantur extrinſecus feruentibus vndis. Vidiſſes tunc cœlum in plagas ruiſſe: hortos amæniſſimos cum pratis viridantibus, ſata lætaVniuerſalis diluuij horror.

A boumq; labores multiplicatis imbribus attrita. Vidiſſes vrbes eluuionibus patuiſſe, & domos tempeſtatibus nutaſſe. Vidiſſes camporum planities, æquora, non pedibus terenda ſed manibus ſulcanda. Vidiſſes in ipſos collium vertices exundaſſe maria. vidiſſes ſuper altiſſima montium capita, refuſas vndas, cœlum vndiq; & pontum. vidiſſes filios in oculis parentum, & parentes in oculis filiorum rapi: doctos ſimul cum indoctis, potentes cum imbelli turba,
B diuites cum egentibus, homines ſimul cum animantibus, volucribus, & vermibus aquis inuolui. *Quoniam tunc erat ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Quid de extremo iudicio loquar, vbi non ampliùs miſericordiæ locus erit? Quia tunc Chriſtus Deus manifeſtus veniet, inter iuſtos iudicaturus iuſtè, qui occultè venerat iudicandus ab iniuſtis iniuſtè. *Ille Iudex,* ait Auguſtinus libro 3. de ſymbolo, *nec gratiâ præuenitur, nec* S. Auguſt.
miſericordiâ iam flectitur, nec pecuniâ
C *corrumpitur, nec ſatisfactione, nec pœnitentiâ mitigatur.* Hinc Euangeliſta Matthæus, poſt tragicam illam ſub Antichriſto calamitatem, gradum facit ad prodigioſa funeſtè ſigna, quæ tremendam ſupremi iudicij diem anteuertent. *Sol,* inquit, *obſcurabitur,* Matt. 24.
& luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur. Matt. 24. Quem cœlorum luctum, S. Chryſoſth. ibidem ita exponit: *Patre familias moriente,* S. Chryſo.
tota domus eius turbatur, omnis familia
D *plangit, & conſciſſis tunicis ſuis, nigris ſe operiunt veſtimentis; ſic & humano genere, propter quod omnia fuerunt creata, circa exitum conſtituto, totus contriſtatur mundus, vniuerſa cœli miniſteria lugent, & candore depoſito, pro veſtibus, luctuoſis tenebris veſtiuntur.* Sub tempus itaq; tremendi illius iudicij, Sol obſcurabitur, quia Deus ſubducendo illi concurſum ſuum, lumen adimet. Quid ad hæc ſpeculationi Philoſophiæ dediti viri ſapientes, qui ſtellas cœleſtes potiſſimùm viſibiles, terrenâ mole multò maiores aſſeri-Ante diem Iudicij nõ omnes ſtellæ, ſed tantùm minimę dè cœlo cadent.

tis? Quomodò tunc de cœlo cadent, cùm magnitudini earum non sufficiat terra? cùm D. Chrysosth. & Euthymius in fine mundi propriè dictas stellas, & sidera è cœlo casura affirment? verùm hoc intelligi debet de stellis minimis, quæ nobis propter suam exiguitatem non apparent: stellæ enim visibiles, cùm sint maiores totâ terrâ, in eam cadere nequeunt. Sanè iudicaturo Domino lugubrem, flebiliter mundum, horrendum immugiet, concutietur vniuersale mortalium theatrum inopinato quodam spectaculo, tribus ad tribum pectora ferient. Pontentissimi quondam Reges, mundo formidabiles, nudo latere palpitabunt. Adducetur cum suis lumine fidei destitutus Plato discipulis, Socratis æquanimitas titubabit, Aristotelis argumenta non proderunt, Philosophorum argutiæ & cauillos fabricatæ, nec mutire audebunt, quando aderit ille filius pauperculæ quæstuariæ, in solio exertæ iam diuinitatis, omnes fines terræ districtiùs iudicaturus. Ecquis oro, quoties diem illum corde tacito animitùs versat, toto corpore non pauidè contremiscit; & siue comedat, siue bibat, siue aliquid aliud faciat, non semper videbitur illa tuba terribilis sonare in auribus suis, & horrisonè mugire: Surgite mortui, venitè ad iudicium. *Verè vox magna* (ait S. Chrysosth.) *vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ Petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum disrumpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat.* Verùm horum omnium, ad hodiernam seueritatem diuinæ iustitiæ, nulla est comparatio: luctuosa quippè dies hodierna, nec habuit ab orbe condito, nec habitura est luctuosiorem vnquàm. Si enim vniuersali diluuio, consumpta est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumq; reptilium, quæ reptant super terram: vniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. si in consum-

Extremi iudicij tristis apparatus.

S. Chrysos.

matione sæculi, malis pœnas æternas reddet Deus, non mirum: quia hoc iustitia eius requirit, vt nullum scelus impunitum remaneat. At verò hodiè non hominem purum, vilissimum Dei figmentum, sed hominem pariter Deum; non peccatorem, sed innocentem IESVM duriùs tractari video. Luget præ dolore vniuersa mundi machina, dùm creatorem suum à creaturis indignè acceptum, despectum, & illusum spectat. Lamentatur cœlum, totum lugubri veste contectum: *Tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, & obscuratus est sol.* Lucæ 23. Erubescit sol, pulcherrimus ille mundi oculus, spectare sacratissimum Christi corpus, flagellis contusum, & ad ipsa vsq; ossa vndiq; perforatum, vt meritò ipsemet Saluator, in persona Dauidis hodiè alloquatur seueram Dei iustitiam: *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Non vult hodiè placari diuina iustitia, sed seueram vltionem de peccatis sumere volens, mittit septem Angelos, qui effundant septem phialas iræ eius super terram. *Ite, & effundite septem phialas iræ Dei super terram.* Apocal. 16. O bone Deus! vtiq; quoties antea delinquentem mundum punire velles, vnicam duntaxat furoris tui iram super terram effundebas? sic cùm nefandis Sodomorum vitijs prouocatus, totam Pentapolim incendio deleres, vnicam solummodò scintillam, de cœlo proiecisti. Gen. 19. *Igitur pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur, & ignem, à Domino de cœlo.* Cùm superbum Pharaonem, voluntati tuæ resistentem, cum vniuerso exercitu in mari rubro submergeres, vnicam tantùm furoris tui iram demisisti: *Fugientibusq; Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Exodi 19. Cùm totum exercitum Hebræorum de Ægypto egressum, murmurantem contra te, & à terra promissionis auertentem corda filiorum Israël, ferro ac flammâ profligares, vna solùm gutta iræ tuæ apparuit. *Igitur omnes viri, quos*

Lucæ 23.

Apoc. 16.

Gen. 19.

Exodi 19.

Num. 14.

quos miſerat Moyſes, ad contemplandam terram, & qui reuerſi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd eſſet mala, mortui ſunt, atq; percuſſi in conſpectu Domini. Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone, vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad conſiderandam terram. Num. 14. Dum in Palæſtina propter Arcæ captiuitatem, ducenta & viginti millia hominum interficeres, vt refert Philo in Antiquit. Biblicis. Dùm ex Aſſyrijs, centum octoginta quinq; millia virorum Angelus tuus demeſſue- B
4. Reg. 19. rit. 4 Reg. 16. Dùm propter Dauidis culpam, populum contra legem recenſentis, aut de illius multitudine gloriantis, non maiori ſpatio; quàm ſex horarum, ſeptuaginta millia virorũ peſtilentiâ extinxeris 2. Re-
2. Reg. 24. gum 24. Dùm deniq; totum Regnum Iuda, & Iſraél, ſuis in ſceleribus obduratum, innumeris cladibus atque infortunijs labefaceres, vnicâ tantùm ſcintillâ tuæ indignationis vſus es. Hodiè autem implacabilis Deus, rigidam ſatisfactionem pro C peccatis noſtris exigens, ita in fideiuſſorem noſtrum, innocentem IESVM, in quo non eſt inuentus dolus, ſæuit, vt ei ſeptem Phialas indignationis ſuæ ebibendas offerat. Quod contemplans Ieremias queribundus
Iere. 47. exclamat: *O mucro Domini, vſquequo non quieſces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.* Ieremiæ 47. n. 6. Conſiderabimus itaque iſtas ſeptem Phialas Dominicæ paſſionis, à Domino Deo hoc vnum poſtulantes, vt Angelum illum, qui Chriſtum in hor- D to prolixius orantem, & ſanguineo ſudore manantem confortabat, nobis pariter de cœlo mittere dignetur, qui & me in enarranda cruenta Chriſti paſſione, & vos ſomno forſan grauatos, ad attentè audiendum, & deuotè orandum confortet.

Prima phiala iræ Dei.

ET PRIMVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM, ET FACTVM EST VVLNVS SÆVVM. Et quænam obſecro terra hæc eſt, in quam phiala iræ Dei effunditur? Illa certè, quæ primi parentis temerario auſu in vetitum cibum nitentis contaminata, primam Dei maledictionem ſubijt: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Germinat enim ſpinas, quæ præfocant animam noſtram: germinat ſpinas, dùm corporalis libidinis titillatione nos compungit. Germinat tribulos, cùm diuitiarum ſæcularium cupiditate nos diſcrutiat: ſpina enim Chriſtiano homini auaritiæ ſuæ radix eſt, virò bono honoris ambitio eſt. Germinat ſpinas; quia homines peccato obnoxios, Deo rebelles gignit, tanquàm arbores infructiferas: vt enim arbor terræ ſuccum, vitamq; ex radicibus haurit, ac percipit; ita homo qui in ſcripturis ſacris frequentiùs cum arbore componitur, quaſi originem atq; propaginem è parentibus terrenis, velut per radices trahit. Hinc vt Iſraëlitici populi vitiata origo à Domino exprobraretur. Ezechiel. 16. dicitur: *Radix tua, & gratia tua, de terra Chanaan.* Ezech. 16. Proindè vt tota humana natura, labe originali infecta, ad viuum depingeretur, aptiùs nihil, quàm arborem, vitiatis & carie corruptis radicibus delineares. Qua de re eleganter Petrus Chryſologus, in illa Pauli verba Rom. 5. *Per peccatum mors introiuit in orbem terrarum.* Rom. 5. Serm. 111. ita diſcurrit: *O crudelis fera, & non vno capite in humanum genus ſæuire contenta? quam videmus tota humana ſtirpis germina tàm pretioſa decurrentem trino ore, ſiquidem peccatum rapit, mors deuorat, deglutit infernus, & ita in omnes homines pertranſit. Odura hereditas! ò crudelis! ò miſeri! Quibus nec adſpici libuit, nec renuntiare licuit, nos hæredes & ne hoc iniuſtum forſitan videatur, reſpondetur; quia omnes per vnum, nunquid non in ſemine tota arbor? vitium ergo ſeminis, vitium eſt totius arboris.* Chyſolog. In hanc ergò terram, ſpinas & tribulos germinantem, effuſa eſt phiala iræ Dei, dùm in eam prima maledictio impingeret: *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In ſudore vultis tui veſceris pane tuo.* Gen. 3. En, ad quid peccatum deduxit miſerum genus humanum, vt perpetuis ærumnis

mnis & laboribus addiceretur. Verùm quia ipsemet Deus, hanc maledictionem contra terram fulminauit, misericordiâ simul eam temperatam fecit. Post recentem quippè damnationis sententiam, & primò æstuantis agriculturæ rudimenta, Adæ soboles numero vasta, opimis terræ fructibus satur, longæuitate annosior, & deliciarum blandimento affluens, veneris cupidine salacior, exilium in patriam conuerterat, & quasi rescissa aut intermissa, aut potiùs mitigata foret sententia, mundanis bonis felicitèr fruebatur. O felicitas diuturnior, vt scelerum matrix; ita & infelicitatum minæ, & calamitatis augurium? Præstaret iratum Deum constanter pati, quàm ipso supplicium mitigante, felicitate diffluì. Quod alto stylo perstringit Tertul. lib. de Pœnis cap. 2. *Deus*, inquit, *post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis, à Principe generis Adam auspicata: post condemnatum hominem cum sæculi dote, post eiectum paradiso, mortiq; subiectum, cum rursùs ad suam misericordiam maturasset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescissa sententia irarum pristinarum. Est profectò longè alia terra, in quam hodiè Angelus Domini effudit phialam iræ diuinæ, ille nimirum pulcher charitate, & subindulgentissimo gratiæ sidere, fundatus mons Sion, illa ingrata vrbs Hierosolymitana, ad quam frequenter miserat Deus suos Prophetas, qui ei de aduentu Messiæ venturi annuntiarent.* Illa inquam infelix ciuitas, omnium Dei beneficiorum immemor, impleta est hodiè irâ Dei; *& factum est vulnus sæuum*: quoniam in necem innocentissimi IESV conspirauit.

Tertullia.

Elephantorum prudentia in bello.

Elephantos bello vtiles, & aciei instruendæ haud imperitos, qui ex se se eos qui dente inutili sunt, ante alios in prima acie constituunt, ad primum hostium impetum sine magna iacturâ excipiendum, reliqui qui in subsidijs manent, dentium robore integri, auxilium fessis ferunt, tradit Plinius inquiens: *Vbi equitatu circumuenti sunt, infirmos aut fessos in medium recipere, & velut imperio ac ratione per vices subire.* Hinc Indorum Rex, teste Ælíano, hostibus bellum illaturus, triginta millia bellatorum elephantorum secum ducebat, viginti quatuor elephantis latus regium custodientibus. Maximè autem elephanti ostenso vuarum, mororumq; sanguine, ad prælium à veteribus accendebantur. Cuius veritatis euidens testimonium habemus in sacris literis, 1. Machab. 6. Cùm enim Rex Antiochus pugnaret contra Israèlitas, habens exercitum ingentem, centum millia peditum, & viginti millia equitum, elephantos verò exercitatos, ad prælium triginta duos, hoc stratagemate vsus est. *Et comparauerunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt, & elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium; & diuiserunt bestias per singulas legiones.* Rationem affert vlysses Aldrouandus, quòd id à propria sanguinis naturâ procedat. Sanguis enim intuitu rerum rubrarum commouetur, qui commotus iram accendit, vt non solùm homo, sed & belluæ in apertum discrimen audacter prosiliant. Hinc periti medici, spuenti aut fundenti ex naribus sanguinem, non permittunt ipsum sanguinem, vel quascunq; alias res rubras intueri, sed potiùs ad cærulea, aut nigra oculos conuertere suadent, ne sanguis amplius agitatus erumpat. E contra verò exanthematis secundùm cutem laborantes, iubent rubris indumentis vti, atque cubiculi, in quo decumbunt, parietes rubris tapetibus tegi, sperantes fore, vt sanguis abundantiùs ad cutem emergat. O infelix Hierosolyma, quæ talibus bestijs sanguinem humanum sitientibus armata, non solùm sanguinem Prophetarum fudisti, sed & in ipsum innocentem IESVM, violentas iniecisti manus. Consilium scelesti Caiphæ sequendo: *Expedit vnum hominem mori pro populo.* Ioan. 18. Hinc meritò S. Ioannes, Iudæos genimina viperarum appellauit Lucæ 3. tum ex ea ratione, quòd viperarum, vt loquitur S. Hilarius Can. 10. in Matt. hoc est, venena-

Regem Indorum viginti elephanti in bello stipant.

Elephanti sanguine & rubro colore accenduntur ad prælium.

1. Machab. 6.

Quibus sanguis ex naribus fluit non debent rubrum colorem aspicere.

Ioan. 18.

Iudæi cur genimina viperarum dicti.

nenatas haberent linguas, quibus ca- A lumnias contra Sanctos Prophetas, Chriſtum, & Eccleſiam effutiebant. Tum ex eo, quòd tanquàm venenati filij, de venenatis parentibus nati, ſanguinem ſanctorum effuderint, & parentem ſuum Chriſtum Dominum occiderint. vt cenſet S. Chryſoſth.

S. Chryſo. homil. 12. in Matthæum. *Ferunt*, inquit, *viperam, marem cœundo necare, cuius ſemen excreſcens perimit matrem, & ſic prodit in lucem ſciſſo parentis vtero, in vindictam quodammodò parentis genitoris, itaq; parricida eſt proles vipera.* B *Tales erant Iudæi, qui patres Spirituales eorum, atq; Doctores occidebant.* Petrus autem Chryſologus ex eo putat Iudæos, genimina viperarum vocari, quòd Synagoga eorum fuerit inſtar viperæ, quæ Chriſto ſponſo atq; parente interfecto, Chriſtianæ Eccleſiæ fœtum concepit; qui tamen poſtea matris viſcera diſrupit, & ſic dùm Chriſto necem machinaretur, ſui ipſiuſmet dirus carnifex exſtitit.

Chryſolo. *Vipera*, inquit, *conceptus ſui tempore, inter os ſuum receptum caput coniugis, refertur abſcindere, vt per cruenta oſcula, non fœtum concipiat illa, ſed crimen, ac ſic carnifices ſceleris ſui pariat filios, vindictaq; ordine non naturæ; nam genimina patris concepta de cæde, ſanguinis, antequàm lactis, exigunt nutrimentum, & vltionem petunt matris: namq; vterum vipera dicuntur exſcindere, & ſceleſtum conceptus ſui domicilium, adhuc immaturis viſceribus, maturo furore confringere, vt hoc ſit illis viuere, matrem ſuam, matrem quæ illos tales genuit, non videre.* Progenies viperarum Synagogam, D eiuſq; filios tales fuiſſe demonſtrat, ad quam Chriſtus affectu coniugis cùm veniſſet, inter amplexus, & oſcula cruenta Iudæ, Chriſti caput eſt expetitum, & ore petitum, cùm dicitur. CRVCIFIGE, CRVCIFIGE. Vnde pignora ſanguine concepta, tantò mox ad matris armantur interitum, vt diſrupto Synagogæ vtero, ad vocem Ioannis concurrerent, & regenerarentur ad Dei progeniem. Perpendite eiuſmodi viperarum malitiam, ineunt conſilium Iudæi cum Principibus Sacerdotum, ſed ad quid? pro dolor! *vt Ieſum dolo tenerent.* Et vnde tibi ô viperina ſoboles Iudaica, tanta rabies contra proprium Dominum? Equidem ex fonte & origine omnis peccati inuidiâ, quæ nemini optat, quod ipſa habere nequit, nec ſecundos proximi euentus ferre poteſt.

Fertur in hiſtorijs de Valente Imperatore, eum tantâ inuidiâ laboraſſe, vt neminem ſibi parem in Imperio habere vellet, proindè omnes interfecit, qui eius potentiæ facilè reſiſtere poſſent. Cumq; totum ſtudium in id conuertiſſet, vt & ſuum ſucceſſorem è viuis tolleret, ſcire non valens, quiſnam poſt eius fata ſceptra Imperij aſſumpturus foret, à dæmone illuſus, magicis vanitatibus, eum poſt ſe regnaturum, cuius nomen à litera O inchoaret. Omnes interfici iuſſit, qui hanc literam ſuo nomine gerebant, vt Theodoros, Theodotos, Theodolos, & Theodoſios. En quam ſæua beſtia eſt inuidia, C quâ nullum monſtrum deterius, nullum damnum damnoſius. Hæc eſt illa beſtia, quam vidit Daniel Propheta cap. 7. *Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo, in parte ſtetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius.* meritò dicitur ſimilis vrſo, quia ſicut vrſus debile caput habet; ſic inuidia nullum ſuæ malitiæ fundamentum habet. Tres ordines dentium habet, primum, feritatis, peruerſæ naturæ, & omnem humanitatem exuentis. Quod ſic concipite: erat D. Paulus ob Chriſti Euangelium in dura vincula coniectus, ſiſtebatur quotidiè Neronis iudicibus, imminebant ſingulis momentis Paulo ſupplicia, ipſaque mors, non vno hauſtu ebibenda, ſed pluribus cruciatibus præſentienda. Indictum illi bellum & ſæuum odium à gentilibus, à Iudæis, ab Hæreticis, ab ipſo demum Cæſare erat. Quæ tunc in Paulum pietas fratrum, quod officium Chriſtianorum erat? Reſpondet ipſemet: *Quidam propter inuidiam & contentionem Chriſtum prædicant, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vin-*

Valentis Imperatoris quanta inuidia & tyrannis.

Daniel. 7.

Vrſi caput debile.

Inuidiæ tres ordines dentiũ.

D. Paulũ ſub Nerone quanta oppreſſio.

vinculis meis. Paulo vinculis adstricto, & vndiq; laboranti non miserebantur, nec subueniebant, vt potiùs rem arduam, qualis erat Euangelij prædicatio, inuidiâ permoti libenter susciperent, quo Paulus magis affligeretur, nec aliquale illi de laude Euangelici muneris solatium remaneret. Vt notat S. Chrysosth. exclamans: *Tribulationi tribulationem superinducunt. O crudelitatem! O diabolicam energiam! vinctum videbant & in carcerem coniectum, & tamen adhuc inuidebant. Auctas volebant illius calamitates, maioriq; ira regis obnoxium factum.* Obstupescite, quantùm à propria conditione, & humana natura inuidi homines desciscant, cùm nullus apud eos humanitatis sensus sit. Certè si hominis conditionem & formationem speculeris, peculiari illum modo ad Dei imaginem, nec ex quauis terrâ, sed ex ea, quæ cæli in se rore & pluuiâ susceptis, blanda, fermentata, & tractabilis foret, factum fuisse cognosces. Quia vt docet Sanctus Paulus 1. Corint. 15. *Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum.* Hoc autem ideò factum est, vt nouerit homo illud naturæ suæ, quæ diuinæ similis existit, maximè consentaneum esse, vt proximis suis indesinenter benefacere, & opem ferre studeat.

3. Chryso.

1. Cor. 15.

Homo ex diuersa terra à belluis formatus.

En hominis germanam naturam, à belluino ingenio vndiq; discriminatam! & tamen frequenter ab ipsis feris humanitate vincitur homo, lupus enim non est lupo alteri lupus, homo autem homini fit inimicus. Pulchrè Plinius lib. 7. naturalis historiæ. *Leonum,* inquit, *feritas inter se non dimicat serpentum morsus non petit serpentes; nec maris quidem bellua, ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt; at herculè homini ex homine plurima sunt mala.* Imo quid dico lupus homini? etiam lupis & feris omnibus ferocior est, teste seneca Epistola 107. vbi humanæ vitæ pericula, & miserias recensens: *Et fera,* inquit, *nobis loco occurret, & homo perniciosior, ferus omnibus.* Nec dùm satis, ipsis etiam dæmonibus malignitate, & nocendi cupiditate longè antecellit, non enim hæc desperata monstra seipsa inuicem exagitant, non lites, aut bella inter se cient. Hinc ad humanæ malignitatis virus exprimendum, in scriptura Sacra ipsimet dæmoni humana natura adscribitur. Matt. 13. Vbi à Saluatore nostro, sub parabola seminantis zizania, mali dæmonis in Ecclesiam odium, & detestabilis sæuitia describitur *inimicus homo hoc fecit.* Nonne potiùs dicendum erat, inimicus dæmon hoc fecit? ita quidem; nihilominùs quia is tantâ malignitate, tantoq; nocendi studio se gessit, vt se metipsum superasse, & à dæmone in hominem transijsse videretur, hominis nomine intitulatus est. Habet hæc bestia alios duos ordines dentium, quibus pugnam in ipsum Deum excitat, ex eo potissimùm, quòd bonitatem & bonum, quod Deus est, maximoperè auersetur. Vnde diuinus Spiritus, qui totius bonitatis fons est, inuidi mentem, quasi sibi maximè infensam omninò derelinquere signatissimè dicitur. Sic D. Marcialis Epist. cap 7. dicit: *Nulla sit in vobis inuidia, per hanc enim Spiritus Sanctus mentem derelinquit; recedente autem Spiritu Sancto à tabernaculo mentis, euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine, nullusq; locus est ei in cœlo, qui alienum se fecit à bonitate.* Et profectò, conijcite quæso oculos in Redemptorem mundi, Iudæis primùm ob diuinas virtutes & signa mediocriter infensum, postmodum verò ob beneficiorum magnitudinem, quæ ferreos animos perdomare, & cereos reddere debuerant, ad mortem conquisitum. En hodiè consilium ineunt, quomodò IESVM dolo teneant, famam eius calumnijs denigrant, & vitæ insidiantur. Quid causæ? sola inuidia: *Quia hic homo multa signa facit.* Ioan. 11. hoc est, multa beneficia, quæ illis præstitit. Optimè id expendente D. Basilio, in citatum locum. *Quamobrem,* inquit, *tantis est petitus insidijs? ob magna eius prodigia. Quæ nam hæc erant? salus supplicum*

Plinius.

Homo omnibus belluis ferocior, imò & dæmonibus.

Matt. 13.

Ioan. 11.

plicum ac miserorum, pascebantur esurientes, & qui pascebat, oppugnabatur; reuiuiscebant mortui, & auctor vitæ inuidiam sustinebat: dæmones fugabantur, & qui eis imperabat, insidijs petebatur: leprosi curabantur, claudi ambulabant, surdi audiebant, cæci videbant, & is, qui hæc beneficia conferebat, fugabatur. Ecce prima phiala iræ Dei effusa in terram, inuidia Iudæorum, & vehemens commotio contra IESVM: *Cadet Filius hominis, quasi stercus, & quasi fœnum post falcem.* Tua quippè beneficia ô bone IESV Iudæis collata, ita illis inuisa, & odiosa facta sunt, vt te omni modo contendant benefactorem suum fugare, ac procul amouere. Tua opera sanctitatem redolentia, adeò illos vulnerârunt, vt te ô decus Angelorum, fœni instar immundi per plateas immisericorditer trahere, & in fœtidas foueas detrudere non vereantur, immò quòd magis dolendum, collum tuum sanctissimum, immundis suis pedibus conculcare non erubescunt, nec inuenies, qui te consoletur, sed improperium & miseriam expectabit cor tuum: *Et factum est vulnus sæuum.* Quia cibauit Dominus populum Iudæorum absinthio, & dedit eis potum aquam fellis, vt infernali furore accensi, odio in IESVM flagrent. Sed iam ad alteram phialam progrediamur.

Secunda phiala iræ Dei.

ET SECVNDVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN MARE, ET FACTVS EST SANGVIS, TANQVAM MORTVI, ET OMNIS ANIMA VIVENS, MORTVA EST IN MARI. Quid autem sibi velint illa verba, TANQVAM MORTVI. Aliqui censent, hoc intelligendum esse de sanguine congelato, & atro, qui ex corpore mortui profluit. Sed hoc debile fundamentum, fieri enim potest, vt sanguis ex mortuo fluens, sit rubeus & nitidus. Quemadmodùm in hædi sanguine obseruatum est. Præterea, quia non est diuersi coloris, nec minùs congelatur sanguis ex scissâ viui hominis venâ, quã cruor ex cadauere manans. Alij putant, S. Ioannem hoc loco alludere ad mare mortuum, in quod Sodoma ob scelera sua conuersa erat. Cuius maris aquæ sunt bituminosæ, ideoque atræ, vt loquitur Tacitus lib. 5. *Ater naturâ suâ liquor.* Quasi & iste Angelus, maris aquas fecerit atras & mortuas. Alcazar hoc refert ad victimas veteris testamenti, quarum cùm immolarentur, sanguis excipiebatur in vase, quod aquâ semiplenum erat, vt sanguis aquæ mistus esset fluidior, ac effusus in fossam, quæ erat iuxta crepidinem altaris, faciliùs deflueret, nec iuxta altare hæreret, illudq; inficeret. Per quod mysticè significabatur, de Christo cruci appenso, qui futurus erat victima totius mundi, sanguis effundendus cum aqua. Et ideò citatus Auctor, hoc sanguine existimat significari sanguinem Martyrum, qui mare gentilitatis rubricauit, & in sanguinem conuertit, id est, sibi Christoq; subiecit, & sanctificauit Quod comprobat D. Isidorus quæst. in Exod. c. 10. *Aquæ*, inquit, *in sanguinem versæ, significant populos conuersos ad sanguinis Christi fidem.* Per *pisces*, intelligit fideles, pro Christi nomine morti adiudicatos. Demùm alij referunt hoc, ad magnam copiam sanguinis humani iniustè effusi. Propter quòd Deus olim Ægyptijs mutauerat aquam in sanguinem, eò, quòd ipsi sanguine infantium Hebræorum, quos aquis mergebant, eas contaminassent. Exodi 7. n 19. *Quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, id o sanguinem dedisti eis bibere; digni enim sunt.*

Tacitus.

S. Isidorus

Exodi 7.

Quodnam ergò fuit mare illud, in sanguinem versum, in quo omnis anima viuens perijt? Equidem non aliud, nisi hortus ille, in quo Christus prolixiùs orabat. Hortus fuit principium humanæ præuaricationis: quippè primi parentes paradiso deliciabantur, eratq; voluptas innoxia, carens serpentino veneno: verùm diabolus veluti duplici sagittâ confossus, & se dolebat deiectum, & hominem ad honoris altitudinem sublimatum. Serpentis igitur facie personatus, dolosè hominem aggressus, dixit: *Cur præcepit vobis Deus, vt non*

Gen. 3.

non comederetis de omni ligno paradiſi. Gen. 3. Cumq; mulier ad inſidioſè interrogata reſponderet, mortiſque venenum ſub pomi ſpecie latere obijceret: *De fructu*, inquit, *ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Dæmon immortalitatem falsò promittens, mortis timorem, legis magiſtrum, obſeruantiæq; neruum penitùs deterſit: *nequaquàm moriemini.* Tunc mulier fucatâ pomi pulchritudine illecta, & doloſis conſilijs circumuenta, ſeductionis fructum vindemiauit, & præguſtatum pomum viro candidâ manu porrexit. *Tulit de fructu illius, & comedit, deditq; viro ſuo, qui comedit.* Ita quoq; acerbum mare Chriſti paſſionis, ab horto incipit, vt vnde prodijt, iniquitas, inde & ſalus oriretur. In mari exorientibus procellis, ac tempeſtatibus, multi naufragia patiuntur: Domino noſtro tanta in horto tempeſtas orta fuit, vt parum abfuerit, quin magnis illis fluctibus obrueretur. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Pſal. 68. Adeò, vt etiam Angelus de cœlo, in ſubſidium eius feſtinauerit: *Apparuit ei Angelus de cœlo, confortans eum.* Lucæ 22. Quid eſt, vtiq; Chriſtus Dominus Angelorum ope nullatenùs indigebat? nec etiam ab illis poterat mutuari ſubſidia, qui illorum virium erat fæcundiſſima vena. Hinc ſubtiliter contentioſum oritur inter expoſitores litigium, quo pacto Chriſtum Dominum Angelus confortare potuit. Haye to. 2. c. 179. not. 4. elegantem iſtius Angeli orationem, in hunc modum refert. *Quanquàm infirmus in anima & corpore appareas, fortior tamen es Principe huius mundi. Tu es victor peccati, mortis & inferni. A te omnes creaturæ, etiam nos Angeli, fortitudinem accepimus, omnes electi per te confortabuntur.* Oſtendens Angelum non aliter tunc Chriſtum confortaſſe, niſi quòd ipſi etiam Angeli à Chriſto fortitudinẽ accipiant, ab eoq; confortentur, quod eſt nouum confortationis genus. Eadem eſt mens Michàëlis Syncelli oratione in Sanctos Dei Angelos vbi ſic dicit: *Tum rurſus, cùm ad ſalutis mundi causâ ſuſceptam paſſionem veniſſet, Angelus de cœlo veniens, duplicis ei naturæ debitum impertiuit: atq; vt Deo quidem vero, in morem ſerui miniſtrabat; vt verò it rum veritate hominem, metuq; mortis anxium, affectumq; confortabat, diuinum implens ad Moyſen ac populum factum de ipſo oraculum.* Adorent eum omnes Angeli Dei. Deutor. 32. *Item & confortentur in eo omnes Filij Dei.* Mira certè & arcana è diuerſo locutio, dicitur apparuiſſe Chriſto Angelus, vt diuinum impleretur oraculum, ad Moyſen & ad populum factum, quòd adorent eum omnes Angeli Dei, vt confortentur in eo omnes Filij Dei. At verò in horto dicitur Chriſto apparuiſſe Angelus, non vt ab ipſo confortaretur, ſed vt ipſum confortaret. Quî hoc cum citatis authoritatibus poterit ſubſiſtere? verùm ad noſtram eruditionem, dùm diuerſis vtitur Angelorum miniſterijs, vtiliſſimis nos inſtruit doctrinis. Cùm ergò apud hortum mortis premeretur anguſtijs, & iam iam aures perſtrepentibus hoſtium percellerentur armis, Angelus adfuit, qui pauentem confortaret.

In mari, vbi ad rupes & ſaxa appulerit nauis, aut inter ſcillas & Charybdes conſtiterit, nauclerum in ſummo poſitum diſcrimine, extremè metus occupat. In horto ſimile quid Domino noſtro contigiſſe video: ſtetit inter præaltas rupes, parte ab vna dolorem futuræ paſſionis, ab altera reproborum malitiam, quibus mors eius profutura non erat, ſpectans, & ſubitò pauor & tædium mentem eius occupauit. *Capit pauere, & tædere.* Marci 14. eoq; mœror & anxietas peruenit, vt ſanguinem è venis extorſerit. *Et factus eſt ſudor eius, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Lucæ 22. Sciſcitemini, vnde tantus pauor Chriſtum inuaſit? hoſtiumne vires, aut arma pauebat? minimè ſanè; ſed de noſtris damnis atque

Michàël Syncellus.

Deut. 32.

Pſal. 68.

Haye.

Marci 14.

Lucæ 22.

Chriſtus in horto expauit, quia reprobis ſuam paſſionem non profuturam agnouit.

atque iacturis Chriſto inerat triſtitia, & ob perfidorum hoſtium crimen, ac pœnas in poſterum luenda, graui illo dolore diſcruciabatur. Ita exponit S. Ambroſius lib. 10. in Lucam.

S. Ambro. *Triſtis*, inquit, *erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos.* Pauebat moras ſuæ paſſionis, deſiderans opus noſtræ redemptionis omni celeritate peragere. vt cenſet idem S. Ambro. lib. 7. ad cap. 12. Lucæ. *Cùm*, inquit, *in ſe nihil habuerit, quod doleret noſtris tamen angebatur ærumnis, & ſub tempore mortis mœſtitiam prætendebat, quam non ex metu mortis ſuæ, ſed ex morâ noſtræ redemptionis aſſumpſerat.* In mari, ſi venti quieſcant, ſi procellæ ſileant, ſi tempeſtas non ſæuiat, nauigatio à pyratis haud ſecura. In horto pariter, nedùm IESVS à ſanguineo ſudore vultum ſuum deterſerat cùm illa latronum turba, cohors militum, nefarij ſatellites, IESVM comprehenſum præeunte Iuda, nocte intempeſtâ venirent. Matthæi 26. *In illa hora dixit Ieſus turbis, tanquàm ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me.* Quaſi diceret: cur potiùs non tanquàm ad proditorem, aut ſeditioſum, aut regem fictum, (huius enim criminis poſtea accuſabatur) veniſtis. Vt palam innotuiſſet in illa horâ, nihil magis à Chriſto, quàm id crimen alienum fuiſſe. Quaſi inquã diceret: num diuinitatis theſauros mihi vni retinui, & retinendo vſurpaui, & quaſi furto ſurripui, quin mundo in ſacramento liberaliter communicauerim. Quippè eam claritatem, quam à Patre acceperam, hominibus in Eccleſia reliquí? Cur ergo ad me diuinitatem vobis impertientem, tanquàm ad latronem exijſtis! Perterruerunt verba hæc non leuiter ſceleratam illam rabiem, vt IESVM minimè agnoſcerent: ita vt IESVS obuiam illis factus, vltrò ſeipſum manifeſtauerit Ioan. 18. *Quem quæritis?* Vnde quæſo illis tanta cæcitas accidit, quod notiſſimum & cantatiſſimum virum præ oculis habitum, non agnoſcerent? ſanè: quia ferratum illud Iudæorum agmen venerat, vt IESVM comprehenderet & perderet; ideò licet præſentẽ, agnoſcere minimè potuit. Si enim mites & pacifici veniſſent, etiam à longè IESVM proſpectantes, haud ignoraſſent. Hæc eſt doctrina D. Hieronymi de vera circumciſione: *Eum* inquit, *infirmi ac debiles ad depoſcendam opem ſalutis, nullo monſtrante cognoſcunt & perſecutores, vel inimici, quem tenere debeant, niſi prodatur, ignorant.* Non egent infirmi ac debiles monſtratore, vt inueniant IESVM, vbi illum miti animo quærunt ad ſalutem; at ferrei homines, qui perdere feſtinant, minimè inueniunt, nec agnoſcunt illum. Hinc Angelus dicebat paſtoribus: *Inuenietis infantem.* Lucæ 2. de Magis quoque refert S. Euangeliſta: *Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius.* Matt. 2. Quem tamen Herodes ſolicitè perquirens, minimè inuenit. Auctore Euſebio Gallican. homil. 1. de Epiphania. *Ecce*, ait, *cuius terra, & cœlum oſtendebant aduentum, qui paſtorum non latebat ſimplicitatem, quem Magi de extremâ venientes Æthyopiæ parte cognoſcunt: ſolus ad illum non poteſt Rex peruenire.* Vnus Rex, qui ferratus quærit IESVM, vt illum perimat, non eum inuenit; quando & terra, & cœlum illum veniſſe publicant; quando mitiſſimi & ſimpliciſſimi paſtores, & à longinquo venientes Magi; illum inueniunt, ſuiſq; viſceribus excipiunt. Quia nimirùm, ſicut IESVS amat mites & pacificos; ſic reſpuit ferreos, nihilq; meditantes niſi bellum, & mortem inferre.

Satellites Iudæorũ, quia armati in hortum venerant Chriſtum non agnouerunt.

S. Hieron.

Lucæ 2.

Matt. 2.

Euſebius Gallican.

Cuius rei pulchram figuram reperio in ſacris literis, reuertebatur Moyſes ex colloquio diuino, de monte Sinai, & ecce tanta gloria reſplenduit in facie eius, vt filij Iſráél eum intueri non valerent, dicit S. Paulus 2. ad Corint. 3. *Miniſtratio mortis, literis efformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſráél in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius.* Et cur Deus eam gloriam contulerat faciei Moyſi, propter quam non poſſent Iſraëlitæ, eius videre & agnoſcere fa-

2. Cor. 3.

Iudæi non poterant intueri faciem Moyſi, quia Chriſtum non erant cogniturí.

re faciem. Quia ibi ostendebatur causa, ob quam non esset agnoscendus IESVS ab illis. Sic censet D. Augustinus lib. 2. contra Aduersarios legis. S. August. *Quod autem dictum est de Moyse, quòd non poterant intendere filij Israël in faciem eius, propter gloriam vultûs eius, signum erat, quia in lege Christum intellecturi non erant.* Splendor ergo diuinitatis, ex consortio verbi æterni cũ naturâ humanâ, relucens in facie eius, fuit illis impedimento, vt eum nec intueri, nec agnoscere vellent, IESVS in horto comprehensus. sed ecce mitissimus IESVS, desiderio redemptionis humanæ æstuans, vltro se manibus latronum submittit, respondens: *ego sum.* Quibus verbis animata latronum cohors, sacrilegas manus in IESVM inijcit. Alij capillos arripiunt, & dissipant; barbam alij vellicant, pugnis alij concutiunt, alij genibus in terram proiectum contundunt. Ligatur totus IESVS, & nectitur: *Ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum.* Et quis tantæ potentiæ est, vt manus diuinissimi IESV ligare, nectereq; valeat? Audite S. Leonem Serm. de Passione 18 S. Leo. *Comprehendi se a persecutoribus patitur, qui continet mundum, & eorum manibus nectitur, quorum corde non capitur.* O stupor! ô prodigium! Qui aperiens manum suam, implet omne animal benedictione, sustinet ligari, & necti, ne manum extendat, ne quid benedictionis largiatur. Sed à quibus sic capi patitur? respondet S. Leo: Idem. *quorum corde non capitur.* Vbi enim IESVS non est in corde hominis, sic ligatur, & nectitur, vt minimè ad benefaciendum extendat manum. Proh infelicitatem hominis, qui non curat IESVM in corde tenere, is sanè manus Christi ligat, ne aliquid ab eo capiat. Apostoli Sancti, vbi nunc vester erga magistrum amor? serui pro dominis suis, maximis discriminibus se exponunt, sanguinem pro vitâ illorum fundere parati. Vos autem Dominum & Magistrum vestrum, pe-ius latrone tractari, & vinciri cur patimini? vnus duntaxat Petrus videns armatas cohortes in IESVM irruere, vt eum defenderet, gladium exemit, & Malchi auriculam præcidit. Ioannis. 28. sed Dominus eius defensionem contemnens, arguit illum. *Mitte gladium tuum in vaginam: calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum.* Ioan. 18 Cur Domine IESV non acceptas amantis discipuli defensionem, quâ nititur amaram mortem à te depellere? cur non potiùs laudas affectum, pro te tuendo? vt nimirùm palam fieret, non esse necessarias defensiones in plagis, quæ à Deo veniunt, cùm hæ per seipsas inexpugnabilem defensionem soleant afferre. Et quoniam ab æterno immutabili Dei decreto, mors Christi in redemptionem generis humani fuit ordinata, quam ipsemet spontanea voluntate subire volebat, ideò defensione humanâ opus non habuit. Vbi enim manus Dei propinantis amaritudinem ostendebatur, simul quoq; ibi defensio veniebat, quæ omnes alios aduersarios rideret, Vt docet S. Augustinus tract. 112. in Ioan. sic loquens. S. August. *In suo quippè facto ille discipulus, Magistrum defendere voluit, non quod faciendum est cogitauit. Et ille igitur ad patientiam commouendus fuit, & hoc ad intelligentiam conscribendum. Quod autem à Patre sibi dicit datum calicem passionis, profecto illud est, quod ait Apostolus: Si Deus pro nobis, quis contra nos.*

Qui natali solo renuntiantes vastissimo Oceano se committunt, non solùm ventorum sæuitiâ, vndarum insaniâ, latentium saxorum insidijs, furentium piratarum incursibus, ac tandem innumerabilium Iliade malorum ac periculorum, qualia multa mari nautæ patiuntur in alto, & quæ certissimam nauigantibus, *Omnia intentant mortem*, affliguntur. Sed vt hæc horrenda interdũ marina monstra tese eis ostentant, quibus non est inter homines, qui dominari possit, videres ibi immanes cetos, quinquaginta cubitorum in longitudinem, corio squamoso vnius cubiti. videres ingentis magnitudinis vltra centum 50 cubitos Balænas. videres inter omnia monstra horrenda maxi- Monstra marina horrenda. mum

mum Leuiathan, à varia & valida squamarum inter se connexione, sic dictum. Qui tantæ est amplitudinis, vt latissima quædam rupes, aut insula potiùs, quàm vnum quoddam animal in mari natans appareat. Qui totas naues vel maximas, etiam oneratas, facillimè cum oneribus ipsis euertit ac disijcit. Tantam aquarum copiam & diluuiem, per fistulam capitis eructat, tantumq; simul fumum exhalat, teste Plinio, vt mare aliud emittere videatur, naues impleat, tenebras circuminducat, deniq; littora ipsa natans quatiat. Cuius sola lingua dissecta in frusta, doliola quam plurima complere soleat, vt manifesta experientia comprobant nautæ Oceani. Et palam id fatetur Scriptura sacra Iob 41. à ℣. 6. *Squamæ eius sunt res magnificæ, vt fortia scutorum, clausum est vnumquodq; eorum vt clausura arcta. Vna alteri appropinquat, & ventus non ingreditur inter illas: vna alteri iungitur, retinent sese, & non separantur. Sternutationibus eius ignis accenditur, & oculi eius vt palpebræ auroræ. De ore eius lampades procedunt: è naribus eius egreditur fumus, sicut ex ollâ feruente, aut abeno. Flamma de ore eius egreditur. In collo eius moratur fortitudo. Particulæ carnis eius cohærent. Cor eius firmum est, vt lapis. Qui attigerit eum gladio, non permanebit hasta, telum, & lorica. Reputat vt paleam ferrum, non fugat eum sagitta. Sub eo sunt acutæ testæ, feruere facit sicut ollam profundum, non est super terram ei simile, omne sublime despicit, & est Rex super omnes elatos.* Cognoscite nunc, quot monstra horrenda Christus in horto habuit, stetit in oculis eius ex vna parte peccatum, quod ita fætidum est, vt ipso nihil tetrius, magisq; putridum reperiatur. Hinc de Sanctissima Catharina Senensi fertur, solitam fuisse nares præcludere, cum manifestus aliquis peccator, is præsertim, qui sub veneris castris militasset, ipsi occurreret; eò, quòd fætorem eius sustinere non valeret. Sed quid mirum, turpitudinum sordes purissimæ Virgini molestas fuisse, cùm ipsimet porci spurcissima animantia, cæno, & sordibus delectari solita, dæmonum fætorem ferre non potuerint, verùm præ molestiâ, & rabie, sese præcipites in mare dederint. Referente id S. Euangelista Marci 5. *Et deprecabantur eum spiritus dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introëamus. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.* Causam assignat Petrus Chrysologus, quod porci fætorem dæmonis sustinere non potuerint: *Sic*, inquit, *est odor eius, (scilicet diaboli) tartareus, & crudelis, vt eum nec porcorum natura potuerit sustinere, denique demergi in mare, & fluctibus maluit deperire, quàm eius immunditiam pati, & putredinem tolerare.* Inquirite, vnde dæmoni tam malus odor, tantusq; fœtor, qui cœli quondam municeps fuit? Equidem à peccato infixo; siue à peccato hominis, quem paulò ante possederat, & ab eo Christi iussu fuerat expulsus. vt præclarè citatus Chrysologus innuit: *Prædæ*, inquit, *miserijs prædo saginatur incluſus, nec facientem, sed patientem miserabilis exponit inuidia.* Quasi diceret: dæmoni ex impuri peccatoris consortio, & habitaculo non leuem miseriam, atque tormentum aduenire, fœtoris nimirum, putredinis, & veluti turpissimæ sentinæ sordium. Stetit ex altera parte Deus Pater, summo furore æstuans, quòd nulla pura creatura, quantumuis magnis gratiæ donis instructa, posset de condigno, ad perfectam æqualitatem satisfacere pro peccato mortali. Quoniam peccati mortalis malitia, est verè & propriè infinita: omne autem opus factum, à creatura purâ, habeat bonitatem simpliciter finitam, proinde nequeat vllam habere proportionem, cum malitia peccati mortalis: quia finiti ad infinitum non est proportio: Ideoque Christus ex voluntate & decreto Dei Patris, promptè se offerebat ad satisfaciendum, cùm solus per operationes theandricas condignè satisfacere

Piscis Leuiathan ingens magnitudo & robur.

Iob 41.

S. Catharina Senensis fætorē peccati sustinere nō potuit.

A

B

C

D

Porci præ fætore dæmonum se in mare præcipites dederunt.

Marci 5.

Chrysolog.

Idem.

Pro peccato mortali pura creatura satis facere non potuit.

posset. Summum verò inconueniens videbatur, infinitam maiestatem eo se abijcere, vt non tantùm acciperet formam serui; sed etiam ignominiosam simul atque acerbam passionem subiret. Præsto adfuerunt graues contemptus, & vilipensiones, atq; turpis fuga discipulorum, quæ omnia ita cor Christi premebant, vt meritò voces illas vsurpauerit: *Timor & tremor venit super me, & contexerunt me tenebræ.*

Aquæ maris vitæ humanæ inimicæ,

Aquas maris vitæ humanæ inimicas ferunt naturalistæ, eò quòd naB uigantes, facilè in suis corporibus graues subeant alterationes, neque aquis marinis ob salsedinem, sine graui nocumento vti valeant, cur autem mare sit salsum, & amarum, hanc rationem assignant: quia calor Solis sursùm extrahit, quod in aqua dulce est, (dulciora quippè leuiora sunt, vt potè subtiliora & magis aërea.) grauior autem aqua subsistit in mari, cui permixtæ exhalationes terrestres, siccæ & adustæ, aquam marinam, quasi inquinatam & colatam inficiC unt, atq; salsam vel amaram reddunt, humanoq; potui minimè aptam. Calor itaq; solis atque syderum, maris aquam, & istiusmodi exhalationes terrestres mixtim percoquit & adurit. Vnde prouenit ista maris salsedo, & amaritudo. Quemadmodùm etiam videmus interdùm aquam riualem, & fluuialem, alioqui dulcem & puram, per cineres colatam, fieri lixiuium amarum & salsum. Et in homine potus aliosq; liquores tametsi dulces, tamen à calore corporis interno D adustos, & percoctos, experimur fieri amaros. De te verò ô immensa bonitas, quid loquar? an non salsus & amarus fuit ille calix, quem in horto intensiùs orando bibisti. De Phiala iræ Dei, quam secundus Angelus effudit in mare, dicit sacer textus, quòd omnis anima, quæ erat in mari mortua sit, Domine IESV, vt primùm calix ille in te effusus esset in horto, quàm proximus morti eras; ita vt de sacratissimo tuo corpore, velut in agone constituto, sanguis

Mare ob quam causam salsum.

A guttatim efflueret. *Et factus in agonia prolixus orabat: Et factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Lucæ 22. Bibens amarum illum calicem IESVS in sua oratione agonem simul & sanguineum sudorem adhibuit, vt edoceret nos aduersùs magnas tentationes, non simplici oratione standum. Ait Elias Cretensis in orat. 4. Nazianz. *Ardenter orat, ac sudor instar guttarum sanguinearum de ipso fluit, vt nos doceremur aduersùs tentationes; arma precationis adijciendæ esse.* Non precationem solam, sed precationis arma docemur sumere, aduersùs pericula magna, quæ non expugnat oratio, simplex, & nuda, sed multo sudore & labore armata. Luctaris ô bone IESV cum amaro calice, ad cuius nutum contremiscit omnis creatura. In agonia & sanguineo sudore positus es, desiderium collium supernorum: quia vides offensum Deum non nisi morte tuâ placari velle, quam pro viliissimo homine, & abiectissimo peccatore oppetere, haud decorum censetur. Cùm vix pro iusto quis moriatur.

Lucæ 22.

Elias Cretensis.

Difficultatem non leuem sentiunt Theologi, in exponendis illis verbis D. Pauli, de Christo prolatis: *Factus est pro nobis peccatum.* Cur enim non peccatorem potiùs nominauit, sed ipsum peccatum. Causam ego conijcio: quia peccator, dùm iudicio sistitur, patrato aliquo facinore, aut in inaduertentiam, aut in affectus primos, vel indomitos, aut inquemcunq; alium malè suadentem, aut inducentem refundit: & sic iudicem ad commiserationem, & coniuentiam flectit. Sic primus parens, qui blandis suæ vxoris verbis, & precibus delinitus, Dei præcepto contraire non dubitauit, cùm abipso ob immane flagitium reprehenderetur, suam defensionem inde opportunè suscipiendam censuit, si propriam culpam, & commeritam pœnam, in charissimam vxorem reijceret, atq; transferret; ipsam sibi pro scuto, quo se muniret, assumens: Gen. 3. *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi*

Christus cur non peccator sed peccatum dicitur pro nobis factus.

Gen. 3.

mihi de ligno, & comedi. Quasi diceret: ipsa vt fuit mihi culpæ auctrix; ita & pro me supplicium etiam sustineat, ingeniosè id adnotante D. Bernardo Serm. 1. de Annun. Virginis. *Adam quoq; indignationi diuinæ, mulierem pro qua peccauerat, obiecit, quasi post tergum eius volens declinare sagittam.* Moxq; subdit: Adam qui mulieri malæ misertus est, vt cum ea peccaret, bonæ noluit misereri, vt pœnam sustineret pro ea. Proindè hac reiectione criminis in sociam vitæ, misericordiam Dei Iudicis inuenit, & qui sic fassus est crimen, ita illud operuit, vt sese maledictionibus eriperet. Ait Tertull. lib. 7. in Mariam, *Ideoq; nec maledixit ipsum Adam, nec Euam, vt restitutionis candidatos, vt confessione releuatos.* At verò si ipsum peccatum staret coram iudicio, in sua forma, prout est, nullam excusationem obtrudere posset, sed omnium indignationem, & seueritatis sententiam in se prouocaret. Ideo ergo S. Paulus Christum vocauit peccatum, quòd pro nostris delictis satisfacturus foret. Et ideò Deus Pater, nullum Christi respectum habuit, sed pro nobis in amaram passionem ttadidit illum, vt sic rigidæ eius iustitiæ satisfaceret. Quocirca Dominus noster in horto turbari cæpit, videns præsto sibi adesse peccatum, propter quòd nullâ eius innocentiæ habitâ ratione, indignè à suis persecutoribus tractari debuit. Quod in hunc modum concipite. Duo homines graues, aliquando secum ineunt inimicitias, quorum vnus cùm sit tenuioris conditionis, numeroso comitatu destitutus, imparem se ad resistendum agnoscens, ad aulam viri alicuius Illustris & Potentis se confert, in gratiam se insinuat, & dexteritate obsequiorum fauorem sibi parat. Fit postea obuius suo aduersario, is sciens eum à tanti Domini protectione dependere, ob renerentiam aggredi illum non audet, grauia nihilominus minitans, si solum, & à tanti Domini tutelâ elapsum repererit. Ita planè peccauit Adam, diuinum in paradiso mandatum transgrediens: voluit Deus sumere vindictam de transgressore, & morte seuerâ delictum eius punire, sed quia peccatum adhæsit animæ immortali, cui Deus iuramento se obstrinxit, quòd eam perdere nollet. Gen. 8. *Non percutiam omnem animam viuentem:* retraxit Deus manum suam ab vltione sumendâ, quia imago diuinitatis in anima hominis efformata, iram eius cohibuit. Quid factum postea, postquàm incarnatus Dei Filius esset, peccatum Adæ pœnas extimescendo, sub eius protectionē confugit. Sed cùm ab anima eius nullum subsidium haberet, vtpotè ab omni labe immuni. Cum carne pariter nullum commercium: quia in carne eius, non est inuentus dolus. Ideò Deus offensus, videns quòd Christus factus esset pro nobis peccatum, cui neq; anima, neq; caro eius patrocinabatur; capi, ligari, trahi, & varijs contumelijs affici eum voluit. Spectas hoc, & sentis ô bone IESV, & ideô de sacratissimo tuo corpore sanguineus sudor manat, de quo balneum sumptuosum paratur mundo ad abluenda peccata: *ipse enim lauit nos à peccatis nostris.* Festinate animæ fideles ad hoc balneum, & ad sanguineum Christi sudorem lachrymas sanguineas effundite, vt plenè iam omnes peccati maculas in conscientijs vestris eluatis: hic enim est primus secundæ phialæ effectus.

Alterum effectum insinuat Sanctus Ioannes in illis verbis: *Et omnis anima viuens mortua est.* Tres tantùm animas cum Christo Domino in horto fuisse, constat ex sacro Euangelio Marci 14. *Assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum.* ergone & isti mortui erant? ita sanè: ter enim à Deo suscitatos legimus: *Et venit tertiò, & ait illis: Dormite iam, & requiescite.* Ibidem. Et quid est aliud somnus, iuxta Philosophos, nisi imago mortis. Imò Clemens Alexandrinus libro 2. Pædag. cap. 9. furem & seuerum vitæ nostræ exactorem appellat: *Somnus*, inquit, *non secus ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum*

B. Bernard.

Adam culpam reijciendo in mulierem, misericordiam Dei inuenit.

Tertullia.

Gen. 8.

Apoc. 16.

Marci. 14.

Somnus imago mortis.

Clemens Alexandr.

ſcum diuidit, dùm ſenſim aliquid vitæ noſtræ in dies ſuffuratur; durè exigit, & rapaciter abradit. O quàm eſt hæc exactio permoleſtè auara; quàm duriter è vitâ noſtrâ hunc ſemper cenſum exigit ſomnus, niſi vltrò illi annuas, velut tyrannus tributum expoſcit ſuum. Ad mortem temporariam vectigales ſuos condemnat, in cubili incarcerat, grauiſſimis catenis ſenſus corporis ligat, animæ potentias vinculis præpedit, pedibus compedes injicit, & vitæ noſtræ tributum ſic extorquet; *Somnus non ſecùs ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiſcum diuidit.* Iuſtè proinde concludere poſſumus, Apoſtolos in horto fuiſſe ſemimortuos, cùm Chriſto prolixiùs orante, & Iuda ad comprehendendum Chriſtum veniente, nequaquàm euigilare potuerint: quemadmodùm etiam membra mortua, licet caput neſcio quantis exagitetur doloribus, penitùs nihil ſentiunt. Ad maiorem iſtius veritatis comprobationem, certum eſt Iudam quoq; fuiſſe in horto, quia oſculo tanquàm ſigno amicitiæ Chriſtum tradidit. Et ſimiliter aſſeuerat diuina pagina, infeliciſſimum diſcipulum Iudam, cùm Chriſti traditionem oſculo illi impreſſo perfeciſſet, nec bonus Dominus tàm atrocia, & execrabilia labia detreſtaſſet; durumq; aliquod verbum in illum dixiſſet, tantam in rabiem ob Chriſti patientiam actum fuiſſe, *vt abiens laqueo ſe ſuſpenderit.* Matt. 27. Forſan reſpexerat ad illud Senecæ: *Contumelioſum genus vltionis eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur vltio.* Intolerabilior quippè proditori fuit patientia, ac bonitas Chriſti, quàm eius Maieſtas, cùm in hanc grauiſſima quæque moliri auſus ſit, in illam verò animos ſumere nequiuerit, ſed ab ipſo velut fulmine proſtratus, & exanimatus ſubitò fuerit. vt obſeruat S. Ambro. in Pſal. 39. *Nec immeritò*, inquit, *grauiore telo tantæ dignationis percuſſus eſt Iudas, quàm ſi eum fulmine perculiſſet. Deniq; patientiam Domini ferre non potuit, qui maieſtatem prodidit, adeò vt ſibi ipſi tanti ſceleris reatus non poſſet ablui.* Sanctus autem Leo cenſet Ser. 11. infeliciſſimum omniũ mortalium Iudam, ſe laqueo ſuſpendiſſe, vt magis augeret ſuam damnationem: *Impius*, inquit, *traditor inſurrexit in ſemetipſum, non iudicio pœnitentiæ, ſed furore pereuntis, vt qui vitæ auctorem interfectoribus vendidiſſet, in augmentum damnationis ſuæ, etiam moriendo peccaret.* Quid infelicius? per ipſum mortis tormentum venit ad culpam, quæ morte duriora acquiſiuit ſupplicia. Sciſcitemini ſi placet locum, in quo ſe Iudas laqueo ſuſpendit, & reſpondent nõ pauci ex SS. Patribus, quòd in eodem loco, vbi Chriſtum tradidit, cùm dignum ſit reum criminis, in loco delicti commiſſi puniri. Vnde apud Baronium to 1. Anno Chriſti 34. referunt Auctores Græci ex Papia, Ioannis Apoſtoli diſcipulo, ſaniem & vermes, ex toto corpore Iudæ contumeliosè confluentes, per ſola loca ſecreta egreſſum quæſiuiſſe, indeq; factum, vt locus ille, in quo ſepultus eſt, præ fætore non ſolùm inhabitabilis; ſed etiam inacceſſibilis redderetur. En alterum effectum ſecundæ phialæ: quia in illo mari acerbæ Chriſti paſſionis, omnis anima viuens mortua eſt; Chriſtus in ſanguineo ſudore, Apoſtoli in graui dormitione, Iudas deniq; in laquei ſuſpenſione Proindè ad tertiam phialam deſcendamus.

Iudas Chriſtum oſculatus in rabiem actus

Matt. 27.

Seneca.

S. Ambro.

Iudas curſe laqueo ſuſpendit.

Iudas in eo loco vbi Chriſtum tradidit ſuſpenſus eſt.

ET TERTIVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM SVPER FLVMINA, ET SVPER FONTES AQVARVM, ET FACTVS EST SANGVIS. Hac pænâ olim punita fuit vniuerſa Ægyptus, ſub Pharaone, dùm à Moyſe omnis aqua verſa eſſet in ſanguinem, omneſq; piſces mortui, quæ conuerſio durauit octo diebus, ne homines perirent ſiti; poſtea verò ſuæ naturæ, colori, & ſapori reſtituta eſt. Magna profectò & abundans phiala, quæ tot fontibus & fluminibus aquarum ſufficere potuit, ita vt Angelus aquarum exclamaret: *Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti. Quia ſanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, ſanguinem dediſti eis bibere, digni*

Tertia iræ Dei phiala

Apoc. 16.

digni enim ſunt. Ex quo loco manifeſtè patet, certos Angelos à Deo præfectos eſſe, & præſidere certis creaturis, ac ſingula elementa ſuum habere Angelum præſidem. Si enim aquæ habent ſuum Angelum, cur non pariter habeant ſuum & terra, & aër. Siquidem Deus hæc inferiora per Angelos diſtribuit, vt ipſi ſigillatim eorum curam gerant. Quemadmodùm docet Origenes homil 14. in Numer. & S. Auguſtinus libro 83. S. Auguſt. q. 79. vbi dicit: *Vna quæq; res viſibilis in hoc mundo, habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam.* Effuſa eſt hodiè hæc phiala iræ Dei, in flumina & fontes infeliciſſimæ vrbis Ieroſolymitanæ, impletæ ſunt ciſternæ eius ſanguine. Vultiſne ſcire, quinam ſunt iſti fontes, & flumina? illa eſt maledicta cohors, illa impia colluuies, illi ſcelerati milites, cum quibus proditor comprehenſum IESVM venerat: Ioan. 19. *Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à Principibus & Phariſæis miniſtros; venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.* Ioan. 18. Ecce tibi integra cohors arma capit aduersùs IESVM, vt illum tradat crudelibus inimicis. Sed ad quid laternæ? ad quid faces? Erat nox, & metuentes ne offenderent ad lapides viarum, & percuterent pedes ſuos, attulerunt faces & laternas. Sic homines impij timebant ſibi à lapillis viarum, dùm audaciſſimè inſurgerent aduersùs lapidem angularem Chriſtum, ſub quo debebant miſerè confringi. vt præclarè diſcurrit D. Cyrillus Alexandr. in citatum locum. Cyrillus Alexandr. *Cum laternis & facibus aduersùs Chriſtum proficiſcebantur, timebant forſan, ne vt in tenebris fieri ſolet, aut in foueas caderent, aut pedes lapidibus offenderent, nec videbant ſe in lapidem illidere, de quo à Deo dicitur: Ecce ponam in Sion lapidem offenſionis, & Petram ſcandali. Et paruam foueam formidantes in profundum abyſſi delapſi ſunt, & illius noctis tenebras depellentes facibus, de noctis æternæ tenebris nihil curant.* Timebant miſeri pedibus ſuis à viarum lapillis, & non timebant vitæ ſuæ à lapide prægrandi Chriſto, in quem temerarij ruentes, ſub eo irreparabiliter compreſſi ſunt. Hi comprehendentes, ligantes, & trahentes IESVM, velut flumina rapidiſſima eius innocentiſſimo ſanguine impleti ſunt.

Miramini forſan, quòd ſceleſtos illos milites fluminibus comparem? verùm omnimodam ſimilitudinem fluminum, atq; militum cognoſcite. In fluminibus perpetuæ venationes atq; piſcationes fiunt; à nefarijs pariter iſtis militibus, velut à rapidiſſimo motu decurrentibus fluminibus, Chriſtus ſe captum conqueritur. Thren. 3. ℣. 52. *Venatione ceperunt me, quaſi auem inimici mei gratis.* Si tamè hiſtoriam recolamus, non venationis fraudibus; ſed armatorum Chriſtum Dominum captum inueniemus agminibus. Aues quidem & piſces dulcedine allectante capiuntur, fallente viſco, prolectante oblectamento; Dominus verò miſsâ cohorte capitur, & vincitur. Cur ergò ſibi detrahit, dùm potentiam aduerſariorum imminuit? ſiquidem Iudas acceptâ cohorte cum armis venit ad comprehendendum IESVM: ergò ſe captum armorum dicat violentiâ, non venationis fallaciâ. Verùm grandè myſterium latet in his Chriſti verbis: vt enim improbi amici contagium detegeret, armatorum tacuit exercitium. Quaſi diceret: Quantumuis me armatorum circumdarent arma, facilè illos omnes proſternerem, detriumpharemque, non ſolùm manu, ſed linguâ: quod & probauit euentus: vt enim dixit eis: *Ego ſum, abierunt retrorsùm & ceciderunt in terram.* Matt. 26. At verò blandum fraudulenti amici oſculum, me tradidit, & inimicis obiecit. Accedens ad IESVM dixit: *Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum.* Doloſo proinde amici oſculo traditur, qui armatorum exercitu non vincitur. Detriumphata maneret inimicorum potentia, nî improbi amici adiuuaretur fallaciâ, amicitiæ verò dolo illicò capitur, qui inimicorum phalanges minimè veretur.

Milites Chriſtum capientes fluminibus ſimiles.

Thren. 3.

Matt 26.

Damna à fluminibus,

Flumina suo rapidissimo cursu rumpunt littora, mænia exsugunt, & corrumpunt, arbores euertunt, campos & hortos oblimant, vrbes abscondunt, villas, prædia, iumenta atque homines, & quidquid obuium fuerit, secum trahunt, multis innumera damna, paucis commoda afferunt, nec vlla vi comprimi possunt, dùm exundant. An non hæc est ipsissima militum imago: nihil audenti eorum licentiæ sufficit, martio insolescentes ardore, nec æquitatis iura custodiunt, nec iustitiæ monitis obsequuntur. Enormitatem, prædam, truculentiam, ferociam, licere sibi arbitrantur armati: quia ad martia bella semper intenti. Assiduè dimicantibus lex non præscribit, vt ipsi arbitrantur, normam; sed effrenes magni ducunt audaci morum excessisse temeritate mensuram. Temeritas militum arrogans, fortitudo deprædicatur; iniustissima rapina ad instar hostilis prædæ diuiditur; exulat pudicitia, & nomine non rarò appellantur milites Christiani, cùm in rei veritate inueniantur sacrilegi. *Non paruam rem tibi fuisse commissam.* dicebat Cassiodorus Retiatum Duci, *quando tranquillitas regni nostri, tuâ creditur solicitudine custodiri; ita tamen, vt milites tibi commissi viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec insolescat animus, qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus nostri, quietem debet præstare Romanis, quos ideò constat appositos, vt intùs vita felicior secura libertate carpatur.* Hoc profectò militiæ munus, verùm ardua & difficilis res est, non parui momenti negotium illi committitur, sub cuius moderamine militum manus meretur. Scio rectum Job, vitam humanam militiam appellasse: *Militia est vita hominis super terram.* Job 7. Sed melius Sanctus Gregorius lib. 7. in Job cap. 3. *tentationem* vocat: *Nequaquam ait militia vita hominis nuncupatur, sed tentatio.* Sicut enim tentatio in virtutes armatur, bellum gerit in morum placiditatem, euertere virtutis fundamenta conuitur, vitiorumq; pestibus, contra quas pugnandum erat, in hominum commoda, violenter grassatur. Sic planè præsentis sæculi militia, non tàm hostes frænat quàm potius virtutes omnes corrumpit, & leges diuinas atq; humanas susq; deq; euertit: nullus apud milites legis diuinæ timor, nulla legum humanarum obseruantia. Audite Masium illud elogium Iosue, de militibus Deum timentibus pronuntiatum: *Nec reliquistis fratres vestros longo tempore, vsq; in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.* Iosue 22. Summoperè admirantem, quòd boni illi milites Israèlitici, diu in armis degendo, legem diuinam non fuerint transgressi, vbi in hunc modum discurrit. *Hæc virtus,* inquit, *omnium caterarum vberrimus fons est, tantoq; in istis viris prædicabilior, quantò in his, qui castra sequuntur, solet esse rarior, quando quò se quisq; improbiorem nebulonem præstat, eò magis strenuus habetur, & efferata immanitas fortitudo; contra verò religiosa modestia, mollities effaminata existimatur.* Enormitas, salacia, petulantia, temeritas rarò nunc exulat à castris: iam enim se milites arbitrantur exleges, & quò exleges, eò magis milites, quasi verò firma militia sine virtute subsistere valeat. Non sic Theodoricus de suis militibus locutus est: *Ostentant iuuenes nostris bellis, quod in gymnasio didicêre virtutis.* At nunc liceat paulisper immutare. *Ostentant milites nostris bellis, quod in castris didicêre vitiorum.*

Militum quanta insolentia,

Militès rapto leges diuinas atq; humanas custodiunt.

Iosue 22.

Theodor.

Cecidit hæc obstinata malitia, in illam colluuiem Ierosolimytanam, in illos calones Iudaicos, in illos nefarios milites. Inter acerbissimas enim Christi Domini pœnas, morti vicinior fuit militibus tradi: acceperunt illi innocentiam, vt læderent, non vt colerent: ea milites perpetrârunt in Christum, quæ ausa non est, vel inimicorum inuidia. Expuerunt æmuli in faciem eius, & colaphis venerabilem oris pulchritudinem denigrârunt. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.* Matt. 26. Alia membra iniurijs exempta fuêre, facies ferociæ rabiem perpessa

Iob 7.

S. Gregor.

Matt. 26.

peſſa eſt. Traditur Chriſtus militibus, qui vniuersâ congregatâ cohorte, eum veſte nudant, chlamyde infamant, ſpinis caput venerandum tenebrant, vltraq; metas inſaniæ progrediuntur. Ecce grauiora à militibus, quàm ab æmulis patitur Chriſtus: irridetur, exuitur, fædis veſtitur, fædioribus coronatur, omniaq; membra & contumelias patiuntur, & excogitatis ad ludibrium pœnis vulnerantur, ipſa adorationis ſpecies contumelia eſt, & quaſi anguſti eſſent vitiorum limites, in virtutum etiam ditionem, probroſam malignitatem extendunt, dùm vel ipſi inimici, quò inſatiabilem inuidentiæ ardorem, effluente è vulneribus ſanguine extinguerent, armatis Dominum tradiderunt. Ea namq; virtus à militibus pati ſolet, quæ vel inſana hoſtium feritas minimè cogitaret. Quidquid enim gehennales furiæ, in ſceleſtiſſimos homines poſſent excogitare, hoc totum milites in innocentiæ probrum exercuêre. Imò vt ſcribit Theophylactus, talia patrando mili-
Theophyl. tes, *ſe digna faciebant*: Nam ſi hæc non perpetraſſent, militaris vitæ mores dedidiciſſent: militia quippè, vt inimicorum refragetur adſultibus, veluti pro ſtipendio licere ſibi putat depopulari virtutes. *Milites* ait citatus Auctor, *ſe digna faciebant, chlamyde pro purpura, vt Regem induerunt, calamum pro ſceptro dederunt, coronam pro diademate, adorabant autem illudentes: hoc enim ſignificat genu flectere, hoc eſt adorare. vide quomodo nullam non contumeliæ ſpeciem exercuerint.* O bone IESV, quomodò tantos cruciatus ſuſtinere potuiſti! nunquid caro tua ænea, vt neq; cruentis plagis cedat. Pulchrè hoc regius vates expreſſit, in perſona
Pſal. 27. Chriſti loquens: *flagellatus ſum tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Pſ. 72. Quis hæc capere poteſt: ſic Dominus noſter in matutinis caſtigatus eſt, antequam ad mortem crucis duceretur, quòd tota die flagellari potuit. Verùm locus hic ſcripturæ, non eſt intelligendus, quo ad extenſionem, quaſi tota Chriſti flagellatio, à mane vsq; ad veſperùm durauerit; nam taliter flagellatus non eſt. Proindè intenſiuè intelligi debet, hoc eſt, quòd ita crudeliter & tyrannicè Chriſtus illis flagellis fuerit excruciatus, ac ſi per totam diem flagellaretur. Poſtquàm enim Pilatus interlocutoriâ ſententiâ Chriſtum ad flagella damnauit, ſub illa forma, prout refert Adricomius in deſcriptione Hieruſalem. n. 57. *Ieſum Nazarenum virum ſeditioſum, & moſaicæ legis contemptorem, per pontifices, & Principes ſuæ gentis accuſatum, expoliate, ligate, & virgis cædite.* Quæ flagellatio iuxta animum Pilati mitior eſſe debuit, vt potè ſolùm adcorrectionem adhibenda. Cæterùm Iudæi, atroces milites, & ſanguinarios flagellatores datâ pecuniâ coruperunt, vt Chriſtum ſub flagellatione occiderent, aut ita malè tractarent, vt etiam à Pilato dimiſſus, ſuperuiuere nonniſi diuinitus poſſet. Quemadmodùm referunt Alphonſus Palæotus, & Daniel Malonius. Quod vel ex hoc ipſo quiſpiam facilè cognoſcere poteſt: quia Pilatus quatuor modis adhibitis ad eliberandum à morte Chriſtum, primò iudicis mutatione, dùm eum remitteret ad Herodem, ſecundò criminis purgatione, dùm publicè coram populo diceret: *Ego nullam cauſam mortis inuenio in illo.* tertiò perſonarum collatione, conferendo Barrabam latronem & homicidam Chriſto innocenti, quartò ſententiæ dilatione, ſæpiùs ex Iudæis interrogando. *Quid faciam Regi Iudæorum.* Cùm nullus illorum ſuccederet, tandem adpœnam flagellationis mitem deſcendit, vt virgis (prout liberi ſolebant apud Romanos) cæderetur. At verò Chriſtus contra mentem Pilati, non virgis, ſed primò ſpinis & vepribus, mox flagellis aculeatis, tandem catenis, in quarum extremitatibus, vnci ferrei adhærebant; proinde vepribus durè, flagellis duriùs, catenis duriſſimè flagellatus eſt, vt docet S. Vincentius Serm. de Paraſceue.

Adricomius.

Chriſtus vltra voluntatem Pilati flagellatus eſt.

Pilatus quatuor modos adhibuit ad Chriſtũ eliberandum.

S. Vincẽ.

Subſiſte hîc pauliſper pia anima, in hoc lugubri ſpectaculo, in iſto

lachrymabili apparatu, in tàm acerbo theatro. Vbi à peccati ſeruis ad columnam libertas inuicta ligatur. Adſtringuntur columnæ marmoreæ collum, pedes, & manus, vt nullatenùs verbera poſſet euitare. adeò dirè, vt in brachijs excreſceret tumor, ſanguinem ex rupta ſub vnguibus cute exprimens: vbi ab impijs innocentia caſtigatur, vbi ab hominibus Deus flagellatur, vbi Chriſti corpus flagella dilaniant, & præſentis Deiparæ cor lacerant. vis noſſe, quot vulnera Redemptori tuo inflicta ſunt? Audi Cornelium Ianſenium 1. p. ſuæ concordiæ, qui docet fuiſſe 122 50. Ex eo quod tantus fuerit numerus eò tempore legionis apud Romanos, vt Varro refert l. 4. de lingua latina. Subſiſte inquam pia anima in hoc triſti proſcœnio, vbi lachrymis, non verbis; fletibus non vocibus, miſeratione, non oratione; flendi non dicendi copiâ opus eſt? & quid mirũ ſi dicendi ſtylus langueat, atq; incõpta flacceſcat oratio. Atq; vtinam horribilis flagellorum fragor, quot è Chriſti corpore ſanguinis guttas elicit, tot è cordis noſtri penetralibus lachrymas emungat. Vt ſi cordis noſtri duritiem, defluentis Chriſti ſanguinis guttæ, non frangunt; erumpentes tamen ex Virginis Matris hæc proſpicientis, & miſerantis, oculis lachrymæ emolliant. Hoc enim acerbum illud malũ eſt, quòd tantoperè Chriſti cor ſolicitabat, cùm de futura ſua paſſione diſcipulos præmoneret, dicens: *Filius hominis tradetur ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum.* Erat enim Chriſtus granum frumenti è paleis excutiendum, vt in terram cadens moreretur, fructumq; referret trigeſimum, ſexageſimum, centeſimum. Chriſti flagellatio fuit illa tritura, quam ipſe Chriſtus per Iſaiam cap. 21. prædixerat: *Tritura mea, filia areæ meæ.* in flagellatione quippè triturata eſt frumentum, ibi inſignis humanitatis excuſſa eſt area, cum qua ad quartam phialam gradum facio.

Quot vulnera Chriſto in flagellatione inflicta.

Varro.

Iſaiæ 21.

ET QVARTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN SOLEM, ET DATVM EST ILLI ÆSTV AFFLIGERE HOMINES, ET IGNI: ET ÆSTVAVERVNT HOMINES ÆSTV MAGNO, ET BLASPHEMAVERVNT NOMEN DEI HABENTIS POTESTATEM SVPER HAS PLAGAS, NEQVE EGERVNT POENITENTIAM, VT DARENT ILLI GLORIAM. Solis nomine, hoc loco aliqui intelligunt ſolem ſenſibilem, cuius ardore, homines temporibus Antichriſti incendentur; Deo clemente camo & fræno maxillas eorum conſtringente, & vi quadam impellente, qui cunctantiùs ad illum accedunt: quâ ſaltim ratione excitati, tandem aliquandò ad pœnitentiam redeant. Sed verius ego Solis nomine intelligo Pilatum, & rabidam illam multitudinem Iudæorum, furore contra Dominum æſtuantium. Miramini, vt credo, quòd Pilato titulum Solis attribuam? cùm Sol ſplendidiſſimum mundi aſtrum, ſit cœli oculus, temporum rector, ſiderum Dux, vitæ dator, animantium Pater, vt ait Nazianzenus orat. 2. de Theologia, imò expreſſa diuinæ bonitatis imago, vt cenſet S. Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus. Pilatus verò erat ſpurius, quia licet Patre nobiliſſimo, vtpotè Regulo, nomine Tyro natus; matre tamen ſordidâ, quæ erat filia cuiuſdam abiecti hominis, qui molendo tritico operam nauabat, teſte Voraginео, & Pipino. Proinde fuit peſſimis moribus, ſeditioſus, verſipellis, & probris omnibus inquinatus, ac homicidiorum facinoribus maximè implicatus. Nam germanum fratrem, cùm adhuc puer eſſet, occidiſſe fertur; cùm verò magis adoleuiſſet etiã Legati Francorum Regis filium, ex inſidijs interemit. Addit Philo libro de legatione ad Caium, quòd Pilatus Iudææ procurator, omnia loca ſacra profanauerit, & iuxta Danielis Prophetiam, de templo Dei ſacrificia, & libamina ſuſtulit. Quocirca Solis titulo minimè dignus cenſetur. Nihilominùs per Ironiam Solem eum appello: quemadmodùm enim Sol, lumine ſuo calefaciens terram, multis commoda affert; cæterùm ſi eclipſetur,

Pilatus fuit ſpurius, homicida & omnibus ſceleribus inquinatus

pſetur, plura detrimenta cauſat, & mortes hominum generat. Sic Pilatus videbatur à partibus Chriſti ſtare,
Ioan. 19. cùm diceret: *Ego nullam in eo inuenio cauſam.* Ioan. 19. & tamen S. Matthæus abſolutè de illo pronuntiat:
Matt. 27. *Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.* Matt. 27. Quid? æquioribuſne oculis Chriſti cauſam Præſes, quàm diſcipulus; iniquus Iudex, quam verus Euangeliſta aſpiciebat? Imò verò cæco ille pectore Chriſti innocentiam ſic conabatur adſtruere, vt eius B diuinitatem & regnum labefactaret, dùm carnali palato, nullum diuinitatis Chriſti ſaporem percipiens, occaſionem, aut cauſam moriendi pro tunc in Dei Filio non inueniebat, ipſumq; merum faciebat hominem dicens: *in homine iſto.* Matthæus verò diuinæ naturæ non ignarus, ad Dei gloriam maximè ſpectare credidit, ſi in ipſammet diuinitatem moriendi cauſam deriuaret, quod nihil tàm Deo dignum fuerit; quàm hominum ſaluti & vitæ, ſanguinem ſuum C profundendo, proſpicere. Sic cenſet D. Ambro. lib. 10. in Lucam. *Le-*
S. Ambro. *go*, inquit, *cauſam Chriſti ſuper caput eius ſcriptam, cùm lego: & Deus erat verbum* Caput enim Chriſti Deus eſt. 1. Corint. 11. Vnde ſi perſonas ſpectes, benè vtraq; verba inter ſe cohærent: ſic namq; Præſes: *Ego non inuenio in eo cauſam.* Quare? quia ego, quia Ethnicus, quia cæco pectore homo, qui in Chriſto, nihil niſi humanum agnoſcebat. At verò Matthæus, cui diuinum lumen affulſerat, Chriſtumque Dei viui Filium, Deum verum de Deo vero optimè nouerat, & ideò ſincerè pronuntiauit: *impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ſcriptam:* quod videlicet Deus eſſet, cui ſaluare, & benefacere proprium, atq; glorioſum eſt.

Hanc ſummam Pilati cæcitatem quis non videt, vix enim Iesvs limen profani iudicis ingreſſus erat, cùm ſtatim Iudex quæſtionem agitare inciperet, vter liber deberet euadere; Iesvs ne, an latro inſignis A nomine Barrabas? *Congregatis autem illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus.* Matt. 27. Hæc erat quæſtio apud Iudicem, in primo Iesv paſſuri ingreſſu; nec diu hæſit anceps: nam ſolicitata turba à Principibus, petijt Barrabæ ſalutem, clamans: *Non hunc, ſed Barrabam:* illisq; petentibus Barrabas ſoluebatur. Et cur innocentiſſimo Iesv poſtpoſito, pernicioſus latro in vitam petitur? cur non magis & cum Iesv, manet in vinculis latro? Sanè debebatur iam hoc paſſuro Domino, ne perditorum hominum detineretur ſalus, ſed cùm primùm Iesvs prætorium Iudicis terit, ſtatim homo liberatus appareat. Quòd ingeniosè ſatis tetigit D. Athanaſius oratione in Paraſceue: *O res mira, præterq; omnem opinionem! ſubit mortis ſententiam Chriſtus, & Barrabas abſoluitur. In ipſo protinùs initio condemnationis crux, liberationem largitur. Non enim mihi in crudelitatem Iudæorum reſpice, nec quòd benefactorem ſuum condemnârunt, maiorem homicidæ rationem habentes; ſed id potiùs intuere, quòd condemnationis ingreſſus, liberationis condemnatorum quidam ingreſſus fuit.* Non moras facit Chriſtus patiens in ſaluandis hominibus, vbi paſſionis limina attigit, ſtatim ſine morâ peccator accepit, & ſolutionem vinculorum; & ſalutem. *Pilatus dimiſit illis Barrabam; Ieſum autem flagellatum tradidit eis.* Matt. 27. Barrabas notiſſimus latro, & ſeditioſus, & homicida liber dimittitur, vt lætus viuat; D Iesvs autem, & cruci, & morti inter latrones adiudicatur. Quis ad hæc non expaueat? Quis non ſtupeat diuinæ prouidentiæ miracula? Planè Dei Filio innocentiſſimo damnatorum ſupplicium adſcribitur; latroni verò ſceleſto impunitas, & libertas datur.

Quid plura? Sol eſt mundi paterfamilias, omnes expectant, donec illuceſcat, vt ſe laboribus accingant. *exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam, vſq; ad veſperam.* Pſal. 103. Nonne hoc erat Pilati munus Ieroſo-

Matt. 27.
S. Athan.
Matt. 27.
Pſal. 103.

lymis, dùm & Caiphas & Annas, & omnes Iudæorum principes, atque Rabbini, ab illo tanquàm à Præside expectarent sententiam mortis contra IESVM. Sol oritur super bonos & malos; Pilatus pariter, & latrones, & IESVM innocentem iudicabat. Sed latronibus fauorem exhibuit; cùm IESV autem seuerè admodùm egit, dùm Iudæis infernali furore percitis, & æstuantibus magno æstu, atq; blasphemantibus Deum cœli, flagellatum IESVM, vndiq; vulneratum, & toto cruentatum corpore ostenderet, alloquens eos: *Ecce homo.* Vt tandem miseratione commouerentur. Sed nescit obstinata malitia flecti ad clementiam, magis adhuc exardescunt Iudæi, vociferantes: *Tolle, tolle, crucifige.* Quid agis, vel ipsis infernalibus furijs deterior rabies Iudaica. Intrabat non ita pridem IESVS Ieroſolymam inter clarissimas populi acclamationes: *Turba autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis.* Matt. 21. Matt. 21. Fallar si quis cum tantâ populi acclamatione, & tanto affectu vrbem intrauit. Et ecce vix tribus elapsis diebus ille ipsemet populus aduersùs IESVM clamat. *Tolle, tolle, crucifige eum.* Ioan. 19. Ioan. 19. Vnde tàm repentina mutatio? Ante triduum clamantes benedicebant, hymnis celebrabant, vestibus sternebant viam, quâ venit in ciuitatem; hodiè verò eum à se eijciunt, & conspectum eius sustinere non valent. Quid est hoc? Hæc est terrenorum omnium inconstantia, calcibus eijciunt hodiè, quem heri intimis excipiebant animis. Ait D. Cyrillus Alexan. lib. 12. in Ioan. cap. 26. *Israèl calce regnum Dei percussit, & ad Principatum Cæsaris transfugit clamans: Regem non habemus nisi Cæsarem. Et quanquàm asinæ pullo insidentem Iesum, publicè in Hieroſolyma diuinis honorarunt laudibus; Benedictus clamantes, qui venit in nomine Domini; resiliunt tamen nunc, principatum Romanorum amplexi, & iugum regni Dei reijcientes.* S. Cyrillus Alexandr.

A Ecce, quam facilè terrenorum acclamationes, mutantur in opprobria; palmæ in flagella, plausus in contumelias. Audite Guerricum Serm. 3. in ramis: *Ibi* ait *clamatur ei Hosanna Filio Dauid, hic inclamatur ei, reus mortis. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur; hic alapis palmarum in faciem cæditur, & arundine percutitur caput. Ibi sublimatur præconijs, hîc saturatur opprobrijs. Ibi tanquàm Rex iustus suscipitur in Hierusalem, hîc tanquàm reus, & seductor, damnatus eijcitur de Hierusalem.* Guarric. O bone

B IESV, potuitne tibi maior contemptus inferri, quàm dùm à Iudæis, quos tuis onerasti beneficijs, scelleratissimo latroni, seditioso homini, viro sanguinum Barrabæ postponereris? ergo ne possibile erat, vt Hieroſolimytani illi ciues, populus Dei, gens Christo sanguine copulata, seditiosum latronem & homicidam, præ IESV amarent? possibile equidem: quia in illis omnis virtus euanuerat, omnisq; pietas extincta: quia fæmineis immersi erant volu-

C ptatibus, à quibus & neces, & exitia facilè solent pullulare. Auctore D. Athanasio, Serm. de passione Christi vbi sic dicit: *Id rursum quoque sciendum, & obseruandum est, quod scortator & propriam animam perdit & ipse quod & vt Iudæi contumeliâ templum, & corpus Dei afficit; ne ignoret, qui detinetur à voluptatibus, maioremq; in illis delectationem sentit, quod & ipse, sicuti Iudæi, Barrabam deposcit, & Dominum interficit. Ita etiam Iudæi reprobos mores Barrabæ diligentes, virtutem persecuti sunt.* S. Athan.

D Egregiè admodùm Sanctus hic Doctor, scortatores & voluptuosos homines, componit cum Iudæis petentibus, & imitantibus Barrabam seditiosum ac homicidam. Fæmineis siquidem voluptatibus, & proxima, & amica sunt homicidia, exitia, innocentum mortes.

Michol filia Saul, paterni fastidij in Dauidem hæres, dùm coram Arca Domini saltantem eum videret, veluti vilem scurram despexit: *Cùm & intrasset Arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram,* 1. Reg. 6.

stram, vidit Regem Dauid subsilientem, atq; saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo. 2. Regum 6. Mulier superba, paternoq; fastu inflatissima, limis maritum aspexit, & vel egregia virtutis opera reprobauit. In hoc fa, cto interpretes, arcanum nituntur inuestigare mysterium. Rabanus apud Glossam, in Michole Antichristum fuisse adumbratum censet, & omnes Dauidis persecutores. En vt persecutorum feralem rabiem typicè scriptura depingeret, vxoris superbissimam vanitatem, & intolerabilem fastum proposuit. Maxima enim, & quæ fingi non possit, persecutio, mulier superba, carnis voluptatibus propensa, & odioso semper fastidio tumida. Hinc agnosco improbi prudentem Saulis cogitationem: oderat ille animitùs Dauidem, nec semel hastâ eum confodere nisus est, verùm cùm sæpè teli expectatione frustratus esset, aliò vertit animum, & exacuit in Dauidis perniciem ingenium. Micholem, cuius mores nouerat, in matrimonium promittit, quò aut præconsumat extraneo, aut diuexet bello intestino, 1. Reg. 18. *Cùm deberet dari Merob filia* 1. Reg. 18. *Saul Dauid, data est Adrieli Molathitæ vxor: Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera, & nuntiatum est Saul, & placuit ei, dixitq; Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum.* Ecce morigeram Merob negauit, superbam autem Micholem promittere non recusat, *Vt fiat*, inquit, *ei in scandalum.* Nimirùm Saul oculis notabat Dauidem, vt proditorem, vti Reipublicæ pestem, vtq; dignas ab eo pænas reposceret, superbâ vxore maritauit. Ingeniosè hoc assecutus est Basilius Seleucienſis, orat. 16. *Cùm*, inquit, *frustratus esset* S. Basilius. *expectatione teli, per insidias iacti, aliò vertit animum inuiso Dauidi filiam dare vult, non quòd exosum cohonestaret, sed vt filiæ nuptijs eadem emeret.* Cædem proinde ipsâ teli transfossione grauiorem emebat, dùm vxorem superbissimam ac ventosissimam daret. Minus quippè feriret contortum telum, quàm non morigera accepta vxor, Micholin vxorem Dauidi malo fine data.

A etgo vt truculentiùs Saul desæuiret, iam noua intorquere spicula non disponebat; sed nuptias maturare volebat, quasi maius certiusq; Dauidi periculum ab huiusmodi nuptijs; quàm à præpilatissimis telis. Nihilominus mihi probabilius videtur, quòd Dauid Michole maritatus, Christum adumbraret, Iudæorum furoribus expositum, summaq; eorum feritate vexatum. Et quidem elegantiori depingi non poterat penicillo, quas Christus Dominus persecutiones passus est; quàm Dauidis cum B vxore superbissima matrimonio. Dauid non de vitijs, sed de egregijs virtutibus. asperiùs ab vxore obiurgabatur, cum magna insultatione. *Quam glorioſus fuit hodiè Rex Iſraèl, discooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* 2. Reg. 6. Audite responsum Dauidis: *Ante Dominum, qui elegit me, & iudam, & vilior fiam plus, quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Quid aliud fecit Domi- C nus, & Redemptor noster? peius latronibus hodiè tractatus Barrabæ, sceleratissimo homicidæ postpositus, tanta opprobria instar Dauidis patienter tulit: *Vilior fiam; quàm factus ſum*, etiam ad maiora, si possibile esset, subeunda ludibria paratus, dummodò homo eius sanguine saluus & liber euadat. O vtinam Domine IESV, tantum nobis impertiaris patientiæ, vt quidquid infortuniorum, aduersitatum euenerit, ea omnia propter te, non modò patienter ferre; D sed maiora etiam pati libenter velimus, dicendo cum Dauide: *Vilior fiam, plus quam factus ſum.* Atq; hinc iam ad quintam phialam accedo.

2. Reg. 6.

ET QVINTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM SVPER SEDEM BESTIÆ: ET FACTVM EST REGNVM EIVS TENEBROSVM, ET COMMANDVCAVERVNT LINGVAS SVAS PRÆ DOLORE. Per bestiam hoc loco interpretes Antichristum intelligunt: per sedem, siue regnum, peruersos homines, qui Christo deserto, Antichristum in fine mundi sequentur, illiq; in omnibus Quintâ phiala iræ Dei.

bus parebunt. Docentq; ante mundi consummationem, regnum illud Antichristi, tùm propriè, tùm Symbolicè fore tenebrosum, id est, infelix, peste, fame, morbis, alijsque ærumnis & infortunijs miserum atq; calamitosum. Ita vt Antichristiani manducent, id est, mordeant linguas suas, quasi rabiosi eas vellent manducare, & vorare præ doloribus atq; tormentis. Quemadmodùm enim lux, prosperitatis & lætitiæ symbolum habetur; ita tenebræ aduersitatis & ærumnarum. Verùm magis appositè ad meum propositum, per bestiam intelligi potest, infelix Synagoga Iudæorum. nam S. Euangelista bestiam, quia viperam, eam appellat Lucæ 3. imò rectiùs dixisset, genimina omniũ belluarum. Synagogam quippè Iudæorum, velut quoddam horrendum monstrum, ex coruis, vulturibus, crocodilis, tygridibus, & quibusuis alijs rapacissimis belluis agglutinatum, describsit Propheta Domini Isaiæ 34. *Et possidebunt illam onocrotalus & ericius : ibis & coruus habitabunt in ea. Et erit cubile draconum, & pascua struthionum. Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum : ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in vmbra eius : ibi congregati sunt milui, alter ad alterum.* Vultis audire, quodnam sit regnum istius bestiæ ? illud maledictum prætorium Hierosolymitanum, vbi antea bonis præmia, malis supplicia decernebantur : at nunc innocentissimus Iesvs falsis testimonijs conuincitur, & auidissimè ad mortem postulatur. Edissere nunc ô æterna bonitas, quanta apud hanc bestiam opprobria pertuleris : *Factum est tenebrosum regnum eius.* Ausim dicere ô bone Iesv, nunquàm te magis exinanitum fuisse, quàm in illo prætorio Pilati, vbi ab ipso Pilato toties derisus es, nunc te hominem, nunc Regem per ludibrium vocante : *Adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali : & dixit Iudæis : ecce Rex vester.*

Regnũ Antichristi miserrimum.

Lucæ 3.

Isaiæ 34.

Ioan. 19.

A Ioan. 19. Non seriò hominem, aut Regem nominando, quem videbat quasi vilissimum vermem conculcatum; sed magis accusationi Iudæorum applaudens. Vbi capiti eius impositum est diadema, tanquàm Regi Regum, & Domino dominantium; sed quod de spinis acutissimis compactum, suis aculeis sacrum eius caput, vsq; ad cerebrum vulneraret, hinc crassæ tenebræ exortæ sunt, *& factum est tenebrosum regnum eius.* Induitur veste purpureâ : *Exiuit ergò*
B *Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.* Sed non ad splendorem regium, verùm ad maiorem illusionem, dùm in genua procumbentes ante eum, suis irrisionibus dolorem augent dicentes : *Aue Rex Iudæorum.*

Ita sanè fieri oportuit ô bone Iesv, vt tàm atrocem pœnam subires, nec aliâ, quàm spineâ coronâ, caput tuum adornatum haberes. Cuius sufficiens fundamentum reperio apud Iureconsultos, docent illi, eum
C qui succedit in bona, simul quoq; & in onera succedere. Proinde in eum, ad quem bona derelicta per successionem deuoluuntur, simul etiam refunditur obligatio ad exoluenda omnia debita. Primus possessor terrenus fuit Protoplastus humani generis Adam : huius enim gubernationi vniuersum terrarum orbem Deus concesserat, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram : & præsit piscibus maris, &*
D *volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra.* Considerate ergo, quæ rerum abundantia, qui prouentus, de fructibus terræ, magno Principi Adamo proueniebant ? Equidem non alij, nisi spinæ, & tribuli. Postquàm enim Adam grande contraxisset debitum, peccando in Dei Maiestatem, cui non ampliùs soluendo par esse poterat, magnis terram, vtpotè suam possessionem onerauit grauaminibus; ita vt Deus ob Adæ peccatum, telluri maledictum inferens, ad hominem magnum debitorem pœnâ afficiendum,

Succedens in bona tenetur ad soluenda onera.

Gen. 1.

dum, eandem ſpinas & tribulos germinare iuberet. *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. hoc eſt; in pœnam peccati viues, vitæque ſpinas, videlicet labores, afflictiones, lachrymas, dolores. Nam teſte S. Chryſoſthomo homil. 22. ad popul: *Nihil habet hæc vita, niſi lachrymas, & opprobria, & conuitia, & triſtitias, & negligentias, & labores, & morbos, & ſenectutem, & peccata, & mortem.* Præpotenti itaque ſucceſſore opus erat, qui terreno regno ſuccedens, & regere meliùs ſciret, & in cunctis debitis ſatisfacere poſſet. Deuoluta eſt Adæ poſſeſſio ad Chriſtum, ex decreto ipſiuſmet æterni Patris. Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quaſi diceret Pater æternus Chriſto, Filio ſuo dilecto. Cùm te iam Regem conſtituerim, pete quæ decent regiam maieſtatem, nimirùm ſubditorum multitudinem, omnes ego redigam in ditionem tuam, Iudæos, gentiles, & cunctas vniuerſæ terræ nationes. Sed nonne hæc omnia diuinitatis titulo Chriſtus poſſidebat? vt quid ergo rem iam poſſeſſam iubetur poſtulare? Poſſidebat quidem titulo diuinitatis, ſed nondùm titulo humanitatis, cùm nondùm contracta abanteceſſore debita, ſublata eſſent. Iubetur itaq; petere poſſeſſionem terræ, vt iam pretio eius ſanguinis oblato, rigidæ Dei iuſtitiæ ſatisfiat, nec ſit ampliùs qui ſibi ius ad terram prætendat, ſed Chriſtum debita noſtra exoluentem, vt verùm Deum adoret. Hæc eſt mens S. Hilarij in Pſal. 2. *Accepit*, inquit, *poſſeſſionem omnium finium terræ, id eſt, vt in Nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Succeſſiſti bone IESV in poſſeſſionem Adæ, alieno ære grauatam: accepiſti terram debitis oneratam: non ſit tibi arduum ſoluere debita, & terram ſpinis repletam, ſpineæ coronæ acerbitate, in priſtinum perfectionis & libertatis ſtatum reducere. In hunc enim finem, ſacrum tuum caput, ſpineâ coronâ præcinctum conſiderat S. Iſidorus, cùm dicit. *Quandoquidem execrationis illius, quâ terra, poſt mandatum violatum à nobis mulctata eſt, ſeges ſpina erat: Dominus autem, vt omnem in ſeipſo morbum curaret, aduenerat: idcirco ſpineâ coronâ, vt victor redimitus eſt.* Quod magis adhuc comprobat S. Ambroſius lib. 10. in Lucam, cap. 23. *Corona*, inquit, *de ſpinis, capiti eius annexa, quid aliud, quàm diuini operis amplitudinem oſtendit? quòd de peccatoribus mundi, tanquàm ſæculi panis, triumphalis Deo gloria quæreretur.*

Horrendam olim Domini vocem audiuit Ezechiel Propheta, orabat intenſiſſimè Deum pro Iſrâelitis, cui reſpondit Deus: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumes pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Hiere. 7. Tantæ iræ & indignationis cauſam, ſi velis inquirere, eam aſſignat ſacer textus, quòd peccatis grauati, ad templum Domini accedere non vererentur. *Furari*, inquit, *occidere, adulterari, libare Baalim, & ire poſt Deos alienos, & veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua inuocatum eſt nomen meum, & dixiſtis, liberati ſumus eò, quòd fecerimus omnes abominationes iſtas.* Pendite Domini querelam, & maiorem nunc inuenietis. Malè viuunt modernis temporibus homines, viuunt more gentilium; furantur, occidunt, luxuriantur, ac ſi non eſſent Chriſtiani, & tamen ſat ſibi reputant, ſi in templum Domini veniant, ſi ſacram ſinaxim frequentent, ſi quotidiè ad Sacramentum accedant, totamque æſtimant ſanctitatem, ad vſum frequentare myſteria. Quid turpius? ſi enim orationem Prophetæ pro Iudæis exaudire noluit Deus, eò quòd templum eius violaſſent? quid nunc faciet cum peruerſis Chriſtianis, quando ſacroſanctum eius corpus, quando ipſammet eius diuinitatem, ſuis enormiſſimis ſceleribus violant? quid faciet, quando non ſolùm violatur eius templum, ſed vnigenitus occiditur; necatur. Nunquid & Angelis etiam orationem non interdicet?

Gen. 3.

S. Chryſo.

Pſal. 2.

Adæ poſſeſſio ad Chriſtum deuoluta.

S. Hilarius.

S. Iſidorus.

S. Ambro.

Hiere. 7.

Ibidem.

Deus ob irreuerentiam templi orationem pro Iudæis exaudire noluit.

cet? qui ex se ob tale scelus orare intermittunt. *Angeli* (inquit Origenes homil 10. in Hieremiam, de Hierusalem Dominum occidente loquens) *qui semper auxiliabantur ei, deseruerunt eam, & dixerunt multis facinoribus oppressa est, Iesum interfecit, & in Dominum nostrum misit manus, quamdiu minora peccauit, potuimus rogare pro ea, potuimus obsecrare Dominum, potuimus parcere ei, super ista, quis parcat.* Ecce pro Hierusalem orare intermiserunt Angeli, quia sacrilegam in Dominum manum misit: nunquid minus peccant, qui indignè corpus accipiunt Domini? nonne quantum est ex se, Dominum iugulant, Christum occidunt, ac veluti cultro suffodunt. Tantam nihilominus Domini indignationem videns Ezechiel, piâ animatus confidentiâ, Deum alloquutus est. Domine Deus, depone paulisper, de tuo furore, poterit forsan tantæ perfectionis vir inueniri, qui homines tecum pacificare valeat. Respondit Deus, si inueneris talem, quiescet indignatio mea: cæterùm rem difficilem proposuisti: *Quæsiui* enim *ego de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni.* Ezechiel. 22. Obstupuit Propheta, quomodò possibile esset, vt interpositione sepis, aut peccatum Deo occultari, aut ira Dei, ne vindictam sumat, retardari posset.

Origenes.

Angeli propter enormia scelera regna & homines deserunt.

Ezech. 22.

Verùm inuentus est vnus inter omnes, Dominus & Redemptor noster, qui interposuit sepem, & stetit oppositus contra Patrem æternum pro terra, dùm onus satisfaciendi pro peccatis nostris, in se voluntariè susciperet. Mirum forsan alicui videbitur, sic Christum passionis suæ œconomiam dispositisse, vt Herodi Regi, à quo iudicandus non erat, tanquàm reus etiam sisteretur. Quid? num ad redemptionis opus, noua hæc ludibria, contemptum, irrisionem, & contumelias accersiri opus fuit. Itane ijs aliorum Iudicum prætoria & domus carebant, vt necesse fuerit proprium forum, atq; tribunal declinare, vt in Herodis Palatio ad manum essent? Signum hoc infallibile erat, futuræ inter Deum & homines pacificationis, quæ mediante Christi passione, debuit fieri. Christus ergò tanquàm vnionis & charitatis euidentissimus testis, siue aduocatus, quamuis indefensi rei personam ageret, & tot se ignominijs ac opprobrijs exponeret, sepem iræ Dei opponendo, ea de causa â Pilato ad Herodem ire, & iterùm ab Herode ad Pilatum reuerti voluit. *Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad inuicem.* Lucæ 22. En quomodò ipse Dominus composuit corda Principum terræ, simulq; Deum atq; hominem, de quo pulchrè S. Cyrillus Hiero. Catech. 13. *Facti sunt*, inquit, *mutuò amici Pilatus & Herodes eadem die, antea enim erant inimici: Decebat enim eum, qui mundum erat pacificaturus, vt prius etiam ipsos Iudices suos pacificaret.* Et erat ipse Dominus componens corda Principum terræ, simulq; Deum cum hominibus pacificans. Annon sepem interponebat inter iram Dei, & peccata hominum, dùm spinea corona capiti eius imponeretur, dùm pungentibus fædantibusq; spinis, sacrum eius caput vulneraretur. Tunc enim omnes mortis aculei, in Dominici capitis tolerantiâ obtusi sunt. Et quid magis illum hac coronâ exornare potuit? *Nullum namq; ornamentum.* (inquit Seneca lib. 1. de clementia cap. vltimo) *Principis fastigio dignius, pulchriusq; est, quàm illa corona ob ciues seruatos: non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia; hæc diuina potentia est gregatim & publicè seruare.* Vnde Lactantius de vera sapientia lib. 4. cap 26. sub hac mystica spineæ coronæ significatione, peccatores Christi benignitate, Dei gratiæ restitutos, ipsummet vt verum Regem coronantes, adumbrari ita eleganter edisserit. *Corona* inquit *Spinea capiti eius imposita, id declarabat fore, vt diuinam sibi plebem, de nocentibus aggregaret: corona enim dicitur, circumstans orbem populus. Nos autem*

Lucæ 22.

S. Cyrillus Hierosym.

Seneca.

Lactantius

Christus quam ob causam ad Herodem Regem fuit adductus.

autem qui ante cognitionem Dei fuimus iniuſti, ſpinæ, id eſt; mali, & nocentes eramus, ignorantes quid eſſet bonum, & à iuſtitiæ notione atq; operibus alieni, omnia ſcelere ac libidine polluebamus; electi ergo ex diuinis, & ſentibus Sanctum Dei caput cingimus, quia conuocati ab ipſo, & circumfuſi vndiq; ad eum, Magiſtro, ac Doctori Deo aſſiſtimus, Regemq; illum mùndi, & omnium viuentium Dominum coronamus.

Pia ad animam ad hortatio.

Hic parumper anima fidelis, conſiderationis tuæ greſſus fige, & Redemptoris tui intolerabilem dolorem attende, capitis delicati ſenſibilitatem conſidera, ſpinarum punctiones cerebrum perforantes mirare, ſicq; ſanguinem decurrentem, lachrymarum inundatione abſterge. Debuit planè mori tanto dolore transfixus innocentiſſimus IESVS, ſe tamen reſeruauit ad vitam, vt ijs grauiora perferret. Tanquàm gigas fortiſſimus imperterritus ſtetit, & coronationis pœnam immutatâ mente ſuſtinuit. Hanc ſpineam coronam Beatiſſima Virgo contemplans, lanceâ cor ſuum tranſuerberari ſenſit, vt habetur in Reuelationibus S. Brigittæ

Lib. 1. Reuelationũ S. Brigittæ cap. 27.

lib. 1. cap. 27. *Tertia*, inquit, *lancea mihi erat, ſpinea corona, quæ ſic immaniter pupugit caput eius ſanctiſſimum, vt ſanguis diffluereret in ore eius.* Quam ſuis manibus extrahens dolorosa mater, punctionibus manus ſuas lacerauit: non enim potuit, niſi cum ſanguine è ſuis digitis fluente, ſpineum ſertum è Chriſti capite extrahere. Fluit è Chriſti capite, ſpineo diademate extracto ſanguis, flugit quoq; è manibus virginis diadema extrahentis, ſanguis. Miſcetur filij ſanguini, Virginis ſanguis, eodem diademate ſpineo extractus, & vaticinium illud impletur: *Sanguis ſanguinem tetigit:* dùm matris ſanguis, filij ſanguinem tetigit. Quis non ad lachrymas mouebitur, cùm Matrem regium diadema filio extrahentem audit, quæ eâ lenitate atq; agilitate coronam extrahere conabatur, vt nouas filio plagas, vel excoriationes, ſpina reuulſa non inferret; infixos carni aculeos, ita conuelleret, vt inflictas plagas non dilataret, ſpinarumq; punctiones maiores non efficeret, & ſine ſanguine ſpinas retraheret. Atq; vtinam o Auguſta Virgo, duas adhuc, iræ Dei reliquas phialas, ad quas exponendas, lugubris hic noſter ſermo properat, mitiores inuenias.

Sexta phiala iræ Dei.

ET SEXTVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN FLVMEN ILLVD MAGNVM EVPHRATEN: ET SICCAVIT AQVAM EIVS. ET VIDI DE ORE DRACONIS, ET DE ORE BESTIÆ, ET DE ORE PSEVDOPROPHETÆ EXIRE SPIRITVS TRES IMMVNDOS IN MODVM RANARVM. Vultis ſcire, quodnam ſit iſtud flumen? equidem non aliud, niſi Virgo Deipara: quemadmodùm enim Euphrates de paradiſo fluens, irrigat vniuerſam terram; ita per MARIAM Virginem, corda hominum gratiâ cœleſti fœcundantur. Quadruplici prærogatiuâ ſupra omnes creaturas, à Domino Deo Beata Virgo fuit decorata. Primò, quia plena gratiâ: *Aue gratia plena.* hoc eſt, plena gratiâ; gratum faciente; hanc enim primariò & principaliter gratia ſignificat. Plena virtutibus Theologicis, atq; cardinalibus: cùm enim nomen gratiæ, ſignificet quodcunq; donum liberaliter collatum, ideò complectitur, non ſolùm gratiam gratum facientem; ſed etiam habitus virtutum Theologicarum, atque cardinalium per ſe infuſarum: quoniam & iſti habitus, dona atque beneficia Dei ſunt. Plena donis Spiritus Sancti, propter qnòd Arnoldus Carnotenſis de laudibus MARIÆ, eam Spiritus Sancti officinam appellat. Quod ipſum palam fatetur S. Athanaſius tomo 5. Serm. de Sancta Deipara. *Ita quoq; Spiritus in Virginem deſcendit, cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, imbuens eam gratiâ, vt in omnibus gratioſa eſſet: atq; idcirco gratiâ plena, cognominata eſt, eò, quòd adimpletione Spiritus Sancti, omnibus gratijs abundaret.* Plena deniq; gratijs gratis datis, atque innumerabilibus priuilegijs, cùm nomen gratiæ, etiam adſignificandum priuilegium extendatur. Sic docet S. Antonius

Prærogatiua quadruplex B. Virginis.

Lucæ 1.

B. Virgo officina Spiritus Sancti.

S. Athanaſ.

S. Antoni⁹ tonius 4. p. hiſtor. tit. 5. cap. 2. §. 15. *Beatâ*, inquit, *Maria fuit gratiâ plena quadrupliciter : primò, quia omnes gratias generales, & ſpeciales habuit. Secundò, quia illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit : Tertiò, quia ſua gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ capax non fuit : quartò, quia etiam gratiam increatam, id eſt Deum, in ſe tota continuit.* Habuit præterea alteram prærogatiuam Beata Virgo, quòd Deus illi ſpeciali modo ineſſet. Licet enim Deus, ſit in omnibus rebus, quia eſt imenſus, vt docet Mercurius Triſmegiſtus, aſſerens Deum eſſe circulum, cuius centrum vbiq; eſt, circumferentia nuſquàm, nam vbiq; totus eſt, & nullo termino definitur. Varijs tamen modis eſt in creaturis, primò, per eſſentiam, ſeu per indiſtantiam ſuæ eſſentiæ, ab omnibus rebus creatis, quæ conſequitur ex immenſitate Dei : cùm enim Deus ratione ſuæ immenſitatis, ſit perfectiſſimè aptus eſſe in omnibus rebus, tunc eo ipſo, quòd res aliqua exiſtat, neceſſariò eſt indiſtans ab eſſentia Dei, & eſſentia Dei ab illâ. Secundò, Deus eſt in creaturis per præſentiam, quia omnes ſunt præſentes Deo, eiuſq; conſpectui, cùm Deus omnia intuitiuè cognoſcat, iuxta illud Hebr. 4. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Tertiò, eſt in creaturis per potentiam : quia operatur in illis per ſuam potentiam. Quartò, eſt in illis per gratiã, quemadmodùm in omnibus iuſtis. Quintò, per vnionem hypoſtaticam, vt in humanitate Chriſti. Sextò, per aſſiſtentiam gubernationis, & directionis, vt in Eccleſia Sancta. Septimò, per Maieſtatem & gloriam, vt in cœlo : ibi enim tanquàm in aula regia, manifeſtat ſuam gloriam. Deus ergò vltra hos omnes modos, altiſſimo & perfectiſſimo modo in Virgine inhabitat, quia erat cum illa per identitatem. Sic expreſsè docet Petrus Damianus Ser. 1. de Natiuitate, vbi poſtquàm præmiſit, quòd Deus per ſuam immenſam eſſentiam ſit in omnibus, ſubdit : *Secundò*, ait, *eſt in bonis per operationem : agit enim in eis virtus operatiua, vt operentur opera Dei. Tertiò in bonis, illuminatione, ac cognitione futurorum eos nobilitans, & participes ſuorum efficiens ſecretorum.* Moxque ſubiungit : *Ineſt vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt, quòd illa. (Hic taceat & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis, & dignationis immenſitatem) Dominus tecum, inquit Archangelus : habitat Deus in Angelis, ſed non cum Angelis, quia cum illis eiuſdem non eſt eſſentiæ : habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem : hoc eſt aurum fuluum nimis, quo thronus eſt veſtitus, quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virgine indutus eſt, vt meliori non poſſet.* Habuit & tertiam prærogatiuam Virgo, quòd benedicta inter mulieres proclamata ſit, per quod ſignificatur omni benedictionum genere fuiſſe repletam, & quòd per eius benedictionem auferenda erat maledictio primorum parentũ. Sic exponit Sophronius Serm. de Aſſumptione : *Maria*, inquit, *verè gratiâ plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre ſuperfuſa eſt omnis creatura : & ideò inquit, benedicta tu in mulieribus, id eſt, plus benedicta, quàm omnes mulieres : ac per hoc quidquid infuſum eſt maledictionis per Euam, totum abſtulit benedictio Mariæ.*

His pro fundamento ſuppoſitis, quomodò magnum iſtud flumen diuinarum gratiarum exſiccatum ſit, perpendite. Gratiâ plenam pronuntiauit Angelus Virginem Deiparam; at nunc, dùm ſacratiſſimum nati ſui corpus, vndiq; ob iteratos tot flagellorum ictus, dilaceratum, ſanguinolentum, & liuore intumeſcens conſpicit, plena mœroris, plena doloris manet. *O mira res ! ô ſtupendum prodigium ! tota quippè es in vulneribus Ieſu Chriſti, & totus Ieſus Chriſtus crucifixus, eſt in intimis viſceribus cordis tui.* exclamat D. Bonauentura in ſtimulo amoris cap. 4. Tanto quippè dolore, ob paſſionem Filij excruciata fuit

B. Virgo quadrupliciter plena gratia.

Deus ſeptem modis poteſt eſſe creaturis.

Hebr. 4.

Deus in B Virgine fuit per identitatem.

Petrus Damianus

Sophroni⁹

S. Bonau⁹

Dolor B. Virginis in paſſione Chriſti ſummus.

fuit B. Virgo, vt illam è viuis sustu-
liſſet, nî in vita diuino auxilio fuiſſet
detenta. Sic Angelus B. Brigittæ lo-
In Reuela-tionibus S. Brigittę. cutus est, cap. 18. Reuelat. *Mirabile cernitur, quòd illa vxor Phinees doloribus mortua fuit, quæ minoribus doloribus vrgebatur, & Maria reuixit, quæ grauioribus mæſtitijs fuit laceſſita? Quis in hoc aliud cogitare poterit, niſi quòd de ſpeciali omnipotentis Dei dono, contra omnes corporales vires ſuas, ipſa vitam retinuit.* Quod magis adhuc vrget S. Bernardinus Senenſis to. 1. Ser. 61. art. 3.
S. Bernard. Senenſis. cap. 2. *Tantus*, inquit, *fuit dolor Virginis, quòd ſi in omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, diuideretur, omnes ſubitò interirent.* Et meritò quidem: ſicut enim amor Virginis, quo Chriſti vitam ac dignitatem proſequebatur, erat intenſior, quam omnes amores creaturarum ſimul ſumpti, erga quodcunq; obiectum creatum. Quia plures gradus bonitatis in vita, & perſona Chriſti agnoſcebat Virgo, & amabat, quàm omnes creaturæ in obiectis creatis agnoſcere; & amare poſſint. Optimè quippè nouerat, & vitam illius infinito amore dignam, & diuinam eius perſonam, infinitam bonitatem præ ſe ferentem, atque adeò non poterat, quin ſi non infinito, ſummo ſaltem amore illum proſequeretur. Ita planè intenſior fuit dolor B. Virginis, ex apprehenſione amiſſionis vitæ Chriſti, & grauiſſimarum iniuriarum, quæ perſonæ eius diuinæ inferebantur; quàm omnes ſimul dolores, qui in creaturis ex apprehenſione alicuius mali, ſeu carentiæ boni amati, poterant excitari, cùm iuxta communem ſapientum opinionem, amor ſit menſura doloris.

Conſiderando Sancti Doctores compaſſionem virginis, fatentur omnia vulnera, omnes dolores Chriſti patientis, matrem condolentem intimè excruciaſſe, ita vt nullus fuerit in Filio afflictionis ictus, qui matris animã ſimul non transfigeret. Quod deducunt primò ex Reuelationibus S. Brigittæ lib. 1. cap. 6. vbi ſic Virgo loquitur: *Propterea cùm naſceretur ex*

A *me, ſenſi ego, quòd quaſi dimidium cor meum naſceretur, & exiret à me: & cùm ipſe pateretur, ſenſi, quòd quaſi cor meum patiebatur. Sicut enim illud, quod dimidium extra, & dimidium intra, & ſi illud pungitur, quod eſt extra, adeò ſentit dolorem, quod eſt intus: ſic ego, cùm flagellaretur, & pungeretur filius meus, quaſi cor meum flagellabatur, & pungebatur.* Et paulò poſt addit: *Audacter dico, quòd dolor eius, erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum.* Deducunt præterea ex Patribus, inter quos Rupertus in
B Cantica cap. 2. *Maria*, inquit, *fuit lilium inter ſpinas, quia quacunq; ſpina filium, eadem matrem crucifixerunt, & lacerárunt vulneribus compaſſionis.* Arnoldus Carnotenſis tract. de Vir. laudibus ſic ait: *Omninò tunc erat vna Chriſti, & Mariæ voluntas, vnumq; holocauſtum, ambo pariter offerebant Deo, hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis.* Comprobat S. Hieronymus ſuper illa verba: *Stabat autem iuxta crucem Ieſu Mater eius.* Vbi ſic diſcurrit. *Quot læſiones in corpore Chriſti, tot vulnera in*
C *corde matris; quot ſpinæ pungentes, quot claui perforantes, quot ictus carnem rumpentes, tot ſagittæ per oculos intrantes, & tot cor & animam Virginis vulnerantes.* Deducunt inſuper ratione: quia amor transfert amantem in amatum, proinde etiam amor Beatæ Virginis in Filium, qui erat ſummus, perfectiſſimè illam transferebat in eundem, ita, vt meliùs, quàm Paulus dicere poſſet: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Ex omnibus tamen cruciatibus, inde maximum do-
D lorem ſumebat, quia quidquid Chriſtus patiebatur, ex occaſione Virginis patiebatur. Sic cenſet Guilhelmus, ſuper illa verba Canti. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, ita ſcribens: *Stabat illa iuxta crucem ſui Ieſu, atq; ea ſibimet quodammodò erat in crucem erecta ſtando iuxta crucem, ipſa ſibi per affectum maternum, quodammodò erat crux.* Proindè omnia opprobria, flagellationes, ſpinarum punctiones, clauos, crucem, blaſphemias, ideò paſſus eſt, quia naturam humanam ſuſcepit.

Libro 1. in Reuelat. S. Brigittæ cap. 6.

Ibidem.

Rupertus.

Arnoldus Carnot.

S. Hieron.

Christus propter B. Virginem primario patiebatur.

Guilhelm.

Iuxta Theologorum ſententiã,

In Christo duplex relatio.

Christus duplicem relationem dicebat: vnam ad Deum Patrem, cuius erat filius coæternus, alteram ad Virginem matrem, quoad humanitatẽ, de qua in tempore natus est. In quantum erat Deus, pati non potuit, cùm sit impassibilis: Proindè quidquid pœnarum in sua passione subijt, id totum vt homo sustinuit. Captus est vt homo, ligatus vt homo, flagellatus, illusus, opprobrijs affectus, cruci appensus vt homo, natus de Virgine. Considerans itaq; Beata Virgo, Christum ea omnia ideò passum, quòd carnem mortalem & passibilem de Virgine sumpsisset, omni dolorum congerie excruciabatur. Augebatur tunc in Virgine vehementissimus dolor, inprimis ex eo: quia pro filij amore mori non poterat. Si enim perfectus humanæ amicitiæ amor eò deuenit, vt in alterutro amico pro alterius amore, vitæ effundendæ desiderium excitet: quemadmodùm de Pylade, & Oreste cecinit Ouidius 3. de Ponto.

Christus omnia patiebatur vt homo, non vt Deus.

Ire iubet Pylades charum picturus Orestem.
Hic negat, inq; vicem pugnat vterq; mori.

Quanto magis, cùm incomparabiliter amor Deiparæ, in Filium maior fuerit, illo Orestis in Pyladem, & Nisi in Eurialum, intensius in ipsa excitabat desiderium, pro Filio suo moriendi; quò autem intensius erat hoc desiderium, eò iucundius fuisset Virgini pro Filio posse mori. Augebatur præterea dolor in Virgine ex eo, quòd Filio suo in durioribus passionis cruciatibus deprehenso, proxima semper adstaret; quoniam præsentia obiecti vehementius mouet potentiam, teste Aristotele 2. de Anima. *Potentia*, inquit, *propinqua, percipit magis obiectum, quàm remota.* Deipara autem non solùm præsens fuit Filio cruci affixo, sed eiusdem etiam flagellationi, spineæ coronationi, & alijs cruciatibus. Augebatur dolor eius ob peccatum Iudæorum, aliorumq; in morte Christi delinquentium; inter quos erant etiam discipuli, qui scandalum in eiusdem passione passi sunt. Audite D. Bonaventuram in Speculo cap. 3. *Duo autem*, inquit, *Filij Mariæ sunt, homo Deus, & homo purus; vnius enim corporaliter, alterius spiritualiter Mater est Maria. Isti duo Filij Mariæ, ambo mortui fuerunt in passione, vnus in corpore, alius in mente; vnus crucis acerbitate, alter mentis infidelitate: & ideò viscera Mariæ valdè fuerunt repleta amaritudine.* Et ratio euidentissima est, quia peccatum tum Iudæorum, tum aliorum in morte Christi delinquentium, & offensam Dei, & miseriam proximi includebat. ergò sub vtraq; ratione Beata Virgo eò maximè doluit. Et certè si loquamur de peccato, prout dicit offensam Dei, cùm B. Virgo omnia, quæ ad dolendum de offensa Dei inducere possunt, optimè nosceret, & maxima animi attentione perpenderet, ac præterea feruentissimâ charitate in Deum afficeretur, eiusq; cultum, ac diuinum ius illæsum seruari exoptaret, non potuit non summè dolere, videns à Iudæis, cæterisque in mortem Christi conspirantibus, diuinum cultum, ac ius pluribus modis violari. Si verò loquamur de peccato, prout est miseria proximi eò etiam maximè doluisse B. Virginem fateri debemus; quia perfectè intelligebat, quantum damni peccatum illud, præcipuè autem Iudæorum, ipsis erat allaturum, quos vt proximos ardentissimè amabat. Quodsi D. Ambro. in cap. 23. Lucæ, de Iudæorum duritie conqueſtus, exclamabat. *O duriora saxis pectora Iudæorum! Iudex arguit, credit minister, proditor scelus suum morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reserantur; Iudæorum tamen immobilis duritia manet orbe concusso.* Sanè B. Virgo multò intensiùs, quam olim Ambrosius, considerans obstinatam Iudaicæ gentis malitiam, eorum futuras ex hoc calamitates & damna deplorabat.

S. Bonau.

B Virgo in passione Christi ob peccatũ Iudæorum & aliorum hominum maximè doluit.

S. Ambro.

Aristoteles

B. Virgo toti passioni Christi præsens adfuit.

Augebatur adhuc in B. Virgine, dolor & afflictio, ex præuisa plurium fidelium ingratitudine, à quibus, quantum in ipsis esset, Christus pluries rursùm erat crucifigendus, iuxta doctri-

doctrinam Pauli : *Chriſtum iterùm* A *æternæ beatitudinis, quòd pro leuiſ-*
Hebr. 6. *crucifigentes.* Hebr. 6. Refert Sueto- *ſimis, & inanibus mundi blandientis*
nius in vita Cæſaris, Cæſarem cùm *illecebris, pro exiguo vtilitatis nu-*
ab his, qui in ſui interitum coniura- *cleo, aut honoris punctulo, tàm fa-*
uerant, pugionibus peteretur, viſo *cilè erant homines amiſſuri. Sciebat*
inter eos Bruto, quem regiâ munifi- *deniq́ue pænarum atrocitatem, qui-*
centiâ, ac ſplendore nutritum vo- *bus tanto relicto bono, ſeſe erant*
luerat, atq́; ad Dictaturæ ſucceſſio- *æternùm ſubiecturi; atq́; vt illa, quæ*
nem teſtamentario iure promouen- *& Chriſti gloriam, & humani gene-*
dum curauerat, reliquis omiſſis, ex- *ris ſalutem ardentiſſimè amabat, non*
Suetonius. clamaſſe : *Tu quoq́; Brute fili mi :* quaſi *poterat, quin ex his maximè ange-*
cætera omnia, aliquâ ratione tacitùs *retur.*
toleranda viderentur, hoc prorsùs
intolerabile. Potiori equidem iure B *En, quomodò flumen illud ma-*
conqueri poterat Beata Virgo de his, *gnum exſiccatum eſt : exſiccatæ ſunt*
qui à Filio ſuo, proprio redempti *lachrymæ Virginis, quas eouſq́; vber-*
ſanguine, proprijs ſoluti vinculis, ſa- *tim fundebat, donec emortua planè*
nati vulneribus, ſaturati corpore, cæ- *remaneret,* teſte S. Bernardo de La-
teriſq́; Eccleſiæ eius Sacramentis mu- ment. Virginis. *Iuxta crucem,* inquit, S. Bernard.
niti, illum ipſum tot beneficiorum *Chriſti ſtabat emortua mater, quæ ipſum*
munificum largitorem, nihilominùs *è Spiritu Sancto concepit : vox illi non*
erant ſuis ſceleribus rursùm crucifixuri. *erat, quia dolore attrita iacens pallebat;*
Poterat tunc Virgo Deipara *quaſi mortua viuens; viuebat moriens,*
dicere : vos quoq́; filij mei, vos in *moriebatur viuens, nec mori poterat; quæ*
Regni cœlorum hereditatem vocati, *viuens mortua fuit.* Exſiccatum eſt cor
vos in ſinu Eccleſiæ collocati, vos Virginis, cum illas Chriſti in cruce
inter tot æternæ ſalutis commoda C *pendentis voces audiret : Deus Deus* Matt. 27.
poſiti. Fierine poterit, vt eum, qui *meus, vt quid me dereliquiſti.* Matt. 27.
hæc omnia vobis non alio, quàm ſui *Videas & mireris Dei Filium, adeò*
ſanguinis pretio comparauit, rursùs *deſertum atq́; derelictum, vt ad Pa-*
peccantes crucifigatis, atq́; vno ictu *trem clamaret : quia nolebat Pater*
Filij ſimul, ac Matris pectus crudeli- *reſpicere Filium ſuum, donec rigi-*
ter transfodiatis? Heu notam ingrati *dæ eius iuſtitiæ, ad omnimodam*
animi, heu inhumanam Redemptoris obliuionem. Demùm augebatur *æqualitatem ſatisfieret. Videas quo-*
dolor in Virgine ex hoc, quòd præ- *que latronem, qui ab omni non mo-*
uideret paucitatem eorum, qui ex *dò fauore, & ſolatio, verùm etiam*
tàm copioſa redemptione ſalutis fru- *ſolatij ſpe derelictus eſſe meruerat,*
ctum erant conſecuturi. Sciebat *hilarem atq́; triumphantem, cœle-*
enim hoc vaticinatum fuiſſe Michæa, D *ſteq́; regnum in manibus habentem,*
Michææ 7. illis verbis : *Va mihi, qui factus ſum,* *ex promiſſione Chriſti : Hodiè mecum* Lucæ 23.
ſicut qui colligit racemos in autumno. Mi- *eris in paradiſo.* Lucæ 23. Quodſi cau- Drogo.
chææ 7. Sciebat filium ſuum, tanto *ſam requiras, reſpondet Drogo : feciſti*
effuſo ſanguine, tot toleratis acerbi- *de corpore tuo ſpeculum Anima meæ.*
tatibus, tot perlatis opprobrijs, fine *Quaſi diceret : quia latronis cauſam*
ſuo in pluribus fruſtrandum, qui ſiue *atq́; perſonam, cuius chirographum*
veræ fidei ignorantiâ, amiſſione, con- *cruci affixum erat, agebat in cruce*
temptu, aut impugnatione; ſiue *Dei Filius, ideò latro, qui Chriſti*
eiuſdem in malis operibus abuſu, ad *liuore, ſanabatur, hilaris & exultans*
propoſitæ omnibus metam gloriæ *permanſit, ipſe verò Chriſtus derelic-*
non erant peruenturi. Sciebat, vt- *tus iudicatur. Ita cenſet D. Cyprianus*
potè cœlesti in omnibus lumine illu- *Serm. de Cœnâ Domini ad finem. Ipſe,* inquit, *Deus noſter, dere-* S. Cypria.
ſtrata; quàm ingens eſſet bonum *lictorum perſonam agens, in cruce ſe que-*
ritur derelictum, & ne deſperarent etiàm
in vlti-

in vltimis constituti, festinans adiutorium illicò adest, & vt in arcto posita non differri beneficium, sed repentè indulgentiæ celeris documentum eisdem statuit, & exemplum latroni inquiens; hodiè mecum eris in paradiso. Audiebat verba hæc gladio doloris transfixa Beata Virgo, excipiebat vim illorum profundo mentis affectu, viuidâ lachrymarum profluentiâ. Hic tandem peccatores tactis religione, ac pietate animis, resipiscite, & in IESVM cum ingenti dolore clamantes, oculos defigite: hasce plagas, quibus durissimâ è tyrannide in libertatem vindicati sumus, toto corde excipite, & eaidem tanquàm tormenta, & supplicia nobis debita, ob tot à nobis perpetrata crimina, cognoscite; non secùs, ac bonus ille latro cognouit. vt obseruat S. Ambro. Serm. 44. *Latro*, inquit, *bonus, intellexit, quòd Iesus pro alienis peccatis has plagas susceperit: & scivit, quòd illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi; sed latronis, atq; ideò plus amare capit, postquàm in corpore eius, sua vulnera recognouit.* Ita nos eaſdem plagas, tanquàm noſtras agnoſcentes, & ipſas in corde defigentes, meritò cum D. Paulo dicere poſſumus: *Stigmata in corpore meo Domini porto.* & dubiò procul in vltima vitæ periodo, audiemus à Chriſto. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Tandem ad vltimam phialam venio.

S. Ambro.

Septimæ phialæ iræ Dei.

ET SEPTIMVS ANGELVS EFFVDIT PHIALAM SVAM IN AEREM, ET EXIVIT VOX MAGNA DE TEMPLO A THRONO. Dicens: FACTVM EST. Quæ vox audita eſt, dùm Redemptor noſter cruci appenſus in áèrem eleuaretur? illa ſanè: *Conſummatum eſt.* conſummati ſunt infernalium furiarum cruciatus, conſummata eſt Iudaica rabies, quæ delicatiſſimum Chriſti corpus vsque ad oſſa dilaniauit. Conſummata ſunt debita, quia per mortem Chriſti diuinæ iuſtitiæ condignè ſatisfactum. conſummati ſunt omnes Chriſti contemptus, quandò Chriſtus inter latrones, more ſceleratorum appenſus eſt. Perit innocens Abel ab impio Caimo fratre, vt fiat ſacrificium Deo acceptabile. Conſcendit iuſtus Nôê arcam de ligno factam, vt genus humanum ab ira Dei præſeruet. Conſummatum eſt illud Moyſis factum, dùm ſerpentem æneum in ligno eleuatum omnibus proponeret, vt quicunq; illum aſpexiſſet, ſanaretur. *Conſummatum eſt,* dùm Chriſtus inclinato capite emiſit Spiritum. Morte capitis inclinatione, volunt ſignificari Patres: *Non autem* (dicit S. Chryſoſt. apud D. Thomam) *quoniam expirauit, inclinauit caput, ſed quia inclinauit caput, tunc expirauit.* Itaq; alibi morti capitis inclinatione permiſit acceſſum alibi diſtrictum mortis effugit gladium. Et cur alibi intrepidus, qui ad ſpeciem alibi timidus? ô quanta in ſacra illa fuga, & hac inclinatione continentur arcana? Recens natus Dominus, quæ illi a Patre iniuncta, non abſoluerat negotia, nec perfecerat Sacramenta; in cruce iam omnia ritè peregerat, & perfectiſſimè conſummarat: & ideò dicit: *Conſummatum eſt.* Ergo ad noſtram eruditionẽ, dum quæ ſui muneris, nondùm perfecerat; mori timuit; cùm iam perfecerat, inuitauit; ſtatimq; ac triumphali illâ voce protulit: *Conſummatũ eſt,* inclinauit caput, & ſerenis oculis ſpectauit interitum, dicens: *Conſummatũ eſt, & inclinato capite tradidit Spiritum.* Vt doceret, rebus omnibus expeditum, quiq; quod ſui muneris erat, coronauit perfectum, mortem pauidè non timerè; ſed audenter inuitare. Se ante mortem rebus omnibus, imò & ipsâ morte expediuit, & feriatis oculis mortẽ aſpexit. Quod in Chriſto Domino ad noſtram eruditionem vides accidiſſe, multis non ſine culpâ contingere inuenies: horrent ad mortis vmbram: quia quæ ſui muneris, non ritè peracta, & quæ dedecebant, ſtudioſè perfecta non poſſunt ſerenis oculis mortem aſpicere: quia experiuntur multis ſe infauſtis retinaculis detineri. Solus qui potuit ante mortem ſine iactantia proferre: *Conſummatum eſt,* mortem non timet, ſed vt accederet, annuit. Audite S. Auguſtinum apud D. Tho-

S. Chryſo.

D. Thomam : *Tradidit Spiritum per-*
S. Auguſt. *actis omnibus, quæ vt peragerentur, ex-*
pectabat, tanquàm ille, qui poteſtatem ha-
bebat ponendi animam ſuam ; & iterùm
ſumendi eam. Non occubuit mortis
captiuus ? ſed Dominus; non occu-
buit internis acerbè vexatus; ſed pla-
cidâ tranquillitate ſerenus : fugit
ante mortèm, quia proferrè nondum
poterat : *Conſummatum eſt :* at cùm
protulit; imperturbatus occubuit.
Expendite accuratiùs ſtupendum
Dei factum, cur Deus, dùm vitâ mul-
ctaret Aaronem, priùs eum iuſſit ve-
ſtibus denudari, iamq; nudatum oc-
cumbere. Numer. 20. ℣. 25. *Tolle*
Num. 20. *Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos*
in montem Hor, cumq; nudaueris Patrem
veſte ſua, indues eâ Eleazar filium eius :
Aaron colligetur, & morietur ibi. Grauior plurimis pæna eſſet, quàm mortem opperere, & ante mortem inſignibus dignitatis nudari. Cur ergò
Aaron ante mortem veſtibus denudatus. Dominus mortis acerbitatem exacuit, cùm ſpoliari Aaronem ornamentis iuberet ? vtiq; mori priùs
Aaronem decebat, & poſtea denudari veſtibus, ne vel tantillo illo tempore amiſiſſet dignitatem; o Domini in homines amorem! quo mortem exarmaret, Aaronem nudari iuſſit.
Quia omnibus vult ante mortem expediri, vt mortem valeat imperturbatis oculis ſpectare. Nihil illi iam reſtabat faciendum, ſed ritè omnia peracta, ſtudiosè abſoluta erant. Idcirco Aaron non tàm moriebatur, quàm decumbebat. Ait Oleaſter ad literam. *Non explicat textus qualiter ſit*
Oleaſter. *mortuus, aut ſepultus, & crediderim nemi-*
nem hoc vidiſſe, & putarem poſt denuda-
tionem eum à Moyſe, & filio, vtcunq; re-
ceſſiſſe in loco ſecreto montis, & ibidem
manibus Angelorum ſepultum. Poſt denudationem ergò Aaron intrepidus ad mortem properauit, nec illam exhorruit. Quid enim timeret, rebus iam omnibus nudatus, & ab hominibus iam ſeiunctus ? Valere iuſſit rebus omnibus, dùm montem conſcendit, & ibi placidè occubuit. Quam erat ſapientis, rebus omnibus, integra ſalute nudari, & intrepidis greſ-

A ſibus ad mortem deſcendere. Ita planè Redemptor noſter, quo expeditiùs ſalutem noſtram operaretur, nudus in cruce appendi voluit, *& inclinato capite emiſit Spiritum.* Quorum verborum varia eſt interpretum expoſitio : quidam enim verba hæc accipienda eſſe volunt, non verbaliter, ſed nominaliter hoſt eſt; *capite me.* Quaſi Chriſtus expirans diceret, ideò ad vos caput inclino, vt me ad cor veſtrum recipiatis : *capite me.* Pia equidem interpretatio, & digna homine Chriſtiano. Alij dicunt ideo Chriſtum inclinaſſe caput, vt audiret, ſi quo adhuc egeremus : licet enim omnia pro ſalute noſtrâ ſuperabundanter feciſſet; maiora tamen adhuc facere paratus erat, ſi humana neceſſitas indiguiſſet. Sed videte ſummam hominum ingratitudinem, cùm Chriſtus vltrò ſe eis ad omnia beneficia præſtanda offerret velut fulgura, & tonitrua blaſphemas in eum voces emittunt : *Alios ſaluos fe-*
Matt. 27. *cit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.*
C Matt. 27. Hoc autem quid erat, niſi Chriſtum Regem ac Principem, qui alijs potiùs, quàm ſibi ſalutem afferat, velut digito demonſtrare. Sic egregius ille belli Dux Pelopidas, vt Plutarchus in eius vita auctor eſt, cùm ad bellum proficiſcens ab vxore admoneretur, vt ſeipſum ſeruaret, illam Regiâ hac voce affatus fertur : *Id fœminis ſæpè ſuggerendum eſt, Imperatoribus verò, vt alios ſeruent.* Si ergò Chriſtus alios ſaluos fecit, ſeipsũ verò non ſeruauit, quin mortem ſuD ſciperet, optimo iure ſequitur, eum Regem verum, ſummè generis humani amantem eſſe. vt ingeniosè argumentatur D. Athanaſius in Euang. de Paſſion. & cruce Domini : *Dominus autem reuera Seruator, qui non ſua,*
S. Athan. *ſed noſtra quæreret ; non in ſe ſaluando, ſed in creaturâ redimendâ Saluatorem ſe eſſe innoteſcere volebat. Non enim medicus eo, quod ſeipſum ſeruat, declaratur medicus, niſi ſimul & ægrotis artem ſuam exhibeat. Neq; item Sol ſuum iubar in ſe contrahens, pro lumine agnoſcetur, niſi etiam orbi terrarum ſuos radios exporri-*

Chriſtus cur inclinato capite mortuus

gat, & tenebras illuminet. Ita quoq; & Dominus, non ſeipſum ſaluauit, ſiquidem nulla ſalute indigebat, cùm eſſet Saluator, ſed ex ſuis in alios beneficijs voluit Saluator declarari.

Non quieſcit tamen indomita Iuædorum rabies, ſed cum maiori adhuc inſultatione clamat: *Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce.* Obſtupeſcit Leo Magnus Serm. 4. de Paſſione inquiens: *De quo erroris fonte Iudæi; de quo inuidiæ lacu talium blaſphemiarum venena potaſtis? Quis vobis Magiſter tradidit, quæ doctrina perſuaſit, quòd illum Regem Iſraël, illum Dei Filium credere deberetis, qui ſe crucifigi non ſineret, aut à confixione clauorum liberum excuteret. Et ne ſceleris tantum veſtri videatur ordo prædictus, nulla autem potentia prænuntiata crucifixi? non quidem legiſtis: Dominus deſcendit de cruce, ſed legiſtis: Dominus regnauit à ligno.* Chriſtus itaq; non deſcendit; ſed in cruce vſq; ad mortem perſeuerauit. Cur quæſo eorum votis non ſatisfecit? Si Iudæorum fidem tanto pretio empram requirebat, cur eam tunc gratis oblatam non acceptauit? Cùm & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores, ad poſtulata adderent hæc promiſſa: *Deſcendat de cruce, & credemus ei.* Matt. 27. Duplici de cauſa id factum reperio: Primò, ne inconſtantiæ exemplum poſteris relinqueretur. Hanc rationem affert D. Bernardus, Serm. 5. in die Sancto Paſchæ. *Cùm*, inquit, *ſaluus eſſe non poterit, niſi qui perſeuerauerit vſq; in finem, quanto minùs poterit eſſe Saluator.* Statimq; in diabolum inuehens. *Nouit*, inquit, *inique quid cogites. Non tibi dabit occaſionem ſurripiendæ nobis perſeuerantiæ, quæ ſola coronatur. Non faciet obmutescere prædicatorum linguas, conſolantium puſillanimes, & dicentium ſingulis: In locum tuum ne deſeras. Quod ſine dubio ſequeretur, ſi reſpondere poſſent: quia Chriſtus ſuum deſeruit.* Secundò, ne illa ipſa, quàm promittebant, fides deſtrueretur, vt loco citato aduertit idem S. Doctor, verba hæc addens: *Eò quippè tendebat malitioſa ſuaſio, non vt ipſi crederent: ſed noſtra quoq;*

A *ſi quæ erat fides in eum, omnimodis deperiret. Legentes enim: Dei perfecta ſunt opera.* Deutor. 32. quomodo fatentur Deum, qui ſalutis opus reliquiſſet imperfectum. Proinde quod Iudæi malè petebant, Chriſtus Dominus vtiliter denegabat.

Inſuper moriente Domino, prodigia magna facta ſunt: quia terræ motus factus eſt magnus: *Multa corpora Sanctorum quæ dormierant; ſurrexerunt.* Matt. 27. vt contra Iudæos perueršè de Chriſto ſentientes, euidens B teſtimonium Chriſti innocentiæ, & veræ diuinitatis, cuius virtute de ſepulchris educebantur, præberent. Surrexerunt inquam corpora Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, vt ſtultitiam, & malitioſam Iudaicam impietatem in Deum confunderent. Audite Paſchaſium l. 12. in Matthæum. *Chriſtus*, inquit, *quamuis vnus ſit mortuus, & ſolus pro omnibus, noluit ſolus reſurgere, ſed cum plurimis, vt primùm teſtes haberet reſurrectionis, deinde ipſe vna cum multis,* C *vt ſpem refunderet deſperatis, teſtis extitit perpetuæ reſurrectionis.* Seriò cauit Chriſtus in ſuâ paſſione, ne quis diſcipulorum de eius calice biberet: ſed mox totâ gloriæ abyſſum in homines effudit, vt haberet diuitiarum & proſperitatum participes, quod diuiniſſimi & magnificentiſſimi cordis eſt. Opinor neminem eſſe, qui ignoret, quomodò derelictus, quomodò ſolus fuerit Iob in ærumnis, non enim â domo tantùm, ſed ab vrbe ſe abſtraxerat, & ſolus in ſterquilinio ſe- D debat extra ciuitatem, vt docet Origenes lib. 2. *Sedebat Iob ſuper aceruum ſtercoris extra ciuitatem, me ſolum inquiens, circumdant mala mea, mihi ſoli moleſta ſunt vulnera mea, ne officiat alij execratio, ne exacerbentur ciues propter meos dolores.* En tantus vir Iob, qui voluit eſſe ſolus in ærumnis, poſtquàm conualuit, poſtquàm rediuiuæ felicitatis limen attigit, non paruam propinquorum multitudinem ad ſe traxit. Ait enim ſacer textus Job 42. *Venerunt autem ad eum omnes fratres ſui, & vniuerſæ ſorores ſuæ, & cuncti, qui* noue-

Deut. 32.

Matt. 27.

Ad quid corpora Sanctorum mortuo Chriſto de ſepulchro ſurrexerunt.

S. Paſchaſ.

Origenes.

Iob 42.

S. Leo.

S. Bernard.

Idem qui ſupra.

nouerant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo eius. Ecce tibi, quàm ſolus in ærumnis, quàm verò ſociatus apparet Iob in felicitate, concurrentibus ad illum fratribus. Hanc fratrum frequentiam poſt felicitatẽ, tribuit Olympiodorus in Catena Græca, diuinæ virtuti, inquiens: *Cùm factum eſſet diuinitùs, vt ad eum certatim concurrerent.* Olympiodorus. Diuinitùs factum dicit, quòd felicem Iobum, conuenirent fratres, & vnde in tali concurſu potuit colligi, vel minimum diuinitatis veſtigium? ſanè ex eo: quia Iob, qui ſolus ærumnas ſuſtinuit, in primo felicitatis limine non detrectabat, ſed excipiebat, & tenebat frequentiſſimum concurſum amicorum ac fratrum. Opus autem diuinæ virtutis maximum eſt, vt qui in aduerſis habuit ſolitudinem, in proſperis communicationem amet felicitatis. Sic planè cùm Chriſtus ſolus permaneret in paſſione, etiam ab Apoſtolis derelictus, vbi opus humanæ redemptionis conſummauit, ſurgentium de ſepulchris multitudinem corporum in ſignum ſuæ diuinitatis, & regiæ excellentiæ adhibuit: quem enim Iudæi Regem agnoſcere nolebant, clamantes: *Regem non habemus niſi Cæſarem?* eum reſuſcitati mortui, vt verum Deum adorabant, & vt Regem venerabantur. Iudæi de regno deturbati, quia Chriſtum crucifixerunt, Atq; hanc ob cauſam Iudæi, non ſolùm de Iure, quod habebant ad regnum, ſed etiam de Regno, quod poſſidebant, deturbati ſunt: quia manus ſuas, ſui Meſſiæ ſanguine profanârunt. Abſit enim, vt populus, qui manus ſuas Chriſti ſanguine temerauit, ſceptrum teneat: qui ſuum Meſſiam proprijs veſtibus exuit, purpuram induat: qui ſuum Seruatorem coronauit ſpinis, diademate coronetur: qui denique ſuum Regem occidit, regno potiatur. Atque vtinam temporarium tantùm regnum amiſerint Iudæi, ſed de æterno etiam proſcribendos affirmat Rupertus lib. 8. in Gen. cap. 30. *Vnus,* Rupertus. inquit, *ille, qui primò manum protulit, Iudæus eſt, qui primus legem accepit, & cui primùm oportebat loqui verbum Dei. At ille repulit illud, & indignum ſe iudicauit æternæ vitæ, potiſſimùm dum clamaret? ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Oſtendi itaq; ſeptem phialas effuſas, & quantum paſſus ſit Chriſtus, ad effuſionem primæ phialæ iræ Dei, cùm in eum inuidia Iudæorum ſacrilegum impetum faceret. Secunda, & tertia Phiala effuſa eſt in mare, fontes, & flumina, hoc eſt, in milites, totamq; colluuiem Hieroſolymitanam, Chriſtum indignè tractantem. Quarta Phiala effuſa eſt, in ſolem, hoc eſt, in Præſidem Pilatum, ac Principes Iudæorum, quando æſtuauerunt æſtu magno, vociferantes: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Quinta Phiala effuſa eſt ſuper ſedem Beſtiæ, id eſt, ſuper maledictam Synagogam, quæ vt ſanam eius doctrinam, quam toties ex ore eius audierat, reſpueret, ſeductorem vocare non erubuit. *Conuenerunt Principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam.* Simulq; vt regnum à ſe abdicaret, coronam ſpineam capiti eius ad ſummum ludibrium impoſuit. Sexta phiala effuſa eſt in flumen magnum Euphraten, id eſt, in Vitginem Mariam, præ dolore & lachrymis ob amiſſionem dulciſſimi pignoris prorsùs deficientem. Septima tandem phiala effuſa eſt in áèrem, dùm Chriſtus Spiritum ſuum in manus Patris commendans, finem doloribus imponeret, dicens: *Conſummatum eſt.* Vox iam Catholici mei auditur, non in Rama tantùm, ſicut olim ad crudelem infantium occiſionem, ſed in toto orbe: auditur ploratus, & vlulatus multus. Luget ſol Chriſti mortem, & ideò obſcuratus eſt: luget terra, & ideò contremuit: luget Virgo, filium in cruce ignominiosè appenſum ſpectans: fundite & vos pias lachrymas. Agnoſcite Chriſti vulnera eſſe vobis debita: Agnoſcite crucem Chriſti noſtram eſſe: noſtram quidem, tanquàm nobis debitam; ſed Chriſti, tanquàm ab ipſo pro nobis ſu-

bis ſuſceptam. Chriſti eſt, quia Chriſto mortem attulit; noſtra verò, quia vitam nobis præbuit. Chriſtus arborem conſcendit, nos fructum carpſimus; Chriſtus pœnam ſuſtinuit, nos gloriam reportauimus. Hæc igitur piâ mente recolentes, dicamus cum D. Auguſtino libro Meditationum cap. 7. *Quid commiſiſti dulciſſime puer, vt ſic iudicareris? Quid commiſiſti amantiſſime iuuenis, vt adeò dirè tractareris? Quod ſcelus tuum, quæ noxa tua, quæ cauſa mortis, quæ occaſio tuæ damnationis? Ego enim ſum tui plaga doloris, tuæ culpa occiſionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium: Ego tuæ paſſionis liuor, tui cruciatus labor, ô mirabilis cenſuræ conditio, & ineffabilis myſterij diſpoſitio! Peccat iniquus, & punitur iuſtus; delinquit reus, & vapulat innocens; offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat ſeruus, exoluit Dominus, quod committit homo, ſuſtinet Deus. Quò nate Dei, quò tua deſcendit humilitas? Quò tua flagrauit charitas? quò proceſſit pietas? quò excreuit benignitas? quò tuus attigit amor? quò peruenit compaſſio? Ego enim iniquè egi, tu pœna mulctaris: Ego facinus admiſi, tu vltione plecteris, ego crimen edidi, tu tortura ſubijceris; ego ſuperbiui, tu humiliaris; ego tumui, tu attenuaris; ego inobediens extiti, tu obediens ſcelus inobedientiæ luis: ego gulæ parui, tu inediâ afficeris: me ad illicitam rapuit concupiſcentia arborem, te perfecta charitas duxit ad crucem: ego præſumpſi vetitum, tu ſubijſti aculeum: ego delector cibo, tu laboras patibulo; ego fruor delicijs, tu laniaris clauis: ego pomi dulcedinem, tu fellis guſtas amaritudinem: mihi ridens congaudet Eua, tibi plorans compatitur Maria; Ecce Rex gloriæ, ecce mea impietas, & tua claret pietas; en mea iniuſtitia, & tua liquet iuſtitia; Quid Rex meus, & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi.* Heu dolorum pelagus immenſum, quis mortem Chriſti ſatis deflere ſufficiet? verùm ſi in nobis deficiunt lachrymæ, euaneſcunt ſingultus, cordis ſpiritus diffluit, hoc ſaltim nitamur, vt hoc potiſſimùm tempore, in admirabilis huius proſpectus contemplationem internis affectibus rapiamur, vt ſic Chriſti dolores valeamus dignè contemplari, Amen.

S. Auguſt.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. *Lucæ* 23.

IN triſtiſſimum mœroris proſcœnium, ſummo furore percitus cœleſtis ille pater, cum vnigenito ſuo egreditur hodiè Catholici. conſiſtit in theatro ſtrictiſſimi tribunalis, paterna iuſtitia mundum impium perdere volens, & in ipſa inferorum ſtygè igne & ſulphure per ſubterraneos meatus fluente, eundem pro ſceleribus in omnipotentis maieſtatem auſu ſacrilego commiſſis, ad perpetuam confuſionem ſubmergere cupiens. E contra verò Filij miſericordia, fragilitati humanæ compatiens, reos omnes tuetur potenter: vt eius patrocinio defenſi, & â pœnâ mortis abſoluti, clementi eius dexterâ, ad amiſſam libertatem iterum erigantur. Aſſerente id Prophetâ: *Egreſſus es*, inquit, *in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo* Egreſſus es inquam æterne Nate, in lugubre theatrum, quia inter nocturnas vmbras, trans torrentem Cedron: non eo fine, vt oratione & rerum cæleſtium contemplatione, mæſtitiam animi tui lenias, & afflictum atq; contriſtatũ cor tuum ſoleris: ſicut olim fecerat Iſaac matris obitum deflens. Sed potiùs vt propter miſeram matris tuæ Synagogæ mortem, & populi eius cæcitatem, magis triſteris & lamenteris. Egreſſus es & tu, immenſe cæli & terræ conditor, à quo rerum omnium ſumma poteſtas, plene dierum pater: non ſic quemadmodum olim Rex Dauid: qui aperto capite & nudis pedibus ad montem oliuarum pergens, torrentem pertranſierat ſummo animi mœrore confectus, ſuisq; militibus illachrymantibus,

Habac. 3.

Gen. 24.

2. Reg. 15.

tibus, ob perſecutionem filij Abſalo- A ſecum vbiq; fert, & peccati fæditatem intimè percallet.

nis : qui ob nimiam regnandi libidinem & diuitiarum cupiditatem, necem Patri ſuo Dauidi moliebatur. Sed potiùs, vt manſuetiſſimo & obedientiſſimo filio tuo, in monte Caluariæ cauſam noſtram ſtrenuè propugnanti, augeas pœnæ acerbitatem, & intolerabilem mortis cruciatum. Quomodò hîc non pauebis mitiſſime IESV ? dùm paternum furorem non aliter leniendum ſpectas, quàm proprij ſanguinis tui cruentâ effuſione. Meritò nunc triſtis eſt anima tua, B dùm non pro te ipſo, ſed pro delinquente populo, tàm periculoſa pugna tibi ineunda eſt. Rem memorandam ſcribit Antiſtius de vita Sancti Vincentij Ferrerienſis : vbi narrat, quòd cùm quidam pœnitens, graue peccatum inceſtus confiteretur, & S. Vincentius certum ei pœnitentiæ genus, per ſeptennium ſuſtinendum impoſuiſſet; adeò illum contritum, tantoq; præ turpitudine illius peccati angore fuiſſe affectum, vt exiguam illam pœnitentiam & ſatisfactionem iudicans, dixerit : *nunquid nullam aliam exhibens ſatisfactionem ſaluari potero?* S. verò Vincentius, eximiam eius contritionem perpendens, reſpondit : minorem etiam exhibendo ſaluaberis. Propterea nõ aliam tibi impono, quàm tridui ieiunium in pane & aquâ. verùm ille replicans ſubiecit : *Nunquid Pater, ſceleratus adeò homo, tàm leui pœnitentiâ æternas flammas euadet? Etiam fili* (adiecit S. Vincentius) *quamuis nonniſi ter Dominicam recitaueris orationem.* D quô auditô, diuinam bonitatem quam offenderat admirans, & obſtupeſcens; tàm ingens contritionis dolor illum inuaſit, vt Dominicam orationem recitans, inter mortales eſſe deſierit. Si ergò peccatores, diuino tantiſper lumine irradiati, ad turpitudinem peccati, & diuinæ bonitatis cognitionem, ita triſtantur & conteruntur; quid mirum ſi hodiè doleat & triſtetur Chriſtus Dominus, noſtra peccata conſiderans ? qui & diuinæ bonitatis inexhauſtum pelagus

Antiſtius 3 P c. 31.

Si enim Dauidem iniuriæ Deo illatæ ita vexabant, vt non tantùm triſtaretur, ſed mœrore etiam præ illis contabeſceret, vt teſtatur ipſemet. *Vidi*, inquit, *præuaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Pſal. 118. Quomodò hodiè tot & tàm ingentia hominum ſcelera, non afficient ſummo dolore pectus Chriſti ? in quo ſummus diuini honoris zelus viget vt loquitur ipſemet per Prophetam : *Zelus domus tuæ comedit me.* Sed non Pſal. 68. eſt locus trepidationis, vbi totus animus effuſus eſt in liberationem captiui generis humani, iuxta Prophetiam Zachariæ, Magni Baptiſtæ parentis : *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi.* Luc. 1. Adeſt in hoc certaminis campo Angelus, à Chriſto omnem timorem depellens, qui Chriſtum Dominum teſte Anſelmo, in hunc modum alloquitur. *Conſtans eſto Domine, modò genus humanum, debes redimere.* Allegans in ſingulare generoſitatis eius C encomium, illud Prophetæ : *Conſurge conſurge, induere fortitudinem brachium Domini : nunquid tu non percuſſiſti ſuperbum, & vulneraſti Draconem? nunquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis? quis tu vt timeas ab homine mortali.* Iſaiæ 51. Sed mirare fortitudinem, venerare affectum pietatis & clementiæ plenum, quiſquis Chriſtianorum audis. Non timet ſed impauidus in aciem prodit vt velut alter Codrus Athenienſium Rex, vnus pro omnibus cadat. Et quò magis eius magnanimitas, in conſpectum & admirationem orbis totius prodeat, priùs cum æterno Patre decertat; non recalcitrando, ſed voluntati eius parendo : non offendendo, ſed placando iratum Patris vultum. Certant duo Achilles inuicti, furor Patris, & Filij amor; verbum, cum principio; bonitas, cum omnipotentia; ſapientia cum iuſtitia. Inſtat offenſus Pater, cælos quòd homini impio luxerint, perdere volens : *Cælum*, inquit, *& terra peribunt.* Opponit ſe incar-

nati Filij amor, ostendens quòd per ipsum & propter ipsum cæli sint facti,
Psal. 31. iuxta illud Prophetæ: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Paternus furor vult omnes homines annihilare, illorum turpissimo lapsu, & in ipsam Dei maiestatem nefariè commisso, ad iustam prouocatus iracundiam. Obijcit se Filij amor, & horum lapsui conniuere volens, atq; ne ad decretum immutabile damnationis, procedat læsus Pater, suam propensionem ad redimendum omnem creaturam ratio-
Ioan. 1. nalem allegat, illud Ioannis interponens. *Et sine ipso factum est nihil*: quasi diceret, absq; me delictum hoc Pater æterne factum est, per meam quoque instantiam quæso aboleatur. Paternus deniq; furor inclinatur iam ad perdendum mundum hunc sublunarem: *Delebo*, inquit, *omnem animam*
Gen. 6. *viuentem a facie terræ, ab homine usq; ad pecus, & ab animali usq; ad reptile.* Sed neq; hic filij amor otiatur suam interponendo instantiam: *Aut*, inquit,
Exodi 32. *dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, tolle me de libro tuo.* Frustrà iam Pater æterne quereris, illud quod Prophetæ tuo quondam obijciebas: *Quæsiui*
Ezech. 22. *de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiperem eam; & non inueni-* Quia adest Christus Dominus, tuum desiderium exactè cupiens explere: is aduocati munus exercet, pro peccatoribus clamans apud te: *Dimitte illis*
Lucæ 23. *quia nesciunt quid faciunt.* O stupendum & inauditum tàm singularis aduocati ingenium! ô rara & inusitata conditio! Alij clientis tutelam nonnisi soluto pretio, aut spe illius suscipiunt; Christus autem licet optimè sciat, non aliud pretium sibi exoluendum, quàm opprobria & contumelias, preces ad Deum Patrem fundit, & aduocati munus perfectissimè implet: vt concinnè docet mellifluus Bernardus: *Securum*, inquit, *habes accessum homo ad Deum, vbi Filius ante Patrem, voluntatem suam ad mortem pro peccatoribus sustinendam, declarat; non enim poterit vlla esse repulsa,*

vbi tantum adest insigne charitatis. Si enim teste Valerio Maximo, Antonij verba, ea fuêre virtute prædita, vt conuersos in se gladios, longè à se auerteret. Nam sermone eius stupefacti milites (inquit Valerius) districtos iam & vibratos gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Si orationi Poëticæ tantam vim attribuit, Romanæ Cathedræ oraculum, vt facilè hominum animos flectat. *Tantam vim habet* (inquit Cicero) *illa quæ à bono Pœta dicta est flexanima, & omnium Regina rerum oratio, vt hanc illi facultatem flectendi animos sapientissimi viri tribuerint.* Si deniq; Herculis facundia, admirabiliq; in dicendo energia, talis noscitur fuisse, vt teste Luciano, ad eam significandam, veteres catenam quandam depinxerint ab ore eius egredientem, quâ ad auditorum aures perueniente, fortiùs quàm magnes ferrum, illos ad se pertrahebat. Quis incarnato & increato illi verbo, tantam vim & energiam non concedet? vt ebullientis paterni furoris iram comprimat? quoniam teste Euangelista: *Nunquàm sic locutus est homo.* Nam si septem oscitationibus Elisæus puerum mortuum suscitauit: Si Samson, in septem crinibus, absconditâ fortitudine vicit Philistæos: si septem aspersionibus sanguinis, expiata est tota malitia delinquentis populi Israëlitici. Quomodò septem verbis, iratum Patrem non placabit æternus Dei Filius? dùm hodiè clamat: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Valer. l. 8. cap. 8.

Cicero libro de oratione & de Diuinat.

Lucianus apud Pier. cap. 35.

Ioan. 7.

4. Reg. 4.

Iudic. 15.

Leuit. 4.

Sed mœsto condolentes vnigenito Dei Patris, vt petitionis eius fructum mereamur, tantisper procumbamus ad orandum: & ne lugubris oratio nostra, in acerbo Christi passionis proscœnio deliquium patiatur, aut piè auscultantes fidelium linguas, recrudescens horrendæ mortis ad quã Redemptor noster progreditur, confundat dolor; virtutem ab incarnato verbo, quæ exanimes animet, & præ horrendo spectaculo cadentes erigat, in genua prouoluti, humiliter & religiosè postulemus.

Bellum

Bellum graue & periculoſum, infertur vnigenito Dei Filio â tota Iudæa. Venit inquit Euangeliſta: *Iudas Iſcariotes, vnus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladijs, & lignis, miſſi à principibus Sacerdotum.* Matt. 14. Sed nonne vos pudet ô Iudæi, toto cælo terraq; proſcripti infames? bellicum apparatum, contra principem pacis inſtruxiſſe? tantam luporum cateruam, contra vnum puſillum gregem incitaſſe? tot armorum inſtrumenta, contra inermem IESVM arripuiſſe? vtiq; veſtri maiores, cum exiguis ſæpè præſidijs, res difficiles atq; arduas, feliciter adibant, & feliciùs conficiebant. Nonne Achab cum exiguo agmine, nec tàm veteranorum militum, quàm potiùs puerorum imbellium, ingentem propemodùm exercitum regis Syriæ Benadab, cum eoq; triginta duos alios reges, conſpiratos fudit & fugauit? 3 Reg. 20. an. 13. Vos autem contra puſillum agnorum gregem, integram hodiè luporum cohortem congregaſtis. nonne Ioſaphat in campum quondam Martium progreſſus, ſolis muſicis inſtrumentis, infinitâ prope hoſtium multitudine profligatâ, ita vt nemo ſuperſtes remaneret, qui cruentam illam cladem nuntiare poſſet; victor & triumphator in vrbem remeauit. 2 Paralip. pom. 20. an. 20. Quid ergò vos contra inermem Dei Filium, armati; contra pacificum, bellatores; hodiè progreſſi eſtis? quare Chriſtum innocentè apprehenſuri, cum tot facibus & laternis confluitis in hortum. Reſpondet quidem excuſans illos Cyrillus Alexandrinus: *Quia timebant*, inquit, *ne vt in tenebris nocturnis fieri ſolet, aut in foueas caderent, aut pedes lapidibus offenderent.* Cyrillus Alexandr. Verùm ego timiditatis cuiuſdam ſignum, hanc Iudaicam temeritatem eſſe crediderim. Malè enim exercitum ſuum ordinauit Iudæa. Nam Vegetius in ſuis præceptionibus, quibus Marti & Bellonæ conſecratos Athletas informat, Ducem victoriæ cupidum, iubet ſic ordinare exercitum, vt non ex aduerſo ſolis pugnent milites. Veget. l. 3. cap. 14. Quia ſol ante faciem eripit viſum, propterea quà; contra illius aſpectum nuſquam dimicandum eſt. Ad quod ſingulare præceptum non attendit hodiè cæca & amens Iudæa: cuius duces inuidi gloriæ & heroicarum Chriſti virtutum, perpetuâ eas obliuione ſepelire, & prorsùs ex hominum animis eradere volentes; non tantùm ex aduerſo ſole bellum adoriri cæperunt; verùm ſolem etiam ipſum; bello laceſſere auſi ſunt. quocirca quia rem tam inconſultam tentare præſumunt, ſol iuſtitiæ excæcat illos, rutilantibusq; immenſæ Deitatis ſuæ radijs viſum eorum perſtrinxit. Nam vt tradunt Cyrillus & Origenes, diuinâ Chriſti virtute, omnes illi milites impediti fuerant, ne etiam cum facibus venientes illum agnoſcerent. Cyril. l. 12. ſuper Ioan. Origenes tract. 35. in Matth. Et certè ſi excæcauerat quondam Deus illos Sodomitas, qui iuſtum Loth propterea quòd enormia eorum ſcelera argueret, comprehendere volebant: ita vt per totam noctem furibundi graſſantes non potuerint oſtium domus Loth inuenire. Gen. 19. Si latrunculos illos ad comprehenſionem Eliſæi miſſos, in tantam confuſionem eos Deus adduxerat; vt cum eo loquentes minimè eum agnoſcerent, quouſq; ab orante Eliſæo aperti eſſent oculi eorum. 4. Reg. 6. quomodo diuina virtus ſatellitum ad ſe venientium, ad inauditi ſceleris perpetrationem, ſacrilegos & inuerecundos oculos, Ægyptiacâ caligine obducere non debuit? Præſertim cum ex vnanimi Patrum ſententiâ, quâ tradunt præcipuè Cyrillus, Athanaſius, Leo Papa: Chriſtus Dominus à puncto natiuitatis ſuæ, vſq; ad mortem, opera diuinitatis & humanitatis ita inter ſe permiſcuerit atque conciliauerit, vt vtriuſq; manifeſtatione omnium oculis paterent indicia & clariſſima argumenta. Cyrillus Athanaſius. Leo Papa.

Natus eſt IESVS vt homo, paruulus & plorans; ſed vt Deus ſimul ab Angelis adorabatur. Iſaiæ 9. Circumciſus eſt vt homo; ſed ſacratiſſimum nomen IESVS, cælitùs ſibi impoſitum ſuſcepit: quod Saluatorem ſignificat. Hebr. 5. Fugit in Ægyptum vt homo; ſed vt

sed vt Deus simul, vt primùm ingressus est regionem illam, Ægypti idola omnia ad suam præsentiam corruere fecit. Lucæ 10. Præsentatus est in templo vt homo; sed ibi simul tanquàm Matt. 2. Deus, à Simeone & Anna recognitus, diuinis canticis honorabatur. Esuriuit in deserto vt homo, sed ibi simul virtute diuinitatis suæ, per quadraginta dies, absq; cibo & potu cor- Matt. 3. pus mortale sustinuit. Tentabatur vt homo à diabolo, sed protinùs Angeli cælestes accesserunt ad eum, & Matt. 4. illi tanquàm legitimo suo Domino ministrabant. Et nunc pariter vt homo quæritur ad mortem, verùm simul potentiam diuinitatis suæ palam facit, dùm armata militum legio ad inermem accedere non audet. Quia Iob. 26. ad vnicam vocem Saluatoris *Ego sum* corruit vniuersa cohors in terram, illud Iob vsurpans: *Cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit magnitudinem tonitrui eius intueri.* O stupenda diuinæ vocis energia, & portentosis arcanis plena: ad cuius sonitum tabescentes & prorsùs exanimes cadunt hostes. Exstitit ne aliquis in finibus humanæ mortalitatis adeò potens bellator, cuius sola vox plus armis hostem terreret? nemo sanè. Nam & Cyrus, & Cæsar, & Annibal, & Pompeius, & terror ille orbis Alexander, à cuius facie siluit terra: nusquàm tantum imperij habuêre, vt vnico verbo hostes in terram prosternerent. O milites Ierusalem! vbi nunc vestra fortitudo? vbi armorum præsidium? vbi vehemens impetus, quo ducebamini in IESVM. O Iuda! vbi sunt promissa tua, quæ pollicitus es Principibus Sacerdotum: *Ego eum vobis tradam?* vbi symbolum quod spopondisti? *Quemcunq; osculatus fuero, eum tenete.* Vbi stratagema à te decretum? Surge si potes & adimple promissum, aut si adimplere non audes, diuinitatis in Christo robur agnosce: respondentem tibi ad hanc tuam trepidationem, magnum Ecclesiæ Doctorem Augustinum auscultaque qui dicit: *Vna illa vox dicentis, Ego sum; tantam turbam odijs ferocem, teliſq; horribilem; nullo telo perculsit, repulit, strauit. Deus enim latebat in carne, & ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris.*

Augustin. tract. 112. in Ioannē.

Sed quid mirum? quòd verbo Dei in terram corruant legiones: quoniam hoc eodem omnipotenti verbo, omnia facta sunt: & hucusq; fiunt. Hac voce nauigantes discipulos, & ingenti terrore à fluctuantis Oceani procellis perculsos, confortauit Christus alloquens eos: *Ego sum: nolite timere.* Lucæ 24. Hâc voce Dei Filius Samaritanam, & totam Samariam ad se conuertit, dicens ei: *Ego sum qui loquor tecum.* Ioan. 4. Hac voce Saulum à Christianorum persecutione reuocauit, & zelantissimum sui nominis præconem, atque gentium Doctorem effecit, intonans super eum de cælo: *Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris:* Actor. 9. Hac voce populi delinquentis peccata deleuit, apud Propheram protestatus: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Isaiæ 3. Hac tandem voce inermis hodie Christus, armatos Iudæorum milites prostrauit, qui à sola eius voce *Ego sum:* retroacti supini vnâ cum suo duce Iuda ceciderunt, non valentes in conspectu eius subsistere, vt impleatur prophetia Regis Dauid in persona Christi loquentis: *Conuertantur*, inquit, *retrorsum & confundantur, cogitantes mihi mala.* Psal. 54.

Cur ad vocem Christi milites retrorsùm supini cadunt.

Verùm quid obsecro causæ, quòd supini retrorsùm & in tergum non autem in faciem proni cadunt? forsan ideò: quia in faciem cadere, supplicum est, & orantium atq; timentium Deum: retrorsùs verò cadere, hostium refragantium est. Mysterium ergo latet, quòd retrorsùm cadant, ad ostendendū & significandum, Iudęos iam ab eo alienatos esse, iuxta illam Domini querelam: *Vt cadant, & cadant retrorsùm, & illaqueentur & capiantur.* Isaiæ 28. Frequenter enim in Sacra Scriptura *retrorsùm cadere;* tribuitur impijs: sicut ex aduerso, *cadere in faciem*, appropriatur electis: cuius mysticam rationem pulchrè explicat

explicat D. Gregorius. *Quærendum*, inquit, *nobis eſt, cur Ezechiel & Paulus in faciem cadunt, & de aſcenſore equi, id eſt de eo qui in huius mundi gloria elatus eſt, dicitur: vt cadat aſcenſor eius retrò. Rurſumq; de perſecutoribus Domini ſcriptum eſt. Abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram. Quid eſt hoc quòd electi in faciem, & reprobi retrorsùm cadunt? niſi quòd omnis qui poſt ſe cadit, ibi procul dubio cadit, vbi non videt: qui verò ante ſe ceciderit, ibi cadit vbi videt, iniqui ergò quia in inuiſibilibus cadunt, poſt ſe cadere dicuntur. Quia ibi corruunt, vbi quid eos tunc ſequatur, modò videre non poſſunt. Iuſti verò, quia in iſtis viſibilibus, ſemetipſos ſponte deijciunt, vt in inuiſibilibus erigantur, quaſi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur.* Et quæ iam maior infelicitas eſſe poteſt miſeræ Iudææ? quàm quòd ceciderit retrorsùs & à Domino Deo ſuo procul ſit abalienata: quandò ex potentia verbi diuini, ad cuius vehementem ſpiritum, non ſecùs, quàm ad fulminis impetum, terræ alliſa erat, Chriſti tamen diuinitatem agnoſcere noluit.

Gregorius hom. 9. in Ezechiel.

Vnum ego ex Iudæis hodiè quæro, quam ob culpam tàm multis pœnis ſubijciuntur vbiq; gentium? non enim ob idololatriam; quam reuerà modò non exercent: vt conſtat ex euidentiâ facti. Nullæ enim modò de Iudæorum idololatrijs toto orbe querimoniæ excitantur: tum quoq; liquet ex illo diuino oraculo. *Dies multos ſedebunt filij Iſrael, ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim.* Vbi verbum illud ſine *Teraphim* ad literam iuxta veriorem ſententiam, quam Ribera latiùs tuetur, idem eſt atq; ſine Idolis ſeu ſimulachris falſorum Deorum, quoniam igitur falſos Deos non colunt Iudæi; cur à vero tàm diuturnis calamitatibus puniuntur? Reſoluit quæſtionem hanc Diuus Hieronymus, Iudaicum populum in hunc modum alloquens: *Certè*, inquit, *non colis idola; ignoras alienos Deos. Quomodò ergo clementiſſimus quondam Deus, qui nunquam tui oblitus eſt;*

Iudæi ob Chriſti mortem grauiſſimis pœnis ſubijciuntur.

Oſeæ 3. n. 4.

Hieronym. Epiſt. 129. ad Dardanum.

A *nunc per tanta ſpatia temporum, miſerijs tuis non adducitur, vt ſoluat captiuitatem. Ob quod facinus & tàm execrabile ſcelus auertit à te oculos ſuos? ignoras. Memento vocis illius, quæ in auribus parentum tuorum perſonuit: Ego ſum, quem quia agnoſcere noluerunt, ideo & in hodiernum vſq; diem in filijs ſuis atrociter puniuntur.* Hic certè miſerabilis exitus manet peruerſos Catholicos, qui turpitudine peccatorũ polluti, Chriſtum ſæpiùs ad cor eorum clamantem, *Ego ſum*: nec agnoſcunt; nec B à ſuis prauis & inueteratis moribus reſipiſcentes ad eum reuertuntur: Sed cadunt retrorsùs, diuinæ legi recalcitrantes, & audaciùs ruentes in ſcelera.

Sed eriguntur iam de terra lapſi milites, & maiori rabie in Deum hominem inſanientes, ſacrilegas manus in Sumum Sacerdotem, ſupra quem nulla erat humana poteſtas, auſu pluſquàm temerario injciunt: tanquam infamem latronem illum comprehendere volentes. Verũ arguuntur priùs leniter à Chriſto temeritatis & audaciæ malæ. *Tanquàm ad latronem*, inquit, *exiſtis, cum gladijs & fuſtibus comprehendere me.* Quaſi diceret vt exponit S. Hieronymus. Stultum eſt eum cum gladijs & fuſtibus quærere, qui vltrò ſe tradit veſtris manibus: & in nocte quaſi latitantẽ, atq; a veſtris oculis declinantem per proditorẽ inueſtigare, qui quotidiè palam in templo docuit. Sed ideo aduersùm me cum accenſis luminaribus congregamini, quia poteſtas veſtra in tenebris eſt. Erigitur iam & Iudas vt oſculo Chriſtum tradat. O barbaram ingratitudinem! ô pudendam proditionem! cuius hic quæſo animus quamuis obſtinatiſſimus, & prorsùm ſaxeus non emolleſcat? cuius hic ingenium non inuadat horribilis timor? dùm hinc ſpectat effrontem ſacrilegi proditoris temeritatem, indè immenſam Chriſti patientiam. Qui vt refert S. Anſelmus, non dedignatus eſt os ſuum puriſſimum, immundis Iudæ labijs admouere: ex quibus tàm atrocia ſcelera

Hiero. ſuper Matth. cap. 26. tom 3.

Anzelmus Ser. Euan. cap. 7.

prodierunt. *Accedentem ad oſculum ſanctiſſimi oris tui, non es auerſatus; ſed os in quo dolus inuentus non eſt, ori quod abundauit malitia, dulciter appoſuiſti*, inquit Anſelmus. At quorsùm obſecro tantam Iudæ amantiſſimus Chriſtus beneuolentiam exhibuit? quorsùm labia labijs libauit, & os ori appreſſit? Perpendite myſterium, penetrate arcanum. Hoc vnicum ſolicitè curat Chriſtus, vt inter iſtam oris mutuam coniunctionem, dulciſſimus anhelitus Chriſti, peruadat crudelia Iudæ viſcera, & ſaxeum cor emolliat. Sed fruſtra diuinus ignis flammas amoris excitat, vbi totum cor, horridum gelu incorrigibilis malitiæ poſſedit. Oſcularis iam nefande & ſimoniace Iuda faciem illam, in qua fulgor latentis diuinitatis ſplendet; ſed oſculo filium hominis tradis: amoris pignore vulnus infligis: charitatis officio ſanguinem fundis: & pacis inſtrumento mortem irrogas. Mox enim dato hoc ſimulatæ amicitiæ ſigno dicit Euangeliſta: *Cohors ergo, tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum.* Quomodò comprehenderunt? coram quo tremunt Angeli, pauet orbis, & ipſa inanimantia ſaxa trepidant. Volenti inquit Ambroſius inijcit manus turba, & ipſo conſentiente nectuntur vincula. Tenetur IESVS non ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm corporeæ quam aſſumpſit fragilitatem naturæ. Tenetur non inuitus, ſed conſentiens: non infirmus, ſed iuri potentiæ ſuæ vltrò cedens.

Ioan. 18.

Ambr. l. 10 in Lucam cap. 22.

Adumbrauit pulchrè hanc Chriſti capturam, arca illa fœderis Dei in veteri teſtamento, Philiſtæis in prædam data. Sicut enim illa intra ſe, continebat virgam Moyſis, prodigiorum effectricem; ita vt mare rubrum diuideret, & in illo Pharaonem cum Ægyptijs ſubmergeret: Iſraëlitaſq; ſub crudeli ſeruitute attritos, in libertatem reſtitueret: & nihilominus tamen ſe captiuam duci permiſit, latentem virgæ prodigioſæ virtutem minimè oſtentans. ita planè virgâ omnipotentiæ diuinæ in Chriſti humanitate deliteſcente, quamuis illâ ſemper pro placito vti poſſet; ab eius tamen vſu abſtinuit, vt daret locum iræ, & Patris furorem mitigaret. Cùm enim honori ducat Deus, quòd hominem habeat ſuarum manuum creaturam, in cuius conditione plùs aliquid, vel operæ vel ſtudij poſuiſſe videtur, quàm in ipſis etiam Angelis. Siquidem non priùs eum finxit, antequàm de eius formatione ſecum ipſe deliberaret. *Faciamus*, inquiens, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ideircò malè perditam videns peccato, tàm ſtudioſè elaboratam creaturam, quam ille intentis beneuolentiſſimiſq; oculis dudùm ſpectauerat: honoris ratio imaginis diuinitatis, in homine mirabiliter depictæ exigere videbatur, vt ne ſic vitiatam, deformatam, turpiterq; culpæ næuo fædatam imaginem relinqueret, aut negligeret. Referebat ergo inſtaurare illam: nam Patris æterni honor periclitabatur, nî homo perditus reuocaretur, erigereturq; ad priſtinæ perfectionem & amicitiam Dei. Decretum itaq; tulit præpotens Pater, non aliter hominem reparari velle, niſi acerbiſſimarum pœnarum, & immanium tormentorum immodico impendio. Arduum ſatis medium, laborioſum & ſumme difficile. Verùm decebat talem ſententiam à læſo Patre ferri, ne eius exiſtimatio diſpendium pateretur. Propoſuit hanc cauſam Filio Pater, ſuumq; aperuit intentum, velle vindicatum ab interitu hominem. Sed non aliter, quàm multo ſanguine fuſo: non aliter, quàm magnorum cruciatuum; non aliter, quàm crucis ipſius probroſiſſimæ paſſione. Audiens hoc vnigenitus Dei Filius, vt & paterno honori læſo ſatisfaceret, & hominem miſerabiliter lapſum non relinqueret incuratum; motiuum illud ſibi propoſitum, licet horrendum, ex ſummo amore quo in mortale genus ferebatur, amplexus eſt. Et quo facilius tantum negotium perficeret, ſub humana carne ſe abſcondit, & rei inſtar apprehendi ſe permiſit.

Gen. 2.

Poſt-

Poſtquàm ergo Dominus hoſtibus in terram proſtratis, vt ſe poſſent erigere facultatem dedit; omne hoſtium furoris in illum pondus conuerſum eſt. Sed cùm inter aggreſſores ad capiendum Chriſtum adeſſet quidam Caiphæ ſeruus, qui audaciùs & præ cæteris inuerecundiùs manus Chriſto inferre tentabat; Petrus id ægrè ferens euaginauit gladium: Ioan. 18. *Et percuſſit Pontificis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dextram.* quod iuxta Dei permiſſionem factum fuiſſe arbitror, non ſolùm vt Chriſto auriculam ei reſtituente, diuina potentia pariter & clementia, truculentis hoſtibus innoteſceret. Verùm etiam cùm familiare ſit apud pleraſq; nationes ſupplicij genus, latronibus aures amputare: & Malchus cum reliquis illius cohortis militibus veniſſet in hortum, vt prædaretur pretioſiſſimum vitæ lignum, ſcilicet Chriſtum Dominum: iuſtè permiſit auriculam illi tanquàm infami cuidam latroni abſcindere. Miratur Euthymius quomodò milites illi armati propter percuſſionem miniſtro Pontificis factã, non irruerunt in Petrum, vt illum grauiter vulnerarent, aut ſaltem tanquàm reum tenerent, & ad Iudicium Caiphæ perducerent. Euthimius Relat. Bibliot. SS. PP. *Admirari* inquit, *ille quiſpiam poterit quomodò non comprehenderint diſcipulos ac trucidauerint, propter id, quod factum erat in ſeruum principis Sacerdotum.* Sed hic agnoſcite libertatem Iesv, ó ſceleratí & ad cædem ſubmiſſi prædones! virtus omnipotentis quæ de facie Chriſti rutilabat, quæ vos excæcauerat ac proſtrauerat in terram; illa etiam nunc veſtrum furorem, quem de auriculæ amputatione concepiſtis, diſperſit. quæ ſi tantùm potuit, ne diſcipulis Domini noceretis, nonne plùs præſtare potuiſſet in defendendo ipſo Chriſto, niſi æternis ſanctis aliter viſum eſſet. Verùm quemadmodùm potentiſſimus Samſon, ſponte à Philiſtæis ſe capi & ligari permiſit, ita innocentiſſimus pariter Chriſtus voluntariè catenis & funibus veſtris vincitur iam.

O miram Chriſti dignationem? ô ſtupendam benignitatem! qui cùm ſit fortior Samſone, nonne facilè poſſet, ſicut ille quondam funibus ligatus vincula ſoluere, & in hoſtes ſuos non ſecùs atq; ille, aſini mandibulâ in Philiſtæos, irruere? Sed noſtræ ſalutis amor vetat natiuam tranſgredi manſuetudinem, & ad maxima probra deſcendere iam iubet humilem Iesvm. Cæditur ergo in faciem ſummus ille Sacerdos apud Caipham Pontificem; ſacrificiorum auctor apud vicarium; cæli & terræ Dominus apud mancipium; Rex apud ſeruum, liber apud captiuum, agnus innocentiſſimus apud lupum rapacem, ſanctus apud impium, iuſtus apud ſceleratum, quid plura? Deus apud hominem. O crudele ſpectaculum! ò horrenda tragædia. Non tàm graue erat Chriſto, cùm à ſatellitibus comprehenderetur, neque vt Deus, ſed vt latro duceretur ad concilium malignantium. Non tàm acerbum illi fuit, cùm à proprijs diſcipulis in fugam actis, inter pollutas prædonum manus, huc & illuc impudenter volutatus, ad terram, ad ſaxa allideretur; quàm dùm in domo Caiphæ, in domo Sacerdotis, vbi meliùs honorari debuit, tantam iniuriam & contemptum ſubit. Malè enim à latronibus tractatus ſiluit: in domo autem Caiphæ horrendè in faciem cæſus, non tàm præ dolore, quàm præ iniuriæ magnitudine vocem continere non poteſt, ſed reſpondet: *quid me cædis* Vbi Cardinalis Toletus contendit, Chriſtum Dominum per illa verba manſuetè percuſſorem iniuriæ ſibi illatæ increpaſſe, ſeq; vera & recta locutum fuiſſe: Pontificis verò iniquam diſſimulationem manifeſtè voluiſſe inſinuare; qui alioquin ſi proprium canem percuti vidiſſet, non diſſimulaſſet. Toletus ſuper. cap. 8. Ioan.

Sic planè ſilet interdùm Deus, quamuis grauiſſimis à populo ſuo offendatur peccatis, ad vnius autem Sacerdotis ſcelus contineri nequit. Silet quandò in domibus profanis, immunditiei peccata non ſecùs,

quàm in ſtabulo iumentorum, aut belluarum lacubus patrantur. Sed quandò in domibus Pontificum, vbi legis diuinæ rigor ſeruari debet: In domibus Sacerdotum, vbi inuiolata iuſtitia eſſe debet, iniquitas regnat; & ſcelera Deum in faciem vulnerantia fiunt. Tunc primũ diuinus furor à miſericordia ad conniuendum procliui nequit comprimi; ſed erumpit in vindictam, manſuetè priùs arguens: *quid me caeditis.* quare ô filij Sion inclyti & amicti auro optimo, reputati eſtis in vaſa teſtea? quare ô cuſtodes Eccleſiæ ſanctæ, qui antea omnis virtutis & doctrinæ genere præcellentes eratis, nunc in abiectiſſima vitia ruitis præcipites? quid enim miſerius iam eſſe poteſt, quàm quòd Filij Eccleſiæ (inquit S. Hieronymus) qui inclyti fuerunt verâ religione, & ornati ſapientiæ fulgore, atq; decore virtutum ſplendentes; nunc emolliti carnalibus deſiderijs, & terrenis cupiditatibus tabeſcant? læſam Chriſti maieſtatem impunè abire ſinunt, & ipſummet lædunt? quandò Chriſtum à ſuis ſatellitibus, ſcilicet inordinatis affectibus in faciem cædi videntes, ſilent: minimè eos comprimendo, aut emendando in melius.

S. Hieron.

Sed recogita impiè Caipha, ſceleſte Pontifex, illam comminationem horrendam, quam de extremo iudicio locutus Dauid ingeminat: *Congregate*, inquit, *illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Vbi D. Chryſoſth. docet, his verbis Angelis imperari vt ſiſtant ad Chriſti tribunal in primis ſceleratos Sacerdotes, qui primi ante omnes ſententiâ capitalis ſupplicij à Deo feriantur: ſimulq; inquirit. Si mali iubentur ſiſti ad iudicium, quomodò ſancti appellantur? Cur inquit quos eſt accuſaturus & condemnaturus, ſanctos appellat? Reſpondetq; idem S. Doctor, quòd Deus tranſgreſſores ſuarũ legum Sacerdotes ſanctos appellet; *accuſationem augens & honorem adijciens ad maiorem ſignificationem ſupplicij.* quaſi diceret; vt accuſatio augeatur, honoris commendatio antecedit: & vt grauitas culpæ maior appareat, ſanctitas ſtatus ac muneris præmittitur. Maior itaq; eum mordet reprehenſio, quem ſuauior antea laudatio titillauerat; ſicut infelicior eſt lapſus qui ex altiori ſpeculâ contingit, & turpior culpa, quam gloria antecedit.

Pſal. 49. n. 5.

S. Chryſo.

Quis ignorat Angelum pariter & hominem, è felici ſtatu gratiæ, in quâ ambo conditi fuerant, in peccati ſtatum corruiſſe; ſolum tamen hominem, non verò Angelum ad priſtinam felicitatem remigraſſe. Cuius diſcriminis diuerſam rationem inquirens D. Auguſtinus, præter alias, quas Theologi. 3. p. q. 1. ex Patribus congerunt; hanc præcipuam reddit: quia ex perfectiſſimo ſtatu Angelus ceciderat, ideoq; indignus videbatur, vt ampliùs auxilium ſentiret. *Cùm* inquit, *nouerimus bonorum omnium creatorem, reparandis Angelis malis nihil gratiæ contuliſſe; cur non potiùs intelligimus, quòd tantò damnabilior eorum iudicata ſit culpa, quantò erat natura ſublimior? tantò enim minùs, quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuêre.* Vbi apertiſſimè angelicæ culpæ grauitatem, ex eius naturæ perfectione deſumit: quia ſicut turpior eſt in candida byſſo labes, & in cultiſſimo horto vepres; ita in animo benè inſtituto maior quælibet dedecoris nota.

Auguſtin. tract. 110. in Ioannẽ.

Mirabitur forſan aliquis illam legem in Leuitico ſancitam, quæ iubebat vt pro peccato vnius Sacerdotis, & pro peccato totius populi, vnus Deo vitulus immolaretur. adeonè obſecro vnius Sacerdotis peccatum, totius multitudinis ſcelus exæquabat? vt non minori ſacrificio, quàm illud; quo expiaretur, indigeret? Planè ita eſt quemadmodum docet D. Chryſoſt. *Pro vniuerſo* inquit *populo qui peccaret, tantum offerebatur ſacrificium, quantum pro ſolo Sacerdote: quia quò maior eſt authoritas, eò maius eorum qui peccant ſupplicium.* Cogita ergò ſceleſte pontifex Caipha, An non grauius ſit tuum peccatum, quàm totius Iudææ? quàm carnificum & ſatellitum tuorum: dùm in tua domo

Leuit. 4. n. 3, & 4.

Chryſoſth. in Pſal. 64.

domo adeò inuerecundè tractatur innocentiſſimus IESVS. Equidem ſi in veteri lege nemo pro peccato Sacerdotis dominum exorare poterat, niſi ſummus Sacerdos: & pro tanto facinore tuo, non eſt aliud ſacrificium ſufficiens, præter ipſam Chriſti Domini poſtulationem, qui eſt ſupremus Sacerdos, ſecundùm ordinem Melchiſedech: dùm hodiè clamat ad Patrem æternum: *Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt.* Sed fruſtra obcæcatæ malitiæ porrigitur ſalutare antidotum: tantò enim magis ebullit rabies eius in innocentiſſimum Chriſtum.

Leuit. 16. n. 6.

Lucæ 23.

Committit iam impius Pontifex ſuis ſatellitibus innocentiſſimum IESVM, omnibus afficiendum iniurijs, à quibus teſte Bernardo libro de conuiuio crucifixi. Laurentio Iuſtino de triumphali agone cap. 10. Anſelmo tract. de Paſſione Domini. Landulpho de vita Chriſti, Lanſpergio in theorem. de Paſſione Chriſti. Mallonio de flagellatione Chriſti c. 6. Priùs crudeliter flagellatus fuiſſe dicitur Chriſtus: licet non ex ſententiâ iudicis, ex rabie tamen eorum, qui comprehenderant illum. quod comprobat Gulielmus Statione 3. Chriſti patientis, vbi ex ſententiâ D. Hieronymi refert, Chriſtum Dominum eâ nocte, in domo Caiphæ tot aduerſa perpeſſum fuiſſe, vt illis animo comprehendendis, nemo mortalium ſufficiat, quamdiu terrenum incolam agit: Sed in ſolum diem iudicij reſeruatum iri eorum integram notitiam. Cui opinioni plurimum fauet ſcriptura iuxta illud Nahum: *Reuelabo cunctis gentibus ignominiam tuam.* Inſuper Bredembachius in deſcriptione Hieruſalem num. 17. cum alijs magnæ authoritatis Doctoribus refert, quòd ſanguinolenti illi carnifices, non contenti ſe inauditis ſupplicijs & iniurijs Chriſtum affeciſſe, vt tantò lætiorem in quiete noctem ducerent, miſerint illum in lacum quendam inferiorem, ad quem immundæ & ſquallidæ domus illius aquæ confluebant. quod ſpiritu prophetico prædixerat Dauid in perſonâ Chriſti inquiens: *Poſuerunt me in lacu inferiori.* En lectulum Salomonis, Chriſti videlicet, qui pluſquàm Salomon eſt. En lectulum ſponſæ floridum? in quo cubat Rex Angelorum. Locum ſordidum & mortiferum, de ſe fætorem exhalantem; vt cùm reliqui ſenſus Chriſti, ingenti dolore afficerentur, olfactus quoq; eius propriâ vexatione & cruciatu non caruerit. Miſſus olim erat Ieremias in altum puteum: Sed Dominus eum conſolatus eſt. Proiectus Ioſeph in ciſternam veterem: non tamen vllis exacerbatus in corpore cruciatibus. Præcipitatus Daniel in lacum leonum: Sed Angelum Domini, qui eſurientem illum cibaret & iram leonum compeſceret, patronum aduentantem ſpectauit. At in domo Caiphæ lacus in quem toto corpore cruentatus IESVS mittitur omnis ſolatij expers manet. Adeò vt iuremeritiſſimo exacerbatus Chriſtus dicere tunc potuiſſet, illud Prophetæ: *Demerſus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia.* Non eſt enim ſolatium, quia diſcipuli à Chriſto Domino receſſerunt, & Petrus eundem abnegat, & indomita Iudæorum rabies, illuceſcente iam die, ad altius Iudicis Pilati tribunal puniendum adducit, legum Moſaicarum violatorem proclamat, & nouorum dogmatum inuentorem accuſat.

A

B

C

D

Pſal. 68.

Hiere. 34.

Gen. 37.

Danielis 5. n. 22.

Pſal. 68.

S Bernard. Iuſtinus. Anzelmus Landulph⁹ Lanſperg⁹. Mallonius.

Nahum.

Bredembachius.

Sed fauorabilem vt video ſententiam Pilatus in Chriſtum ferre cogitat: immò ſpectatâ eius innocentiâ, Iudex illius fieri recuſat, reſpondens calumniantibus Iudæis: *Accipite ergo eum vos & ſecundum legem veſtram iudicate.* Quid ad hoc Iudicis allegatum, omnibus mundi tyrannis crudeliores Iudæi? *Nobis*, inquiunt, *non licet interficere quemquam.* Ergone legiſlatoris veſtri Moyſis lex prohibuit reum à vobis puniri? deprehenſum in aliquo facinore iudicari? minimè ſanè. vtiq; lex Moyſis in multis criminibus infligendum ſupplicium præſcripſit? Nam in Leuitico in adulterio deprehenſum lapidibus

Leuit. 20.

obruendum esse præcipitur, & blasphemum à toto populo interficiendum. Violantem Sabbatha, aut homicidij authorem, morte plectendũ, idola colentem decolandum, recusantem parere summi Sacerdotis imperio, aut inobedientem parentibus suis è viuis tollendum esse. Ac demum in Exodo simpliciter proclamatum est: *maleficos non patieris viuere.* Ad hæc si Iudæi in captiuitate Babyloniæ positi, habebant ius occidendi adulteram, secundùm legem in ipso actu deprehensam; & falsos testes lege talionis, vt factum est Senioribus insontem Susannam accusantibus. quomodò ergò vobis Christum interficere non licet? Mouet dubium hoc Augustinus. *Quid est*, ait, *quod loquitur insana crudelitas: nobis non licet interficere quemquam? si malefactor, cur non licet. nonne lex eis præcipit, ne malefactoribus, & præsertim à suo Deo seducentibus parcant.* Verùm rectè dicunt nobis non licet interficere, quia innocentem IESVM vident, lex autem dicit: *insontem ne occidas* O malitia, fraudis plena! nonne perinde est aliquem occidere, atq; per falsam calumniam eundem Iudici ad mortem condemnandum offerre? Grassatur hæc impia pestis per totum iam orbem, quandò ficti Catholici, *fatentur* quidem ingenuè, quòd *illis non liceat* quemquam occidere. Sed *submittere* sicarios, falsos *subordinare* testes, iudices ad iniquè *ferendam* sententiam muneribus inclinare, pro nihilo ducunt. quasi non idem sit, esse authorem mali, & facere malum.

Leuit. 24. Ibid. n. 5. Exodi 22. Deut. 17. Ibid. n. 21. Deut. 13. Ibidem. Augustin. tract. 114. in Ioannẽ.

Verum tamen Pilatus causam hanc sumè periculosam esse videns, aut innocentem IESVM damnare, aut Iudæorum odia incurrere: vt ex tanto periculo seipsum eriperet, remisit Christum Dominum ad Herodem Regem, qui illo tempore Hierosolymis aderat. Sed quia apud hunc ad omnia interrogata siluit Christus: Tum quia non videbatur consentaneum, vt stulto Regi signa & prodigia quærenti, Deus Homo responderet, iuxta illud Salomonis effatum: *ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam.* Tum quia Herodes ipse impius, vocem Christi clamantem in deserto, scilicet Ioannem Baptistam, propter Herodiadis saltationem è viuis sustulerat; idcirco indignum erat, vt sublatâ voce suâ instrumentariâ, verbum quoq; incarnatum interroganti Herodi quidquam responderet. Propter quod velut insanus veste candidâ in ludibrium indutus IESVS, iterum ad Pilatum remittitur. Vbi Pilatus impossibile iudicans vt datâ Iudæis optione, eligendi inter IESVM & Barabbam, hominem seditiosum & homicidam; hunc liberaturi essent, & innocenti Christo illum præponerent. Alloquitur frementes Iudæos: *quem vultis dimittam vobis Christum an Barabbam?* quia desiderabat illum è manibus eorum liberare, si non tanquam iustum & Sanctum, saltem tanquam minus iniquum & iniustum. At illi cruentâ sæuitiâ in Christum insurgentes, vehementi impetu clamauerunt. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* Cuius impij facti figuram præcessisse video in Leuitico, vbi dicit Sacra Scriptura, supra duos hircos Sacerdotem misisse sortes, quis eorum immolandus esset, & quis in caprum emissarium dimittendus. Et ecce sors cecidit in agnum vt immolaretur, in hircum verò vt dimitteretur: quo Christi & Barabbæ latronis figura optimè adumbrata est. Et Christus enim Dominus licet agnus esset ob innocentiam suam, propter iniquitates tamen nostras, quas in se expiandas liberè suscepit, immolari iubetur; Barabbas autem velut fœtidus hircus dimittitur. *O cæcitas Iudæorum! ò furia phreneticorùm! Noli dimittere hunc, sed Barabbam? quid fuit hoc aliud dicere; quàm occidatur ille qui mortuos suscitat, & dimittatur latro qui viuos occidat:* inquit, S. Augustinus.

Lucæ 23. Leuit. 16. Augustin. tract. 15. in Ioannẽ.

Procedit ad inquisitionem Iudex: scisciatur ex Iudæis accusantibus de IESV: *quid mali fecit.* Super quæ verba Augustinus discursum mouet: *Interrogentur*, inquit, *& respondeant*

Augustin. supra citatus.

ant à Spiritibus immundis liberati, languidi ſanati, mundati leproſi, ſurdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui reſuſcitati. Nonne vnanimi voce reſpondebunt? Benè omnia fecit: nam aſpectu ſuo conſolatur mæſtos, verbis docet imperitos, mores inſtruit corruptos, ſputo oris cæcos illuminat, ventorum turbines ſedat, maris tumentes vndas compeſcit, & omnes ad vitæ æternæ aſſecutionem ducere vult. quid ergo mali fecit, cùm tàm benè omnia fecerit. Victus tandem Pilatus falſis Iudæorum allegationibus, tum quoq; importunis poſtulationibus, flagellis adiudicat Chriſtum, & in manus ſatellitum tradit. Arripiunt atroces innocentem IESVM carnifices, & ad lapideam columnam vinctis poſt terga manibus; ligant: pugnis, calcibus, fuſtibus, loris, flagellis, contundunt immaniter & lacerant ſacrum corpus, omnemq; ſuam in eum effundunt rabiem, & ita crudeliter tractant; vt proximum iam morti vix non vitâ priuent. Nam teſte D. Bonauentura quinq; millia ictus flagellorum Chriſtus ſuſcepit in illa cruenta carnificina: Vulnera verò ab illis cauſata quinq; millia, ſuper ſexcenta ſeptuaginta & ſex. Sancta quoq; Gertrudis ex reuelatione ſibi factâ refert, vulnera in corpore Chriſti fuiſſe quinq; millia, ſuper quadringenta. Deniq; Ioannes Aquilanus teſtatur, D. Bernardo fuiſſe reuelatum, Chriſtum Dominum ſex millia, & ſexaginta ſex percuſſuras accepiſſe. Fuit quondam iuſtus Iob multis ærumnis ægrè affectus; attamen licet omnibus alijs bonis priuatus fuerit, propriâ tamen pelle nunquam expoliatus eſt, vt ipſemet teſtatur. *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum.* Chriſti autē Domini calamitas eò peruenit, vt flagellorum acerbitate vndiq; excoriatus, & naturali pellis tunicâ nudatus ſit; dum à planta pedis vſque ad verticem capitis, nulla in eo ſanitas remaneret. Nam referunt Euſebius Cæſarienſis lib. 3. Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum c. 6. Ioſephus Flauius

Bonauent. de Paſſione

Gertrud. lib. 4. Inſtitutionū.

Aquilanus de amara Chriſti Paſſione.

Iob 12.

A Chriſtum vſq; ad oſſa flagris dilaniatum fuiſſe. Et Nazianzenus in carmine de Chriſto patiente ait, Chriſtum poſt flagellationē omni ex parte ſanguine manaſſe; ac tandem Robertus Aquinas, aſſerit præ debilitate nimiâ Chriſtum in terram cecidiſſe, & ſe in ſanguine ſuo volutaſſe, cui & nos compatientes, procumbamus tantillum in terram, & pijs precibus exanimem IESVM ſubleuemus, antequàm tantæ in eum crudelitatis cauſam inueſtigabimus.

Ioſeph. libro 6. de bello Iudaico.

Aquinas art. 10. de Paſſione Chriſti.

B Nihil eſt difficilius, quàm facti alicuius rationem indagare, cuius nemo ſe authorē fatetur, ſed omnes ſe excuſant. Chriſti ſanguinolentam flagellationem dùm ego perpendo, omnes video ab illius iniquâ patratione ſe immunes oſtendere velle. Iudæi inprimis non fatentur ſe eſſe reos, allegantes in ſui defenſionem illud: *Nobis non licet quemquam occidere.* Gentilium ſatellites, qui iſtius horrendæ lanienæ carnifices erant, excuſant ſe; proponendo ad eos non C ſpectare flagellandorum inquirere cauſam, ſed quod eis præcipitur, iuxta munus ſuum executioni mandare debere. Iudas proditor & hic ſe excuſat, pretium quod acceperat à Pontificibus, eis referens: *Peccaui*, inquit, *tradens ſanguinem iuſtum.* O mira cordis humani efficacitas! non eſt opus alijs teſtimonijs, vbi propria conſcientia accuſat: vna nimirum illa pro mille valet. Equidem licet caſſa eſt pœnitentia peccatoris aut potiùs proditoris Iudæ, quia peccauit in Spiritum Sanctum: in quem commiſſum ſcelus, neq; in hac, neq; in futurâ vitâ dimittitur, iuxta doctrinam Euangelicam; Eſt tamen vllus in ſcelere pudor, culpam agnoſcere. Et quamuis Iudas ſceleratus non abſoluitur, per hoc tamen Iudæorum impudentia confutatur. Quos cùm manifeſta venditoris confeſſio redarguat, ſcelerati tamen vindicant iura contractus; & exortes reatus ſe eſſe credunt, dùm reponenti Iudæ pecuniam reſpondent: *Quid ad nos tu videris.* O amentia! Ergone

Ioan. 18.

vos ra-

vos rabidi canes, atroces Iudæi, arbitramini ſolui magis authoris ſcelere, quàm teneri. Vtique in pecuniarijs cauſis, refuſo pretio ius ſoluitur? vos autem & pretium recipitis, & ſacrilegium perſequimini, atq; pertinacibus ſtudijs funeſtam vobis vindicatis ſanguinis auctionem, cùm refunderet venditor ſacrilegij mercedem. Sed altiùs perpendite myſterium: Reſtitutum ſanguinis pretium à Iudæorum gazophylacijs ſeparatur, & ager figuli eâ, quâ venditur Chriſtus, comparatur pecuniâ, ad humandas peregrinorum reliquias. Ager hic ſecundùm diuina præcepta mundus eſt. Figulus hominis plaſmatorem deſignat, de quo Scriptura ſacra dicit in Geneſi: *Finxit Deus hominem de limo terræ.* Gen. 2. Pretio igitur ſanguinis Chriſti emitur hodiè mundus ab æterno Patre, vt in hoc tanto valore comparato agro, ſepeliamur per baptiſmum, & patienti compatiamur IESV, dolore pœnitentis conſcientiæ tacti. Sed non omnibus in hoc agro ad ſepeliendum locus eſt: ſeparatum enim à Iudæis empti pretium Chriſti, Iudæos quoq; à pia ſepultura proſcribit: Hæreticos malè ſibi pretium ſanguinis Chriſti vſurpantes, excludit: & peruerſos Catholicos procul hinc amouet. Sed eos tantùm terra ſancta pro Chriſti venditi pecuniâ empta recipit, qui Chriſtum agnoſcunt, & in ſincera ſuorum ſcelerum pœnitentiâ, ſanguine eius cupiunt expiari. innocentem ſe quoq; tanti opprobrij in Chriſto perpetrati oſtendit Pilatus, dùm lauans manus ſuas dicit: *Innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti.* Matt. 27. Petrus ſe excuſat, quòd Chriſtum negauerit, foras exiens & flens amarè. Et reuera dignum omni excuſatione cenſet S. Ambroſius. Quid enim negauit? Nonne hoc, quod deuotionem conſiderans, & ſui conditionem non reſpiciens promiſerat incautè: ſcilicet ſe non dimiſſurum Dominum, etiamſi pro illo mori oporteret. Quod vtiq; non humanæ infirmitatis, ſed diuinæ poteſtatis eſt. quid negauit prodenti ancillæ, quòd ex illis eſſet, qui cum IESV Galilæo erant? *Neſcio,* inquit, *quid dicis.* Matt. 26. Vbi non negaſſe Dominum, ſed à proditione mulieris ſe videtur eripuiſſe. Non ergo negauit ſe cum Dei Filio fuiſſe. Et licet ſecundùm Matthæum, proditus quòd cum IESV Nazaræno fuiſſet, reſponderit: *Neſcio hominem:* Matt. 16. iuramento hanc ſuam reſponſionem confirmans. Benè tamen negauit hominem, quem ſciebat eſſe Deum: Benè aſſeruit ſe neſcire illum; quia temerarium vtiq; erat, vt diceret, quòd noſſet eum; quem mens humana non poteſt comprehendere, iuxta illud Euangeliſtæ: *nemo nouit Filium niſi Pater.* Ioan. 14. ac proinde iuremeritò dignus venia Petrus eſſe videtur, licet ad omnia interrogata ancillæ, negatiuè reſponderit. Ac tandem omnes ſe excuſant, culpam in Dæmonem reijcientes: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Luc. 22.

Alia ergo principalior, & quæ nullam excuſationem patiatur, Chriſti flagellationis cauſa indaganda eſt, quàm video inſinuat Propheta: *Propter ſcelus,* inquit, *populi mei percuſſi eum* Iaiæ 53. Hæc eſt vera & vnica cauſa omnium Chriſti opprobriorum; noſtra ſcilicet peccata, quæ inſtar armatæ cohortis in Chriſtum Dominum immaniter irruerunt. Dux crudeliſſimi huius exercitus IESVM apprehendentis fuit ſuperbia, caput omnium vitiorum, quæ ſtimulauit Iudæos, vt omnis erga Chriſtum ſubiectionis iugum excuterent: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Luc. 19. Auaritia tribunum geſſit, timens ne ſi Chriſtus ſuperſtes eſſet, diuitiarum iacturam pateretur, in ſola cupiditate enutrita Phariſæorum labes: *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Ioan. 11. Inuidia ſacrilegas manus in eum impoſuit, ægrè ferens honorem illum, qui nuper à totâ Hieroſolyma obuiam procedente, Chriſto deferebatur: *Sciebat quòd per inuidiam tradidiſſent eum.* Matt. 27. Ira & indignatio columnæ illum alligauit, dicente Euangeliſta: *Et indignati ſunt Sacerdotes populo.* Matt. 20. Calumnia illum circumuenit:

Ambro. libro 10. ſuper Lucæ cap. 22.

Inueni-

Inuenimus hunc ſubuertentem gentem no- A
Lucæ 23. *ſtram, & prohibentem tributa dare Cæ-*
ſari. Teſtimoniorum falſitas illum
Matt. 26. ſecuta eſt: *Cùm acceſſiſſent multi falſi*
teſtes. Iniuſtitia potiùs elegit Barab-
bæ latronis vitam, quàm Chriſti in-
nocentis ſaluam fieri, illud inclа-
Ioan. 18. mans: *Non hunc, ſed Barabbam.* Mun-
danus deniq; timor ad impiam flagel-
lationis ſententiam Pilatum impulit.
Ioan. 12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.*

Sed nondum tantis opprobrijs ſatiari poteſt Iudaica rabies: ad ma-
iores adhuc & ſacrilegos auſus à ſuâ B
impietate incitatur: dùm coronam
de acutiſſimis ſpinis ſacratiſſimo eius
vertici infigunt ſcelerati hoſtes. quod
optimè figurabat Salomon, qui (vt
refert Ariſtias antiquiſſimus Author,
Guliel. libro 6. rerum naturalium. relatus à Gulielmo Amero (digito
annulum portare ſolebat, qui dupli-
cem coronam, vnam ſpineam; au-
ream alteram, miro artificio inter ſe
contextas habebat. Huic annulo ex
vna coronarum parte illa inerat In-
ſcriptio: *Victoria amoris*: ex altera
verò hæc; *Amoris cognita fortitudo.* C
Hunc annulum circumſpiciens Re-
gina Sabba, & ignorans quid ſibi vel-
lent duæ illæ coronæ, deprecata eſt
Regem Salomonem, vt qui clauem
ſcientiæ habebat, vtriuſq; illius co-
ronæ myſterium abſconditum rese-
raret. Cuius votis annuens Salomon
reſpondit: Coronam auream ſigni-
ficare Chriſti diuinitatem, eamque
Chriſto (vt Deus eſt) deberi. Spineam
verò, humanitatem eius repræſenta-
re, quoniam is à tali coronâ in ſuo
corpore omnes cruciatus perferre D
debuit. Per inſcriptionem verò il-
lam *victoria amoris*, repræſentari aſſe-
ruit victoriam, quàm diuinus amor
de eius iuſtitiâ reportare debuerat:
adeò enim potens fuit amor in
Deum, vt verbum illius æternum in
terram inter ſpinas deijceret.

Apponunt etiam arundinem in manu eius, illudere magis volentes, ſed myſterium ignorantes. Quod D. Athanaſius ſolertiſſimè inueſtiga-
uit, qui docet arundinem Chriſtum accepiſſe in manu, vt antiquum ſer-
pentem interficeret. *Arundinem*, in-
quit, *ille accepit, cùm illi à diabolo por-*
rigeretur, ignorante quòd contra ſeipſum
gladium acueret. Cùm enim Natura-
liſtæ tradant arundinem ſerpentibus
lethalem eſſe; profectò diabolus fu-
turæ calamitatis ſuæ neſcius, dùm
per frementes Iudæos arundinē Chri-
ſto porrexit, iaculum contra ſeipſum
præbuit, vt meritò dicat Euangeli-
ſta: *nunc Princeps mundi huius eijcietur*
foras. Efferbuit interea malignan-
tium rabies, vt dùm radios propter
innatam pulchritudinem, quâ, ſpe-
cioſus formâ præ filijs hominum erat,
ex ſacro eius vultu dimanantes ferre
non poſſent; velatâ eius facie, inue-
recundè illum conſpuerent. *Cæpe-*
runt, inquit Euangeliſta, *conſpuere &*
velare faciem eius. Quid iam obſecro
hâc ignominiâ grauius Chriſto eſſe
potuit? Si enim dicit Seneca in qua-
dam Epiſtola ſua: *Nullus maior labor*
eſt, quàm ferre illuſiones. Quòd for-
taſsè reſpiciens Saul, & de vitâ ſuâ
deſperans, interfici potiùs à proprio
milite maluit; quàm in extraneorum
illuſiones venire: *Euagina*, inquit,
gladium tuum, & percute me, ne fortè ve-
niant incircumciſi iſti, & interficiant me
illudentes. Quomodò grauiſſimæ Iu-
dæorum illuſiones ſummoperè Chri-
ſtum non debebant exacerbare. Si-
quidem ſaliuæ in faciem proiectio, in-
famię pariter & rabidæ iracundiæ cer-
tiſſimum ſemper indicium extitit.
Vnde ſacra hiſtoria refert, quòd cùm
Maria Moyſis ſoror, illi detraxit, &
propter hoc leprâ, diuina virtute,
immiſsâ grauiter afficeretur, Moyſes
verò pro illa oraret Dominum, re-
ſpondit Deus: *Si pater eius ſpuiſſet in*
faciem eius, nonne debuerat ſaltem ſe-
ptem diebus rubore ſuffundi. Si ergo
à proprio parente filium conſpui,
tanta in ſacris literis reputatur iniu.
ria, adeoque fædat & inhoneſtat;
quantò grauior hæc erit; quàm Chri-
ſtus Dominus patitur hodie, qui cùm
ſit cōmunis omnium parens & Deus,
ab immundiſſimis & abiectiſſimis ne-
bulonibus conſpuitur. Quid iam
tardas ô impie Iudex Pilate, inſa-

Athanaſius tom. 3. in Euang. de Paſſione.
Ioan. 12.
Marci 14.
Seneca.
1. Reg. 31.
Num. 12.

nientis populi furorem comprimere ? Educ iam tot opprobrijs afflictum Christum, & de feneſtrâ prætorij, confluenti vndequaque & proſpectanti populo illum oſtende : vt tandem aliqua ſpes commiſerationis affulgeat. Proclama ſignum mœroris : *Ecce homo.* de quo prophetauit Dauid Rex : *quouſq; irruitis in hominem ? interficitis vniuerſi vos, tanquàm parieti inclinato & maceriæ depulſæ. Ecce homo* : Cuius ſi vindictam deſideratis ? tot ac tantis vlceribus affectus eſt, vt à plantâ pedis, vſq; ad verticem capitis, non ſit ſanitas in eo. *Ecce homo* : contemplemini illum, quia caro veſtra & frater veſter eſt : Magiſter veſter qui vos docuit : qui infirmos veſtros curauit, energumenos à dæmonum tyrannide eripuit : & penè infinita beneficia in rempublicam veſtram contullit. Quid plura ? *Ecce homo.* in quo tametſi nullam inuenerim cauſam, vt tamen veſtris omnium votis ſatisfacerem ; flagellatum, coronatum, ſputis coopertum, huiduin produco : adeò vt adamantina etiam corda ad miſerationē coñoueat. Parcite iam ; cùm non minus honorificum ſit, parcere ſubiectis, quàm debellare ſuperbos.

Ioan. 19. Pſal. 61.

Sed pro dolor ! loco commiſerationis feruet odium Iudæorum, mortis ſententiam â Pilato extorquent, vociferantes : *Tolle tolle crucifige.* Ergone iam ô Iudæi è medio viuorum vultis tollere eum ? in quem Angeli deſiderant proſpicere ? ſic planè : *Grauis eſt nobis*, inquiunt, *ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius.* Quando Sol eclipſim patitur, nociuum iudicant Medici in illum oculorum aciem intendere ; abiectiſſimi pariter Iudæi Solem iuſtitiæ præ multitudine ſputorum, & ſacri cruoris è vulneribus capitis in maxillas defluentis, quodammodò eclipſim patientem, & omnis pulchritudinis expertem eſſe videntes, nociuum ſibi iudicant, irretortâ oculorum pupillâ illum intueri, atq; idcirco enixè poſtulant : *Tolle tolle crucifige.* Paret impietas Iudicis infernali furiæ. Fert ſententiam mortis, & Chriſtum ad crucem condemnat. Cuius iniquæ ſententiæ figuram præceſſiſſe video, in Naboth innocente. de quo ſacra pagina in libris Regum narrat, quòd cùm Rex Achab annectere horto ſuo pulchram Naboth vineam propè vicinam vellet ; illo tamen venditionem eius renuente : Ieſabel Regis vxor ira aduerſus Naboth percita, duos induxit falſos teſtes, qui illum contra Deum & Regem blaſphemũ, atq; adeò in diuinæ ſimul & humanæ læſæ maieſtatis crimen prolapſum fuiſſe conteſtarentur. Qui cùm ſiſteret coram Iudice, mortis ſupplicio eum damnauit Iudex, & populus, vt Regi congratularetur, lapidibus illũ obruens interfecit. Ecce imaginem ad viuum iniquam Pilati ſententiam exprimentem. Naboth enim (qui interpretatur homo fructificans) Chriſtum Dominum adumbrat : qui exijt ſeminare ſuum ſemen, ſcilicet velle bonum in hominibus, & perficere. Vinea Naboth pulchra, Chriſti Eccleſiam nobis ob oculos ponit, de qua loquitur ipſe Dominus apud Hieremiam : *Ego te plantaui vineam electam ; & quid vltra potui facere vineæ meæ ?* Achab vt docet Arias Montanus, dæmonem deſignat Patrem Iudæorum, qui Chriſti ſecundùm carnem tantùm fratres erant, ipſomet atteſtante : *Vos ex patre diabolo eſtis, & opera patris veſtri vultis perficere.* Iezabel (quæ inſula ſtercoraria interpretatur) aptè ſatis Iudæorum Synagogam, bonorum temporalium ſtercore ſe ſe voluptantem, repræſentat. dæmon igitur tyrannicè prædominari volens, ſibique vſurpare dilectam Chriſti Eccleſiæ vineam, cùm id obtinere non poſſet, diuinâ recuſante omnipotentiâ, falſos contra Chriſtum ſubmiſit teſtes, crimen humanæ & diuinæ maieſtatis læſæ illi imponentes : quòd ſcilicet Filium Dei ſe appellauerit, & Cæſari tributa pendere prohibuerit. Quibus auditis, impiâ Synagogâ, mortem eius importunè expoſtulante, infami crucis ſupplicio iniquus Iudex Pilatus Chriſtum

1. Reg. 21.

Arias Montanus in Appa.

Ioan. 8.

Ioan. 19.

ſtum innocentem, cruci affigendum decreuit. Verùm quemadmodùm inuerecunda Iezabel, ob innocentem Naboth trucidatum, debitas tanti ſceleris perſoluit pœnas, rabidis canibus in carnem eius irruentibus, qui non ſolùm eam lacerârunt, ſed partim etiam deuorârunt. Ita diuino conſilio factũ eſt, quòd poſt adiudicatum morti Chriſtum, Titus & Veſpaſianus Romanorum Imperatores, velut imaniſſimi canes, Iudaicam gentem inuadentes, non ſolùm lacerârunt, ſed deuorârunt, & penitùs extinxerunt regnum Iudæorum.

Erigitur iam in medio montis Caluariæ quernea crux, & ſacrum Chriſti corpus vndique cruentatum clauis affigitur ligno: vt ſalutem in medio terræ operetur. Fit horror in toto orbe? Sol nubibus obducitur, ne tanti criminis ſpectatorem ſe exhibeat. Luna mutat colorem, indignum reputans, ſui creatoris necem ſpectare: alliduntur rupibus ſaxa, feruent maria, gemunt bruta, terra è ſuis ſedibus cõmouetur & mortuos educit, vt manante è cruce Chriſti ſanguine, viuificati reſurgant. Verbo dicam, fit toto cælo ſumma confuſio, quod præclarè olim Falconia. Falconia fæmina clariſſima his verſibus cecinit.

Tollitur in cælum clamor, cunctiq; repentè
Corripuêre ſacram effigiem, manibuſq; cruentis
Ingentem quercum deciſis vndiq; ramis
Conſtituunt.

Fit inquam ſumma confuſio toto cælo, ex ſummâ acerbitate doloris, quem Chriſtus Dominus in hac affixione cruci ſuſtinuit. S Thom. 3. p. q. 46. art. 6. Quòd Angelicus Doctor ex eo facilè probat, quia in locis neruoſis Chriſtus Dominus fuit transfixus, hic autem dolor adeò vehemens eſſe ſolet, vt multis ſpaſmũ cauſauerit, alijs membrorum ſtuporem & mentis alienationem immiſerit. Comprobat doctiſſimus Eckius Eckius tractatu de Paſſ Dñi c 5 conſider. 3. hæc verba proferens: *Manus altera obtuſo clauo vt grauior eſſet, dolor cruci affixa eſt; altera verò quando iam foramen attingere non poterat, funibus ſic extenſa eſt, vt vena diſrumperentur.* Et Lodulphus aſſerit cuidam viro pio Lodulphus de Paſſio. reuelatum fuiſſe, Chriſtũ Dominum nullam maiorem ſuſtinuiſſe pœnam, quàm cruci affixionem.

Perſonat iam lachrymabunda Chriſti in cruce pendentis vox: *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me.* Pſal. 21. Labitur hic Euthichianorum Hæreſis, ex iſtis Chriſti vocibus verbum diuinum humanitatem ſuam dereliquiſſe exiſtimantium. quòd probare contendunt, tùm authoritate Sancti Hilarij, qui Canone 32. in Matthęum ante medium ſic agit: *Clamor verò ad Deum corporis vox eſt, recedentis à ſe verbi Dei conteſtata diſſidium*: Tùm quoq; D. Ambroſij, qui ſupra Lucam ad initium dicit: *Clamauit homo diuinitatis ſeparatione moriturus.* Sed fruſtra tantis Patribus ſuum errorem appingunt: Illi enim apertiſſimè loquuntur de ſeparatione diuinitatis non ſecundùm rem, ſed ſecundùm auxilium & ſolatium, vt ingeniosè explicat Magiſter ſententiarum. Cùm enim Deus à nemine ſubtrahat gratiam habitualem, niſi præcedente lethali peccato: quomodò a Chriſto ſubtrahere debuit gratiam vnionis? cùm in eo nullum prorsùs præceſſiſſet peccatum, quia omninò impeccabilis erat. Labitur ad hanc Dei Hominis in cruce morientis & clamantis vocem, impudentiſſimus Caluinus. Caluinus cap. 7. ſuæ inſtitut. ſect. 9. Cuius errorem lingua promere perhorreſcit, qui in ſua inſtitutione non erubuit mendaciſſimè effutire, Chriſtum Dominum creatorem cœli & terræ, humani generis redemptorem, & totius ſanctitatis authorem, in cruce deſperaſſe, cum clamaret: *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me.* Pſal. 21. Nemo profectò vnquam ex Turcis, gentilium errore peiùs delirantibus in ſuo Alcorano: Nemo ex perfidis Iudæis in Talmudo, vel Cabala: nemo ex paganis in comædijs, aut ſcriptis theatricis, Saluatorem omnium Chriſtum & naturalem Dei Filium, impiè magis atq; impudentiùs Caluino blaſphemauit. Hunc ſacrilegum errorẽ confutat ipſe Chriſtus, quando poſt hæc verba, in manus Patris animam ſuam commendat. quomodò

enim Spiritum suum in manus Patris commendasset, nisi salutem ab illo speraret? Confutat hunc errorem Regius vates in persona Christi loquens: *prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi semper, ne commouear.* Ac tandem ipsa ratio Caluinum manifestè falsitatis conuincit: desperationis enim peccatum est, cadere à spe consequendæ beatitudinis. Impossibile ergo erat Christum Dominum hoc peccati genere infici, cùm essentialis beatitudinis, ab ipso statim cõceptionis instanti, actualem possessionem haberet, non verò spem: Nemo autem cadit à spe, qui illam non habet.

Pſal. 15.

Quorsùm ergo clamauit? ideo vt nos omnes tunc spiritualiter ingratia parturiret, & Patri æterno reconciliatos offerret: *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me:* quasi diceret: venit iam hora mea, quâ tu pollicitus es pro tot opprobrijs, quæ sustinui, vniuerso generi humano te placatum iri. Nunc igitur qui pereunte quondam aquis vniuerso mundo, Noé à diluuio liberasti. Abraham de Vr Chaldæorum eduxisti. Isaac ab euaginato patris ense seruasti. Iacob de manibus Esau custodiuisti. Ioseph à fraternâ in necẽ eius conspiratione eripuisti. Dauid à Gigante Goliath, & Saule persequente defendisti: Ionam è ventre Ceti, illæsum in littora maris eiecisti. Tres pueros ab ardenti Babylonis fornace, nè flamma deuorans quidquam eis noceret, incolumes præseruasti. Danielem in lacu à dentibus & vnguibus Leonum custodisti. Tobiam ab immani pisce malignoq; Spiritu tutatus es. Ezechiam à morte illi per prophetam annuntiatâ absoluisti. Hieremiam deniq; è profundâ caucâ exemisti saluum: quare nunc populum pro quo ego patior derelinquere debes? Vsitatum enim est Christo Domino, per se ipsum membra sua mystica exprimere, sicut quando Saulum allocutus est: *Saule Saule quid me persequeris;* hoc est populum mihi seruientem. Ita & nunc clamat ad æternum Patrem, ne eum derelinquat; hoc est, ne iam genus humanum amplius reijciat sed potiùs in gratiam suam admittat. Sic locum hunc exponit Theophylactus. vbi dicit Christum Dominum verba hæc locutum fuisse, in persona populi Iudaici, qui propter peccata sua adeò derelictus erat à Deo, vt permitteret illum atrocissimum scelus committere, occidendo Dei Filium. *Hoc* (inquit Theophylactus) *de Iudæis dixit, quasi ipse secundùm carnem Iudæus existens Patri diceret, vt quid Hebraicum populum dereliquisti, vt tuum crucifigeret Filium?* Non ergo vox ista: *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me:* aut ignorantiam, aut impatientiam indicat, sed summum Christi erga nos amorem: his enim verbis petitionem suam ad Patrem æternum dirigit, perinde ac si verba illa repeteret. *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* Ignosce his qui me crucifigunt: Gentilismi enim error, & veri Dei ignoratio delusit eos, vt tàm sacrilegum facinus committere auderent. Ignosce accusantibus Iudæis, quia praua educatio, & mala in diuinis legibus instructio, corrupit eos; & penitùs excæcauit, ne summum bonum quod in se habebant, agnoscerent. Ignosce illudentibus mihi Principibus Sacerdotum & Pontificibus, quia dignitatis tantę præeminentia dementauit eos, ne venienti in terras sumo omnium principi, honorem deferrent. Ignosce Iudici Pilato, quem fauor humanus, ne Cæsaris inimicus esset, eò perduxit; vt contra euidentem, veritatem, & manifestam innocentiam iniquissimum mortis decretum sanciret. Ignosce demùm vniuerso mortalium generi, nox enim illa atra peccati vniuersam naturam inficientis, eò dementiæ perduxit omnes, vt lucem odissent, & tenebras amarent. Ignosce iam omnibus, quia in cruce *Sitio:* quod verbũ Arnoldus Carnotensis in suo tractatu de septem Christi verbis ponderans, exclamat: *Mirum dictu! tremendum relatu! aperitur iam lanceâ latus, & profluentibus de sacro latere*

Gen. 7.
Gen. 33.
Gen 38
1. Reg. 16.
Ionæ 2.
Daniel. 3.
Tobiæ 6.
4. Reg. 20.
Hier. 20.
Act. 9. n. 4.
Theophyl.
Arnoldus Carnotẽſis.

latere aquis viuentibus, atq; emanantibus de fonte vberè & largis liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet, & ipſe mundum irrigans atq; fecundans de ariditate conqueritur. Reſpondetq; Arnoldus: *Sitit* inquit, *conuerſionem, currit ad remiſſionem.* O ſtupendus amor! ô inaudita ſalutis humanæ cupido! ſenſus iam in ſacro tot cruciatibus dilacerato corpore deficiunt, ardor tamen redimendi captiuos non ceſſat? defluunt iam vltimæ ſanguinis guttæ; ſed Spiritus peccatores viuificans augetur in corde. Exſpirat iam Saluator noſter inclinato capite, nos tamen omnes extenſis in cruce manibus ad ſe vndequaque trahit, ſitiendo noſtrã ſalutem. Igitur antequàm mortem Saluatoris deuotis ſuſpirijs concludamus, tantiſper verſi in aquas compunctionis, aut ſoluti in lachrymas, prouoluamur in genua; vt dulcem illi ex nobis hauſtum propinemus, atrociaque ſitis tormenta mitigemus.

2. Reg. 2. Sacra Hiſtoria narrat, quòd cùm olim Asàel frater Ioab, ab Abner interfectus eſſet, omnes qui tranſibant per locum in quo ceciderat, ſubſiſtebant. Videmus & nos hodiè in publico foro montis Caluariæ, nobilis Galilæi Chriſti IESV corpus eſſe mortuum, & à crudeliſſimis carnificibus immaniter occiſum. Idcirco in admirabili atq; ſtupendo parumper ſpectaculo nos ſubſiſtere oportet. Cuius innocentiſſimæ mortis Chriſti typum pulcherrimum geſſit Regis Ioſiæ mors, de quo ſacer textus dicit: 4. Reg. 23. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in tote corde ſuo, & in totâ animâ ſuâ, iuxta legem Moyſis.* Additq; Eccleſiaſtica Hiſtoria, quòd Rex iſte mortuus fuerit proximus arbori & fonti: & quòd ex tunc duo illa aruerint, in ſignum iuſtitiæ. Inſuper apud Eſdram mors eius adeò deplorata fuit, vt per centum annos ea conſuetudo vigeret, vt multi in vnum congregati, Hieremiæ lamentationes cantarent, referente id ſcriptura. En vobis catholici imaginem cruentæ Chriſti necis, cui hæc omnia ad amuſſim conueniunt. Si enim de Rege Iozia dicitur: *Similis illi non fuit ante eum Rex.* De Chriſto pariter rege regum, canit ſponſa in canticis: *Electus ex millibus* & iterum: *ſicut malus inter ligna ſiluarum, ſic amicus meus inter filios.* Si mortuus eſt Rex Ioſias, eò quòd fauorem impertierit amico cuidam Regi contra regem Ægypti, qui ingenti militum caterua ſtipatus, ad illum expugnandum venerat. Chriſtus Dominus mortem ſuſtinuit, non ſolùm quòd auxilium tulerit amicis, ad quos debellandos cùm ſummâ potentiâ venerat inferorum Princeps; ſed etiam quòd liberaret inimicos, vt docet Apoſtolus: *qui cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus in morte filij eius.* Si Ioſias oppoſuit ſe regis Ægypti furori; Chriſtus Dominus furori quoq; iuſtitiæ paternæ ſeſe obiecit, iam iam arcûs ſui ſagittis confodere tentantis genus humanum, vt loquitur regius vates: *Arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Rex Ioſias mortuus circa arborem; Chriſtus pariter in arbore crucis vitam poſuit. Rex Ioſias circa fontem obijt; Chriſto quoq; defuncto, fons lateris eius aquâ & ſanguine ſcaturire cæpit: *Exiuit & ſanguis & aqua de latere eius.* Deniq; tandem, ſi in morte Ioſiæ fuit comunis omnium planctus, familiæq; vniuerſæ congregabantur ad plorandum, iuxta illud ſcripturæ: *Erit planctus magnus in Ieruſalem, ſicut planctus Adadremmon in campo Maggedon.* Ita hodiè per vniuerſas Eccleſias Catholicorum, familiæ ad lachrymandam Chriſti mortem piè & religiosè congregantur. Itaq; dùm nõ ſolùm creaturæ rationis participes, ſed mentis etiã expertes, vt Sol, Luna, Lapides, Terra, & velum templi, obſcuritate, terræ motu, colliſione, ſciſſurâ, doloris indicia, in acerbâ Chriſti morte, quo poſſunt modo exhibent. Flete & vos Chriſtiani. plorent eum reges, quia cecidit magnus princeps in Iſraèl: *Rex regum & Dominus dominantium.* Plorent Sacerdotes, quia

Eſdræ 3. cap. 1.

2 Paralipom 15. & Zacha. 10.

Cantic. 5.

Cantic. 2.

Rom. 5.

Pſal. 7.

Ioan. 19.

Zachar. 12.

Apoc. 19.

mortuus est summus Pontifex: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Plorent Duces, quia perijt inuictissimus dux, quem Propheta Isaias. *Ducem & Præceptorem gentium appellat.* Plorent diuites & pauperes, quia ditissimus pariter & pauperrimus omnium trucidatus est: *qui cùm dives esset pro nobis egenus factus est.* Plorent mercatores, quia sapientissimus omnium mercator cælestis, à sceleratis mundi prædonibus atque piratis, vitâ & vestibus spoliatus est. Plorent agricolæ, quia prudentissimus omnium agricultor & seminator, à sentibus mundanæ iniquitatis, & spinis incorrigibilis malitiæ, suffocatus est, de quo dicit Euangelista: *Exijt seminare semen suum.* Atq; vt verbo omnia concludam? omnes & singuli plorent: quoniam pro omnibus mori dignatus est Christus, exemplum illud amicorum Iob imitando. de quibus sacra pagina refert, quòd cùm ad consolandum Iob venissent, quem antea in summa gloriâ & regali maiestate cognouerant, regibus orientalibus ditiorem ac potentiorem, adeoq; sapientem, vt omnes eo loquente tacerent: cùm verò tunc eũ in sterquilinio positum conspexissent, à planta pedis vsq; ad verticem capitis leprâ percussum, liberis, seruis, atq; omni re familiari orbatum, à coniuge propriâ despectum, ita penitùs attoniti hæserunt, vt septem diebus non aliter, quàm si muti essent, coram eo sederent. quid aliud faciemus nos hodiè Bone Iesv, dùm te ex vna parte consideramus, in throno regali æterno Deo consubstantialem, diuitijs affluentem, summâ omnipotentiâ præditum, inaccessæ maiestatis splendore coruscantem, atq; in sinu Patris existentem: ex alterâ verò parte, videmus te in sterquilinio positum, inter caluarias & ossa latronum vndequaq; exulceratum, pedes clauis in ligno confossos, caput spinis acutissimis perforatum, ossa omnia dissoluta, scapulas flagellis laceratas, faciem liuidam, despectum, ludibrio habitum, & ab omnibus non tantùm amicis, verùm etiam ab ipso Patre æterno destitutum. Quid inquam talia spectando faciemus? horrendum profectò spectaculum hoc plorabimus: & maiori circumdati stupore, quàm mæsti quondam amici Iob, muti iam & elingues persistemus. Solâ oculi nostri pupillâ non tacente, quæ ad funebre sepulchrum, tàm diu mortem tuam deplorabit, quousque te cum triumpho resurgentem non salutauerimus.

Psal. 109.
Isaiæ 55.
2. Cor. 4.
Lucæ 8.
Iob 1. & 2.

EODEM DIE
CONCIO QVARTA.

Consilium fecerunt Principes Sacerdotum aduersùs Iesum. *Matthæi 26.*

SPectaculum Angelis & hominibus mirandum, cælo & terræ stupendum, creaturis inauditum, ipsis etiam pertimescendum elementis, hodiè peragitur Catholici. Grande inquam spectaculum, quod vt docet S. Augustinus: *Si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium; si spectet impietas grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum.* Meritò mirabile spectaculum vocitat D. Augustinus, in quo Christus Dominus velut innocens Abel, ducitur in campum à fratre suo Cain occidendus. In quo velut iustus Nôè, vt à diluuio peccati mundum seruet, crucis nauiculam conscendit, quò facilius nos omnes in securum æternitatis portum transuehat. consilium itaq; inierunt Principes Sacerdotum aduersùs Iesvm! Sed quale obsecro? Non illud certè quod cogebant sapientes Pharaonis contra Moysen, vt illum suis prodigijs ope dæmonum factis, in conspectu regis confunderent. Non illud, quod Principes quondam Chaldæorum & Persarum moliebantur contra Danielem; vt eum quasi idololatram & regis edicta contemnentem, leonibus deuorandum proijcerent.

Augustin. tract. 119. in Ioannẽ.

Exodi 7.

Dan. 12.

Neq;

Neq; demùm illud, quod fratres contra Ioſephum machinati ſunt, vt eum
Gen. 37. prætergredientibus Iſmàelitis venundarent. Sed execrabilius multò, quod ſcilicet contra Chriſtum primogenitum omnis creaturæ, à mundi exordio tentauit diabolus; vt depoſito legitimo hærede, ſedem eius in
Apoc. 15. lateribus Aquilonis ſupra aſtra cæli obtineret. Hoc immane facinus & inexpiabile, atq; ſacrilegum Iudæorum aduersùs IESVM conſilium, præuidit in Spiritu Dei ſapientiſſimus Salomon inquiens: *Circumueniamus iu-*
Sapien. 2. *ſtum quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & Filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita ipſius, & immutatæ ſunt viæ eius, tanquàm nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs noſtris tanquam ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur Patrem ſe habere Deum.* Sed pro dolor: hæccine cauſa odij in Deum ſcelerate populè? hocne motiuum? vt omnia in Chriſtum blaſphemiæ & accuſationis tela conijcias, impijſſima natio, quòd ſit vitæ inculpatæ. Orationiſne hic an ſilentij? Eloquentiæ an luctus? verborum an gemituum? ad ediſſerendam perfidiæ Iudaicæ malitiam opus ſit; prorsùs ignoro. quoquò enim oculos mentemq; conuerto, funeſtiſſimi rerum apparatus terrent aſpectum dicentis. Quoquò aures dirigo, luctuoſiſſima vniuerſitatis natura, indigno lamentabunda eiulatu animum dicentis intercurbat. Lugent terrarum domicilia ereptum ſibi hoſpitem; mœrent ſidera interfectum ciuem; deplorat cæleſtis curia Iudicem; deflent beatiſſimæ mentes contrucidatum Imperatorem. Tota naturæ vniuerſitas ſenio confecta eſt; omnis hæc aſpectabilis mundi moles, ſuis euulſa ſedibus contremiſcit: dùm natales inter mortalitatis tenebras, æuiterna lux occidit, & genitus in ſplendoribus cum ſole obit Deus, mortis concedens ſub vmbram: qui nonniſi ſub Virginis vmbra natus mundo apparuerat. Quo tandem & nos animo Chriſtiani? quo cultu? quâ voce? in hoc triſti & portentoſo ſpectaculo conſidemus. Nihilne nos turbulentiſſimi fragor Oceani, ad facinus inauditum exhorreſcentis? nihil horrida nubium volumina? nihil atratus mœſtiſſimi ſolis vultus, ad ſceleris indignitatem fugientis? nihil montium ſubſultus, colliſio ſaxorum, nemorum ſtrages, terrarum voragines, nihil deniq; rei ipſius atrocitas nos mouebit? Emolleſcite iam nouum in luctum deuotæ Chriſto mentes: & vos duro corde luctuoſi occaſus ſpectatores percutite pectora. Quis ſcit an non confuſam rerum vniuerſitatem declinans lux, veſtros in animos aberrabit. Conſpicite quomodò adſunt iam omnium ordinum, omnium ætatum ſceleratiſſimi homines. Intueamini, quomodò plenum eſt armatis ſatellitibus forum, plena periuris teſtibus curia, plenæ accuſatorum Pontificiæ domus, plena Regum atria ſiccarijs, vici latronibus, plateæ commotâ populi turba. Alij gladios, fuſtes alij, cæteri flagra & virgas, ſpinas nonnulli, quidam arundines, crucem deniq; alij expediunt. Quorſum hæc! quorſum? me miſerum! in vnius poſt hominum ſuperumq; memoriam innocentiſſimi IESV perniciem. Sed iam vox faucibus hæſit, triſtemque lachrymabilis dolor repetitis ſingultibus compreſſit linguam. Nec mirum: quis enim ſingula funeſti illi apparatus percenſere poterit? quis vocem non commutabit in fletum? Quando non iam vnius Gabinij (qui cùm ciuis Romanus eſſet) in crucē tamen iñocenter actus fuit. Non inquam innocentis Romanorum Gabinij, ſed Dei ipſius crucem deſcribere oporteat. Cuius verba non concreſcent in lachrymas, quando ille qui ad mortem quæritur, ediſſerendus eſt, Deus & Homo ſimul, auctor vitæ immenſus, infinitus,

tus, immortalis. Cuius sermones in tristes non abibunt nœnias ? si ab excellentia personæ patientis, oculos mentis paulisper reflectat ad vilitatem personæ, pro quâ puniendus inquiritur Dei Filius : id est pro vilissimo homine, pro indigno peccatore, omnibus scatente immunditijs. Conticescet ad hæc omnia quispiam, intentusq; ora tenebit. Nam quemadmodùm teste Pierio inter Ægyptiorum Hieroglyphica, singulare illud erat, quòd vt significarent Deum ore humano ineffabilem esse, depinxerint Crocodilum ore aperto : Quia teste Plinio animal hoc linguâ caret. quo scilicet ostendebant, humanam rationem ad diuina mysteria deprædicanda elinguem esse. vt proinde non immeritò, Moyses vir alias eloquentissimus (sicut de illo fatetur B. Stephanus in actis Apostolorum) cùm primùm ineffabile Dei nomen audiuit, balbutire cæperit, & ad legati munus præstandum, quod illi à Deo imponebatur, tamdiu imparem & insufficientem se fassus fuerit, donec diuina manus linguam eius velut calamum velociter scribentem moueret. Insufficientem & ego me hodiè fateor ad enarrandam mœstissimam Christi mortem, & tantisper vel Crocodili instar ore aperto quasi lingua carentis subsistam : vel Moysis admodùm balbutientis hærebo. Donec præpotens æterni numinis manus, linguam meam veluti calamum Scribæ efficacissimè mouere inceperit. Quod vt faciliùs assequar, vobisq; sacrilegum Iudæorum consilium aduersùs IESVM edisseram, poplite terram quatiente, Christum iam in mortem destinatum, humiliter precemur.

Pierius lib. 17.

Plinius libro 8. c. 17.

Actor. 3.

Conuocatur plenum scribarum concilium aduersùs IESVM. Sed ad quid ? pro pudor. *vt Iesum dolo tenere possint*, respondet Euangelista : vt summæ innocentiæ suæ calumniosum examen, cauillosamq; exploratione coram septuaginra duobus corruptis Iudæorum Iudicibus subeat. moris enim erat apud Hebræos (vt auctor est Abulensis) causas & iudicia reorum, à septuaginta vno congregatis iudicibus, qui cum summo Sacerdote numerum septuaginta duorum complebant; examinari atq; tractari. Properauit igitur ad tàm malignantium consilium perfidus Iudas : *Tunc abiit vnus è duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum ; & ait illis ; quid vultis mihi dare ? & ego eum vobis tradam.* Abijt inquit Euthymius, non vocatus, nec iam suum Magistrum Christum nominat, sed eum : quasi non personam tantùm illius, verùm & ipsum nomen sumo odio persecutus. Abijt inquit Hieronymus, quasi vile mancipium, tradens & in potestate omnium ponens. O execranda Iudæ auaritia ! ô inexpiabilis cupiditas ! quæ vas illud electionis, in Filium perditionis atq; mortis commutauit, & in proprij Domini necem pepulit. Quod perpendens D. Leo Papa, in hunc modum exaggerat : *Non timoris perturbatione Christum deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit : amore enim pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit : nec vllum est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi fecit auaritia habitaculum.* vt proinde recte dixerit Pœta. Æneidos 3.

Abulensis in cap. 15. Matt.

Matt. 26.

Hiero. super cap. 26 Matt.

---- Quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames ? ----

Excæcauit hæc cupidum cor Iudæ, & summa obuoluit impietate, vt minimè vereretur tàm immane flagitium committere, quomodo mediatorem Dei & hominum, Christum IESVM, Deum pariter & hominē vilissimo vendiderit pretio. De quo dicit rectus Job : *Nescit homo pretium eius.* Quod considerans D. Ambrosius libro de Spiritu : *Quomodo*, inquit, *poterat eius pretium comprehendi, cuius non potest definiri ? O Iuda proditor ! vnguentum passionis eius trecentis denarijs æstimas, & passionem eius triginta denarijs vendis ? o informem laqueum proditoris, sed deformius pretium Iudæorum, argentum reprobatum, quo aut emitur ad necem iustus, aut venditur.*

Iob 28.

Ambro. libro 2. de Spiritu S. cap. 18.

Placuit

Placuit tamen peſſimum Iudæ negotium Iudæis, iamq; res in contractum deducitur, dicente Euthymio : *Principes autem Sacerdotum appenderunt ei triginta argenteos.* Fortaſsè memores illius præcepti, quod in Exodo præſcripſerat Dominus, vt pro ſeruo occiſo, à ſerui Domino ſoluerentur triginta ſicli argentei : quo etiam pretio Ptolomæus Philadelphus iuſſerat manu mitti ſeruos Iudæos, qui erant in Ægypto, vt refert Ioſephus in libris Antiquitatum. Vt ergo etiam Principes Iudæorum oſtenderent, quàm vili æſtimabant Chriſtum Dominum, non alio pretio volebant illum emere, quàm eo, quod pro viliſſimo quoq; mancipio in lege præſcriptum erat impendi. Acquieſcit ſceleratus homo oblatæ pecuniæ, & ecce tibi illicò prodeunt nefarij ſceleru/n molitores, ducem perfidiæ Iudam ſecuti, accingunt operi inſtrumenta; gladios, ſcuta, falces, expediunt, nocturnas apparant faces rabie excæcati. Ipſe dux explicato vexillo futuræ victoriæ animat militem, centuriat cohortes, ſceleratiſſimos quoſq́ue in ſuam vocat coniurationem : ordines inſtruit, cani iubet claſſicum, pulſari tympana, vela, ſigna, arma, capi imperat. digeſtâ inſtructâq; acie, prouolat ad hortum, præcedit furor omnia, odium, liuor, truculentia, comitantur : perfidia, immanitas, fraus, amentia, nefas, & rerum omnium deſperatio inſequitur. Quæritur in horto innocens IESVS (vt quemadmodùm pulchrè diſcurrit S. Cyrillus) *vbi hominum ruina caperat, ibi eiuſdem reparatio exordium ſumeret.* Hortus enim paradiſum deſignabat, & quia in paradiſo malorum omniũ initium factum eſt, ideo & Chriſti paſſio in horto incipere debuit, per quam à peccatis liberati in priſtinum innocentiæ & gratiæ habitum reſtituti eſſemus. In horto primum generis humani caput Adamum deuicerat diabolus : in horto quoq; à Chriſto eum vinci oportuit. In horto contractum fuit ingens peccati damnum : in horto quoq; tanti inchoanda erat ſolutio debiti. In horto ortum habuit mors : in horto quoq; vita debuit oriri; *vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.* In horto ſerpens fuit Sathanæ organum ad interficiendum in anima & corpore terrenum hominem, in horto quoq; proditor Iudas aptum diaboli organum ad inferendam mortem homini cæleſti fieri enituit. Ideoq; ſicut ſerpens propterea, quòd ſatanæ eſſet inſtrumentum, præ omnibus animantibus inuiſus fuit homini, & maledicto atq; execrationi diuinæ obnoxius, vt dicit Scriptura ſacra : *Quia feciſti hoc maledictus es inter omnia animantia.* Ita quoq; impius Iudas propterea, quòd organum eſſet blaſphemantium Iudæorum ad doloſè capiendum IESVM, præ omnibus hominibus plurimis, ijſq; grauiſſimis maledictionibus obruitur à Dauide. *Cùm iudicatur* (inquit ille) *exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum : fiant eius dies pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter.*

Refert ſacra Hiſtoria, quòd Rex Aſſuerus iratus contra Aman ſurrexerit de loco conuiuij, & intrauerit in hortum arboribus conſitum, vt & arrogantem Aman perderet, & filios Iſraèl morti adiudicatos liberaret. Pariter ſanè & Chriſtus Dominus è conuiuij loco, vbi duplicem cænam legalem & ſacramentalem celebrauerat, ſurrexit diabolo iratus, nobis vero propitius, & in hortum multis conſitum arboribus ſeceſſit, vt infernalem illum Aman in patibulo crucis omni expolians poteſtate ſuſpenderet, genus verò hominum à miſerâ illius ſeruitute, & dirâ tyrannide eximeret. Sed quid proditorem Iudam faſtuoſo Aman comparo ? cùm excæcata eius impietas omnem etiam inferorum malitiam tranſgrediatur. Aman infenſum ſibi agnoſcens regem, modum veniam poſcendi quærebat : Iudas nequaquam motus reclamante conſcientiâ, cum ſceleratiſſimorum caterua etiam in hortum ad comprehendendum properat IESVM. Sed cur ſaluti tuæ non

Euthymi⁹. ſuper c. 26. Matt.

Exodi 21.

Ioſephus lib. 11. Antiquitat

Gen. 3.

Pſal. 108.

Cyrillus lib. 12. in Ioannem.

consulis Christe IESV, & ab aduentante iam militum cohorte paulisper te non abscondis? Non aduertis fortasse ad imminentia tibi pericula, quia prostratus humi lassusq; prolixâ oratione ad Patrem obdormisse videris: Quia sine comite, inermis, nudus, de lapsis fugâ comitibus, & solo stipatus amore nimiùm tibi confidis. Sed & hic ab hominibus iam corruptus, humanas tenet partes. Amor mihi credite scientem omnia quæ ventura erant IESVM, in horto intrepidum detinet: adeò enim ferens in sacro Christi pectore desiderium erat tradendi se morti pro nobis, vt obuiam hostibus ire desiderans, discipulos his verbis animauerit: *Surgite eamus, ecce qui me tradet prope est.* Progreditur audacter & circumstantium vultus ipsis facibus ardentiores animosè lustrat, Iudam agnoscit, illiq; prioris memor bonitatis, immemor verò iniuriarum, osculum daturus properat. vt ostendat, se immane proditoris facinus optimè præsciuisse: qui cohortibus (ne loco Christi aliquem ex discipulis eius caperent, potissimùm autem Iacobum minorem, qui Christo similimus fuisse traditur) signum dederat: *Quemcunq; osculatus fuero, tenete eum & ducite cautè* Accedit proindè perfidus Iudas, & inuerecundè satis atq; perfrictâ fronte Christum audet osculari, dolosa proferens verba: *Aue Rabbi.* Vbi B. Brigitta in suis Reuelationibus testatur, quòd cùm Iudas breuioris staturæ esset, Christus Dominus se se inclinauit ad osculum illius. Quod perpendens D. Augustinus gemebunda voce exclamat: *O signum sacrilegum! ò placitum fugiendum! vbi ab osculo incipit bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum.* Et D. Ambrosius execrandum hoc Iudæ osculum his persequitur verbis: *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo quòd sacræ pacis insigne est? osculo quo amicitia fida firmatur? osculo quo fides sancta signatur. Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes,*

Ioan. 14.

Brigitta libro 4. Reuel. c. 66.

Augustin. Ser. 211.

Ambr. super Ps. 39.

& tradis filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de cælo. Filium hominis tradis, qui te ex peccatore Apostolum fecit. Filium hominis tradis, qui venit vt in sanguine suo omnium peccata dilueret. Ego osculum non nego ipse videris, qui violaueris osculo sanctitatem. An non legisti quòd vtiliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Verùm si tàm pernicioſum est Iudæ osculum. siste IESV Princeps optime maxime, puriſſima cohibe labia, fraudes, virus, venenum, non præsentis? obdormiuisse videtur. Accelerat verò (heu me) nefarius proditor, castissimo spurca ori labia admoturus. Prohibe nefas sceleratissime, insanam recollige mentem? nunquam nè tibi amoris, nunquàm beneficij, nunquàm inculpatæ Magistri innocentiæ, qui nunc animo mitissimo intuetur, veniet in mentem ratio? Sed prô pudor! non percipit hæc odium, non sentit cor omni durius petra. Osculatur Magistrum: quo velut signo dato, rapitur innocentissimus agnus, nullo conuictus maleficio crassissimis vincitur funibus. grandis catena nobilissimæ ceruici imponitur, crudelissimi lictores post terga manus reuinciunt, per saxa, per rupes, per sentes trahitur Dei Filius. Sistitur ad Annæ iniquissimi iudicis tribunal: seductor populi, proditor arcanorum, seditionum auctor, reus patibuli proclamatur. Agit barbarus iudex militibus gratias, beneuolentiam erga se collaudat, publici commodi amatores prædicat; ipse inflammatus odio & furore in curiam properat; fera ex incesto ore emicat crudelitas, & interea conuocari primates imperat.

Accurrunt illi celeriter, coquitur parricidale consilium: mortis edictum liuore excæcata plebis multitudo deposcit; neq; pugnis, morsibus, sibilisq; abstinetur. Quid hic expectatis Catholici; quæ causa? quæ iudicij ratio? quæ controuersia? qui accusatores? quis defensor? quis iudex. Hierosolymis intempestâ nocte, in amplissimâ summi pontificis domo,

domo, in maximo atrio, summa omnium ætatum atq; ordinum frequentiâ, circumfusis hinc togatis, illinc armatis militibus, loricatis vndiq; ordinibus, considentibus in subselijs iudicibus, reus, accusatus, apud homines stetit Deus. quæritur ex secunda Sanctissimæ Triadis personâ, cuius sit filius, & quidem iureiurando quæritur; quando nimirùm ipse qui iurisiurandi testis est cõmunis, non modo adesse, verùm etiam iurare, cuius filius sit iubetur. Attendite prô Deum immortalem, Christi calumniæ condolentes deuoti Christiani, quomodò Deus non de nobilitate, non de stemmate, non de factis, non de vita, sed de genere; Addam ampliùs, de patre, hoc est, de honesto ortu interrogatur. *Adiuro te*, inquit, *per Deum viuum si tu es Filius Dei.* Audis hæc cœlestis pater, audis? & eum ipsum, qui ligatus Pontifici præsentatur, in amplexu & sinu diuinitatis tuæ gestas? & cur ne verbum quidem de legitimo atq; æterno tui ortu filij facis? Etiam enim ad te pertinent miserabiles istæ voces, & superba atq; calumniosa interrogatio. Tuam quoq; blasphema hæc verba, infinitã atq; inexhaustam naturæ fæcunditatem vulnerant. Tuam isti carnificum funes, quibus ligatus ad iuramentum trahitur IESVS, inaccessam lædunt dignitatem. Si enim teste Cicerone in Verrem: scelus erat vincire ciuem Romanum. Si Regem ligari indignum fuit teste D. Bernardo, qui refert de Alexandro magno, quòd cùm is sagittâ transfixus esset, & illa de corpore eius extrahenda foret, medici voluerint eum ligare propter periculum mortis. Sed minimè id Alexander permisit, inquiens: *Non decet vinciri Regem, cùm libera sit regis & semper salua potestas.* Si etiam capto imperatori gladium eripi illicitum habebatur, vt refert Mallonius de Christi flagellatione cap. 5. quòd cùm Serenissimus Sebastianus Lusitanorum Rex vltimus, superatus ab hoste in bello, ab illoq; captus arma deponere iuberetur, responderit; regia libertas non nisi morte amitti debet; & sic animo inuictus hosti gladium tradere renuit. quomodò ô suprema rerum potestas, Christum in illo inaccessô diuinitatis Augustali ciuem honoratissimum, vinciri hic? quomodò mortiferam iuramenti sagittam à Rege regum extrahi, & à capto latronis instar, æternæ fidem natiuitatis exigi pateris? Sed cùm æternus sui Nati genitor, irâ fortassis nimium percitus fileat: vestræ saltem erga regis vestri filium obseruantiæ, beatissimæ Angelorum mentes hoc signum appareat: vt illum ipsum Deum, qui se Dei filium iureiurando dicere cogitur, attestari & proclamare velitis. Dabitur ne vereamini vestræ fides authoritati; vos etenim illius Patriæ nobiles estis, quæ hunc hæredem habet & regem. Tacent nihilominus & beatæ illæ mentes, quasi aut in mundi partes auersæ, aut impotentiâ perterritæ.

Memorat sacra regum Historia, quòd cùm Nabuchodonosor ad expugnandam Hierusalem accessisset, & defensionem vrbis Sanctæ Sedechias Rex susciperet, omnes milites eius aufugerint, eo solo relicto: *Omnes* (inquit sacra pagina) *bellatores, qui erant cum eo dispersi sunt, & reliquerunt eum.* Non dissimile quid in grauissimo Christi casu euenit: nam & Pater æternus quasi iam immemor illius esse vult, quod mœstus insinuat IESVS per Prophetam: *Deus Deus meus vt quid me dereliquisti.* & discipuli omnes recesserunt ab illo, vt innuit Hieremias: *Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.* quin immò & ipsi iam Angeli penitùs illum deseruerunt, iuxta illud Isaiæ: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* quid igitur in summo discrimine facies Christe IESV, quo te vertes? Tuæ iam solius nobilitatis, tuæ generositatis est? vt quæsitus de genere, non dubio verborũ ambitu, sed prodigio, aliquo & ineffabili portento, Filium Dei te esse proclames. Sed ecce quasi elinguis hæret. Tacet, quia incompetentem agnoscit iudi-

Cicero 7. Verrina.

Bernardus Serm. de Passione cap. 4.

Mallonius.

4. Reg. 25.

Ibidem.

Psal. 21.

Thren. 4.

Isaiæ 63.

cem, à quo liberâ ſemper exceptio. Incompetentem propterea; quia homini in Deum quæ iuriſdictio eſſe poteſt? Tacet, quia in deriſum & ludibrium ſuam exigi videt reſponſionem: eligens potiùs innocenter à ſceleratis damnari, quàm non credentibus ſuam edicere veritatem. Tacet, licet potentiſſimè vrgeant Iudæorum allegata: *hic ſe facit filium Dei.* Et benè tacet inquit, D. Ambroſius lib ſuper Lucam, quia defenſione non indiget: *ambiant defendi, qui timent vinci, non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo.* Excandeſcens Chriſti taciturnitate Phariſaica malitia, vrget tamen reſponſum noua obijciens commenta. Duodecim inquit habes diſcipulos, contra duodecim Patriarchas: & ſeptuaginta duos alios diſcipulos, contra totidem populi ſeniores. Doctrina tua à Moyſis diſciplinâ multùm diſſidet: nam cùm ex ſtirpe Leuiticâ non ſis, ſacerdotij munus tibi vſurpas, & occultè doces, & angulos quæris. Seductor ergo & nouorum dogmatum inuentor eſſe videris? Grauis hæc erat Chriſto calumnia, nec amplius ora ſua continere valens, calumnioſæ Pontificis obiectioni, prudentiſſimè reſpondet: *Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagogis & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil, quod ſit veritati contrarium. Sed quid me interrogas, interroga eos, qui me audierunt.* quaſi diceret: ſuperfluum eſt, me tibi reſpondere, cùm futurum non ſit, vt mihi credas; quia mentiri & ſeducere me arbitraris: Interroga potiùs eos qui me audierunt, vt faciliùs ex ore inimicorum & maleuolorum veritatem conijcias. Eheu ſcelus nefandum, in peruerſo illo Pontificis concilio adeſt ſacrilegus miles, qui periuris teſtibus abblandiens, in præmium interrogati, non modeſtè Dei filij, armatâ dexterâ grauem alapam impingat: *Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens, ſic reſpondes Pontifici?* Moleſtus erat colaphus ille Chriſto, non tàm propter doloris magnitudinem, quàm ob ſpecialem ingratitudinis circumſtantiam: quòd ſcilicet (vt vult Diuus Chryſoſtho.) ab illo ſuſceptum eſſet, cui abſciſſam auriculam diuinâ virtute reſtituerat Dominus. Grauis erat impactæ alapæ dolor, adeo; vt S. Vincenti⁹ affirmet, ex vi percuſſionis illius Chriſtum Dominum in terram cecidiſſe. Et Landulphus de vita Chriſti, cum alijs teſtatur tunc ex vulnerato Chriſti ore ſanguinem profluxiſſe, & in veneranda eius maxillâ digitorum impreſſionem manſiſſe, cum liuido colore & tumore. Præuidit hanc moleſtam Chriſti colaphiſationem Iob in Spiritu cap. 16. inquiens: *Tetendit aduersùs Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt.* Prædixit multo ante tempore ſacrilegam hanc militis audaciam, Sybilla Æthiopæa in ſuis oraculis dicens⁹:

In iniquorum manus infidelium poſtea veniet
Dabunt & alapas manibus incertis.

Crimen erat læſæ maieſtatis⁹, cùm Michææ Iudicis Iſraël, Sedecias vnus è regio comitatu, faciem percuſſiſſet, vt regi adularetur. Sed magis profectò ſacrilegum & toto mundo inauditum ſcelus hodiè in Iudicem viuorum atq; mortuorum commiſſum eſt: quando diuinum eius⁹ vultum ſceleratus miles cædere non exhorruit, vt tantummodò Pontifici applauderet. Cuius impudentiam conſiderans D. Chryſoſtomus: *Ex horreſcat*, inquit, *cælum & contremiſcat terra, quomodò alapis Deus percuti potuit. O Angeli qui hæc intuemini, quomodo ſiletis? quomodo manus continere poteſtis? quomodo pro Domino veſtro non reſpondetis.* Et B. Ephrem Sermone de paſſione Domini, tàm execrandam admiratus malitiam inquit: *qui de puluere terræ hominem pinxerat per gratiam, à manibus quas ipſe formauerat, alapam accepit. Serui quidem omnes cum liberi efficiuntur, accipiunt alapam, vt morali libertate potiantur. at ipſe (ò infelix miles) cùm ſit omnium liberator iniuſtè colaphizatur. quin putas ita piè mercedem accipere à Caipha? alapam quidem dediſti omnium*

Ambro. libro 10. ſuper Lucam

Vincentius Serm. de Paſſione.

Landulph.

Iob c. 15.

Sybilla Erithrea lib. 8 oraculorū.

Chryſoſth. hom. 81. in c. Ioan. 13.

B Ephrem

omnium Domino, sed seruus seruorum factus es in æternum. Et comprobat D. Augustinus in hunc modum discurrens: *Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terrâ dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut alia huiusmodi qualibet pœnâ, vel etiam grauiore puniri? Quid enim horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset.* Dignus est sceleratus iste miles, vt creaturæ omnes, quasi sui Creatoris iniuriam vindicantes in illum vnanimiter insurgant. Nam si olim terra, Core, Dathan, & Abiron, contra Moysen tumultuantes deglutiuit? Si Pharaonem & omnem eius exercitum, filios Israël persequentem, maris tempestas absorpsit? Si infames Sodomitas belluinam viuendi fœditatem superantes, ignis & sulphur è cœlo cadens combussit? si quinquaginta milites, bis contra Heliam audaciùs venientes, flamma diuinitùs inuocata, in cinerem & fauillas redegit? Si aër peste infectus, septuaginta millia virorum propter vnicum Regis peccatum, lethaliter infecit? Si Angelus Domini omnes Ægyptiorum primogenitos, propter blasphemiam interemit? quomodò nunc fieri poterit, vt creaturæ tàm promptæ & paratæ ad defendendum Dei honorem, ab vlciscendo nefarij militis scelere abstineant.

Refert sacra Regum Historia Ozam, eò quòd indebitè arcam Dñi tetigerit, subitò interijsse: imò etiam quòd minùs reuerenter spectassent arcam Domini Bethsamitæ, Dominus illicò ex eis percussit quinquaginta viros nobiles, & quinquaginta plebis millia. Hic autem sceleſtus miles multò præstantiorem arcam, omnes Dei thesauros in se continentem, non modò irreuerenter spectauit, sed etiam audacter tetigit, & sacrilego ausu contrectauit; impunè nihilominùs cedit ipsi resolutio execranda. Heliodorum, eò quòd templum Domini profanasset, Angeli acerrimè verberarunt: huius verò qui in sacratissimum Christi corpus, in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat, irreuerenter satis insurrexit, vt faciem eius dirâ alapâ percuteret, quid quæso supplicij tàm execrandum flagitium non merebitur? Regis Hieroboam, eò quòd extenderit manum suam contra quendam prophetarum, vt illum comprehenderet, extemplò manus exaruit: & quomodò sacrilega illa manus, contra innocentem IESVM extensa, subita ariditate non contabuit? Siquidem manus illa Hieroboam fuit multò nobilior, quia regis; hæc autem vilissimi & gregarij militis: illa in faciem Prophetæ, hæc in faciem ipsius Dei, omnium Prophetarum supremi Principis & Domini; illa extensa fuit, vt comprehenderet tantùm; hæc insuper vt etiam grauiter percuteret. Sed permisit spontè incarnatus Dei Filius, tanta sibi opprobria à vilissimo homine inferri tribus potissimum de causis.

Primò, ad delendam Adami perfidiam, quòd ille quasi mentitum sibi Deum putans, cùm illi mortem prædixisset, in quacunq; die è ligno scientiæ boni & mali commederit, magis crediderit diabolo asserenti: *nequaquam moriemini;* & ad veritum se conuerterit esum, ideoq; Christus tanquàm benignus Adami fideiussor alapam sustinere voluit, vt cùm pariter Deus & Homo esset; patienter illam ferens, æqualem atq; omnibus numeris absalutam compensationē, pro illatâ iniuriâ, & perfidiâ Deo Patri offerret.

Secundò, (vt subtiliter D. Cyrillus opinatur) ideò Christus Dominus alapam sibi infligi permisit, vt hoc suo dedecore, deleret illud commune dedecus, quod ratione peccati natura humana contraxerat. Nam sicut morte sua mortem nostram destruxit; ita planè suâ ignominiâ maculam omnem ac lituram dedecoris nostri penitùs abrasit. Quod verba Cyrilli apertissimè indicant: *Dedecorati*, inquit, *peccato fuimus, quam notam iniustum Christi dedecus detersit.*

Augustin. tract. 113.
Num. 16.
Exodi 14
Gen. 19
4. Reg. 1
3. Paralip. cap. 21.
Exodi 11.
2. Reg. 6.
3. Reg. 6.
2. Machab. 3.
3. Reg. 17.
Gen. 3.
Cyrillus lib. 12. in Ioannem.
Idem.

Tertiò, (quod maximè veritati consonum putauerim) Christus Dominus ideo alapam sustinuit, vt eximium suæ patientiæ specimen, ac excellentissimum tolerantiæ exemplũ nobis omnibus exhiberet; quandò nullam tanti sceleris vindictam sumere voluerit. Hoc certè vaticinatus est Rex Dauid, spiritu prophetico in persona Christi loquens: *Tanquàm prodigium factus sum multis.* Prodigium certè, quia cùm viator simul & beatus atq; comprehensor esset, cum illo tamen summo gaudio, quod anima illius beata ab instanti conceptionis habuit, ex contemplatione diuinitatis, summam pariter tristitiã & dolorem potuit coniungere. Prodigium, quia cùm multa eaq; grauissima ab homine peccatore sustineat, quasi tamen omnis iniuriæ immemor; iterum atq; iterùm eximiâ animi clementiâ consortium hominis vltrò quærit. Hac proinde suâ impactæ alapæ tolerantiâ nobis relinquere voluit exemplum, vt vestigia eius humilitatis & patientiæ sequamur. Nemo enim Christo nobilior, nemo mortalium illustrior, nemo ditior, nemo sapientior, nemo prudentior, nemo sanctior, aut potentior cogitari vel fingi potest. Cùm igitur ipse adeò sublimis, patienter iniuriam sibi illatam tulerit, nec eam vllâ ratione voluerit vlcisci; quâ obsecro fronte pusillus homo, abiectissimus vermis, miserrimus peccator, dignus alioquin barathro inferni includi, & æternis supplicijs deputari, minimam etiam iniuriam sustinere recusabit, ardentiq; iracundiæ calore feruens in vindictam audebit prosilire? in illud oculos mentis minimè reflectens: *Mihi vindictam & ego retribuam.* Pulchrè hoc elucidat D. Cyrillus: *Si quis* (ait) *de proximis lapsu linguæ minimum quidpiam contra nos dixerit, more draconum in eum insurgimus, & mille verbis pro vno vituperantes satiari non possumus; non quia vt homo lapsus est, nec propter communem hominum iram, infirmitatem deprimimus, sed ad vltionem irruentes Principem & consummatorem fidei nostræ Iesum non respicimus, nec recordamur scriptum esse: Horum via ad mortem qui iniuriæ memores sunt.*

Psal. 70.

Rom. 12.

Cyrillus lib. 12. in Ioannem.

Eccl. 10. & 28.

Fertur de Cambyse filio Cyri, quòd is cùm regem quendam & natos eius in vinculis captos teneret, vt maiori dolore eum affligere posset, filios eius carissimos compedibus & catenis ligatos, ante oculos ipsius produxerit: ipso nihilominùs dissimulante, nullumq; signum mœroris ostendente, etiam filias saccis indutas nudisq; pedibus incedentes præsentauit. Sed cùm neq; earum intuitu, ad compassionem & dolorem moueri videretur: charissimum illi amicũ spectandum adduci imperat. quem cùm captus Rex intueretur, doloris signa amplius continere non potuit; sed in lachrymas, & singultus, & voces lamentabiles prorupit. Consilium malignantium ludæorum, quod aduersùs IESVM iniuêre, in similem Cambisis malitiam deflexit: nam cùm illi captum Regem suum in peruerso tribunali detinerent, ad acriùs eius exacerbandum animum, parùm erat æternam & humano incomprehensam genio diuinitatis inquirere filiationem? parum spurcissimis alapis vulnerare faciem? nisi etiam carissimum eius amicum (Petrum nomino) periurio & negatione captum eidem spectandum, innocentissimi sitientes sanguinis carnifices obiecissent. Grauiter hic fidissimi lapsus amici ferire cæpit mœstum Christi animum, quòd ipsemet præuidens prophetico spiritu Dei filius, per Dauidem inquit: *quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; : sed tu homo vnanimis, Dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

Psal. 54.

Narrat Suetonius quòd cùm inimici, aduersùs Iulium Cæsarem conspirati, in senatum conuenissent, vt eum interimerent, & vnus illorum nomine Casca fraudulenter eum pugione transfixisset. Non tàm grauiter vulnus illud tulit Cæsar, cùm manifestum suum sciret esse inimicum. Verùm vbi Marcus Brutus qui immensis

immensis à Cæsare beneficijs comulatus fuit, palam irruens; euaginato gladio illum vulneraret: non ampliùs dolorem continere potuit Cæsar, sed admiratus exclamauit: *& tu quoque Marce fili.* Si gentilis ille celeberrimus vir, cui parem rarum, superiorem neminem orbis spectauit, grauiùs se ab eo, quem filij loco habebat, quàm à manifesto hoste vulnerari sensit. quid de Christo dicemus? non tàm illi grauis erat Iudæorũ conspiratio, ad illum capiendum in hortum venientium: non tàm molesta perfidi Iudæ proditio, cùm osculi diabolica simulatione eum traderet, quia optimè suum inimicum nouerat esse; quàm Petri sacrilega negatio: vt non immeritò Iulianum illud Christus tunc dicere potuerit: *Et tu quoque Petre fili:* quem principem Apostolorum, primatem Ecclesiæ constitui, ita grauiter in me insurgis?

Hic profectò verissimum illud esse censeo, quod Ælianus de varia Historia refert, Basiliscum virus suum in petram euomentem, illam scindere: atq; cùm pariter doceat Philosophus in suis problematis, in oculis etiam mulieris nonnunquàm virus basiliſci latere. Nam vna ostiaria mulier venenosum suum virus trepidationis, in Petram illam Apostolorum euomuit in atrio Pontificis, & ecce statim illam diuisit, Petrum ad Christi negationem impellens. Scribit nihilominus idem Ælianus, ad fugandum basiliscum, galli cantum optimum esse remedium. Sic planè Petrus gallo canente reuersus est ad se: & mortiferum quod biberat venenum euomuit, quando fleuit amarè. O prodigium! tantæne virtutis vnica galli vox esse potuit, vt Petrum à grauissimo negationis lapsu erigeret? minimè sanè: sed exteriùs tantùm illo cantu excitatus fuit Petrus, vt recordaretur verbi Dñi, quod illi prædixerat IESVS: *Antequàm gallus cantabit ter me negabis* Verùm interius ipsa diuinitatis potentia mirabiliter eum mouit, vt refert D. Leo inquiens. *Dominus autem Iesus qui intra Pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi diuino vidit intuitu, & pauentis animum mox vt respexit, erexit; & in fletus pœnitudinis incitauit.* Verùm siste lachrymas gemebunde Apostole, ne inundante guttarum magnitudine, flammas reuiuiscentis in tuo pectore diuinæ charitatis obruas: ignis enim & aqua se se mutuò perimere tentant. Sed confidit Salomonico illi effato: *Ignis in aqua valebat, & aqua extinguendi naturã obliuiscebatur.* Nec certè mirum, quòd D. Gregorius Nazianzenus in carminibus, quorum titulus præcepta ad Virgines, refert; piscem quendam nomine Epirum, eiusmodi naturæ inueniri, vt quamuis conditione suâ aqueus sit, in eo tamen humiditas & frigiditas ita dominetur vt missus in ignem illæsus permaneat. Ecce hodiè in Petro hæc naturæ portenta mirabiliùs per gratiam instaurantur, & ignis diuini amoris cùm lachrymarum aquis, mutuum societatis fœdus inire videtur. Inundatus ille amarè & crebrò cadentibus lachrymis, magis igne charitatis succensus ardet: & crescentes aquæ non modò flammam non obruunt, sed augent; atq; viuaciorem & fortiorem reddunt. Si tanta est vis lachrymarum vt diuinum ignẽ foueant, & extinctum magis succendant: recogitate quæso quoties vestris malefactis Deum abiuraſtis? Sed euigilate ad galli cantum, & Principe Apostolorum Duce vestros in fletum resoluite oculos. Etenim vt docet Chrysosthomus, eiusmodi lachrymæ quæ ob peccati detestationem eliciuntur; *radunt rudera, & sanant vulnera: pœnitentiam armant & indulgentiam prouocant: cælum pulsantes crimina delent & conscientiam degrauant: sonant in ore pœnitentiæ verba, & mouent in pectore pietatis veniam.* Sed non omnium ea natura est atq; conditio lachrymarum: sunt enim quædam earum Deo gratæ, quædam verò abominabiles. Nam vt medici in aquis telluris meatus & locorum conditionem scrutantes, per quæ

Ælianus.

Cantus galli basilicũ fugat.

Leo Ser. 9. de Passion. ad finem.

Gregorius Nazianze.

Chrysost. Serm. 11. de pœnito. 5.

quæ illæ defluunt : eas quæ per auri mineralia dimanant optimas : quæ verò per sulphureas venas transeunt, pessimas esse iudicant. Idem planè discrimen in lachrymis pœnitentium deprehenditur : nam quæ ex igne charitatis oriuntur, & propter commissa peccata, propter Christi passionem profunduntur, sanctæ & Deo gratæ sunt : quæ verò vel ex profani honoris amissione, vel ex rei familiaris iacturâ, vel ex libidinoso & luxuriante animo, vel ex vana ostentatione procedunt, impiæ & Deo ingratæ habentur. Quod cognoscens D. Gregorius lib. Moralium 23. c. 21. hoc consilium piè & religiosè lachrymabundis dat : *Quatuor sunt*, inquit *qualitates, quibus iusti viri anima compunctione vehementer afficitur : cùm aut malorum suorum reminiscitur, considerans vbi sint : aut iudiciorum Dei sententiam metuens & secum quærens considerat, vbi erit : aut cùm mala vitæ præsentis attendens considerat vbi est : aut cùm bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia nec dùm aspicit, lugens conspicit vbi non est.* Non hæc peccatorum grauitas & conscientiæ remorsus, incitauit peruersos Iudæos ad lachrymas : sed potiùs excæcata mens in maiorem pepulit rabiem, & maligna consilia in vlteriorem traxit malitiam.

Gregorius.

Obijciunt iterum innocenti IESV nouum crimen : *Hunc*, inquiunt, *inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Requirit tanti ab eo criminis confessionem Pilatus : *Tune es Rex Iudæorum ?* Sed cùm nullam in eo deprehendisset mundani affectionem regni, Cæsaris imperio aliquod allaturam nocumentum, respondentem audiens : *regnum meum non est de hoc mundo* : velut innocentem ad Herodem Regem mittit, qui causam pleniùs cognoscat, & insonti consulat. *Herodes autem* (inquit sacer textus) *gauisus est, valdè viso Domino.* Pollicetur alacriter liberationem, si prodigiosa illa signa, quæ antea operatus est IESVS, in conspectu eius facere vellet. Interrogat mitiùs captiuum Deum : Tune inquit es ille, qui illusisti parentem meum, vt propter te occiderit multos infantes. *Tune es ille* ad cuius aduentum perterrita Ægypti simulachra corruerunt. Tune es, qui aquâ in vinum ad nuptias mutasti : qui panes hordeaceos in deserto multiplicasti : fac quæso in conspectu meo rogatus, quæ alibi quæsitus operabaris. Sed non erat digna barbaries Herodiana, ad cuius preces Deus nouum aliquod ederet prodigium, non erat & interrogatio digna cui accusata veritas aliquid responderet ideoq; inquit Euangelista : *Ipse autem nihil illi respondit.* Quid magis summo furore percitum regem illum in rabiem & amentiam vertere potuit ? quàm modestum Christi silentium. Induitur innocens IESVS veste candidâ ; num fortasse ideò, vt imminentium solennitatem festorum condecoret, quemadmodùm fecerat Rex Archelaus, qui (teste Iosepho de bello Iudaico) veste candidâ indutus in templum venerat, pro maiori ornamento festiuitatis. num fortè, vt Christi dignitas & eminentia hinc magis appareat, siquidem candidis vti vestibus haud licitum olim erat, nisi excelsæ dignitatis hominibus. Hac inter populos Israël solus vtebatur Salomon. hac in triumpho Vitellij, soli præfecti castrorum & tribuni amicti incedebant, teste Tacito in libris antiquitatum : hac Scipio Africanus vestiri solebat, teste Aulo Gelio. Sed eheu hominis sacrilegam malitiam ! veste alba indui Christum imperat Herodes, sed in ludibrium vt quasi amens & insanus, & Pilato iterum remissus irrideatur. O cæcitas malignantium ? ô furia phreneticorum. Quomodò insultare Dei Filio audes ? quem omnis creatura venerari debet ? quomodò iniuistis insanum & cruentum consilium tauri pingues, vituli muti, frementes bestiæ, canes rabidi ? vt auctorem vitæ, Dominum gloriæ, ad mortem destinari postuletis. quomodò

Iosephus de bello Iudaico cap. 10.

Tacit. l. 8. Antiquit. cap. 2.

Aulus Gellius lib. 3.

Ioan. 18.

modo clamoribus impijs interfectorem hominum Barabbam elegiſtis ad veniam, vt Saluatorem mundi petereris ad pœnam vociferantes : *Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam.* Perhorreſce infelix iudex Pilate ſacratiſſimum Chriſti corpus, in quo latet diuinitas, ne iniuſtâ mortis ſententiâ feriàs. Verum præualet commotio Iudæorum, atq; ſeditio, quorum vt votis ſatis fiat, flagellationi crudeliſſimæ innocens adiudicatur IESVS. Prô pudor ? ſi ciuem Romanum verberari ſcelus erat ; ſi flagellis mulctari dedecus : ſi virgis flagellari ſacrilegum facinus. Quantum crimen cenſebitur eſſe ? Dei Filium, hominem pariter atq; Deum, veſtibus exutum & nudum, impudenter cædi, cùm hoc infame ſupplicij genus mancipijs tantùm, & latronibus competat. Malè iam tecum agitur ô increata bonitas, malè ô incarnata diuinitas. Si enim vt inquit Theophylactus, apud Hebræos ſtatutum erat, vt quicunq; quadragenarium numerum flagellorum ictus attingeret, infamis proclamaretur. Quomodò iam ex humano non proſcriberis conſortio mitiſſime IESV, qui pluſquàm millia flagellorum ictus pertuliſti, ex mente grauiſſimorum Doctorum. quantus pudor, cum qui cælos ſplendentibus ſtellis ornauit, terram pulcherrimis floribus induit, primorum parentum periſtromata efficiens, nuditatem miſericorditer operuit, abſq; pietate nudari, & latronis inſtar alligari columnæ. quemadmodùm teſtatur D. Bonauentura de meditatione vitæ Chriſti : *ligatur* inquit, *& diuerſi modè flagellatur : ſtat nudus coram omnibus iuuenis elegans & verecundus, ſpecioſus formâ præ filijs hominum : ſuſcipit ſpurciſſimorum flagella dura, & doloroſa caro illa innocentiſſima, tenerrima, mundiſſima & pulcherrima, flos omnis carnis & humanæ naturæ, repletur liuoribus & fracturis : fluit vndiq; regius ſanguis de omnibus partibus corporis : ſuperadditur, reiteratur, & ſpiſſatur liuor ſuper liuorem, & fractura ſuper fracturam.* Quid iam acerbius excranda carnificum rabies excogitare poteſt ? quam dùm non fuſtibus aut ritibus, ſed funibus & catenis fereis, immo iuxta mentem Euthymij, flagellis ex loris contextis atq; ex neruis boum conflatis, vſq; ad oſſium penetrationem ſalutis auctorem cædit. quod Sancta Brigitta lib. 1. c. 10. & lib. 4. c. 70. in perſona Beatæ Virginis enarrat : *Ego*, inquit, *quæ aſtabam ? vidi corpus eius verberatum & flagellatum vſq; ad coſtas.* Dicam profecto dolorem illum fuiſſe omni tyranide maiorem, & ipſa acerbiorem morte, ex ſolo & immenſo in nos peccatores amore, adiuuante humanitatem diuinitate, toleratum. Scimus olim inexpugnabilem Herculem ad fines terræ peruenientem, erexiſſe columnam cum hac inſcriptione : *Non plus vltra.* Fortiſſimus mundi & inferni debellator Chriſtus, amoris metas & fines non modò pertingens, ſed etiam tranſiliens, in trophæum ſui in nos amoris, acerbam hanc paſſionis columnam meritò iam hac inſcriptione inſigniret : *Non plus vltra :* quia vltra flagellationem, deſpectiſſimum ſuplicij genus, diuinus amor ad abiectiorem iam gradum omnipotentis Filij Dei maieſtatem deprimere non potuit. Reflectite quæſo pauliſper mentis oculos in Deum veſtrum pij Catholici, tanquàm vile mancipium ad columnam acriter verberatum, & non ſolùm compatimini eius doloribus ; ſed etiam magnitudinem tantæ ignominiæ admirantes, exclamate gemebundis pectoribus cum Propheta : *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini : Angeli pacis flete, & omnes habitatores terræ vlulate.* Cæditur corpus virgineum propter ſcelera noſtra ; verberatur regia caro, verbo diuino hypoſtaticè vnita, tanta immanitate, vt niſi nouas vires ad plura ſufferenda diuinitas ſuppeditaret, non dubito, quia reſpirationis inopiâ, ſanguiniſq; profluuio deficiens, inter lictorum manus vitam exhalaſſet. Pudere nos certè debet, ſi eâ mente non concipiamus de fide-

Luc. 23.

Cicero pro Rab. & 7. Verr.

S. Gertrudis l. 4. diuinat. c. 35.

Bonauent. de medit. vitæ Chriſti cap. 76.

S. Brigitta

Hiere. 1.

ria, quæ nos ſuperfluis peccatorum turpitudinibus denudari compellant; & pro Chriſti amore ad pellis vſque expoliationem patiendi cupiditatem accendat. atq; vtinam ad hanc ipſam columnam, acerba Chriſti paſſio terminari poſſit. Verùm video, quòd Hercule potentior IESVS, adhuc plus vltra procedere cogatur: ſcilicet vt tanquàm totius vniuerſi hæreditarius Rex, coronam obtineat.

Imponitur iam nouo Regi nouum diadema: ſed inauditum: quia acutiſſimis ſpinarum aculeis, mille puncturis ſacrum eius verticem vulnerans. In Exodo vidit quondam Moyſes à longè Deum in rubo exiſtentem, ſpinis ac ſentibus circumdatum, atq; celeriter eò perrexit: *Vadam* inquit, *& videbo viſionem hanc magnam.* Exodi 3. Quis hodiè intuens ſpinis coronatum Chriſtum, ad hanc portentoſam viſionem ſpectandam non accurret? in rubo ſiquidem licet Deum ambirent ſpinæ, non tamen pungebant: hic autem & ambientes pungunt, & pungentes vndiq; ambiunt grauiterque affligunt. Cùm Moyſes rubo appropinquaret, dixit ei Deus, ſe inter ſpinas rubi ſedere, propter oppreſſionem filiorum Iſrael: *Vidi*, inquit, *afflictionem eorum quâ ab Ægyptijs opprimuntur.* Quærite hodiè pijſſima mortaliũ pectora ex Chriſto, quid cauſæ, quòd ſpinis redimitus compareat? certè noſtra oppreſſio eò illum deduxit, vt videns nos peccatorum ſpinis ſuffocari & opprimi, vltrò ſpinis circumdari, appeteret, vt ab innumeris flagitiorum noſtrorum pungentibus tribulis, nos miſericorditer liberaret. Et quemadmodùm Moyſen, non aliter rubum adire permiſit, niſi priùs ſolueret calceamenta de pedibus ſuis: hoc eſt, vt incedens pungeretur à ſpinis, antequàm ad Deum ſpinis circumdatum perueniret. Et nos certè non aliter ad acerbam Chriſti paſſionem contemplandam venire poſſumus, niſi depoſitis omnium peccatorum calceamẽtis, tanti hodiè doloris aliquantùm participes effici ſtuduerimus. Hoc certè animabus fidelium D. Laurentius Iuſtinus lib. de triumphali agone. Cap. 14. ſuadet inquiens: *Hic parumper animæ mea conſiderationis tuæ greſſus fige, & redemptoris tui intolerabilem dolorem attenta, capitis delicati ſenſibilitatem conſidera, ſpinarum punctiones cerebrum perforantes mirare, ſicq; ſanguinem decurrentem lachrymarum inundatione abſterge.* Iuſtinus. Refert Bercorius verbo corona, Æſculapium (quem ſolis filium Pœtæ fingebant) cùm die quadam videret paſtorem, nonnullis herbis coronatum, atq; cùm baſiliſco dimicantem, & nec flatu, nec ſibilo quidquam ab eo læſum: ſuſpicatus id fieri alicuius herbæ latente virtute, vt rem certò attingeret, vibratâ lanceâ, coronam paſtori ſubtraxit, vbi ſtatim à baſiliſco ſuperatus, mortuus in terram concidit. Feſtinauit Æſculapiùs, & ſublatam coronam capiti eius impoſuit, & ecce ſtatim rediuiuus ſurrexit paſtor, nec vlla ratione à baſiliſco vinci potuit. Quid baſiliſcus ille, niſi ſerpens antiquus eſt? qui mortiferum virus in nos omnes euomit, vt miſerè interfectos in tenebris inferorum æternùm ſepeliat. Sed vos omnes qui ſolis Filij, ſcilicet Dei ipſius eſtis, ſurripite coronam ſpineam de capite paſtoris veſtri Chriſti Domini, eamq; in cerebro cordis reponite, & neutiquam ab antiquo ſerpẽte infici, aut à lethalis peccati baſiliſco ſuperari poteritis. quòd ſi depoſueritis hanc coronam, hoc eſt: piam dolorum in capite IESV contemplationem, ſi pro Chriſto amara & aduerſa ſuſtinere recuſabitis, facilè ab his omnibus hoſtibus imaniſſimis, veſtra anima deuincetur, & plangens dicere compelletur illud Iob: *Expoliauit me*: id eſt; Diabolus gloriæ meæ coronam abſtulit de capite meo, & ſolis peccatorum atque damnationis miſerijs me impleuit. Iob 19. Sed necdùm in ſpinea corona, ſacrum eius caput aculeis grauiſſimè vulnerante, meta dolorum Chriſti conſtituitur. Adhuc plus vltra? augentur cruciatus, efferbeſcit Iudæorum rabies, non ſatis ſibi viſa inauditis

ditis supplicijs & iniurijs, eo vsque processisse, vt totum Christi corpus immanissimè dilaceraret, vt cerebrum illud diuinitate delibutum sentibus compungeret. Sed noua iterùm & nusquàm antea, excogitata dedecoris ac ignominiæ genera parant malignantium dexteræ, vtq; ostendant Christum falsò & arroganter Prophetæ nomen sibi vsurpare, velantes eius faciem, diras impingunt alapas, vociferando: *Prophetiza quis est qui te percussit.* Mitigare vult insanientem populi furorem Pilatus, & tot opprobrijs affectum præsentem illis sistit IESVM, inquiens: *Ecce homo:* quasi diceret (quemadmodùm elucidat D. Augustinus) *Ecce homo, non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Si regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum conspicitis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, conuitijs illusus est, alapis casus est. feruet ignominia, frigescat inuidia.* Sed prô dolor! non quieuit, verùm ampliùs accensus inarsit: non tepuit, sed magis efferbuit malitiæ zelus, dùm omnes proclamarent: *Tolle tolle crucifige.* Immò vt tandem aliquando satietur peruersa eorum cupiditas, contra innocentem Dei Filium mortis sententiam expostulant: *Secundùm legem*, inquiunt, *debet mori, quia se Filium Dei fecit.* Proclamatur capitalis sententia à Pilato, in loco eminentiore sedente Lithostrotos, in hæc verba (vt refert Nicodemus in suo Euangelio) *Genus tuum comprobauit te reum; propter quod ego Pilatus præcipio flagellari te secundùm statuta piorum Principum, & in eo loco, vbi tentus es, crucifigi; & duos malignos tecum, quorum nomina sunt, Desmas, & Gessas.* Sed quid scelerate Iudex, vt insontem damnares, te impulit? cùm ipse fassus fueris: *Ego in eo nullam inuenio causam?* Num te fortasse aqua à peruersi iudicij culpa liberabit? quia manus tuas abluis: *Innocens ego sum, à sanguine iusti huius.* Non te à gehennæ incendio liberabit, quia secundùm mentita Iudæorum allegata iudicasti. Nam in casu sanguinis, non tàm allegatorum pondus, quàm potiùs innocentiæ & veritatis indicium iudex spectare debet: vt innuit Angelicus Doctor; *Iudex*, inquit, *si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentiùs examinare testes, vt inueniat occasionem liberandi innoxium, vt Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandum.* Vnde D. Ambrosius de Pilato scribens ait: *Manus lauit, sed cor suum lauare non potuit, mansit scelere polutus, quamuis manus suas aqua infusione lauisset.* Egreditur iam cum cruce innocentissimus IESVS de prætorio, vt in illa erectus mundo valedicat, sed dolore pressus, viribus destitutus, sub eius pondere in terram corruit. quem vt pietatis atq; compassionis manibus subleuemus, procumbamus paulisper, deuotis eum consolando precibus.

S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 9. ad 3.

Daniel. 13

S. Ambros. Ser. 11. in Psal. 118.

Scriptura sacra recensèt, quòd cùm RexMoab ab hostibus contra se acriter pugnantibus, terga vertere compulsus esset, ingressus ciuitatem fortissimis circumdatam mœnibus, vt ab infestante impugnatione hostes auocaret, hac industria vsus est. Filium suum primogenitũ, ac vnicùm regni hęredem occisum, & è ciuitatis mœnibus suspensum, hostium oculis spectandum ostentauit. quo lugubri spectaculo non leuiter permoti hostes, qui vrbem obsederant, contra seipsos indignantes, quòd importunâ suâ obsidione, innocentis filij mortis occasionem Patri dedissent: mox à pugna & obsidione desistentes, in proprias abierant terras. *Arripiens* (inquit sacer textus) *filium suum primogenitum qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & ecce facta est indignatio magna in Israël, statimq; recesserunt ab eo, & reuersi sunt.* Rex iste Catholici boni, cælestem illum Patrem figurabat, contra quem, cùm omnes mundi peccatores velut armati hostes, proprijs sceleribus bellum offensiuum, & inaccessæ illius maiestatis valdè læsiuum sumere minimè vererentur; non ad fugam, sed ad immensam potiùs misericordiam

3. Reg. 4.

Augustin. tract. 120. in Ioannẽ.

Ioan. 10.

Nicodem.

compulſus, vt rebelles hominum animos, à tàm iniuſta perſecutione amoueret, auerſoſq; peccatores ad ſe conuerteret, ab inexpugnabili crucis muro, filiũ ſuum primogenitum, & vnicum ſæculorum omnium hæredem ſuſpenſum, & nobis omnibus ſpectandum hodiè exponit. atq; vtinam triſte hoc ſpectaculum, nos in confuſionem & ſummam indignationem rapiat, quòd execrandâ malitiâ noſtrâ, & reſolutâ peccandi audaciâ, occaſionem mortis tàm innocentiſſimi filij æterno Patri dederimus. vt proinde de ſceleratis noſtris animis, meritò illud verificari poſſit, quod inculcat B. Lucas: *Et omnis turba eorum qui aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, reuertebantur percutientes pectora ſua.* Eſt reuera, quod nos omnes in ſummam lamentationem agat, quia peruerſi huius malignantium conſilij ludæorum participes extitimus, dùm ijs primo ſtatim parente noſtro, rebellem in Deum mouimus voluntatem. Eſt quod æquè diuites ac pauperes, & vtriuſq; ſexus homines, in luctum concitet: quia ſinguli ſuâ originali culpâ, in qua naſcuntur, anſam dederunt, vt innocens IESVS, in ſceleratorum manus captus deduceretur. Hæc enim miſera & vniuerſum mortalium genus inficiens peccati labes, principale Chriſti in terras aduentûs motiuum erat. Eſt quod & in exiguis commorantes caſulis, & in ſuperbis triumphantes aulis defleant: quia & pauperum exoſa ſuperbia, compedes Chriſto parauit, & magnatum luxus vincula contexuit. Nullibi enim contumelioſiùs agitur cum Chriſto, quàm in domibus magnatum, & ſuperiorum palatijs. Nam in domo Annæ accuſatus eſt IESVS: In domo Caiphæ alapâ percuſſus: In domo Pilati flagellatus: In domo Herodis velut amens deluſus, & penè infinitis opprobrijs atq; tormentis vſq; ad mortem crucis damnatus. Perpendite igitur ſceleſtum, & ſacrilegũ aduersùs IESVM conſilium: blaſphemum atq; ſanguinolentum à principibus & ſenioribus populi congregatum aduersùs eundem concilium: Et dolorem paſſionis eius inter omnes mundi dolores, acerbiſſimum & acutiſſimum, vel ex hoc ipſo cognoſcite: quia non pro culpa propria, ſed pro aliena hæc omnia pertulit, nec pro amicis tantùm, ſed etiam pro inimicis & ingratis. Tum ex eo; quia in omnibus affligebatur membris: tum deniq; propter maximam complexionis æqualitatem & ſenſuum viuacitatem. Nam ſicut illi nullus hominum æquari potuit, aut æqualitate complexionis; aut viuacitate ſensûs; ita dolor illius omnium dolorum acutiſſimus eſſe debuit. Et quia hæc omnia noſtri causâ ſuſcepit: pertulit enim anguſtias, vt te miſer homo ab anguſtijs peccati liberaret: mœrore toties affectus, vt te infirmum conſolaretur: inſidias perpeſſus, vt te cuſtodiret: vigilauit, vt te à ſomno peccati excitaret; orauit, vt tibi dona impetraret: ſudauit ſanguinem, vt putridum tui peccati humorem à te expelleret. comprehenſus eſt, vt te ad ſe traheret: ligatus eſt, vt te ſolueret: pretio venditus, vt te redimeret: negatus à Petro, vt te coram Patre confiteretur: derelictus ab Apoſtolis, vt te ſibi indiuiduum aſſociaret comitem: flagellis cæſus, ne nos æternis flagellis cæderemur: damnatus ab iniquis iudicibus, vt nos ab illa iuſta ſententia, quam peccata noſtra promerebantur, liberaret: latroni Barabbæ poſtpoſitus, vt nos Deo reconcilians, reprobis anteponat: totque alia innumera opprobria & tormenta ſuſtinuit, vt nos poſt hanc miſeram temporalem vitam, cœleſtibus illis & æternis gaudijs impleat. Sed quia nonniſi poſt luctum gaudia ſequuntur, & poſt dolorem ſumma lætitia, & nos, vt inenarrabilibus illis in futura vita nobis præparatis delicijs perfrui mereamur, dolenti & morienti Deo Homini, condolere, & coñori feſtinemus, vt poſt participationem paſſionis, ſocietatem gloriæ cum reſurgente habeamus, dixi.

EO-

EODEM DIE CONCIO QVINTA.

Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat, & non tantùm pro gente, ſed vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. *Ioan.* 11.

Iudaiſmus cum Gentiliſmo ſæpè in mortem Chriſti conſpirant.

Sub tempus belli Suetici, Anno 1656.

NOndùm indomiti Martis furor quieſcere vult, quamuis iam in tantam confuſionem regna Chriſtiana deduxerit, vt ad extremam planè ruinam redacta eſſe videantur. Nondũ ſanguinis noſtri ſitientiſſima Bellona exſatiata manet, licèt innumeris occiſorum cadaueribus refertos cruore campos, & totum ferme regnum ſanguine exundare intueatur. Sed altiùs adhuc progreditur effrenata hominum malitia, cumq; iam in terris non habeat, quod prædari poſſit, cælos in prælium euocat, & ipſi Deo bellum indicit, vnigenitum eius ad funeſtam mortem, ſacrilego auſu quærens: *Expedit vt moriatur pro populo.* Ioan. 11. Hîc ego iniquum illum Pontificem Caipham, in hac ſua prophetia ad motiuum incarnationis diuinæ video reſpexiſſe, licet ignarum myſterij. Cùm enim Deus decreuerit incarnationem in remedium peccati, vt docet S. Irenæus lib. 5. aduerſùs hæreſes cap. 14. inquiens; *Si non haberet caro ſaluari, nequaquam verbum Dei caro factum eſſet. etſi non haberet ſanguis iuſtorum inquiri, nequaquam ſanguinem habuiſſet Dominus.* S. Irenæus. Et comprobat D. Cyrillus 5. Dialogorum de Trinitate: *Si*, inquit, *non peccaſſemus, neq; factus eſſet nobis ſimilis, neq; ſuſtinuiſſet.* S. Cyrillus. Nihilominus quia ſimpliciter & abſolutè loquendo, non fuit neceſſe Chriſtum pati: nulla quippe neceſſitas fuit inprimis ex parte Dei, qui eſt omnipotens; cùm omnipotentia enim ſtare non poteſt neceſſitas, cùm hæc determinata ſit ad vnum, illa verò indifferens ad omnia. Præterea, quia ſolus Deus iuſtificare poteſt, ergo ex parte Dei nulla fuit neceſſitas paſſionis Chriſti, cùm ſine ea poſſet Deus humanum genus à lapſu peccati eruere, liberare, ac iuſtificare. Non etiam fuit neceſſitas ex parte Chriſti, cùm de illo ſcriptura dicat: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Neq; ex parte rigoroſę iuſtitiæ, Deus enim ſupremus Dominus ac Legiſlator, potuit pænam iure homini debitam remittere, prævaricationemq; illam inultam relinquere, cùm ſupremus Legiſlator rigorem legis à ſe latæ temperare poſſit, & opera diuina plùs ſemper vergant ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam, iuxta illud: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Non fuit neceſſitas ex parte hominis retinendi ac liberandi. Quia ſicut homo ſponte à Deo receſſerat, Creatoremq; ſuum reliquerat, ad aliũ Dominum ſe transferendo, ita iure poterat à Deo derelinqui, & Sathanæ perpetuò ſubiacere. Ideò non dicit Pontifex Synagogæ, neceſſe eſt, ſed *expedit, vt vnus moriatur pro populo.* Oſtendere volens ſola neceſſitate conuenientiæ, congruentiæ, decentiæ, neceſſariam fuiſſe Chriſti paſſionem. Conueniens quippè erat Chriſti paſſio inprimis ex parte Dei: quia fuit ab æterno præſcita ac prædeſtinata, atq; à prophetis denuntiata. Et quoniam in Deum nullum cadit mendacium, ac mutabilitas, ideo propter hanc immutabilitatem altiſſimi illius diuini conſilij, ex cuius inſtituto Chriſti paſſio ad finem redimendi generis humani fuit præſcita, præfinita, ac præordinata, expediebat Chriſtum pati. Neq; valet ſi dixeris, hac neceſſitate immutabilitatis ac præſcientiæ diuinam voluntatem coarctari: non enim per hoc diuina voluntas eſt coarctata, ſed tantùm determinata; quemadmodùm etiam humana voluntas, non neceſſitatur à ſuo obiecto appetibili, ſed determinatur liberè ad illud appetendum; eiuſq; contrarium fugiendum.

Neque ex parte rigoroſæ iuſtitiæ.

Neque ex parte hominis.

Sed ſolùm fuit neceſſitas conuenientiæ.

Ex parte Dei nulla fuit neceſſitas paſſionis Chriſti.

dum. Congruum deinde erat diuinæ voluntati Christum pati, ne seruus Dei homo, æternaliter ab iniquo dæmone detineretur. Congruum erat sapientiæ, vt per ea, quæ credebantur humilia & infirma, superbum validumque hostem reprimeret, & profligaret. Congruum erat misericordiæ, ne homo, qui magis ex fragilitate, quàm ex malitia peccauerat, finaliter periret, & ne frustraretur suo fine. Congruum erat ex parte Christi vt pateretur, & moreretur pro populo, vt per ipsum diuina prædestinatio, eiusq; immobile propositum, Prophetarum vaticinia, testimonia scripturarum adimplerentur. Vnde de seipso dicit Lucæ 22. *Filius hominis vadit, secundùm quod definitum est ei.* hoc est, ab æterno præscitum ac constitutum. Congruum deniq; erat Christum pro populo pati ac mori, ex parte rigorosæ iustitiæ; homo enim pro peccato satis facere debuit, sed non potuit: Deus potuit, sed non debuit, ideò Filius Dei pro sua inæstimabili clementia carnem nostram assumpsit, vt pro nobis satisfacere posset, quia Deus: & quodammodò deberet: quia homo. Expediebat igitur vt Christus moreretur. Quem etiam nunc quasi ex nouo motiuo, à duobus resolutissimis latronibus, ad mortem iterum quæri vobis demonstrabo.

Lucæ 22.

Diuus Basilius acerrimus diuini honoris propugnator, ex omnibus infensissimis Christi hostibus, qui in eius honorē desperatissimè nimiùm audent debacchari, duos recensет, scilicet; Iudaismum & Gentilismum, tomo 1. contra Sabellianos & Arium sic exordiens; *Pugnat Iudaismus cum Gentilismo, & vtrique cum Christianismo.* Ille blasphemo ore Dei Filium abnegans: *Secundùm legem,* inquiunt, *mori debet; quia se Filium Dei facit.* Hic vnigenitum, opus ac facturam Dei esse falsò sibi persuadens, & illum nihilominus adorans, plurium Deorum cultum inducendo. Ab hoc vtroq; hoste iterum hodiè morti adiudicatur Christus. Hebr. 2. *Peccatores rursùm crucifigentes Filium Dei in semetipsis.* Et quomodò vnigenite Patris potes iterum flagellis cædi, sentibus pungi, vulnerari spinis, & diris carnificū? manibus dilaniari, cùm iam tuo glorificato corpori omnis passibilitas repugnet. *Semel,* quippè, *mortuus, ampliùs non moritur,* inclamat Apostolus. Sed patitur verè Catholici mei, idq; multipliciter: inprimis enim cùm Christus in homine viuat per gratiam sanctificantem, & gratia tollatur per quodlibet peccatum mortale, ideo quoties homo lethaliter delinquit, etiam Christo vitam, quâ in homine viuebat, quodammodò eripit, adeoq; quasi iterùm Christum occidit, & per peccatùm crucifigit. vt docet S. Anselmus supra citatum Sacræ scripturæ locum; D. verò Cyrillus & Chrysosthomus paulò aliter interpretantur, asserentes loqui ibi Apostolum de inducentibus secundùm baptismum, qui quoniam illum exigebant, consequenter exigebant aliam Christi crucifixionem, ex vi cuius valorē haberet, & quam repræsentaret. quem. admodùm & primus baptismus habet vim ex prima Christi crucifixione, eamq; repræsentat. Tertiò demum, alij dicunt loqui ibi Apostolum de redeuntibus ad iudaismum, qui quoniam reuertebantur, consentiebant cum Iudæis, qui Christum crucifixerant, dignumque morte iudicabant, & per hoc quasi iterum crucifigebant Christum.

Christus à peccatoribus multipliciter crucifigitur.

S. Anzel.

S. Cyrillus S. Chryso.

Iudaismus cum Gentilismo infensissimi hostes honoris Christi.

S. Basilius.

Hebr. 2.

Equidem hæc tertia interpretatio, meo instituto accommodatissima esse videtur. Redijt hisce temporibus Patria nostra ad Iudaismum, iamq; quasi oblita Domini Creatoris sui, iudaisare cæpit, vt pauci sint, qui Christum & eius leges agnoscant, sed auaritiam magis, quàm æquitatem, & munera potiùs, quàm Deum venerentur. Ex duobus maximè Iudaicam impietatem arguunt Sancti Doctores; Inprimis ex, eò quòd Pilato Christum Dominum Regem appellanti, responderint Pontifices Iudæorum: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ioan. 19.

Iudaismus ex duobus sumè culpatur.

Ioan-

Ioannis 19. Deinde quia conſilium dabant in necem Chriſti ex ſolo priuato reſpectu: vt enim ſuæ vtilitati conſuleret impius ille Pontifex Caiphas; vt ſuum ſibi ſacerdotium retineret; vt dignitatem ruinoſam ſtabiliret, & quantùm in ſe erat, ſibi faceret immortalem: *Expedit*, inquit, *vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Ioannis 11. vbi D. Gregorius, *idcirco*, inquit, *in Redemptoris mortem conſenſit, quòd oblationum veterum lucra amittere formidauit.* Nonne ad hanc vtramq; Iudaicam impietatem noſtra Polonia deflexit, dùm more Iudæorum cogimur inclamare; *Regem non habemus*: dùm propter priuatos reſpectus, Patria in extremum diſcrimen redacta maneat, dùm ſponſa Chriſti viro orbata, ouile paſtore, ſancta Sanctorum Pontifice deſtituta maneãt. Deplorauit quondam Rex Dauid Hieroſolymæ infelicitatem, Pſal. 77. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt.* Nonne calamitatem noſtram multò grauiùs lachrymatur Ieremias Thren. 1. *Sacerdotes mei, & ſenes mei, in vrbe conſumpti ſunt.* Venit enim iam tempus, quo ne in Eccleſia quidem tutò conſiſtere liceat, & vix iam adimpletum non eſt illud Ioëlis 1. *Perijt Sacerdotium, & libatio de domo Domini, luxerunt Sacerdotes miniſtri Dei.* Impediuntur, qui nos iuuare poſſint: propterea quòd vltio diuina, quâ caſtigandi eramus, nondùm ſit adimpleta. Hinc perſecutio nos apprehendit, perſecutionum omnium grauiſſima: abiguntur enim Paſtores, vt diſpergantur greges. Vnum iam crimen eſt, quod vehementer punitur, ſi paternas quis traditiones diligenter obſeruet: ob hanc cauſam paternis ſedibus abiguntur pij, & ad ſolitudines migrare coguntur: nulla eſt cani capitis reuerentia, nullus infirmorum reſpectus, nulla ſenectutis immo nec decrepitæ ætatis ratio. Miſcentur gemitus plebis, lachrymæ continuæ, & per ſingulas domos, & publicè omnibus, quæ patiuntur, inter ſe cõplorantibus. Sonitus lamentantium in ciuitate, ſonitus in agris, in vijs, in ſolitudinibus. Vox vna omnium miſeranda ac triſtia loquentium, ſublatum eſt gaudium & lætitia ſpiritualis, in luctum mutatæ ſunt feſtiuitates noſtræ. Domus precationum clauſæ manent, altaria cultu ſpirituali vacant. Nulli amplius Chriſtianorum cætus, nulla ampliùs Doctorum præſidentia: ceſſârunt doctrinæ ſalubres: ceſsârunt panegyres, hymnodiæ nocturnæ non habentur: neq; ſupereſt beata illa exultatio, quâ Domino credentium animæ, in ſynaxi ac communione ſpiritualium chariſmatum exhilarantur. Solumq; nobis dicere ſupereſt, quòd in hoc tempore neque ſit princeps, neque propheta, neq; oblatio, neq; incenſum, neq; locus, vbi coram Domino poſſit offerri ſacrificium, & miſericordia acquiri. Et vnde quæſo tantum malum nobis euenit, hinc certè, quia publica poſtponimus priuatis, æterna temporalibus, diuina humanis: & ſic dùm ſinguli priuatis tantummodò lucris inhiamus, bonum commune perdimus.

Luget nunc afflicta Patria, hanc degenerantium filiorũ impietatem, illud Prophetæ Pſal. 40. gemebunda proferens. *Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Quaſi diceret: Filij mei quos genui, meis bonis enutriui, prouentibus ditaui, honoribus & ampliſſimis dignitatibus, de tenebris in publicum eue xi, facti ſunt crudeliores non ſolùm hoſtibus & latronibus, ſed quibuſuis etiam animantibus. Et gentiles quippè hoc cuſtodire memorantur, & hoſtes plerumq; & latrones etiam, vt parcant ijs, cum quibus recordantur ſe iniuiſſe conuiuium: feræ ipſæ pabulorum ſocietate miteſcunt: paucis multa? in his omnibus ex quotidiano victu concordia inoleſcit: illi verò quamuis multiplici naturæ, & gratiæ, & cõſuetudinis iure fœderati, adhuc in ſe inuicem diſcordes tumultuantur, & viſcera mea ferro ſcrutari audent, quaſi verò illa ferrea ſint, quæ tàm improbos filios genuerunt.

Ipſa Eccleſia hanc ſumm am impieta-

Ibid. 11.

S. Gregor.

Pſal. 77.

Thren. 1.

Ioël 1.

Miſerabilis eo tempore in Polonia ſtatus.

Cauſa tanti mali, neglectus boni cõmunis.

Pſal. 40.

Polonia deplorat ſuorum ciuium ingratitudinem.

Ecclesia deflet eorundem impietatē.

pietatem suorum filiorum, vberrimis lachrymis deflet. Cantic. 1. *Filij* inquit, *Matris meæ pugnauerunt contra me.* Quasi diceret: non tàm acerbum esset, si vastata & omni ornatu atque apparatu spoliata manerem ab hostibus, sed heu ab ipsis filijs, quos per baptismum sponso meo Christo genui, quos per Sacramentum Eucharistiæ, panem illū cælestem omni dulcedine plenum enutriui, immò quod ex omnibus grauissimum, & ab orbe condito nusquàm antea visum est, quos mihi pastores elegi, quos infulis ornaui, ab ijs omnibus nunc deserta maneo. An certè putatis vestrum scelus facilè expiandum? en vos regio diplomate ad suum tribunal tremendus ille vniuersorum Iudex, citat hodie: *Sanguinem*, inquit, *animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, & de manu fratris.* Gen. 9. At quænam sunt istæ bestiæ, quæ propter factas cædes in iudicium vocantur? Respondet scriptura. *Homo, vir, & frater.* qui ab humana natura in ferinam, immò & ferinâ crudeliorem degenerârunt. Non est mihi credite maius peccatum, quàm, dùm à fratribus, fraternus sanguis funditur: hoc enim scelus non solùm lethale, sed etiam immedicabile denuntiat Apostolus 1. Ioan. 5. *Est*, inquit, *peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* In quem locum D. Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 22. *Peccatum*, inquit, *fratris ad mortem puto esse, cùm post agnitionem Dei per gratiam Domini Iesu Christi, quis oppugnat fraternitatem, & aduersùs ipsam gratiā, qua reconciliatus est Deo, inuidentia facibus agitatur.* Hinc Sanctus Bernardus nihil intensiùs à Deo postulabat; quam vt tanta impietas nusquàm in christianitate audiretur. Sermo. 29. in Cantica. *Longè*, inquit, *à vobis faciat semper hoc tàm abominabile & detestabile malum. Ante mihi contingat mori, quàm audire in vobis, quempiam iustè clamitantem. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Cantic. 1.

Gen. 9.

Fratricidæ sunt bestiæ

1. Ioan. 5.

S. Augustin.

S. Bernard.

O tempora! ô mores! pugnat nunc Iudaismus, & triumphat de captiua Christianitate. Datur locus Iudæorum perfidiæ, factus de exuuijs Ecclesiæ: & patrimonium, quod fauore Christi acquisitum est Christianis, hoc transfertur ad donaria perfidorum. Immo quod maximè dolendum, pro quibus se Deus prohibet rogari. Ieremiæ. 7. *Et tu noli orare pro populo isto, & noli postulare illis misericordiam, & neq; accesseris ad me pro illis, quia non exaudiam te.* Pro illorum nunc leuissima iniuria, sanguis christianus atrocissimè funditur. Spectant Iudæi catenatorum ordines innumeros de christiano populo: vident captiua colla plebis fidelis; cernunt condi in tenebras Dei seruulos, vt feriantur securibus, dentur tormentis, tradantur diris cruciatibus, ne pæna citò transeat. Spoliatus ferebatur vnus in itinere Iudæus, (idq; falsò vt opinor) aufugit homicida, capti sunt alij duo innocentissimi christiani, quorum vnus (instigantibus Iudæis, & amplis muneribus sententiam mortis atrociss imæ exposcentibus) extra Vrbem Cracouiam palo affixus; alter rotæ insertus est. Prô dolor! datur triumphus Iudæis de Ecclesia Dei? datur trophæum de Christi populo? dantur gaudia perfidis de fidelibus? conceditur celebritas Synagogæ? fit luctus Ecclesiæ.

Hiere. 7.

Christiani propter Iudæos ad atrocissimas pœnas damnati.

Dùm Esther Regina supplicaret Regi Assuero, vt suum decretum, ex falsa relatione Aman, amici & intimi sui, in deletionem Hebræorum latum, reuocaret; sic eum allocuta est, teste sacro eloquio, Esther 7. *Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex! & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro.* Miratur Hugo Cardinalis hanc petitionem, quomodò rogabat etiam pro vita sua Regem? num forsan illo Regis edicto contra Iudæos, etiam Regina comprehensa fuit? minimè: Nam Rex respondit? *Noli timere Esther, lex ista pro alijs, non pro te lata est.* vt quid igitur salutem propriæ vitæ postulauit, quasi in se regium mandatum executioni esset man-

Esther 7.

Ibidem.

mandandum. Reſpondet doctiſſimus Hugo: *Quia quod ſuis fiebat, ſibi factum reputabat.* O ſi tantus nunc eſſet Polonorum amor erga Patriam, & Eccleſiam! ſi tantus boni communis zelus, vt quod nunc alijs fit, ſibi quiſq; etiam in libertate conſtitutus fieri reputaret, non parceret ſumptibus, ſed per diſpendium proprij ſanguinis, more maiorum de Patria & Eccleſia mereri vellet. *Traditi enim ſumus, vt conteramur, & iugulemur & pereamus.* Sed dùm per noſtram deſidiam oppugnatur religio ſancta, premitur vndiq; Eccleſia, perditur Patria, iterum crucifigimus IESVM more iudaico. Audite veritatis iſtius luculentiſſimum documentum ex ſacra pagina: Pergebat Saulus Hieroſolymis in Damaſcum, delegatam habens facultatem ad capiendos Chriſtianos, & ecce pergentem in itinere Chriſtus de cœlo his vocibus terruit. *Saule Saule quid me perſequeris.* Et quomodò illa perſecutio, quam Saulus in terris exercuit, Chriſtum in cælis triumphantem potuit lædere? Reſpondet D. Laurentius Iuſtinianus. *Affligebatur*, inquit, *in ſingulis, afficiebatur pro omnibus.* Cum enim Chriſtus ſit caput corporis myſtici, & caput ſentiat incommoda, atq; mala, quæ membris inferuntur, ideo quoties ictus & vulnera infliguntur in terris; gemitus tamen dolentium reſonat in cœlis: proinde Chriſtus in cælis exiſtens, dolorem ſentit, & in quolibet afflicto fideli cruciatur, in vnoquoq; perſecutionem patitur. Sic docet Petrus Bleſenſis tractatu de conuerſione Sancti Pauli. *Iniuriam*, inquit, *ſuorum ſuam imputat neq; his verbis ſe morti aut perſecutioni fatetur obnoxium, cùm ſit immortalis & impaſſibilis, ſed exprimitur affectio charitatis erga diſcipulos.* Charitas itaq; excitat nunc in Chriſto dolorem eorum, quæ nunc afflicta Chriſtianitas patitur.

Hugo.

Eſther 7.

Perſecutio Religionis Chriſtum iterùm crucifigit.

Actor. 9.

Laurentius Iuſtinian.

Petrus Bleſenſis.

Neq; id mirum alicui videatur; Chriſtus enim omnia acerba cum ſua Chriſtianitate diuidere voluit, quod Sophonias de fidelibus gratiæ A loquens inſinuat cap. 9. *Seruient*, inquit, *ei humero vno.* Targus autem Hieroſolymitanus legit. *Dabunt cor ſuum in humeros.* Quid ſibi vult hæc peregrina locutio! ex corde facere humeros, & ſuſcipere læto animo atq; hilari voluntate id, quod naturâ ſua eſt graue, ponderoſum, & obligatorium, atq; alias cruciaturum eſt corpus, & animam? Reſpondet Lyranus: *Quia*, inquit, *ſeruient illi quidem Domino ſed humero vno, alterum enim ipſe Dominus applicabit ad iuuandum.* B Quaſi diceret: Diſtribuet Dominus laborem inter ſe, & ſuos fideles, ita vt illi ferendo oneri vnum humerum ſupponant, & ipſe alterum. Non enim conſentit Deus, vt eius fideles ſoli patiantur, ſed patitur cum illis totum laborem; patitur nunc cum afflicta Chriſtianitate: & quidem grauiùs, quàm à Iudæis patitur, quia à fratribus & filijs oppreſſam Eccleſiam ſpectat. Paternus quippè eius amor ferre non poteſt, vt videns ſuos fideles tribulari, & miſerijs premi, niſi ſe ſocium pœnis & C laboribus præbeat.

Sophon. 9.

Lyranus.

Chriſtus cum ſuis fidelibus mutuò patitur.

Pugnat nunc contra Chriſtum & gentiliſmus, dùm eius fideles more iam gentilium, immò peiùs viuere non erubeſcant. Ex duobus grauem cenſuram meretur Gentiliſmus, ſcilicet ex impietate & inſipientia; ex impietate; quia contra doctrinam veritatis pugnat: ex inſipientia verò; quia creaturæ & non Deo ſeruit. An non his duobus gentiliſat noſtra Polonia, vbi veritati & D æquitati locus nullus, aſſentationibus verò & iniuſtitiæ ampliſſimus campus datur, ideo dedit Deus pauorem in cordibus omnium, vt ibi trepidarent timore, vbi non erat timor: quia tantum peccatum diutiùs ferre non potuit. Prodigio ſimile quid contigiſſe inter Deum & Moyſen refert ſacra pagina, quem mittens Deus in Ægyptum ad educendum populum ſuum, vt ei virtutem ſuæ omnipotentiæ ad patranda miracula impertiretur, interrogauit: *Quid eſt quod tenes in manu tua.* Exodi 3. Illo verò

Gentiliſmus ex duobus vituperatur.

Exod 3.

verò reſpondente: *Virgam*: protinùs adiecit Deus; *Proÿce eam in terram.* Quod vbi fecit; illico, *verſa eſt in colubrum.* Et ecce dicit Sacra pagina, hoc ſpectaculo perterritum Moyſen terga vertiſſe. Quid quæſo magnæ illius menti tantum terrorem incutere potuit, quem in deſerto gregem paſcentem, neq; ferocium leonum, neq; horribilium pardorum, neque venenatiſſimorum quorumuis animalium aſpectus vnquàm terrere potuit. Reſponder Stephanus Cantuarienſis in Allegorijs Titelmani. *Quia virga eſt poteſtas iudicandi, & virgam in terram proÿcere, eſt poteſtatem iudiciariam ad terram deflectere.* Quaſi diceret: Non perterruit animoſum Moyſen draco, ſed hoc illum exanimauit, quòd in terram proiecerit virgam ſuam, hoc eſt; quòd Deum & iuſtitiam calcauerit, ſuis tantùmodò commoditatibus intendens, dum ſe ab illa legatione excuſaret, Exodi 3. *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?* Virga igitur inſigne eſt regiminis, & poteſtatis ſymbolum; hæc quamdiu ſeruatur inflexibilis, hoc eſt; dùm iuſtitia ſuo munere fungitur, & recta intentione procedit, qui eam manu tenet, remunerando bonos, & puniendo malos, neq; humano reſpectu detorquetur, honori & ſplendori eſt, vt fuit Moyſi. Quando autem virga hæc inclinatur, & iudex ſiniſtra intentione, proprio ductus comodo, ſe demittit in terram, nec æquitati, ſed priuato reſpectui magis obedit, tunc regna & principatus ruere debent. Hinc eruditus Lipſius, Principi qui regnum ſuum tranquillè & pacatè gerere vult, clementiam & ſeueritatem ex æquo commendat, vt & nullum meritum ſine præmio maneat, & nullum ſcelus impunitum abeat.

Virga figuram poteſtatis iudiciariæ.

Catuarienſ.

Exodi 3.

Deflexiſti ô afflicta Patria ab hac æquitate. Virgam tibi propoſuerat Dominus, quam reuerendo, & obſeruando, in omni felicitate perſiſteres, tu verò proieciſti eam in terram, cum filijs Belial illud 1. Reg. 10. murmurando: *num ſaluare poterit nos iſte?* Ignorando quod omnis poteſtas de ſuper veniat, & ideo iratus Dominus, externâ virgâ, hoc eſt; gladio hoſtili vti voluit ad caſtigandum te, vt meritò nunc lugeas in amaritudine tua. Propoſuetat tibi Deus virgam, præcepta ſua ſanctiſſima, quæ adimplendo, ampliſſimum æternæ gloriæ tibi præmium faceres, tu verò conculcaſti regia mandata, ad eam deflectendo amentiam, vt etiam iura diuina, quibus vniuerſa creatura ad vnguem parere debet, mitigare non erubeſceres, quò magis latiorem campum ad vitia tibi ſternere poſſes. Propoſuerat tibi Deus virgam, ne ſcilicet ſanguinem humanum, pretioſo Chriſti ſanguine redemptum funderes ſuper terram. Tu verò eò audaciæ progreſſa es, vt frequentibus & iniuſtis homicidijs, gentes etiam Deum ignorantes ſuperares. Poſita tibi fuit virga, ſcilicet vt nemo ad Eccleſiaſticos honores aſcenderet, niſi ex diuina vocatione Hebr. 10. *Nemo ſibi ſumit honorem niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Tu verò eò auaritiæ veniſti, vt hos aſcenſus, qui ſoli virtuti debentur, turpi quæſtui concedere non verearis; quod ſummè deplorat S. Bernardus Serm. 2. in feſto Aſcenſionis. *O peruerſitas,* inquit, *ô abuſio filiorum Adam! omnes parati ad honores & celſitudines graduum Eccleſiaſticorum, ipſis etiam Angelicis humeris formidandos; ad ſequendum autem te Domine Ieſu vix inueniuntur qui, trahi patiantur.*

1. Reg. 10.

Hebr. 10.

S. Bernard.

Gentiliſat adhuc Polonia noſtra inſipientiâ, quia creaturæ, non Deo ſeruit, & ideo meruit deſpici à Deo, atq; in manus hoſtium tradi. Refert Scriptura in Numeris, Deum ſummè infenſum fuiſſe Iſraëlitis, nec aliter potuiſſe placari, niſi zelo Phineæ: *Phinees* (dicit ibi Deus ad Moyſen) *filius Eleazar filij Aaron Sacerdotis, ſedauit furorem meum à filijs Iſraël, in eo quòd æmulatus eſt zelum meum in illis.* Quis autem fuerit iſte zelus, reſpondet ibidem ſcriptura, quia interfecerat Phinees viginti quatuor millia de po-

Num. 25.

de populo', neq; pepercit etiam arctissima sibi consuetudine copulatis, & ideo Domini indignationem mitigauit. Et quod obsecro fuit tàm abominabile scelus illius populi, vt tàm graui pœna mulctaretur, Respondet D. Ambrosius in Psalm. 118. Quia
S. Ambro. Madianitis miscebatur Iudæo. Prohibitum erat filijs Israèl ne sibi fœminas de populo gentili assumerent: quia ergo vnus legem hanc diuinam præuaricatus est, neq; tamen à iudicibus punitus, ideo Deus tàm seueram vltionem per seruum suum Phineen sumpsit. Nonne multò grauiùs ô Polonia hanc Dei legem præuaricata es. Præcepit tibi Deus, ne stupris, adulterijs, & quibusuis immunditijs te pollueres, & tamen hucusq; miscetur Madianitis Catholico. Madianitis enim est, quæ nullo est vxoris legitimæ copulata coniugio, nullo fidei iuncta consortio; & tamen feralis ista meretrix supra modum in tua ditione regnat. Prohibuit tibi Deus consortium cũ gentibus Deum ignorantibus: *Quæ enim societas Christi cum Belial, populo fideli cum infideli.* Et tamen hæc Madianitis mulier gentilis, videlicet insipientia brutalis, miscebatur populo Polono, concedebatur facilè vnicuiq; vt quod libet, idem liceret; blasphemabatur vnigenitus, & nemo erat qui contradiceret: Spiritus Sanctus dehonestabatur, & qui reprehendere posset, fugabatur. Filius non naturæ nomen, sed honoris appellatio reputabatur, & nemo prohibebat: Spiritus Sanctus nec ad Sanctæ TRIADIS complementum pertinere, nec diuinæ beatæq; naturæ consors esse, sed ex creatorum numero, temerè, & vtcunq; Patri & Filio adiectus esse docebatur, & nemo arguebat. Crux sancta, quæ etiam Sanctis Angelis summo honori est, in patibulum conuertebatur canum, & tamen tantum scelus impunitum manebat. Erigebantur de nouo Synagogæ, perfidiæ loca, impietatis domus, amentiæ receptacula. quod Deus ipse damnauit
Hiere. 7. Hier. 7. *Et faciam,* inquit, *domui vbi*

A *inuocatum est nomen meum super ipsam, in quo confiditis vos, & loco quem dedi vobis, & patribus vestris, sicut feci Silo. Et proijciam vos à facie meà, sicut proieci fratres vestros, & semen Ephrem.* & tamen nemo erat, qui id interdiceret, ideo prouocastis iram Dei super vos, quia commiscuistis vos cum Gentilismo, & Iudaismo. *Quomodò enim* (concludit D. Ambrosius lib. 5. Epistolarum Epistola 29.) poterit nos S. Ambro.
Christus iuuare, qui pro Iudæis, & gentilibus, & B *Hæreticis aduersùs Christum militamus.*

Sed nedûm concidas animo deuota Deo Christianitas, nondùm te æterna bonitas illa deseruit, sed propter enormia peccata ad tempus afflixit, non vt perdat, sed vt sanet, & ad iustitiam reuocet. *Quem enim* Hebr. 12.
diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. 1. Hebr. 12. Filium inquit non seruum. Quod expendens D. Ambrosius Serm. 14. in Psal. 118. *Asperioribus,* inquit, *Pater* S. Ambro.
exercet filium: quàm Dominus vernaculum. C *Sed dura Patris non æstimantur flagella: quia vult filium meliorem esse, quàm seruulum.* Quorsum enim Deus tàm multas plagas Iobo viro sanctissimo inflixit, nisi vt augeret coronas? vt docet D. Ambrosius citatus: *Probaturus,* inquit, *iustum suum per huiusmodi exercitia, in quibus probata est eius* Idem.
patientia, magis dignum, qui probaretur effecit. Et paulo post subdit. *Iob si non omnem amisisset pecuniam, non tantam inuenisset gratiam? Athletam suum nudum vngere voluit Deus oleo patientiæ vt* D *subeundo faceret certamine fortiorem, & emerendo præmio digniorem.* Et tandem illius aduersitatis commoda enumerans. *Quid igitur,* ait, *fuit illa tentatio, nisi exercitium fidei, insigne patientiæ, eruditio gloriosæ virtutis, confessio plena victoriæ, vt qui ante contradicentem habebat diabolum, postea non haberet.* Sic Dauid quò magis proficiebat in virtutibus, iuxta illud Psal. 118. *Iuraui* Psal. 118.
& statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. eò magis Deum vindicem & vltorem sentiebat, mox ibidem subdens. *Humiliatus sum vsquequaq; Domine.* Vt scilicet

licet ad præmium contendenti per diuinæ legis obseruantiam, maius ac maius aliquid per laborum tolerantiam adderetur. Sic Iosephus in Ægyptum præmissus est, tot carceres & vincula subiturus, vt Iudæi longo post tempore, ab Ægyptijs affligendi, vnius exemplo Iosephi ad strenuam patientiam animarentur. Sic cum Israëlitis propter illorum scelera in captiuitatem abductis, aliqui semper cum illis ex sanctissimis Prophetis, vt Isaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, &c. abire permissi sunt, vt Israëlitæ laboribus non succumberent, sanctorum exemplis Prophetarum excitati. Et vos pariter nunc vexat Deus aduersitatibus, vt ostendat esse suos amantes filios, & egregia patientiæ exempla cæteris christianis regnis proponat.

Ecce iam ad decursum sacræ quadragesimę, venit tibi in subsidium Saluator tuus. *Vt vos genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis.* 1. Petri 2. de manibus inimicorum vestrorum eripiat. Venit cum sua omnipotentia, vt qui vos ab omni iniquitate suo sanguine redemit, nunc per suam omnipotentiam, vestros Principes, Pastores, fratres, consanguineos, dispersos congreget in vnum, vt cum illo in die solemnitatis paschalis, non solùm de omni impietate, sed etiam de dura seruitute & captiuitate feliciter resurgatis, & in pristinam libertatem restituamini, atq; superba hostium manus, agnoscat, quia non est sapientia, non est consilium aduersus Dominum. Quod vt feliciter consequamini, abijcite de medio vestri Iudaismum, qui Deum ignorat & blasphemè negat: abijcite Gentilismũ, qui creaturæ non Deo seruit: abijcite fermentum Pharisæorum, hoc est: omnes hæreses & falsa dogmata, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu potenti in brachio suo excelso.

1. Petri 2.

DIE RESVRRECTIONIS.

CONCIO PRIMA.

Hæc est dies, quam fecit Dominus.

In Resurrectione Christi, Deus mundo iubilæum concessit.

INustratam illam dedicationem Ieroſolymitani templi describens in spiritu propheta, & ad magnam suos Israëlitas impellens lætitiam, sic exorditur. Canite tubâ in neomenijs, in insigni die solemnitatis vestræ. At verò in reædificatione templi illius sancti, in quo pro vniuerso mortaliũ genere, hostia pacifica Patri æterno oblata est, hoc est, in resuscitatione corporis Christi, quod acerbissimis cruciatibus Iudæorum destructum videbatur, longè maiori lætitiâ gestire iubet rediuiuus Saluator noster, illud toti mundo intonans Psal. 117. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Causam reddit aureâ illâ suâ sententiâ Diuus Augustinus, de Ciuitate Dei, inquiens: *Vbiq; maius gaudium maiori molestiâ præceditur.* Quia scilicet nihil ita lætificat, atq; bonum priùs perditum, & postmodùm recuperatum: præparationes etenim maximi gaudij, quod speramus, facere solet amaritudo, quæ toleratur. Quod idem Euripides in sua Medæa expressit: sic loquens: *Geminatur, cùm succedit aduersitati prosperitas.* Quia ergo fleuimus nuper acerbam Christi passionem; & amissum cæleste illud salutis nostræ pignus lamentabamur, ideo hodiè post depulsas mæroris tenebras, ad glorio-

Psal. 117.

S. Augustin.

Euripides.

glorioſam eius reſurrectionem meritò admirabili iucunditate & gaudio repleri debemus, quia hæc eſt dies quam fecit Dominus, in qua totum vniuerſum, & ipſa elementa omnia gloriantur. Nam & ſolem ipſum in hac die ſolitò clariorem eſſe arbitratur D. Ambroſius Serm. 52. *Neceſſe quippe eſt, vt ſol in eius reſurrectione gaudeat, in cuius paſſione condoluit, & cuius mortem lugubri quadam caligine proſecutus eſt, eiuſdem vitam nitidioris lucis ſplendore ſuſcipiat. Et tanquam binus miniſter, ſicut obſcuratus fuit ad exequias ſepulturæ, ita nunc in reſurrectionis obſequiũ coruſcare ſtudeat.* In paſſione enim Chriſti caliginum ſe nocte circumdederat ſol, & ad Iudæorum inauditum facinus mundo teſte congemuit, & ideo tanto ſceleri officium luminis negauit, quia non erat dignum, vt luceret eis mundi lumen, à quibus fuerat lumen ſalutis extinctum. Sed hodiè reſurgente Domino, exoritur quoque ſol ad lætitiam mentem omnium eleuans, quæ vt tantò faciliùs mentem omnium perfundat, Chriſti reſurrectionem magni Iubilæi diem eſſe vobis monſtrabo.

S. Ambro.

Proteſtatur Incarnatum Verbũ diuinum, ſe de ſinu Patris æterni deſcendiſſe in hanc lachrymarũ vallem, ad añuntiandum mundo annum placabilem, vt argutè doctiſſimus Hugo diſcurrit, in perſona Filij Dei loquens: *Veni*, inquit, *vt oſtenderem tempus plenitudinis gratiæ aduenisse, in quo Deus placabilis redderetur hominibus pœnitentibus.* Quod totum in glorioſiſſima ſua reſurrectione adimpleuit, vt meritò canat Sancta Mater Eccleſia: *Hæc eſt dies quam fecit Dominus*: quaſi diceret: Hucuſq; Deus exhibuit ſe ſeuerum vindicem, & appellatus eſt Deus vltionum Dominus. Quia ſcelera & iniquitates hominum, benignitatem & clementiam eius exulcerantia atrociter puniebat. At verò â die reſurrectionis Chriſti, dum homines feſtinabunt ad agendam ſuorum delictorum pœnitentiam, etiam Deus omnem ſeueritatem exuet, conuertet auſteritatem in clementiam, rigorem in pietatem, & multiplicabit fauores, qui antea ſupplicia repetebat, quia Chriſti reſurrectione gloriosâ exhilaratus, nihil magis iucundum habere poteſt, quàm peccatorum miſereri.

Hugo.

Obſtupeſcunt hîc plurimi myſticam illam Chriſti actionem, quando diſcipulos ſuos inſtituens confeſſarios, & dans illis poteſtatem ſoluendi vincula peccatorum. *Inſufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittentur eis.* Cur obſecro ſpiraculo oris ſui communicauit eis Spiritum Sanctum, & dedit iuriſdictionem ſuper peccata, vt poſſent delinquentes corrigere, abſoluere & priſtinæ libertati reſtituere. Nonne conuenientius erat, vt eis infunderet Spiritum Sanctum in ſpecie lucis & ſplendoris, ſiquidem hoc attributũ tribuitur Spiritui Sancto, canente Eccleſiâ: Accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus; quam in forma âëris. Myſterium huius facti conijcio, ex argutiſſima Philoſophia Ariſtotelis, qui in Problem. Sect. 15. q. 5. quærit, Cur âër, qui luce craſſior eſt, ſolida valeat penetrare, quod lux facere non poteſt. Reſpondet Philoſophus; quia lux ſemper rectâ aſcendit, idcirco per plures nequit tranſire partes, aut penetrare loca ſolida. At verò âër impedimento eiuſmodi nullo arcetur, quoniam quâ tranſit, tendere è directo non ſoleat. Proinde facili negotio penetrat partes ſolidiores & loca occluſa, quia in ſuo aſcenſu quo pergit, ſeipſum torquet & accommodat. Cùm ergo omnia Chriſti deſideria tendant ad ſalutem hominum, ideo perueſtigat & ſcrutatur omnia media poſſibilia ad hunc effectum conſequendum. Ideo ergo in forma âëris infudit Apoſtolis Spiritum Sanctum, conferendo plenariam poteſtatem remittendi peccata, ad oſtendendum, quòd quemadmodùm âër vt ad nos perueniat, etiam dum illum fugimus, & abhorremus, ſe ipſum inflectit, torquet, accommodat, & hoc pacto abditas etiam quaſq; latebras, rima-

Matt. 27.

Ariſtoteles

rimatur, penetrat, & pertranſit. Ita Saluator noſter, ad hominum animas, magnitudinem ſuam in paſſione depoſuit, ceſſit iuri ſuo, & ſublimem exuit maieſtatem. Hodie verò in rediuiua carne triumphans, omnimodè ſe nobis accommodat. In hodierna enim ſolemnitate; quando minùs promeriti ſumus, quando diuina patientia peccatis noſtris eſt maximè laceſſita & exarcebata, quando plurimi noſtrum exules à gratia eius facti ſunt, venit quaſi àër clanculum, vt animas noſtras in ſpem ſalutis erigat. *Nolite*, inquit *expaueſcere*.

Tempore lubilæi fit pacificatio hominis cum Deo: tunc enim miſera anima delictorum vinculis exonerata, annulo gratiæ cæleſti ſponſo plenè coniungitur. An non meritò Chriſti reſurrectionem nomine lubilæi intitulabo? in qua omnes creaturæ ſecum mutuam ſocietatem ineunt. Coleſſen. 1. *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Ante cruentam Chriſti paſſionem, diſcordia & contradictio inter Angelos cæli, & terræ homines vigebat, non quòd homines odio perſequerentur Angelos, ſed quòd Angeli hominibus eſſent aduerſarij, in tantùm, vt etiam leuiora delicta ab hominibus commiſſa atrociſſimè punirent. Ab Angelis populus Iſraëliticus fuit crudeliter caſtigatus, ab Angelis Sodoma igne cælitùs miſſo vaſtata; ab Angelis primi parentes noſtri paradiſo pulſi, & ab Angelo igneum gladium in porta tenente illuc reuerti prohibiti. Sed ecce pacificauit Deus quæ in terris, & quæ in cælo ſunt, nam reſurgente à mortuis Saluatore noſtro, Angeli ita veteres illas diſcordias exuerunt, vt etiam pro hominibus perire velint, dum modò eos Chriſto lucrentur. O verè magni lubilæi diem! quando diſſidium mutatur in amicitiam; oppoſitio in commercium, bellum in pacem. Venit tandem aliquando tempus illud, quando cæleſtes illi Spiritus, qui olim dè noſtra miſeria gloriabantur, hodiè iam incipiunt maximâ cumulari gloriâ & gaudio, quòd naturam humanam videant promotam, & mortalium abiectionem ad ipſum vſq; diuinitatis ſolium ſublimatam. Hoc teſtatur hodiernum Euangelium. *Et introëuntes*, inquit, *in monumentum; viderunt iuuenem ſedentem in dextris, veſtibus albis coopertum*: Vt ſcilicet pacem nobiſcum inirent, deſideratiſſima nuntia nobis deferendo. Hæc eſt mens Sancti Gregorij, & D. Thomæ in Cantica. *Candidâ*, inquit, *ſtolâ coopertus Angelus apparuit, quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nuntiauit.* Ideo ergo Angeli de cælo deſcenderunt, feſta rediuiui Saluatoris nobiſcum celebraturi, vt nobiſcum in amicitiam redirent, & in ſignum huius fœderis nobiſcum collætarentur.

S. Gregor. S. Thom.

Hinc eſt, quòd Pater æternus Chriſtum Dominum, quamuis coæternus eius Filius ſemper fuerit, tamen in reſurrectione, poſtquàm eius voluntatem perfectiſſimè adimpleuit, agnoſcit & appellat Filium, Pſalmo 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Super quem locum ſcribens Sanctus Ambroſius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Pulchrè*, inquit, *Pater dicit ad Filium: Ego hodie genui te, hoc eſt; quando redemiſti populum, quando ad cæli regnum vocaſti, quando impleuiſti voluntatem meam, tunc probaſti te meum Filium eſſe.* Videte æterni Patris erga genus humanum charitatem, qui naturalem ſibi Filium, tunc quodammodò recognoſcit, quando ſanguine ſuo plures filios adoptiuos conquiſiuit. Chriſtus Dominus ad vitam reuocatus priùs dicitur fœminis, quàm viris apparuiſſe: *Ite*, inquit, *nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matt. 28. Cur obſecro tantus honor priùs fœminis tribuitur, quàm viris, qui illis digniores videbantur. Arbitraretur quiſpiam id factum, propter maiorem humilitatem Apoſtolorum, vt futuri omniũ gentium Magiſtri, priùs fœminarum diſcipuli efficerentur. Sed optimè D. Gregorius Nyſſenus oratione de reſurrectione dicit: Quia fœmina

Coloſſ. 1.

Pſal. 2.

S. Ambroſ.

Matt. 28.

Gregorius Nyſſenus.

fœmina priùs peccauerat, ideo Christum Dominum fœminis apparuisse, vt suam erga peccatores beneuolentiam ostenderet, & quantam illis parasset medicinam, testaretur.

Tempore Iubilæi, pœna peccatis debita dimittitur contritis & verè pœnitentibus. In hodierna solemnitate idem nobis denuntiatur. *Nolite expauescere Christum quæritis, surrexit.* ad quid obsecro? vt ad effectum deducat suam illam tempore acerbæ passionis ad Patrem æternum directam orationem. *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* Hodiè verò declarat, non tantùm delictum humanæ naturæ esse dimissum, sed & pœnam, *Nolite expauescere.* quasi diceret, homo etiam per confessionem sacramentalem Deo reconciliatus, ad huc timet pœnas temporales, aut hîc, aut post mortem luendas, in quas pœna æterna virtute sacramenti fuit commutata. Quid ergo Saluator noster? auocat mentes fidelium ab hoc timore, vt homo certus sit se obtenturum veniam etiam pœnæ temporalis, dummodò depuratâ conscientiâ Christo rediuiuo se hodiè humiliet. Mirum forsan non vni hominum parit, quid sit, quòd Christus Dominus à mortuis resurgens, in specie hortulani apparuerit? ita vt Maria Magdalene existimaret hortulanum fuisse, quem viderat. Ioan. 15. Num forsan ideo, vt significaret, à se tanquàm hortulano tribulos & spinas peccatorum eradicandas, quas primus parens seminauerat. Ita censet D. Cyprianus tractatu in Symbolum Apostolorum. *Oportebat*, inquit, *eum, qui peccata mundi venit auferre! etiam terræ maledicta purgare.* Num vt ostenderet à se tanquàm ab hortulano virtutũ, flores ac fructus in agro cordis nutriendos? Hæc est mens D. Gregorij hom. 25. in Euangelia. *An non*, inquit, *ei spiritualiter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris sui semina virtutum virentia plantabat.* Verùm illa mihi præ omnibus ratio placet,

S. Cypria.

S. Gregor.

vt scilicet in eo immortalitatis splendore & honore, quem iam habebat, pristinæ humilitatis exemplum retineret: & adhuc pro hominum salute; laborare potiùs, quàm regnare velle videretur. Dignitas enim & humilitas se inuicem non excludunt, imò inter se coniunctæ faciliùs fouentur, & vtiliùs conseruantur.

Post multas tribulationes, quas Domini Propheta Dauid passus est, sic tandem concludit. Psalmo 129. *A custodia matutina vsq; ad noctem speret Israèl in Domino.* Disceptat sanctus Prosper, quare non ampliùs sperandum in Domino consulit Propheta Domini, nisi à mane vsq; ad vesperam. Num fortè tàm breuis debet esse spes nostra, vt intra vnius diei tempus absoluatur? minimè: virtutes enim Theologicæ, fides, spes, charitas, perfectionem suam sumunt ex perseuerantia. Quomodò ergo Propheta suadet, vigilandum esse à custodia matutina vsq; ad noctem. Mysterium (Auctore S. Prospero) Resurrectionis hic inuoluit. vt scilicet spes nostra ab aurora resurrectionis Dominicæ sumat initium, & vsq; ad noctem, scilicet horam nostræ mortis perseueret. sic censet S. Prosper in expositione huius Psal. *Virtus igitur patientiæ de illa sumenda est vigilia matutina, in qua Dominus noster Iesus Christus in nostra natura carne surrexit à mortuis: vt quod præcessit in capite, hoc in se sperarent omnia membra faciendum: vt omnis Israèl, quousq; de hac vita exeat, id quod in Domino factum est, in se quoq; sperare non desinat.* Quoniam ergo hæc est dies quam fecit Dominus, exultet quisq; & lætetur in ea, quoniam inquam dies magni Iubilæi, nobis hodiè illuxit, in quo pœna peccando promerita remitti solet, speremus & nos cum fiducia, quia Saluator noster rediuiuus omnes istas calamitates, bella & incursiones quæ vndiq; afflictam Christianitatem turbant, placatus suæ resurrectionis Iubilæo, potenti suo brachio à nostra Patria propulsabit.

Psal. 129.

S. Prosper.

EODEM

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Surrexit, non est hic. *Marci 16.*

Ostenditur, quibus de causis debebatur Christo Dño resurrectio.

PRidem hæc indubitata veritas inter Theologos proclamata est, quòd opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, & ideo sint cõmunia omnibus tribus personis: quia omnes tres personæ sunt vnus Deus, vnus creator, & vna causa; & ideo vna relatione rationis referuntur ad omnes creaturas, tanquàm ad effectus ipsius Dei. Si enim reflexerimus nostrum intellectum in ipsam mundi creationem, circa hanc totam Sanctissimam Trinitatem operatam esse, protestatur Scriptura sacra Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram* hoc est, in verbo sibi coæterno, vt clariùs exponit S. Ioannes cap. 1. de verbo æterno loquens: *Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Comprobatq; S. Basilius, de mundo sex diebus condito cap. 1. vbi de verbo æterno sic loquitur: *In ipso*, inquit, *omnia condita sunt, siue visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes siue Principatus, siue Potestates, siue Potentiæ, siue Angelorum exercitus, siue Archangelorum etiam præfecturæ.* Hinc illa quasi nostro intelligendi modo, diuinarum personarum consultatio. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, vt scilicet agnoscamus, omnes tres personas, tanquàm vnum & indiuisum principium, circa nostram productionem laborasse. Si incarnationem trutinare voluerimus, circa hanc omnes tres personas simul operatas esse, nemo poterit negare. Operatus est Pater mittendo Filium, operatus Spiritus Sanctus, formando illud sanctum corpusculum in vtero Virginis, operatus Filius assumendo humanitatem. Nihilominùs certa opera ad extra, certis attribuuntur personis: sic opus creationis tribuitur Patri, propterea, quòd illi attribuatur potentia, quæ importat absolutam rationem principij, producentis aliquid: opus gubernationis tribuitur Filio, qui est sapientia, ad sapientiam autem spectat ordinare & gubernare. Opus sanctificationis tribuitur Spiritui Sancto, qui est amor & bonitas. Specialiter tamen duo opera Christo Dei Filio tribuuntur, videlicet incarnatio, & resurrectio: licet enim incarnatio, vt dicit actionem quandam, & coniunctionem verbi cum humanitate, sit communis omnibus tribus personis: quia omnes tres personæ illam vnionem fecerunt; tamen quatenùs dicit relationem vnionis, propter quam duo ista extrema, Deus & Homo, dicuntur & denominantur vnita, soli Filio appropriatur: quia solum Verbum est vnitum humanitati, & solum illud terminat vnionem. Ita planè, licet Christus in scriptura sacra, dicitur resuscitatus à tota Trinitate; specialiter tamen ille sibimet, appropriat istam resurrectionem Psal. 2. *Ego dormiui, & somnum capi, & exurrexi.* Et hodiernum Euangelium dicit. *Surrexit, non est hic.* Quocirca in hodierna concione ostendam, ex quibus rationibus resurrectio Christo attribui debeat.

Duabus potissimùm de causis, glorioſa resurrectio ipsimet Christo appropriatur. Inprimis, vt hinc euidenter constet, illum fuisse verum Dei Filium. Non erubuerunt enim Ariani, Christo veram & naturalem Dei filiationem negare ex hoc fundamento: quia illum Pater æternus constituit iudicem Ioan. 10. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* Præterea, quia illum in gloria nominis sublimauit, propter summam eius humilitatem, vt dicit Apostolus: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum & dedit illi nomen super omne nomen.* Ex quo inferunt, Christũ non esse naturâ Deum, cùm ei, qui naturâ Deus est, nihil dari possit, & consequenter nec esse Filium Dei naturalem.

Sed

Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

Omnes tres Personæ vna relatione ad omnes creaturas referuntur.

Gen. 1.

Ioan. 1.

S. Basilius.

Gen. 1.

Ad Incarnationem omnes tres personæ concurrebant.

Certa opera ad extra certis personis tribuuntur.

Incarnatio & Resurrectio in quo sensu Christo appropriantur.

Psal. 2.

Resurrectio est argumentũ diuinitatis Christi.

Ioan. 10.

Sed debile nimis argumentum: Licet enim Deo, qui solùm est naturâ Deus, & nullam aliam naturam assumptam habet, propriè loquendo nihil dari possit, cùm omnia à seipso, id est ex natura sua habeat. Nihilominùs ei, qui ita est naturâ Deus, vt etiam sit naturâ homo, non repugnat dari aliquid respectu naturæ humanæ, cùm natura humana ex se non omnia habeat; imò multis perfectionibus, quas habere potest, ex se careat. Cùm itaq; Christus, ita sit naturâ Deus, vt simul etiam sit verus homo, ideò sine vllo præiudicio naturæ diuinæ, potest illi vt homini à Deo aliquid dari & donari. Et ita Christus qua Deus, ex naturâ suâ omnia habet: & qua homo, omnia à Deo accipit.

Christus vt homo omnia à Deo accepit.

Vt ergo Christus ab hac ignominiâ, & iniuriosâ calumniâ seipsum vindicaret, resurrectionem à mortuis, sibi appropriat: quia ex hac Dinus Paulus Rom. 1. maximè deducit, Christum esse Dei Filium, inquiens: *Qui prædestinatus est Filius Dei, in virtute secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.* hoc est; vt exponit S. Bonauentura, non per adoptionem, sicut alij filij; sed in virtute, hoc est, in potestate & maiestate, quam decebat habere Filium Dei vnigenitum: Ex resurrectione, id est, potestatem habens resuscitandi se, quæ consequitur ad vnionem hypostaticam, est Filius Dei. Quia ergò resuscitare alios à mortuis, concessum fuit Prophetis, & alijs Sanctis, tanquàm instrumentis diuinæ potentiæ, per quos Deus multa stupenda operatus est; at verò seipsum resuscitare nemini datum: ideò dùm Christus seipsum resuscitauit, in hoc maximum suæ diuinitatis argumentum ostendit. Nam Iudæi potissimùm verum Deum cognouerunt, ex eo, quòd se Dominum vitæ & mortis appellauerit: *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Siquidem dare esse, solius Dei proprius effectus est, vt ingeniosè probat Sanctus Bonauentura in summa Theologiæ q. 6. art. 2. dub. 2. tali argumento. Deus est causa vniuersalissima omnium, sed esse est effectus vniuersalis, ergo reduci debet in causam vniuersalem, scilicet in Deum. Deindè, quia Deus conseruat esse omnium rerum, ergò ipse est, qui dat esse omnibus, cùm eiusdem causæ sit, conseruare, & producere rem in suo esse. Quod comprobat D. August. 4. de Genesi ad literam, cap. 12. asserens: Deum esse causam essendi omnibus rebus. Hinc colligunt Theologi, creaturam recipere à Deo omni momento, quidquid habet, iuxta illud Apostoli Rom. 11. *Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.* In ipso, quia in ipso conseruatur esse creaturarum; ex ipso, quia ab ipso procedit: & per ipsum: quia per ipsum mouemur, & operamur.

Rom. 1.

Dare esse soli Deo competit.

S. August.

Rom. 11.

Ita planè Christus, vt se ostenderet verum Dei Filium, in hac eadem potestate fundat suam argumentationem: Ioan. 10. *Potestatem,* inquit, *habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Quasi apertius loqueretur, cùm eiusdem sit creare, & resuscitare: nam sicut aliquid creare ex nihilo, arguit potentiam infinitam; ita resuscitare arguit potentiam infinitam, cùm à priuatione ad habitum non detur regressus. Ideò cùm videatis, quòd in potestate mea sit mori, & resurgere, me ex hoc ipso verum Deum cognoscite. Hoc speciale signum suæ diuinitatis, obtulerat Christus Iudæis, antequàm pateretur: Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Si tamen Christus mortuus in cruce, non resurrexisset, minimè mundus credidisset, illum esse verum Deum; imò erubescerent homines credere in hominem crucifixum, qui *Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia* 1. Cor. 1. Proindè resurrectio & pudorem, & metum hominibus abstulit: *quia resurrectionis gloria, sepeliuit morientis iniuriam.*

Ioan. 10.

Ioan. 2.

1. Cor. 1.

Cùm enim resurrectio, solâ Dei virtute possit fieri, vtpotè simpliciter supernaturalis, quemadmodùm docet

docet S. Ambro. libro de fide resurrectionis : *Ideò*, ait, *resurrectio difficilè creditur, quia solius Dei munus est.* Et S. Chrysost. homil. 8. in 1. Thessal. *Resurrectio*, inquit, *diuinæ virtutis est, cùm telluri mandabit Deus, vt depositum reddat ;* quemadmodùm aliquando euocauit Lazarum : *Lazare veni foras.* Ioan. 11. Ideo Christus seipsum suscitauit à mortuis, vt se verum Deum ostenderet, causa principalis suæ resurrectionis existens, non vt homo, sed vt Deus. Quemadmodùm docet S. Leo Papa Ser. 1. de Resurrectione : *Deitas*, inquit, *quæ ab vtraq; substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit.*

S. Ambro.

S. Chryso.

Ioan. 11.

S. Leo.

Attribuitur præterea Christo resurrectio, vt ostenderet se esse primogenitum mortuorum, quod de illo, S. Paulus affirmat ad Coloss. 1. *ipse*, inquit, *est caput corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Primogenitus certè Christus mortuorum, quia primogenitus Patris ab æterno : *Ex vtero ante luciferum genui te.* hoc est, antequàm de tenebris abyssi ; & de statu possibilitatis, creaturæ educerentur in actum. Primogenitus, quia talem genuit Virgo Mater intacta. Lucæ 2. *Peperit filium suum primogenitum.* Primogenitus in multis frarribus : Rom. 8. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Primogenitus omnis creaturæ Colossen. 1. *Primogenitus ante omnem creaturam, quoniam in ipso condita sunt vniuersa.* Primogenitus deniq; in prædestinatione, quia nostro modo intelligendi, Christus ante omnes alios saluandos fuit prædestinatus, vt esset Filius Dei per vnionem hypostaricam.

Pſal. 109.

Lucæ 2.

Rom. 8.

Ad Coloſſen. 1.

Chriſtus primogenitus ratione prædeſtinationis.

Quod euidenti ratione deducitur : quia prædestinatio Christi, est finis nostræ prædestinationis ; finis autem est prior saltim in intentione. Dominus enim ab æterno statuit, quosdam homines bonos & beatos facere, eo fine, vt hac re magis illustraretur Christi gloria, vt esset caput atq; princeps inter multos homines. Quod præclarè innuit Concil. Trident. in decreto de iustificatione Sess. 6. cap. 7. asserens, causam finalem nostræ iustificationis, esse gloriam Dei & Christi. Ex quo manifestè sequitur, Christum Dominum meruisse nostram prædestinationem, quia opera eius præuisa, ita fuerunt grata & accepta Deo, vt propter illa quosdam ex hominum genere eligeret, atq; prædestinaret in vitam æternam. Quemadmodùm docet Diuus Paulus Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti.* Paulò autem inferius, clarius hoc exponit : *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum.* vbi particula *per*, dicit causam meritoriam, vel efficientem : quia in moralibus, idem est causa, meritoria, & efficiens.

Ergò ad gloriam Christi pertinebat, vt virtute propriâ resurgeret, vt sic tanquàm primogenitus, verum suum Dominum, in vitam & mortem exercendo, probaret se esse Dei Filium, omnesq; prædestinatos, ad hanc indubitatam fidem erigeret. Hoc autem sine resurrectione, nequaquam fieri potuit, vt docet Apostolus 1. Cor. 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* Quia homo non aliter ad fidem Dei accedere potuit, non aliter de peccatore fieri iustus, nisi per Christi resurrectionem. vt eruditè infert Apostolus Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Licet enim Christus per passionem suam, sufficienter destruxit peccatum ; tamen vt nos iustificaremur, & efficaciter nobis remitteret peccatum, oportebat passionem Christi nobis applicari per fidem viuam, vt scilicet fides nostra confirmaretur. Ita censet S. Anselmus : *Resurrexit*, inquit, *propter iustificationem nostram, id est, vt nos iustificando, suscitaret à morte animæ, quatenùs iustè viueremus, quod aliter non poteramus.* Nam in resurrectione Christi, manifestata est vera eius diuinitas, atque ita pluribus fides in hominibus confirmata.

1. Cor. 15.

Rom. 4.

S. Anſelm.

firmata. Quare resurgente Christo, resurgamus & nos, de vetustate peccati, vt nouâ gratiâ perfusi, hac die, quam fecit Dominus, sicut decet Sanctum Dei populum, exultemus, & lætemur.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Emerunt aromata vt venientes vngerent IESVM.

Piæ mulieres in sua persona sepulchrum Christi adire voluerunt, tum quia nonnisi propria vniuscuiusq; merita coronantur: tum quia vt obsequium nostrum Deo placeat; à nobis ipsis fieri debet.

PLacet mihi sanctarum mulierum prudentia, quòd dùm Christus crucifigeretur, non ausæ insolenti satellitum turbæ commiscerì, à longè duntaxat non sine graui dolore, & magna lachrymarum profusione, eius passionem aspexerint, vt quem vnicè dilexerant, se cum illo ex vero pietatis affectu mori paratas fuisse testarentur. Vt palam fatetur Euangelista Matth. 27. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa ministrantes ei.* Licet enim Apostoli fugerant, ad primum strepitum Christi comprehensi, nec ausi sunt illum comitari, euntem ad mortem; mulieres tamen & in via mortis, & in ipsa cruce eum præstolabantur; imò inter tremenda illa tenebrarum terræ motûs portenta, non discedebant, sed ibi constantissimè perseverabant, à longè aspicientes. A longè inquam, quia minus decorum erat, colluuiei latronum honestissimas fæminas præsentes interesse. At verò summè displicet, earum, mortuo & sepulto Domino, ad sepulchrum eius peregrinatio, potissimùm vespertino tempore, vt vult Sanctus Matthæus; aut valde matutino, scilicet in aurora, vt docet S. Marcus; vbi facilè muliebris fragilitas periculum subit. Exitus quippè in tenebris è domibus, perniciosus mulieribus esse solet. Vidualem continentiam intra domus suæ penetralia, conseruabat olim honesta fæmina Thamar; sed vbi foras prodijt, *& sedit in biuio itineris.* Gen. 38. Seu vt Lippomanus ex Hebræo transfert, *Sedit in porta oculorum;* hoc est, in propatulo, seu in aperto & spatioso loco, vbi plurimus esse solet, euntium, redeuntiumq; concursus; statim ad perditionem festinauit, suo contra illam socero sententiam fulminante: *Comburatur.* Ibidem. Quoniam qui ab angusta via ad spatiosam euagantur, à vita in mortem citissimè prolabuntur. Cùm Iacobus tabernaculum fixisset in terra Chanaan, dicit sacer textus: *Egressa est Dina Filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.* Gen. 34. Et ecce, dùm se capere non posset inter vnius tabernaculi angustias; sed in publicas vrbis plateas vellet diuagari, iacturam suæ virginitatis passa est. *Quam cùm vidisset Sichem Princeps terræ illius, adamauit eam & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* Ptopter quod non appellatur Filia Iacob, qui habitabat in tabernaculis. Gen. 27. *Iacob autem Vir simplex, habitabat in tabernaculis,* sed vocatur Filia Liæ, quæ suas ex agro mandragoras ac delicias requirebat Gen. 30 *Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit Mandragoras, quas Matri Liæ detulit.* Siquidem Lia potiùs maternas delicias; quàm paternam modestiam sequebatur. O infelix Dinæ in publicas vias digressio, quæ & illi spiritualem mortem, & Sichimitis temporalem attulit Gen. 34. *Duo Filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, arreptis gladijs, ingressi sunt vrbem confidenter, interfectisq; omnibus masculis, Hermon & Sichem, pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.* Ita sanè euenit, vt qui in viarum latitudine aberrant, certissimum sibi, & suæ viæ interitum afferant. Hinc Diuus Bernardus de gradibus humilitatis in

Matt. 27.

Gen. 38.

Lippoma.

Gen. 34.

Ibidem.

Gen. 27.

Ibidem 30.

Ibid. 34.

1. gradu ſuperbiæ, lamentatur Dinam, quòd ſuos hædos, id eſt, ſuos ſenſus inſequendo, & paſcendo, per latas ac ſpatioſas vias curſitârit, ita concludens: *O Dina, quid neceſſe eſt,* S. Bernard. *vt videas mulieres alienigenas. Et ſi tu otiosè vides; ſed non otiosè videris: tu curiosè ſpectas; ſed curioſiùs ſpectaris. Quis crederet tunc illam tuam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem, fore poſt hæc non otioſam: ſed tibi, tuis, boſtibuſq; pernicioſam.* Quid Euam in diaboli laqueos induxit, cùm in paradiſo moraretur, vnde ſerpens, & omnes malæ beſtiæ exulabant? Equidem, ſi accuratiùs ſacram hiſtoriam expendamus, nuſquàm reperiemus ſerpentem in paradiſum ingreſſum, fæminâ decepiſſe, niſi quòd Eua latendi in angusto loco pertæſa, & vagandi per latas vias curioſa, ad ſerpentem egrederetur, vt docet Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 2. *Libera*, inquit, *nobis relinquitur facultas aſſerendi, quòd non ſerpens in paradiſo fuerit, ſed mulier, corpore* Rupertus. *& oculis vaga, dùm incontinenter deambulat, fortè proſpectans, qualis extra paradiſum mundus haberetur, locus Diabolo datus eſt, & occaſio porrecta, vnde tentaret.* Præterea, quòd ſcirent benè iſtæ mulieres, corpus Chriſti per Ioſephum, virum ab Arimathia, honorificè in ſepulchro depoſitum eſſe, Matth. 27. *Et accepto corpore Ioſeph, in-* Matt. 27. *uoluit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra.* Quomodò igitur iſtæ piæ mulieres, ſcientes arctam cuſtodiam ad ſepulchrum poſitam eſſe, cum aromatibus auſæ fuerint deſcendere, ne ſe manifeſto periculo exponerent, præſertim cùm id mediante aliquâ perſonâ commodiùs præſtare potuerint. Oſtendam nihilominùs, laude non poſtremâ dignas eſſe iſtas mulieres, quòd hoc pietatis officium, non per ſubſtitutas perſonas, ſed per ſeipſas mortuo Chriſto exhibere voluerint.

Non ex alio motiuo, pias haſce mulieres cum aromatibus ad ſepulchrum Chriſti pertexiſſe video, niſi ex ſummo in Chriſtum amore: prorium enim mulierum eſt, vt miſericordiâ, ita pietate, & amore Dei viros ſuperare. Quod tali argumento deduco: Præceptum tale dederat Moyſi Deus, vt omnes maſculi de ſemine Iſraëlitarum ter in anno ad templum conuenirent, Domino præſentandi, vt habetur Exodi 34. *Tribus*, inquit, *temporibus anni, apparebit, omne* Exodi 34. *maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſraël.* Quid obſecro cauſæ? vtiq; Deus perinde ſexus fæminei, atq; virilis creator eſt, quare igitur non mulieres, non virgines, hoc ſuo mandato ſtringit; ſed ſolos maſculos? Nunquid non tali ſunt curæ apud Deum feminæ, ſicut viri? varij varias hic afferunt cauſas. Quidam enim cenſent, Deum hoc eo fine feciſſe, vt ſuam potentiam oſtenderet contra hoſtes, qui eo tempore, quo Iſraëlitæ ad templum Domini confluebant omnes, non ſolùm eos inuadere, ſed ne mutire quidem audebant, teſte ſacrâ paginâ: *Nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno.* Exodi 34. vbi ſanctus Auguſtinus egregiè ſatis ad rem noſtram, q. 161. ſupra Exodum diſcurrit: *Hoc* S. Auguſt. *ait, vult intelligi, vt ſecurus quiſq; aſcenderet, ne de terrâ ſuâ ſolicitus eſſet, Deo promittente cuſtodiam, quòd nemo inde aliquid concupiſceret, propter illum, qui aſcendit, nec ſuam inde timeret abſentiam.* Quis rem hanc propè ad miraculum extitiſſe non fatebitur? manebant Iſraëlitæ in medio hoſtium, ac vndique ab eis cincti: nam hinc Iebuſæi, inde Hebræi, imò & in medio eorum Philiſtijm extabant, & tamen licet toto reliquo anni tempore, ſemper eorum excidium mille inſidijs procurarent; nihilominùs eo, quo ad templum viri omnes iuxta præſcriptum, relictis proprijs, aſcendebant, nemo hoſtium, ne mutire quidem audebat, licet in domibus & ciuitatibus Iſraëlitarum, ſolas imbelles fæminas remanere haud ignorarent. Et cur obſecro Iſraëlitis ad templum euntibus, Deus ſecuritatem pollicebatur, quos in domibus remanentes, timi-

Maſculi ter in anno ad templũ venire obligati.

Deſcendentibus Iſraëlitis ad templũ Domini hoſtes eos inuadere non audebant.

timidos semper esse volebat, & ideò inter hostes habitare permittebat? Causam non aliam inuenio, præterhanc, ne fortè cùm in tabernaculo orationi vacarent, animo & solicitudine circa domos suas versarentur. Hæc est mens D. Augustini q. 161. in Exodum. *Hoc*, inquit, *vult Deus intelligi, vt securus quisq; ascenderet, nec de terra sua solicitus esset, Deo promittente custodiam.* Siquidem Deus in oratione totum exposcit affectum, ac vndique vnitum, vtq; homo nullam vagationis excusationem prætendere audeat, ipsemet suorum se custodem & protectorem exhibet. Quod probè cognoscentes sancti humilesq; serui Dei, licet virtutibus eminentes & præclari, humanam tamen fragilitatem metuentes, vt toto affectu essent in oratione, solitudinem petebant. Sic oraturus magnus vir Dei Elias, solitudinem expetijt. 3. Reg. 18 *Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua.* Sic D. Hieronymus vt intensiùs oraret, secretiora petebat loca, concaua vallium exquirens: vt fatetur ipsemet epistola 22. ad Eustachium. *Solus*, ait, *deserta penetrabam, sicubi concaua vallium, aspera montium prærupta cernebam, ibi mea orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum.* Hinc quid mirum, quòd sic intenta eius oratio procedebat, vt cœlos referans, ibi inuectus, ex rupium præruptis ad agmina assurgeret Angelorum, vt ipsemet fatetur, subdens: *Et vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquàm videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus, gaudensque cantabam; post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Ita sanè cum Deo potens est intenta oratio, ita eam ipse exquirit, vt licet inter solitudinem, amplius solùm ipsum desideret hominem.

Idem qui supra

3. Reg. 18.

S. Hieron.

In cuius veritatis comprobationem, considerate intimiùs, solitudinem illam, recessumq; quem Deus cum Moyse locuturus exquirebat, seuerè prohibens, vt nec homines, nec animalia propè auderent accedere: necdum satis, sed & in ipso vertice montis, ipse Deus locuturus adstans, licet nemo adesset, nihilominùs totum montem caligine obduxit, Exodi 24. *Cumq; ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Synai, tegens illum nube sex diebus; septimo autem die vocauit illum de medio caliginis, ingressusq; Moyses medium nebulæ, ascendit in montem.* Ad quid obsecro tanta cautela, tantusq; recessus? an quia præuidens Deus populi casum, eiusq; obscænos in vituli dedicatione clamores, ita Moysen oraturum separare voluit, vt ipsi inexaudibilis esset omnis ille clamor, ne eius intentio aliquomodò interrumperetur, quò facilius Deum ad se attraheret, suumq; totum faciens, ad vindictam attendere eum non sineret. Hoc mihi expressisse videtur sacra litera ibidem cap. 32. *Moyses autem orabat Dominum Deum suum*: quasi per orationem sibi proprium effecerit, & quidem ita proprium, vt meritò S. Bernardus Serm. de Magdalena, hanc Moysis extremam cum Deo admiratus potentiam, concludat: *Peccat populus, & Moyses peccantem reconciliare nititur creatori, sed dissimulat Dominus exaudire rogantem, promittit plurima Moysi creator omnium, & feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit.* Quasi diceret: ita tunc Moyses Deum per feruentem orationem, suam fecerat, ita vndequaq; vinctum tenebat, vt quamuis ipse à Dei penderet creatione; Deus tamen ab illius oratione, qui totus erat in ea, sicut Deus. Hinc vndiq; nebulâ cinctus, totus in se recollectus, ita orationem fundebat, vt contra eum Deus non auderet quidquam, imò vt humano modo loquar, quasi impotens redderetur. Sic igitur potens est, sic valida cum Deo feruens intentaq; oratio, vt illâ mediante, homo apud Deum omnia obtineat. Quod euidenter conijcio ex illis scripturæ verbis; post sacrificium Nòè prolatis. Gen. 8. *Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis, & ait, nequa-*

Exodi 24.

Deus cur locuturus cum Moyse montem caligine obduxit.

Ibidem vt supra.

S. Bernard.

Gen. 8.

quam vltra maledicam terrã. Pagninus verò exponit: *Et odoratus est Dominus odorem quietis.* Chaldæus transfert: *Et suscepit Dominus cum beneplacito oblationem eius.* Per quod innuitur placatum fuisse Deum, illo Noë sacrificio, eumq; ad vindictam efferuescentem, quasi adstrictum quieuisse. vt ingeniosè notat Caietanus inquiens: *Non propter animalia oblata, sed propter affectum deuotæ mentis offerentium, quo animalia placent Deo, tanquàm odor suauitatis:* statimq; concludit; *diuina igitur approbatio, & delectatio, ad deuotionem vtiq; offerentium referenda est.* Deus itaq; omnes Israëlitarum masculos, ter in anno ad templum congregari mandauerat, vt eos ad feruenter orandum alliceret.

Pagninus.

Chaldæus.

Caietanus.

Nihilominùs Oleaster, tres istiùs diuinæ obligationis affert rationes. Primam quia feminæ sunt delicatioris complexionis, & ideo Deus hoc suo præcepto noluit illas stringere. Sic enim Deum alloquitur. *Tanquàm pius*, inquit, *& misericors voluisti fieri, ne sexus infirmior tanto itinere grauaretur.* Quod pulchrè tetigit Apostolus, dùm feminas infirmiora vascula appellaret 1. Petri 1. *Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.* Alteram rationem dat: quia optimè sciebat, feminas religionis & pietatis esse nimiùm amantes, ita vt illis non sit opus præcepto, ad talia opera promptè obeunda. *Quia*, inquit, *non ignorabat, deuotum sexum, hoc sine præcepto facturum.* Tertiam allegat rationem: quia feminarum genus, etiam pietatis, aut religionis prætextu, non decet hinc inde discurrere. *Amat*, inquit Oleaster, *hoc genus exire, amat, hinc inde discurrere, & quia à viris suis sæpiùs arcentur, causam religionis aut pietatis mentiuntur, vt ergo licentiosum genus teneret officio, occasiones vagandi præclusit.* Subscribit Abulensis in cap. 34. Exodi. *Soli*, inquit, *masculi obligabantur ascendere ad istas solemnitates, femina verò, nequaquàm: quia non est honestum mulieribus, varias terras discurrere, propter verecundiam sexûs, repugnat enim itineratiua communicatio moribus feminarum: qui taciti & verecundi atq; valde compositi esse debent:* Egregiè profectò: debent enim feminæ, suo se foro continere, non publico euagari. Hinc Dauid feminam, per antonomasiam appellat domus habitatricem: *Dominus*, inquit, *dabit verbum Euangelizantibus.* In Hebræo autem habetur, *euangelizantibus: & speciei domus diuidere spolia.* Psal. 67. Quibus verbis in sensu historico, promittebat Prophe-ta, Deum post Hebræorum de Assyrijs victorias, concessurum feminis, vt de more pœma concinerent, & spolia inter victores partirentur.

Oleaster.

3. Cor. 3.

Idem qui supra.

S. Ambro.

Feminas frequens egressus dedecet.

Pſal. 67.

Verùm, hinc non leue dubium exoritur, quare Sacra pagina, feminam vocitauit per excellentiam, *domûs habitatricem* siue vt Interlin. Regia, abstractiùs vertit: *domus habitationum.* Nunquid etiam vir, non est domûs habitator. Rationem non aliam inuenio, nisi quòd vir sit temporarius incola domûs; femina verò continua. Et hoc est mysterium, quòd Deus virum condiderit extra paradisum; mulierem autem in paradiso. Vt nimirùm ostenderet, mulierem fore paradisi incolam; virum autem accolam. Quemadmodùm censet D. Ambrosius lib. de paradiso Cap. 4. vbi mouens quæstionem, quare non potius vir in paradiso creatus sit, cùm illi vt pote nobiliori, nobilior patria deberi videatur? Respondet: vt inquit sciamus, non loci dignitate, sed virtute gratiam comparari. Mihi nihilominùs secunda ratio maximè fundamentalis videtur, Deum scilicet suo præcepto non obligasse feminas, ad comparendum tribus anni temporibus in templo Domini, quia sciebat, id eas sine vllo præcepto facturas, vt pote ad pietatem & misericordiam magis procliues, quàm viros. Præceperat Deus Moysi, vt illi sanctuarium magnificum de auro, argento, lapidibusq; pretiosis ædificaret. *Loquere*, inquit, *Filijs Israël, vt tollant mihi primitias, ab omni homine, qui offeret vltroneus,*

Femina cur domus habitatrix dicta.

Vir extra paradisum, & mulier cur in paradiso condita.

Exodi 25.

neus, accipietis eas. Hæc sunt autem quæ accipere debetis. Aurum, & argentum, & æs: & hyacinthum, & purpuram, coccumq; bis tinctum, & byssum, lapides onychios, & gemmas ad ornandum Ephod, ac rationale. Facientq; mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum Exodi 25. Vix Moyses promulgauit hanc diuinam intentionem populo, statim dicit sacer textus, *obtulerunt mente promptissimâ, atq; deuotâ primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonij.* Exodi 35. Et licet ibi sacra pagina mentionem faciat, tàm virorum quàm mulierum: *Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt.* Nihilominùs Oleaster censet, priùs mulieres obtulisse, quàm viros. Quod apertè deducit ex citato scripturæ loco, vbi subdit: *Principes verò obtulerunt lapides onychios.* Ergo mulieres & celeritate, & voluntate, suis Principibus, id est viris, ad religionis actum præcurrerunt. Celeritate quidem: quia priùs obtulerunt; voluntate verò, quia obtulerunt mente promptissimâ, atq; deuotâ. Cuius rationem hanc assignat Oleaster: quia inquit, feminæ sunt promptiores, & magis misericordes. Et certè inquirite, quisnam sæpiùs ad pedes Domini Iesv sedebat, vt verbum illius audiret, quàm mulieres? sic enim de Magdalena testatur sacer Euangelista Lucæ 10. *Quæ sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Hoc est, non ambitiosè agens, sed humiliter ad pedes quiescens, verba Domini, & ore, & corde excipiebat: quemadmodùm exponit Sanctus Thomas in Cat. ex D. Augustino: *Quantò autem humiliùs ad pedes sedebat, tantò ampliùs capiebat.* Quis eius diuinitatem palam fatebatur, nisi mulieres: *Quædam mulier extollens vocem suam dixit: Beatus venter qui te portauit.* Lucæ 11. Et ideò, licet mulieres non dubitarent corpus Christi, à Iosepho iam fuisse vnctum, & honorificè in sepulchro depositum; vt tamen pietatis & compassionis affectum testarentur in Iesvm: perrexerunt cum aromatibus ad sepulchrum.

Ibidem 35.

Lucæ 10.

S. Thomas.

Lucæ 11.

Quantum verò ad alteram difficultatem attinet, quomodò Sanctæ illæ mulieres, non verebantur suâ præsentiâ adire sepulchrum, cùm benè scirent, nemini ad illud liberum patuisse aditum. vix enim corpus Iesv à Iosepho in sepulchrum illatum erat, cùm statim Principes Sacerdotum, & Pharisæi adeuntes Pilatum, custodiam ab illo petierint. Matt. 27. *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam: Iube ergo custodiri sepulchrum vsq; ad diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis.* Cumq; illis Pilatus concessisset, dicit idem Euangelista: *Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum; signantes lapidem cum custodibus.* Vnde Pontifices & Pharisæi, sepulchrum Christi duplici munimento munierunt; nimirum: custodiâ militum, quos assiduè vigilare, & sepulchrum custodire iusserunt: deinde obsignatione lapidis. Hoc enim signanter sacra exprimit litera, illâ voce, *signantes;* id est, obsignantes, sigillantes, videlicet annulo, non Pilati, sed vrbis Ierosolymæ, aut potiùs annulo summi concilij ipsorum, quod Sanedrim vocabatur, ne à quopiam lapis de sepulchro amoueri, & corpus Christi extrahi posset, quin hoc sigilli violatione deprehenderetur. Imò addunt Nicephorus & Beda, Iudæos vtrumq; sepulchri lapidem perforasse, & vinculo ferreo constrinxisse, vt sic nemo, licet dormientibus custodibus superueniens, sepulchrum intrare posset. Verùm quid times Iudæe mortuum Christum, licet resurgat? Num forsan, ne à rediuiuo, veritatem, quam post tergum proiecisti docearis? quòd tàm anxiè sepulchrum velis custodiri? Respondet S. Maximus Serm. 3. de paschate: *Custodiebant ergo eum solicitè in sepulchro, quia necesse illis erat, eum iam non doctorem timere, sed iudicem.* Perpetratum quippè scelus in Dei Filio,

Matt. 27.

Ibidem.

Sepulchrũ Christi annulo summi Concilij fuit obsignatum.

S. Maximus.

lio, solam suggerebat timendam vl- A tot testes in vita audiuit, qui resur-
tionem. Tota igitur eorum cura rectionem Dominicam manifestius
erat, vt sepulchrum custodiretur, demonstrarent. Quantum erat in ef-
nec id faciebant quòd timerent in- ferata Iudæorum rabie, omni cona-
de resurrecturum gentium Doctorem, tu manum volebant opponere resur-
Magistrum veritatis, mundi Saluatorem, genti, dùm cohortem ad sepulchri
sed scelerum Iudicem, & vindicatorem. custodiam apponerent. Sed vana est
Hoc vnum in illo cogitabant, & metuebant, sapientia, vanum consilium, contra
quòd Iudex esset, & vltor peccatorum. Quia diuinam prouidentiam, quæ omnia
peccatum aperit oculos, vt homo Iudaica machinamenta in id conuer-
illud agnoscens, maximè cupiat oc- tit, vt diligentia eorum, nostræ fidei
cultari, & Deo aditum præcludere. proficeret. Tanto enim firmiùs cre-
dere debemus, quantò illi vitandæ
At malo suo id moliebantur Iu- B resurrectioni obnixius militârunt:
dæi: dùm enim resurrecturo Christo, nam inde fides magis alitur, vnde
seuero suorum criminum iudici, credi poterat peritura.
modis omnibus conarentur exitum occludere, & vel rimulas cautiùs obserare, nescientes & inuiti auxerunt miraculum, & fidem resurrectionis, Deo ipso ab ipsis per tale
factum testimonium extorquente, vt eleganter ibidem obseruat S. Chrysostomus: *Certa*, inquit, *resurre-*
S. Chryso. *ctionis demonstratio per ea, quæ vos ipsi procurastis, reddita est: si enim obsignatum fuit sepulchrum fraudi & dolo nullus locus relinquebatur. Quodsi nulla fraus admissa fuerit, sepulchrum verò repertum est vacuum, perspicuum est, quòd procul dubio, & citra controuersiam resurrexit. Vides, quomodò vel inuiti, veritatis adiuuent demonstrationem.* Quod elucidans S. Maximus, argutiùs ad hanc rem argumentatur. *Fidem*, in-
S. Maxim. quit, *nostram confirmat, impietas Iudæorum: nam sufficit ad crudelitatem nobis, eorum nimium cauta crudelitas. Quò enim diligentiùs custodierunt tumulum, eò constat illum manifestiùs surrexisse. Quò plures apposuêre custodes, eò plures testium reliquêre. Nam hoc procurauit diuina prouidentia, vt resurrectionis Dominicæ non solùm Angeli, non solùm discipuli, sed & inimici, quod amplius est, testimonium perhiberent. Tanta enim solicitudine sepulchrum obstruxit iniquitas, vt id non præualeret manus humana obstruere, nisi sola virtus resurrectionis aperiret.* En, stultitiam æternis temporibus deplorandam! quot custodes Pharisaica cautela, hostiliter custodiendo sepulchro apposuit,

Duabus itaq; de causis, piæ mulieres non per substitutas personas, sed per seipsas sepulchrum adierunt. Inprimis, vt plus apud Deum mererentur: licet enim illud prouerbium passim inter homines iactetur, qui per alium facit, per se facere videtur, apud Deum tamen, non nisi propria vniuscuiusq; merita coronantur. Quod mihi expressisse videtur Moyses, qui ad vltionem de Idolatris Leuitas adhortans dixit: *Ponat vir gladium super femur suum*, Exodi 37. Vbi priùs super proprium femur, quàm super alienum caput gladium poni imperauit, vt significaret, illum gladium proprium vniuscuiusque esse debere, non alienum. Proinde per gladium propria merita indicare voluit, quòd vnusquisque debeat proprijs, non alienis virtutum operibus inniti. Ita discurrit Philo Carpatius: *Hi sunt*, inquit, *qui in manibus suis, hoc est rectis operibus, propria conscientia gladium suum tenent, non alienum: non enim alienis precibus solummodò confidunt, & sanctis actionibus, ipsi verò negligentes, ac pigri, operibus aliorum adiuuari temerè præsumunt. Hi sunt, qui carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs vincunt, & mactant, ob idq; ensem super femur suum tenere dicuntur.* Quippè in via perfectionis non est satis tutus, qui proprijs virtutibus exarmatur, licet inter armatos milites gradiatur. Hinc Christus Dominus à suis discipulis

Exodi 37.

Philo Carpatius.

recess-

recessurus, dicebat: *qui non habet sacculum, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Lucæ 22. Et cur obsecro pacificus Princeps, ad bellica instrumenta suos hortatur sectatores? Resoluit ingeniosè D. Ambrosius prooemio in Lucam, pro gladio, virtutis studium mysticè interpretans: *Acuamus*, inquit, *ingenium, exerceamus affectum, vt gladium illum, quem vendita veste emi Dominus iubet, paratum semper, & lucidum, tanquàm in vagina mentis reconditum, habere possimus. Arma enim spiritualia, & fortia Dei, ad destruendas munitiones, militibus Christi, debent semper esse præsentia, ne, cùm venerit Dux cœlestis militiæ, situ nostrorum offensus armorum, à legionum suarum nos societate discernat.* Miserrimum ergo est, hominem proprijs meritis, & virtutibus carere; quia vt milites pro suis laboribus stipendia referunt, sic in obsequio Christi nemo, nisi qui virtutibus plenus, qui præclaris operibus clarus, qui sanctis actionibus conspicuus reperitur, brauium accipit.

Lucæ 22.

S. Ambro.

Alteram causam conijcio, quòd istæ mulieres suâ præsentiâ sepulchrũ Christi adire voluerint: quia vt obsequium nostrum Deo præstitum placeat, à nobis ipsis fieri debet. Quod sufficienter docuit Christus, Matth. 16 vbi prædicens Apostolis futuram suam passionem, dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Miratur Hugo Cardinalis, cur Christus non dixit: tollat crucem meam, sed suam: Et respondet, quia sola Christi crux, non prodest homini ad salutem, nisi & eius propria accesserit. *Tollat*, inquit, *crucem suam, & non meam: quia dolor meus non sufficiet, nisi adsit & vester.* Crux hominis est, sui ipsius abnegatio, continuaq; sui depressio ac mortificatio, ita rigida, vt homo in nullo carnis appetitui acquiescat, sed totus in spiritum euolet. Eruditè hoc tetigit Sixtus Papa tom. 5. Biblioth. Serm. de castit. vbi virginitatis statum suadens, & probans hoc Christi mandatum perfectè adimpleri non posse, locum Scripturæ sacræ citatum ita exponit: *Ni fallor, hoc est abnegare semetipsum, vt sibi non viuat, & vt omne hominis desiderium abneget, vt vniuersam carnis, & corporis continuè respuat voluptatem: vt moriatur penitùs sibi, & illi totus viuat, cuius morte redemptus est.* Et paulo inferiùs hoc ipsum magis adhuc declarat, inquiens: *Non libet mihi crede luxuriam, nec licet crucifixos, nec Christi mandata seruantes, de carnis voluptate cogitare: nunquàm ista vox, in connubiorũ copulatione perficitur: si quis vult venire post me.* Rationem sufficientem reddit istius rei: quia sicut Christus non partem, neq; medium hominem requirit, sed totum, vt sequi illum possit? ita ex aduerso deliciæ carnis, non partem, sed totum hominem rapere gestiunt: *Sicut*, inquit, *illi, qui dicentem Christum audiunt, si quis vult venire post me &c. nubere omninò non possunt; ita & eos, quibus nimio desiderio expetere matrimonia, præter honestos fines libeat; dicentis puto vocem audire luxuriæ, si quis vult post me venire, vendicet se totum sibi, & tollat voluptatem suam, & sequatur me.*

Sixtus Papa.

Rectè igitur Hugo Cardinalis respondet: Christum, sequi eum volentibus, dixisse: abneget semetipsum, & tollat crucem suam: quia vnusquisq; homo, dumodò velit, ad sudores, mortificationes, & ardua virtutum curricula, est idoneus. Vt eleganter D. August. in citatum Matth. locum ho. 47. de diuersis discurrit: *Siue*, inquit, *vir, siue mulier, siue is, qui præest, siue is, qui alteri paret, & seruari vult, hanc ingrediatur viam. Non enim admonitionem hanc virgines, audire debent, & maritatæ non debent; & viduæ, & nuptæ non debent; aut monachi debent, & coniugati nõ debent, & laici non debent: aut clerici debent, & laici non debent: sed vniuersa Ecclesia, vniuersum corpus, vniuersa membra, per officia propria distincta, & distributa, audire debent.* Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & sequatur me. Meritò equidem: qui enim sperant, & volunt ad Christi regnum peruenire, sequantur IESVM crucem ferentem; si volunt comi-

Hugo.

S. August.

Hugo.

comitari regnantem, cùm & ipse non aliter ad regnum, nisi per crucem peruenerit. Pulchrè id inculcat S. Chrysosth. hom. 28. in Epist. ad Hebræos.

S. Chryso. *Discipulus*, inquit, *es. Magistrum imitare, hoc quippè est discipuli; si verò ipse quidem per tribulationes perrexit, tu autem per requiem vis ire, non eandem viam vis peragere, quâ ille perrexit, sed aliam. Quomodò ergo sequeris, non sequens? Quomodò eris discipulus, non sectans Magistri vestigia.* Hinc infert S. Bernardus Serm. 21. in cantica. *Quam pauci post*

S Bernard. *te ò Domine Iesu, ire volunt; cùm tamen ad te peruenire, nemo sit, qui nolit: & propterea volunt omnes ad te ferri, at non ita & imitari; conregnare cupiunt, sed non compati.* Non talibus mihi credite patet aditus ad regnum cœlorum, sed ijs tantùm, qui post IESVM eunt, & pedibus, & affectibus.

Requiescebat aliquandò noctu in itinere Iacob, & subitò affuit illi amica Dei maiestas, ad familiaria cum colloquia vocans, huc inde apposità scalâ Gen. 28. *Vidit quòd in somnis*

Gen. 28. *scalam stantem super terram, & cacumen illius tangebat cœlum.* Quis tunc non summam Iacobi felicitatem credidisset, cui nihil aliud deerat, nisi cœlum ipsum penetrare, & inter diuos referri. Nihilominùs expergefactus Iacob, ac totus planè tremens, verba illa protulit: *Quàm terribilis est locus iste.* Et cur terribilem ac metuendum vocauit? audite quid ipse respondeat? *non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* En rationem sufficientem, & prorsùs conuincentem: terribilem ac metuendam cœli portam appellauit: quia per eam non nisi optimi bellatores, & ij, qui crucem suam post Christum ferunt, intrare possunt, asserente id sacro Euangelio

Matt. 11. Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* hoc est, virili oppugnatione & expugnatione opus est, vt cœleste regnum obtineatur. Nam post Adæ peccatum: *Col-*

Gen. 3. *locauit Dominus ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium atq; versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. vt ijs, qui ad paradisi patriam redire contendunt, palam faceret, non nisi per acres pugnas & laborum difficultates, illuc perueniendum esse. Ita discurrit Sanctus Ambrosius Serm. 20. in Psal. 118. *Omnes*, inquit

S. Ambro. *oportet per ignem probari, quicunq; ad paradisum redire desiderant: Non enim otiosè scriptum est, quòd eiectis Adam & Euâ de paradisi sede, posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem. Omnes oportet transire per flammas, siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum: Sic eum volo manere, quid ad te, tu me sequere. De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus. siue ille sit Petrus, qui claues accepit regni cœlorum, qui super mare ambulauit, oportet dicat. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Licet ergo Christus, neminem ad sui sequelam cogat, sed omnes blandè, omnes suauiter trahat; voluntarios tamen mortificationi destinat, vt crucem suam tollant, hoc est, nihil cum seipsis, vel cum sua carne commercij habeant, verùm assiduis mortificationibus cœlestem portam expugnare studeant.

Quod probè scientes piæ mulieres, non per substitutas personas, sed ipsæmet personaliter Christi sepulchrum adire voluerunt, portando aromata, hoc est, pietatis opera, pro quibus & laudem, & æternam beatitudinem meruêre. Igitur & nos studeamus cum sudore, & mortificationibus Christi sepulchrum adire, vt cum resurgente in cœlis regnare mereamur, Amen.

EODEM DIE
CONCIO QVARTA.

Et valde mane vna Sabbathorum venerunt ad monumentum orto iam sole. *Marci 16.*

Ostenditur solemnitatem paschalem, magni diei nomine intitulandam esse.

Mortuo

MOrtuo Domino,& sepulto,cùm transisset Sabbathum, in quo otiari ex lege oportebat, sanctas mulieres ad sepulchrum perrexisse, fatentur Euangelistæ. Sed die ne an nocte, difficilè est coniectari. Et quidem nocte eas perrexisse, facilè deducitur ex citato Euangelij loco, quod asserit valde mane eas venisse ad monumentum, ergo noctu perrexerunt, cùm satis distantem terminum, matutino tempore nemo assequi possit, nisi de profunda nocte cursum inchoauerit. Hinc S. Matthæus dicit: cap. 28. *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit, in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Atqui vespere, Authore S. Augustino est nox, quàm lux terminat, proinde nocte eas ad sepulchrum perrexisse, nemo poterit negare. At verò diurnum fuisse istarum mulierum cursum, suadet idem Euangelium S. Marci, asserens eas orto iam sole venisse ad sepulchrum, ergo sine dubio summo mane itineri se accinxerunt. Ita videtur sentire Galfridus in Allegorijs noui testamenti, ad rem præsentem ita loquens. *Fortè valde mane cœperunt venire, & orto iam sole peruenerunt. Domini siquidem noscitur fuisse consilio, vt quamuis earum deuotio plurimum properaret, non nisi clara luce venirent, & perspicuè cernerent omnia, ne vlla vel ipsis, vel per eas postmodùm audituris, ob caliginẽ matutinam, dubitationis occasio remaneret.* Optimè equidem: ad lucem quippè solis, oculis videndus erat Christus, ex horrore sepulchri gloriosè rediuiuus: quasi matutina lux non sufficeret ad cognoscendum eum, cum quo diu familiariter egerunt. Et ideò dubia auroræ lux, vespere nomine nuncupata, diescere debuit in claram lucem, vt dubietatem omnem præcluderet, ne dubietas lucis, dubietatem ingereret crediturus. Qui enim se coram exhibuerat oculis spectandum, manibus contrectandum, & palam audiendum, sedulò anteuertit, vel leuissimam in principio dubitandi occasionem, ne vel modica in initio occasiuncula, sensuum euidentiam deinceps fascinaret. Sed quomodò tamen Euangelistarum contrariæ sententiæ poterunt conciliari? Cùm Marcus dicat mulieres mane ad sepulchrum venisse: Sanctus verò Matthæus affirmat, quòd vespere, id est, extincta luce, proinde ad initium noctis. Nunquid mane in vesperam, aut nox in diem commutari possunt? negat id Propheta Domini, in persona Dei loquens Ieremiæ 33. *Si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo.* Quem locum Theodoretus exponit: *Quemadmodùm dies non potest esse nox, ita neq; nox potest esse dies.* Pactum igitur Dei, immutabili lege sancitum, irritari nullo modo potest, vt nox in diem, vel dies in noctem vertatur. Proindè, vt dierum noctiumq; ordo immutetur, quominùs diebus singulis singulæ noctes, & è contra singulis noctibus, singuli etiam dies vicissim succedant. Alij censent Euangelistas, minimè sibi contradicere, licet vnus de vespere, alter de mane loquatur: quia ex his duobus integra dies coalescit. Sic apertè loquitur scriptura sacra Gen. 1. *Factumq; est vespere & mane, dies vnus.* Hinc Pererius super citatum scripturæ locum, per vesperam non intelligit noctem, sed imminutum iam diem: *Vespere*, inquit, *in scriptura, non significat simpliciter tenebras, & obscuritatem noctis, sed imminutum lumen solis, ad occasum vergentis, hoc est crepusculum inter solis occasum, & tenebras noctis.* Non itaq; dies dùm plena lampade fulget in meridie, & nox illunis, cùm nigrior & obscurior est, possunt coire in vnum diem; sed vespere & mane, vespere, inquàm, cùm diei lux sensim imminuta languet, & intermedio crepusculo noctescit. Cæterùm magis mihi placet sententia Abulensis, qui vespere, accipit in rigore pro ipsa nocte, affirmans ex die & nocte vnũ, diem conflari, proinde & diem in noctem verti posse, vt præclarè docet Tertull. in Apo-

Matt. 28.

Galfridus.

Ieremiæ 33.

Theodoretus.

Gen. 1.

Pererius.

Ex die & nocte integra dies.

Tertullia. in Apologet. cap. 12. *Dies*, inquit, *moritur in noctem, & vsquequaq; sepelitur, funestatur mundi horror, omnis substantia denigratur, sordent, silent, stupent cuncta: ita amissa lux lugetur.* An non versa erat dies in noctem, tempore acerbæ passionis Christi, dùm cœli luminaria sublunaribus lucem suam denegarent, præ nimio pudore nudum in cruce pendentem Dei Filium aspicere non audentia Matt. 27.

Matt. 27. *A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsq; ad nonam.* Et viciſſim in eiusdem resurrectione, noctem mutatam esse in diem, quis non videt, dùm media nocte sol oriretur, id est, Christus de sepulchro surgeret. Solemnitatem itaque hodiernam, quam vulgus magnam noctem appellat, in diem esse conuersam, & potiùs diei nomine appellandam, monstrabo.

Solemnitas paschalis cur diei nomine appellari debeat. Tribus de causis hodiernam solemnitatem, non noctis, sed magni potiùs diei nomine intitulandam esse conijcio. Inprimis, quia solemnitas paschalis ex omnibus est maxima: nam apud Hebræos tres præcipuæ solemnitates fuerunt, Pentecostes, Scenopegiæ, siue tabernaculorum, & Paschæ. Ex quibus celebritatem paschalem fuisse maximã facilè constat: quia solemnitas Pentecostes vno tantùm die absoluebatur, teste Sigonio lib. 3. de Repub. Hebræorum cap 10. & Ribera lib. 5. de festis Hebræorum cap. 7. Deinde, quia in duabus istis celebritatibus, nimirùm Pencostes, & Scenopegiæ, facilè concedebatur dispensatio, vt aliqui minimè peccarent, licet ad templum non ascendissent. At verò celebritas paschalis, & septem diebus celebrabatur, & in illa nemini dispensatio dari consueuerat. Vnde qui diem paschæ vel minimè dishonorasset, grauissimas non effugiebat pœnas. Sic Iudæi, quia sacrum paschatis diem, Christi Domini sanguine crudeliter effuso profanauerant, eam pœnam subierunt, vt paucis deinde annis recurrentibus, eandem Paschæ celebritatem proprio sanguine cruentarent, capti à Romanis, & extremæ internecione deleti; teste Iosepho lib. 7. de bello Iudaico cap. 17. vt nimirùm quo tempore tantũ, sacrilegium commiserant, eodem meritum exitium paterentur.

Iudæorũ tres maximæ solemnitates.

Solemnitas Paschalis apud Iudæos ex omnibus maxima.

Iudæi ob Christi crucifixionem à Romanis expugnati.

Diem Septimum, peculiari à Deo benedictione donatum legimus Genesis 2. *Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Vnde obsecro septimus dies, præ omnibus alijs hanc eximiam gratiam obtinere meruit? Equidem inde, quòd virtutis forma & exemplar fuerit: Nam vnus iste inter omnes hebdomadæ dies, vespere habuisse non dicitur. De alijs enim pronuntiat scriptura sacra: *factum est vespere & mane dies vnus: factum est vespere & mane dies secundus.* De die vero septimo, nihil eiusmodi commemorat sacra pagina, quia illi nihil vespertinum fuit admixtum; sed totus in mane transierat, vt nimirùm, argumento esset, virum perfectum nunquàm arbitrari debere, se perfectionis metam attigisse; sed in initio cursùs esse. Auctore Stephano Cantuariensi apud Gotfridum Tilman. in hunc modum discurrente. *Nota quòd dies septimus non legitur habuisse vespere, sed mane: quia homo, semper debet reputare, quòd sit in mane, & non in vespere, id est, in initio boni operis, & non in consummatione.* Causam reddit S. Bernardus Epist. 253. *quia vera virtus finem nescit.* Qua de re pulchrè Nyssenus libro de vita Moysis, seu de perfectione vitæ, ex præscripto virtutis institutæ, D. Pauli exemplum afferens, discurrit: *Perfectio in omnibus alijs, qua sensu percipiuntur, terminis quibusdam comprehenditur, in virtute verò hunc ab Apostolo perfectionis terminum esse didicimus, quod nullus in ipsa sit terminus.* Quippè cùm ille ipse Paulus, vir diuinus, & mente altissimus semper, ac iugiter per virtutem suum cursum intenderet, nec vnquàm ad maiora conscendere negligeret: non enim tutum illi erat à cursu desistere. Cur ita? quoniam omne bonum ipsâ naturâ, qua bonum est, non habet terminum, sed

Gen. 2.

Stephanus Cantuar.

S. Bernard.

Nyssenus.

contra-

contrarij operatione terminatur, vt vita morte, lux tenebris, & omnino bonum omne in eo desinat, quod ipsi contrarium esse intelligitur. Quare quemadmodùm vitæ finis, mortis initium est, sic cursus ipsius finis, qui secundùm virtutem est, vitiosi cursus initium inuenitur.

Non aberrabo si pari, imò & maiori benedictione hodiernam solemnitatem, à Deo perfusam esse dixero. Cæteræ enim festiuitates, mane vesperi permixtum habent, quia post hanc mortalitatis viam euanescent; Pascha verò Domini, vespere caret, quia etiam in patria à beatissimis illis mentibus celebrari nunquàm desinet. Quoniam hac die sol non ampliùs occasurus exortus est: hac die Christus rediuiuus totius mundi Rex inauguratus, possessionẽ omnibus creaturis dominandi adijt, proclamante Euangelista: *regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Licet enim Christus, ante suam mortem, & resurrectionẽ, fuerit verus Rex, non totus tamen mundus eius iurisdictionem agnoscebat, sed sola Iudæa, acclamante prophetâ: *Notus in Iudæa Deus.* Psal. 75. At verò hodierna die, tori mundo Christi dominium innotuit, illometipso asserente: *Data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra.* Hac die ortus est sol indeficiens, vt hominem suo salutari radio, de tenebris peccatorũ educat. Hinc controuertunt Auctores, cur pascha non nisi plenilunio peracto celebretur à Catholicis? & respondet S. Augustinus Epist. 119. ad Ianuarium cap. 4. 5. & 6. vt ab hoc tempore homo ad Deum toto animo conuertatur. Bella equidem ratio: sicut enim sol Deum, ita luna hominem notat, perpetuæ mutationi & inconstantiæ obnoxium. Noluit itaque Saluator noster, à populo fideli suum pascha in plenilunio celebrari, quia tunc luna soli è diametro opponitur, & ideò nihil lucis obtinet in ea parte, qua cœlum respicit. Ne pariter homo Deo opponatur, & longè ab eo recedat: tunc enim cœlestibus deformissimus, mortalibus verò pulcherrimus videtur: quia abutitur lumine rationis, quod à patre luminum accepit, Dei oblitus, terræ solùm & terrenis bonis inhiando. Sed peracto plenilunio, tantam solemnitatem per Ecclesiam sanctam celebrandam proposuit, vt quemadmodùm luna post plenilunium, incipit redire ad coniunctionem cum sole, & quo magis ad solem accedit, eo quoq; magis in sui parte superiore ab eodem illustratur, & in parte inferiore, qua terram respicit, obscuratur: ita vt cùm tota fiat soli coniuncta, tota sursùm sit lucida, & versùs terram tenebrosa. Vt pariter homo per Christi passionem, & resurrectionem incipiat conuerti ad Deum, qui ante suis peccatis fuerat ab illo auersus. Quippè dùm homo se ad Deum conuertit, & terræ obuertit tergum, quia Deo subijcitur per humilitatem, eidemq; coniungitur per charitatem, cœlo lucet, & terræ absconditur, ab hominibusq; sæculi huius contemnitut, quia conuersatio eius in cœlis est.

Felix equidem homo, qui cum Christo resurgente, de sepulchro peccatorum surgere properat, quia Deo semel coniunctus, semper in sapientiæ eius lumine manet, sicut sol, neq; æmulatur lunæ inconstantiam, quæ quàm citò ad solem accedit, tàm citò etiam ab eius coniunctione recedit. Ad hanc perfectionis legem fidelis Abraham, vir ille egregius, qui secundùm cor Dei erat, se componebat miro modo; dùm post magna virtutum incrementa, tyronem, & incipientem in iustitiæ stadio se esse reputaret. Quod pulchrè voluit exprimere Deus, verba illa proferens Gen. 18. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum.* LXX vertunt. *Abraham puero meo.* ergonè pueri nomen, homini centum annorum quadrare potest? ita sanè: quia Abraham magnâ alacritate post egregios virtutum profectus, velut puer ad denuò proficiendum semper incipiebat. Sic censet D. Ambro. lib. 2. de Abraham cap. 6.

Luc. 1.

Psal. 75.

Pascha post pleni lunio cur à Catholicis celebratur.

Gen. 18 LXX.

S. Ambro. cap. 6. inquiens : *Senilis*, inquit, *ætatis Abraham, superius scriptura significauit, cum nonaginta & nouem processisset annos, quomodò nunc puerum dicit? sed cùm immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit; nonne conuenire nomen pueri videtur? officijs meritò puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam, & obsequium deferebat.* Quid loquar de Dauide? qui post tot in virtute factos progressus, cor nouum, & rectum à Deo Spiritum efflagitabat. *Cor nouum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Ergonè illi hæc deerant? minimè quidem, sed veteranus ille miles, tyronem se in Dei disciplina profitebatur, & quotidiana puritatis innouatione indesinenter innouari cupiebat. Vt argutè ponderat Gregor. Nazianz. orat. 43. Gregorius Nazianz. *Quid*, ait, *diuinæ quoq; Dauid, cor mundum in se creari, ac spiritum rectum in visceribus innouari postulat, non quòd non habeat (quis enim habere possit, si tantus vir eo careat) sed quòd pro nouo id ducat, quod nunc quotidiè accrescit.* Quid de Moyse referam? qui licet quotidiè cum Deo colloquebatur, eius tamen faciem nouo animi ardore denuò videre desiderabat, vt fatetur Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis. S. Grēgor. Nyssenus. *Tot*, inquit, *tantisq; sublimationibus elatus, adhuc tanquàm famescens, ac sitiens, tanquàm eo carens, quo semper fruebatur, vt videat.* Sicut igitur dies hodiernus à sole indeficiente illuminatus vespere caret; ita Redemptor noster, à nobis hoc vnicum requirit, vt postquàm hodiè à lapsu peccati surrexerimus, non amplius in animo nostro vesper iniquitatis appareat.

Dies Paschæ felicissima. Digna est præterea hodierna solemnitas, magni diei titulo: quia ex omnibus felicissima censetur, cùm hac die, & ipsemet rediuiuus Saluator, Filius æterni Patris, toti mundo proclamatus sit. Licet enim Christus semper fuerit æterni Patris Filius, tamen in resurrectione, postquàm eius voluntatem perfectissimè impleuit, peculiari ratione, ab ipso Patre Filius & agnitus & appellatus est. *Filius*, inquit, *meus es tu: ego hodiè genui te.* Psal. 2. Psal. 2. Super quem locum D. Ambrosius lib. 3. de Sacram c. 1. dicit: *Pulchrè Pater dicit ad filium, ego hodiè genui te, hoc est, quando redemisti populum, ad cœli regnum vocasti, quandò impleuisti voluntatem meam, probasti meum te esse filium.* S. Ambro. Considerate æterni Patris in genus humanum charitatem, qui naturalem sibi filium, tunc quodammodo recognoscit, quando sibi plures filios adoptiuos lucratus est, vt præclarè idem S. Ambrosius in Psal. 40. ad illa verba: *Me autem propter innocentiam suscepisti*, de Christo ad cœlos redeunte, & Patrem alloquente interpretans discurrit: Psal. 40. *Suscepit*, inquit *eum resurgentem: quia nulla eum offensio prolapsionis aspersit. Vnde dicit & Pater, Filius meus es tu, ego hodiè genui te, hoc est, generationis meæ in te priuilegium recognosco, quem nullæ maculæ potuit inquinare peccati. Inter peccatores versatus es, peccata omnium suscepisti, peccatum pro omnibus factus es; sed nullus vsus ad te potuit transire peccati. Ita inter homines versatus es, quasi inter Angelos versareris: Fecisti terram esse, quod cœlum est; vt & ibi peccatum tolleres. Hodiè te genui, in quo complacui. Probasti te filium, quia implesti in omnibus patris voluntatem.* Idem qui supra. Magnæ igitur felicitatis fuit dies Resurrectionis Dominicæ, quia mundus Christum, quem antea solùm hominis filium esse putabat, verum, consubstantialemque æterni Patris Filium, proclamatum audiuit & agnouit.

An non maxima felicitas in hodierna solemnitate & ipsis hominibus euenit? dùm se eis rediuiuus Saluator præsentem exhiberet, quasi non amplius ab eis diuellendus. Difficilè est inter salsos Oceani fluctus venam aquæ dulcis inueniri, sed longè difficillimum inter homines reperiri virum ita fidelem, cui tutò omnia tua concredere possis. Hinc suam felicitatem deprædicabat D. Gregor. Nazianz. quòd Athenas studiorum S. Gregor. Nazianz. cum S Basilio Athenis studuit.

causâ

causâ profectus, inueniſſet optimum ſodalem & amicum, quo familiariter vteretur, videlicet Magnum Baſilium in eadem Academia pariter diſcentem. Ita enim fatetur ipſemet in oratione funebri, in laudem Baſilij to. 1. orat. 20. *Athenas*, inquit, *mihi verè aureas, bonorum parens ingreditur Baſilius. Nam illa mihi hominem, non illum quidem ante ignotum, ſed tamen plenius noſcendum præbuerunt. Ac doctrinam exquirens, beatitudinem reperi: mihiq; diſpari modo, idem quod Sauli accidit, qui patris aſinas quærens, regnum inuenit; pluſq; in ea re, quam obiter agebat, quàm in ea, quæ præcipuè ipſi curæ erat, lucrifecit.* Vbi vnius boni viri ſolatium, cum regno non immeritò componit, quòd ditior ac felicior non ſit, qui regno, quàm qui vno optimo ſodali vtitur. neq; mirum, quòd S. iſte Doctor, tàm impensè commendet ſuum cum Baſilio congreſſum: quia ſicut vnicus fingitur à Pòëtis Alphæus, dulcis fluuius per mare fluens: ſicut à Philoſophis vnicum animal in igne, quo omnia conſumuntur, ſaliens, refertur Salamandra; ita D. Gregor. Nazianz. inter tot vitia, quæ Athenas peſtilentes reddiderant, ſolum Baſilium innocentem aduertit, qui vitiorum quidem turmis cingi potuit; ſed non dirui: obſideri; non expugnari. Circumſtabant vndiq; marini fluctus, hoc eſt, peſſimi mores; at intus in Baſilij & Nazianzeni domicilio fluuiales aquæ, hoc eſt, ſuauiſſimæ virtutes affluebant. Circumſtrepebant flammæ, totumque in orbem habitaculum effrenatę concupiſcentiæ circumibant, in Nazianzeno tamen ex optima cum Baſilio familiaritate, intus mira omnium appetituum temperies vernabat, & ſingularis omnium virtutum amænitas cernebatur. Res prorsùs ſtupenda, inter corruptiſſimos mores, integerrimos conſeruare. Quis enim vnquàm æger ex conſortio cum ſano, ſanitatem contraxit? equidem nemo. Et tamen ſanus ex familiaritate cum ægro, ſæpiſſimè contrahit ægritudinem. Integra & ſolida poma, iuxta corrupta & vitiata putreſcunt; hæc verò, iuxta illa minimè reparantur. Ita planè inquit citatus Nazianz. *faciliùs eſt vitium contrahere, quàm virtutum impertire; quemadmodùm etiam faciliùs eſt, morbo alieno inſici; quàm ſanitatem largiri.* En quanta felicitas hominum, rediuiuum Saluatorem ſpectare, qui ab ipſa ſuâ gloriosâ reſurrectione, arctam cum filijs hominum amicitiam iniuit, vt iam non ſeruos, ſed amicos ſuos nos eſſe velit, inquiens: *iam non eſt is hoſpites & aduenæ, ſed ciues Sanctorum, & domeſtici Dei. Imò proteſtatur ſe non amplius homines deſerturum. Ego inquit vobiſcum ſum, vſq; ad conſummationem ſæculi.*

Sed quid dico, ſummam homines felicitatem adeptos in die Reſurrectionis? dicam amplius, etiam in ipſos mortuos felicitas hæc defluxit, qui die Reſurrectionis Chriſti, priſtinæ vitæ reſtituti ſunt. vt docet S. Maximus homil. 2. de feſto Paſchæ: *Reſurrectio*, inquit, *Chriſti defunctis eſt vita, peccatoribus venia, ſanctis gloria.* Poſtquàm enim Saluator noſter, ad horam nonam in cruce pendens, & voce magnâ clamans emiſit ſpiritum, dicit ſacer Euangeliſta Matth. 27. *Monumenta aperta ſunt; & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt.* Sedulò hic inueſtigant interpretes, quoniam veriſimile eſt, neminem ex defunctis ante Chriſtum (qui futurus erat primogenitus mortuorum) reſurrexiſſe, vt docent Origenes, S. Hieronymus, & Beda, ad quid ſtatim poſt Chriſti mortem, aperta fuêre ſanctorum monumenta, ſi ſtatim reſurrecturi non erant mortui? Et reſpondet S. Hilarius Can. 33. in Matth. quia poſt mortem Chriſti, per eius glorioſam reſurrectionem, defuncti ad vitam reuocandi erant. *Statim*, inquit, *poſt Chriſti mortem, quâ conſummata eſt redemptio, mouetur terra, quia capax huius mortui eſſe non poterat. Et monumenta aperta ſunt: erant enim mortis clauſtra reſerata. Nimirùm terra vt primùm Dominum ac Deum ſuum vidit defunctum, præ reuerentia contremuit, quia*

Gregorius Nazianz.

A Pòëtis Alphæus fluuius, & à Philoſophis Salamandra in igne viuere fingunturs.

S. Gregor. Nazianz.

Chriſtus à die Reſurrectionis arctam cum hominibus amicitiã contraxit.

S. Maxim.

Matt. 27.

Monumenta Sanctorũ ad quid poſt mortem Chriſti reſerata

S. Hilari.

quia capax huius mortui in sinu suo excipiendi esse non poterat; reuerenti nihilominùs obsequio, apertis sanctorum sepulchris profundè biabat, statimq; à morte Christi aperta sunt monumenta, hoc est, domus mortis. Quoniam enim per peccatum mors regnabat in mundo, maximè conueniens erat, vt quàm primùm significaretur sepulchrorum apertione, merito passionis ac mortis Christi, victoriam de morte reportatam esse. Vt ingeniosè obseruat S. Ambrosius lib. 10. in Lucam. *Monumentorum*, ait, *reseratio, quid aliud, nisi claustris mortis effractis, resurrectionem significat mortuorum.* Sanctus autem Leo Serm. 13. de Passione, hanc rationem assignat, vt per illam *monumentorum reserationem*, firmaretur in animis credentium, indubitata spes futuræ corporum resurrectionis. *Monumenta*, inquit, *aperta sunt, vt appareant nunc quoq; in ciuitate sancta futuræ resurrectionis indicia.* In Christi igitur morte, terra insolenti concussione contremuit, saxa horrisono fragore scissa sunt, præuiæ tenebræ pauidum timorem incusserunt. In tanta autē orbis mæstitiâ, vbi primùm Christus expirauit, & morte suâ mortem deuicit, statim monumenta aperta sunt, non vt corpora illa Sanctorum tunc resurgerent, sed in resurrectionis Dominicæ signum, & resurrectionis nostræ præsagium: vt appareant nunc quoq; in ciuitate sancta futuræ resurrectionis indicia. Dùm igitur funesto tristissimè luctu apertum est sepulchrum sepeliendo Christo, simul quoque aperta fuêre sepulchra Sanctorum, qui diu inibi humati atq; conditi iacebant, vt istiusmodi prodigiosa sepulchrorum apertio, Dominicam Resurrectionem iam tunc gaudenter præsagiret, & rediuiuas de sepulchris glorias prænuntiaret. Ergo nunquàm antea maior felicitas mundo contigit, quàm in resurrectione Domini, vbi tot inenarrabilia beneficia, non solùm viuis; sed etiam defunctis Christus contulit.

Pulchrè hanc beneficiorum exuberantiam, die resurrectionis mundo collatam à Christo, figurabant duo illi pueri, vnus ab Elia, alter ab Elisæo; alio tamen atque alio modo, alter ab altero, ex mortuis ad vitam reuocati. Elisæus quippè Sunamitidis filium suscitaturus, ita se cum eo gessit, vt ad illius paruitatem sese effingeret, teste Sacrâ pagina 4. Reg. 4. *Et ascendit, & incubuit super puerum, posuitq; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri.* At verò Elias, non se incuruauit, imò potiùs extendit, & exporrexit sese super puerum, quasi illum magnitudini suæ parem facere vellet. 3. Reg. 17. *Et expandit se, atq; mensus est super puerum tribus vicibus.* Quid hæc sibi volebant? equidem benignissimi Dei diuersum cum mundo procedendi modum, vt sic in vtroque vate; Deus optimus, ac beneficus, pro temporum diuersitate, nunc magna, nunc maiora dilectionis suæ indicia exhibens, significaretur. In Elisæo quidem, dùm patribus antiquis agglutinatus est Deus, ad ipsorum paruitatem sese accommodans, & noua beneficia illis conferens: in igneo verò Propheta Elia, atq; idcirco illius typo, qui dixit: *Ignem veni mittere in terram.* Lucæ 12. figurabatur Deus liberalissimus, qui in sua glorioſa resurrectione, innumera sua beneficia tàm in viuos, quàm in mortuos effusurus erat. Quia hac die charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: quia rediuiuus Saluator expandit se, atq; mensus est, & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, vt per patibulum crucis expressum, terris omnibus pluuiam salutis effunderet. Deus itaque antiquis illis temporibus ad modum Elisæi, oculos, manus, & os, supra puerilis illius populi, manus, oculos, & os ponens, abbreuiabat se, parciùs sua beneficia cōmunicando. At verò in glorioſa Christi resurrectione, iam se totus Deus expandit super puerum, id est, super mundum, & charitas Dei diffusa est in cordibus nostris:

A Elias & Elisæus diuerso modo pueros mortuos resuscitarunt.

4. Reg. 4.

B

3. Reg. 17.

C

Lucæ 17.

D

stris: quia omnia sua beneficia in humanum genus effudit: quoniam Christi resurrectio, defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis gloria. Hæc est mens D. Bernardi in Declamationibus, vbi super illud. *Ecce nos reliquimus omnia*: ita discurrit.

S Bernard. *Antiquorum sanè Patrum diebus, donec in terris videretur, & conuersaretur, inter homines Dominus Maiestatis, non erat Euangelicæ forma perfectionis, sed Spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur. At vbi verbum caro factum est, & habitauit in nobis, iam nobis in eo tradita est imago vitæ, & conuersationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroq; sequentes vestigio, non vltrius cum patriarcha Iacob, altero femore claudicemus.*

Deniq́ue, magni diei titulum hodiernæ solemnitati deberi, ex eo constat, quia est lætitiæ plena, proclamante Regio vate Psal. 17. *Hæc*

Psal. 17. *dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea* Quis enim hodiè, non summâ lætitiâ gestiat, Christi resurrectionem piâ contemplatione recogitans. Hæc enim resurrectio, humanam in corporibus nostris exuet mortalitatem, & beatâ immortalitate benè merentes, æternùm munerabit. Hinc resurrectionem Christi, felici ambitione Rex & Propheta Dauid expectabat, vehementerq́ue exoptabat: dùm Nathan Prophetæ minis attonitus, & de pænitentiæ mæstitudine erectus, ita alacer ad Deum

Psal. 50. clamaret: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.* Psal. 50. Quasi diceret: minaces Prophetæ voces auribus meis obstrepunt, seuerioris supplicij metum assiduè incutiunt; sed etiam nunc mihi tribue gaudium ac lætitiam, cum mea contritio, & regiæ potestatis humiliatio, tibi satis sit. Vnde quæso Dauidi, spe minimè fallaci, exultatio in futuris bonis ingeritur? quâ spe exultabunt ossa humiliata? nimirum, quia per peccatum confractæ animæ vires, vigorem ac firmitatem per Christum rediuiuum accipiunt, vt doctè Anonymus in Cate-

A na commentatur. Sed magis appositè ad rem præsentem Græci patres, in Commentario super citata verba sic exponunt. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, significat inquiunt: docebis me; vt habetur in Canticis: Fac me audire vocem tuam, siue audibilem mihi redde lætitiam, quæ extremis temporibus futura est.* Et quænam hæc est extremis temporibus futura lætitia? Respondent prædicti Patres: est notitia resurrectionis, in qua exultabunt

B ossa humiliata, & per resurrectionem, tanquàm herba exurgent. En quanta lætitia ex glorioſa Christi resurrectione, vt pijssimus Dauid regiæ potestatis humiliatione abiectus, piè ambitioso pœnitentiæ squalore confectus, & paccati mæstitudine funestus, à tot ærumnis leuamen expetens, ac tot lugubres mæstitiæ causas lætus excutiens, Dominicæ resurrectionis notitiam sibi cœlitùs suggeri exambiret. *Auditui*, inquit, *meo dabis gaudium, & lætitiam Quæ porro hæc? vtiq; notitia resurrectionis, in qua exul-*

C *tabunt ossa humiliata.* Tot profundè dolendi causis calamitosè immersus Propheta, nil ad excutiendam â se tristitiam potentius agnoscebat, quàm Dominicæ resurrectionis notitiam, quâ Redemptoris humiliata ossa exultatura, prophetico Spiritu prospiciebat. Sed nonne ad amplioremveniæ spem, opportuniùs experijsset Dominicæ passionis notitiam, qua peccatorum redemptio peracta est? quæ gratias peccatoribus adspirat, &

D in retroacta sæcula miro modo regerit? minimè: nam passio Saluatoris, spei quidem vigorem ingerit; at verò Resurrectionis notitia, festa cumulat gaudia, quæ in omnes fideles vberiùs exundant. Idcirco Dauid ante tot retrò sęcula, de Dominicæ passionis balneo, sui flagitij maculas eluebat; de Dominicæ verò resurrectionis lætitiâ gaudium adornabat, quo tot mæstitiæ causas lætus excuteret. vt hinc addiscamus, nullam festiuitatem Christi resurrectione esse lætiorẽ, in qua populum fidelem, magis exultare, & pio gaudio intensiùs perfundi oporteat.

Dicam amplius,& ipsa inanimata, vitâ ac sensibus destituta, in omnem hodiè effusa lætitiã gestiunt. Terra quippè in centro vniuersi immobiliter fundata, vbi sepulchro adesset, festinata mulierum pietas, post exhibitæ sepulturæ triduum tremuit, & horrendo motu concussa est: *Ecce terræ motus factus est magnus.* Obstupescite! quòd enim Christo Deo atrociùs in cruce patibulato, terra mota fuerit, qui terræ motus fuit vniuersalis, maximus, & vehementissimus, ita vt totus terræ globus è centro suo conquassatus, & conuulsus contremuerit, non mirum. Quia illo insolito motu altè significabatur, naturalis quasi terræ sensus in opificis sui morte, & in sacrilegum inhumanè scelus à Deicidis comissum. Turbabatur enim tunc terra, & horrendè contremiscebat, in visceribus suis sepeliendum Dominum exceptura, præbituraque Deo sepulturæ locum. At verò in glorioſa Christi resurrectione, vtquid pariter terra contremiscit? Respondet S. Bernardus, id factum fuisse ob lætitiam Dominicæ resurrectionis. *Ecce*, inquit, *terræ motus factus est magnus: iam enim desinebat, quod de terra erat, in terram redire, & tendebat in cœlum.* In læto igitur Resurrectionis triumpho, terra Christo rediuiuo exultim applaudebat, illiq; rediuiuo lætanter gratulabatur, quòd antiquo terræ rescisso priuilegio, cui omnes hactenùs obnoxij eramus, licet Adæ filius esset, & inde è matrice terrâ formatus, Christus non redierit post mortem in terram, sed perrexerit è terra in cœlum. Sicut ergo terra in acerba Christi morte, terræ motu horrisonè rauco, seipsam funestauit, ita pariter in eiusdem resurgentis festiuâ gloriâ, simili terræ motu concussa exilijt, & lætanter exultauit, Resurrectionis victoriali triumpho, velut tripudijs applaudens. Quia vt dicit S. Bernardus: iam desinebat, quod de terra erat, in terram redire, & tendebat in cœlum.

Christo moriente totus terræ glob⁹ contremuit.

S. Bernard.

Quare, cùm solemnitas hodierna sit omnium maxima, vtpotè omnibus referta benedictionibus, & perpetuis temporibus, etiam in cœlo à Beatis mentibus, magnâ veneratione peragenda. Cùm sit felicissima & ex parte Christi, quia hac die coram toto mundo, à Patre æterno Filius Dei proclamatus est; & ex parte totius vniuersi, quoniam Christi Resurrectio, defunctis est vita, peccatoribus venia, Sanctis gloria. Cùm sit lætissima, quoniam in Christi resurrectione, non tantùm resurrectionis nostræ felix præsagium; sed etiam pignus glorioſum accepimus. Meritò omnes lætari, & exultare debemus, quia Christi resurrectio, omnibus est salutaris, viuifica omnibus, vt eleganter S. Maximus hom. 3. de Pascha innuit. *Quisquis*, ait, *in Christi resurrectione lætatur, lætetur potiùs, quia in Christo ipse resurrexit. In Saluatore enim omnes resurreximus, omnes reuiximus, omnes ad cœlestia transmigrauimus.*

S. Maxim⁹

DIE II. RESVRRECTIONIS.

CONCIO PRIMA.

Et ipse IESVS appropinquans ibat cum illis.

Triplex comitatus sanctæ peregrinationis hodiernæ inducitur.

MIrabilem sententiam de Christo Domino pronuntiat Doctor gentium Diuus Paulus 1. Cor. 1. *Qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio, & redemptio.* Ex quibus verbis S. Damascenus lib. 3. de fide orthodoxâ, Anselmus lib. 1. cur Deus homo, alijq; Sancti Patres deducunt. Incarnationem Christi fuisse opus summæ

1. Cor. 1.

summæ misericordiæ: quia per illam liberatus est homo ab omnibus suis miserijs, & subleuatus est ad sum̃am dignitatem, nimirum, ad vnionem hypostaticam. Et insuper fuisse opus summæ iustitiæ: quia per illam facta est satisfactio pro debito peccati, de toto rigore iustitiæ, ita quòd Deus si esset capax obligationis, teneretur acceptare satisfactionem factã à Christo pro peccatis nostris: quia fuit infiniti valoris, & meriti, & soluit plus, quàm debebatur. Dicit ergo Paulus, Christum factum esse nobis, sapientiam, iustitiam, sanctificationem, & redemptionem, non solùm ideo, quia in illo sunt istæ virtutes formaliter; sed etiam effectiuè dicitur sapientia, iustitia, quia facit nos sapientes, iustos, sanctos, & redemptos. Sic post glorioſam suam resurrectionem fecit Apostolos sapientissimos, quia aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas: iustificauit illos, quia fugiendo tempore mortis peccauerant: sanctificauit illos, mittens Spiritum sanctificationis in eos: ac tandem redemit, ac liberauit à potestate tenebrarum. Cuius rei fundamentalem rationem habemus, quia per peccatum quatuor mala incurrimus. Primò, ignorantiam: quia homo per peccatum ad belluinã insipientiam deuenit, vt habetur Psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* proinde opus erat, vt Christus nobis fieret sapientia, illuminaretque errantem nostrum intellectum. Secundò, incurrimus iniustitiam: rei enim facti sumus læsæ maiestatis diuinæ, proinde opus erat, vt Christus nobis fieret iustitia, vt posset nos iustificare, quemadmodũ de illo dicitur Isaiæ 53. *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum portabit.* Tertiò, incurrimus instabilitatem, & inconstantiam in virtute, proinde expediebat, vt Christus nobis fieret iustificatio, vt de se ipsemet testatur Ezech. 37. *Scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israël, cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Quartò, deniq; incurrimus captiuitatem, & seruitutem diaboli, proinde summoperè egebamus, vt Christus nobis fieret redemptio. Hæc quatuor officia meruit Christus in sua passione, post glorioſam autem suam resurrectionem, his duobus discipulis, eundo cum illis, eadem manifestauit. Primò sapientiam: quia docuit illos ex scripturis, quòd oporteret Christum pati. Secundò, iustitiam ostendit: quia eos iustificauit, illuminando mentem ipsorum, vt crederent in eum. Tertiò, sanctificationem ostendit, dando eis corpus suum in cibum, quando accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. In quo multi ex Sanctis Patribus dicunt, quòd dederit illis corpus suum, sub speciebus panis. Quartò deniq;, ostendit redemptionem: quia suam resurrectionem probauit maximis argumentis, ita vt omnes discipuli dicerent: *Surrexit Dominus verè.* Quare & nos si volumus, vt Christus nobis suam sapientiam, iustitiam, sanctificationem, & redemptionem manifestet, sequamur spiritualiter euntem in Castellum Emmaus, quali verò comitatu nobis opus sit, discutiemus.

Triplicem comitatum, ad hanc spiritualem deambulationem, proponit nobis hodiernum Euangelium: primum Angelorum, qui mulieribus apparuerunt: *& nõ inuento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse.* Lucæ 24. Discurrunt Doctores Sancti, quotnam etiam Angeli ad sepulchrum Christi apparuerunt. Sanctus Matthæus vnius tantùm mentionem facit: *Angelus, inquit, Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Matt. 28. Sæua enim illa inuidiæ tempestas, ferina truculentiæ rabies, adhuc cruce dilaniato Christo inuidebat, nec cruore tanto poterat sopiri; sed post luctuosam etiam stragem perseuerauit ardere; sepulchro tradidit lacerum corpus, & funestum lapidem admouit, memoriæ exilium.

Ex peccato quatuor mala deſcendunt.

Pſal. 48.

Luc. 24.

Matt. 28.

Iſaiæ 53.

Ezech. 37.

Intrauit Dominus sepulchrum, vt resurrectionis augeret elogium, vt pæna redundaret ad gloriam, & feralitas cõmendaret omnipotentiam. Lapis iste, factus est resurrectionis fidei quodammodò fundamentum, qui gloria minabatur excidium. *Angelus ergò Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum* Quæ necessitas erat, vt Angelus insideret lapidi, cui neq; inest vlla lassitudo, nec premere potest ignauia, nec quietis eum recreat vsura? Equidem propterea Angelus reuoluit lapidem, vt videret iam vitæ titulum, qui vitæ testabatur occasum, vt ipsi resurrectionis gloriæ, aduolutum deseruiret quodammodò fundamentum, quod famæ, honorisq; præmuniebat sepulchrum. Sic censet Chrysologus Serm 75. inquiens: *Reuoluit lapidem: reuoluitur ad fidem, qui ad perfidiam fuerat aduolutus: reuoluit lapidem: vt idem esset vitæ titulus, qui acceperat mortis tenere custodem.* In saxo itaq; illo feralis inuidia, mortis insculpserat iura; sed reuoluit Angelus, & insculpsit tergo resurrectionis elogia, vt ab illo lapide, qui ad mortis fuerat iura tuenda constitutus, & vitæ, & famæ prodiret plausus. Desudauit hostilis labor admouendo lapidi, sed reuolutus est gloriæ stabile fundamentum, qui irreparabile famæ videbatur naufragium.

Angelus cur lapidem à sepulchro reuoluit.

Chysologus

At verò S. Ioannes, duos Angelos commemorat: *Maria*, inquit, *stabat ad monumentum foris plorans: dùm ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes.* Res stupenda, duo Mariam Angeli blandè allocuti sunt, ad sepulchrumq; videndum inuitârunt, cùm ad plantæ vetitæ vsum, matrem omnium Euam vnus allexerit, & clarissimis fallacijs illuserit, teste Sacrâ paginâ. Gen. 3. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem.* Cur duo Angeli, ad noxium arboris non alliciebant conspectum, aut vnus tantùm sepulchri non inuitauit ad

Gen. 18.

A visum: si Euæ serpentis afflata versutijs non solùm ad scientiæ arborem direxerit oculos; sed manus etiam extendit; cur MARIA vnico inuitante spiritu, vitale inspectura non accessit sepulchrum? ne miremini ipsa quæstio sufficienter sibi respondet: Eua quippe inuitabatur ad noxia; MARIA verò alliciebatur ad diuina. Respexit Eua arborem, de cuius aspectu oculis hauriret venenum; MARIA autem respexit, vnde vitam sugeret, vacuum sepulchrum. Cùm B ergo difficulter trahamur ad honesta; facilè verò allicimur ad humana; ideò sufficiebat vnus Angelus, vt Eua niteretur in vetitum; duo tamen requirebantur, vt MARIA reciperet castitatis collyrium. Hæc est mens Sancti Chrysosth. apud D. Thomam: *Quia enim*, inquit, *non erat excelsa mulieris mens, vt ex sudarijs perciperet resurrectionem, Angelos videt in lato habitu, vt & ipsa à passione mitigetur.* Plures ergo in sepulchro apparuerunt Angeli, quò facilius MARIAM docerent C resurrectionis mysteria; sufficiebat verò vnus Angelus, vt Eua perditionis inhiaret ad toxica: quia veluti innato impetu homines exambiunt caduca, & quodammodò naturali auersione refugiunt semper cœlestia. Adeò corrupti sunt mores, adeò despiciuntur sacrata, adeò habentur minimi profutura.

Cur Euam vnus Angelus decepit & Magdalenam duo ad sepulchrum inuitarunt.

S. Chrysos.

Duos Maria vidit Angelos, idq; in vestibus albis, in signum lætitiæ, quam ex resurrectione Saluatoris sortiti erant: Christi enim resurrectio, D clausam cœli portam reserauit, & non parum gloriæ beatis illis mentibus attulit, illas desolatas sedes, ex quibus detrusi erant rebelles spiritus, reparando ac sanctis animabus, quas secum rediuiuus Saluator cœlis induxit, adimplendo. Illud tamen forsan admirationem auget, cur isti Angeli in terras descenderint? nonne conuenientius erat, in illa empyrea sede, lætitiâ gestire, & de gloriâ resurgentis triumphum agere. Minimè equidem id fieri potuit: quia cùm Christus cõmunis omnium Redemptor,

ptor, cœliq; simul ac terræ pacificator esset, communis quoq; exultatio hominum, simul & Angelorum fieri debuit, vt sic mutua inter Angelos & homines amicitia, perfectaq; pristinæ pacis & concordiæ redintegratio, appareret. En quanta felicitas, dùm homines simul & Angeli inuicem gaudia miscent, mutuoq; inter se iucunda solatia partiuntur. Centenarius propè Abraham, cum nonagenaria Sarâ, desperauerat de futura prole: verùm subitò affuit Angelus in specie peregrini, qui mæstum consolaretur, & de diuina promissione certum redderet. Gen. 18.

Gen. 18. *Cui dixit: reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Res stupenda: dicit S. Paulus Rom. 4. quòd Abraham statim depulsâ omni dubietate, firmus Angelicæ promissioni adhæserit:

Rom. 4. *Qui*, inquit, *contra spem in spem credidit.* hoc est, contra spem rationis naturalis, contra spem carnis credidit omnipotentiæ diuinæ. Nam cùm Abraham tot annorum sterilitatem, & Saram iam effætam, etiam in iuuentute sterilem expertus esset, non fuit in ipso causa naturalis vlla, sperandi futurum filium, proinde in sola promissione acquieuit. Vnde addit S. Paulus: *& non est infirmatus fide:* ex hoc maximè laudans Abrahamum, quòd cùm sciret se per senectutem minimè idoneum esse ad generandum, infirmitatem tamen suam fide firmauit, vt crederet se posse per Deum, quod sciebat per naturam fieri non posse. Quia vera fides nihil naturæ considerat, cùm omnipotentem Deum cognoscat. Sic planè hodierna die descenderunt Angeli, tanquàm fidissimi comites nostri, vt omnem ex nece Christi obortam amaritudinem, ab animis depellerent, notóque de vera Christi resurrectione, omnimodâ certitudine firmarent.

Alterum comitatum proponit, sanctarum mulierum: *Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.*

A Magna certè pietas, magna fides istarum mulierum, Christum quærentium, nec tamen inuenientium. An quia tenebris nondum discussis, antequàm dies albesceret, itineri se commiserunt? Ita quidem videtur: nam & sponsa cœlestis, quia in nocte dilectum suum sponsum quærebat, minimè eum inuenire potuit. Canti. 3. *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum & non inueni.* Cantic. 3. vbi lectulus, non sumitur pro mollioribus delicijs: malè enim ibi B quæritur, & perditur potiùs, quàm inuenitur. Sed sumitur pro contemplationis otio, cui non se cœlestis sponsus facilè subtrahit. Nocte ergò quærens non inuenit: quia ad quærendum clarâ diei lux opportunior affulget, quæ quod quæritur, prodat: nam tenebrarum lenocinium, latendi arbitrium est, non publicandi artificiũ. Sed erro: qui enim per noctes quærit, non tàm mihi videtur aspectus, quàm amplexus sectari. Tenere magis optat, quàm intueri. Bona C quidem visio est; sed abhæsio melior, quia arctior: nam qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum illo. Ergo ad quærendum Deum, meritò sponsa respuit diem, & noctes experijt, vt illi tantò firmiùs adhæreret. Pulchrè id elucidat Gilbertus Serm. 1. in Cantic. *In lectulo*, inquit, *meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Gilbertus. *Quid si ad inuentionem dilecti & nox operatur? cooperatur planè, & accommodatè satis sicut in lectulo sanctæ quietis accipitur otium; sic obliuionem quandam intellige in nocte.* D *Virumq; sapientia & contemplationis negotio opportunitatem ministrat.* Sed ideò potiùs sponsa cœlestis nocte quærens minimè inuenit; quia in plateis illum quæsiuit. Sic enim pergit, studio sui sponsi quærendi & inueniendi stimulata: *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.* Significans se quæsiuisse sponsum in suburbio, in angiportubus, in vicis, in foris, in plateis, vbi esse solet hominum turba. At in frequenti turbâ non inuenitur cœle-

Christus in frequenti turba non inuenitur. Cantic. 3.

cœlestis ſponſus, qui amat ſecretum, & ſolitudinem. Fruſtra per vicos, & plateas quæritur: quia Chriſtus non eſt circumforaneus. Chriſtus pax, & concordia eſt; in plateis verò ac foris, litigiorum contentiones. Chriſtus ſumma iuſtitia eſt; in foro iniquitas, & ſcelerum tumultus. Chriſtus fides eſt, in foro fraus & ſubdola perfidia. Chriſtus ſedulus operator eſt; in foris & plateis, deſes otium, quod ore multum iniuriarum, & obtrectationum negotium vſquequaq; faceſſit. Audite S. Ambroſium lib. 3. de virginibus, citatum locum ita exponentem. *Fugiamus ergò forum, fugiamus plateas. Non enim iniuria tantummodò eſt non inuenire, quem quaras, ſed etiam plerumq; vbi non oportet quæſiſſe, vulnus eſt: quæſiſſe in domibus virorum, qui ſibi falsò Doctorum nomen aſſumunt; quæſiſſe procaciùs, quàm verecundiùs.* Ergo iſtarum mulierum nocturna licet peregrinatio, ad quærendum IESVM, ſat pia & laudabilis; quia mundo corde doloris pariter & amoris pleno, Chriſtum ibi quærunt, vbi mortuus repoſitus erat.

S. Ambro.

Ponite vobis ante oculos Mariam Magdalenam, pio erga IESVM affectu incenſam, hæc ad primum Chriſti conſpectum in ſpecie hortulani apparentis, audacter de corpore eius ſciſcitari cæpit: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum; & ego eum tollam.* Ioan. 20. O mulier! vnde tibi tantum animi? tantum audaciæ? Quid ſi audiueris, corpus illius eſſe in domo Caiphæ, Principis Sacerdotum? aut in domo Herodis, vel Pilati? irrueſne per armatas cohortes in illa palatia, numeroſo ſatellitum agmine vndequaq; munita? vt corpus IESV tollas? Intrepidè, & animo imperterrito dicit: *Ego eum tollam*: ita enim Chriſtum amabat, vt pro illo mori parata eſſet. Exclamat Origenes: *O admirabilem huius mulieris affectum, quæ ſine timore dicit: ecce ego eum tollam. Non excipit locum, quæſitura vbiq;.* Quod ſi magnis celebrabatur laudibus inuicta Ruth, quæ iuſſa redire ad tumultuoſam patriæ

Ioan. 20.

Origenes

ſuæ requiem, cõnſtanter tamen pergebat in Bethleem, & per longas viduitatis ærumnas, per ſummam egeſtatem, per æſtuantem ſpicilegij laborem, per famem, ac ſitim, per exiliũ, per Hebrææ gentis inuidiam, & ardua quæq; ibat ſtrenuè alacris, Deum in Dei populo quærens. Quis Magdalenam, cum pio aliarum mulierum comitatu IESVM quærentem, non laudabit? Per quam altiſſima Dominicæ reſurrectionis myſteria, Apoſtolis & toti fermè populo denuntiata fuêre. *Venit Maria Magdalene, annuntians diſcipulis: quia vidi Dominum.*

Tertium tandem comitatum piæ deambulationis hodiernæ, deſcribit ſacrum Euangelium: *Et ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis* Luc. 24. Felix certè comitatus, in quo non de mundi vanitatibus, ſed de ſola Chriſti paſſione miſcentur colloquia. Dicebant diſcipuli illi, qui cum Chriſto iam loquebantur, & quorum ille oculos tenebat, in confidentiâ, ne eum agnoſcerent: *Nos autem ſperabamus quia ipſe redempturus eſſet Iſrael.* Lucæ 24. Quid eſt, ergo nunc non ſperatis, ſed ſperabatis? Quam ob cauſam? ſi quia venditus, quia captus, quia crucifixus, quia mortuus. Audite Origenem ingeniosè ad hæc omnia reſpondentem: *Si non ſit crux, non exuuntur Principatus, & poteſtates, non triumphantur in ligno crucis: ſi non fuiſſet mors Chriſti, vtiq; nec reſurrectio fuiſſet, nec reſtitiſſet aliquis primogenitus exfilijs.* In ipſamet igitur cruce, in ipſamet deſperatiſſimâ morte, in ipſamet contumeliâ ſaluatio ſtetit, & redemptio; atq; ideo ſperare debebatis, quia ſecundùm veſtrum iudicium, redemptioni contraria videbatis: nam proprium Dei eſt, eiuſque potentiæ diuinæ, armis vincere contrariorum, & debellare. Sic quondam humilis Dauid, non alijs armis caput obtruncauit inimici, niſi eius gladio, eiuſq; enſe 1. Reg. 17. *Cumq; gladium non haberet Dauiid, cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſtbæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina ſua, & interfecit eum, præciditq; caput eius.* Quis

Luc. 24.

Ibidem.

Origenes

4. Reg. 17.

vnquam

vnquàm procedere videns Dauid ad pugnam sine armis, sine ense, credidisset caput præcisurum Philisthæi, etsi eum occisurũ putasset in funda, lapideq; possibile; & tamen occidit, truncauit, caput abstulit, non suo, sed inimici ense, quem conditum sapientia diuina in ipsamet tenebat inimici vaginâ, vt inde ad eum occidendum, ipsum extraheret Dauid. Ergò pariter religiosi Christi discipuli, adeò constanter firmiterq; eius tenere debebant promissa, vt quantumlibet affectus contrarios aspicerent, minimè tamẽ turbarentur, nec euentum desperarent.

Hoc insinuare voluit Christus, dùm illis dubitantibus respondet: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Premite ista verba: *hæc oportuit pati*: vt enim non absolutè, sed posito æterni patris decreto, & Prophetarum prædictione; oportuisse pati Christum agnoscamus, verba hæc posuit. Nihilominus tamen his positis, omninò expediens fuit ipsum pati. Vnde non alio verbo, quàm *pati* vti voluit Dominus, vt intelligeremus, reapsè, & verè cruciatuum mortisq; dolores ipsum persensisse, nec se aduersùs illos diuinitatis clypeo, vt insensibilis euaderet, communisse. Vnde quidem, intra alia passionis Christi mysteria, illud signatissimum haberi debet, quòd non solùm timere, & tristari, vt verum hominem se ostenderet, quemadmodùm D. Hieronymus, Beda, Euthymius, & Theophylactus ad caput 26. Matt. expendunt; sed etiam sanguineum sudorem, emittere, siue verum sanguinem sudare voluerit Lucæ 22. vt in rei veritate pati, & dolores, tanquàm hominem passibilem se persentire ostenderet, sapienter id obseruante Iustino Martyre in Dialogo cum Tryphone: *vt sciremus*, inquit, *Patrem voluisse hæc quoque filium pati propter nos, ne dicamus, quòd ille cùm esset Dei Filius, paruipenderet, quidquid sibi accideret.*

Iustinus Martyr.

Premite & alteram particulam: *ita intrare in gloriam suam.* Si enim sua erat illa gloria, vnde necessitas taliter in eam intrandi? Profectò inde, quia glorioſiùs est gloriam mereri, quàm sine meritis accipere. Hinc egregiè S. Irenæus lib. 4. aduersùs hæreses cap. 27. illis, qui dicebant consultiùs fuisse, si Deus Angelos, & homines fecisset impeccabiles, ac proinde sine meritis glorioſos, ita respondet. *Sic autem, nec suaue eis esset, quod est bonum: neq; pretiosa communicatio Dei, neq; magnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio metu, & cura, ac studio prouenisset; sed vltrò, & otiosè insitum.* Moxq; inferiùs hunc suum discursum concludit: *Pretiosam arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur, sed non vltrò coalitam. & quando per agonem nobis aduenit, tanto est pretiosior.* Hinc ergò necessitas Christi passionis, vt scilicet hac gloriâ non careret, id est, merito; sed vt ex vnâ gloriâ, in aliam transiret, nimirùm ex passione, quæ est gloria humilis, sed meritoria ad aliam purè glorioſam. Hinc Origenes illa verba cantici Exodi 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* de Christo ita exponit: *gloriosè honorificatus est.* Ostendens, aliud esse glorificari, aliud gloriosè glorificari: docetq; Christum in passione fuisse glorificatum, vt per illam, multò magis glorificaretur postea; proindè vt quàm perfectissimo modo, glorificaretur Saluator noster, oportuit, vt priùs pateretur, vt sic de gloria in gloriam ob merita transiret. *Aliud est*, ait, *glorificari, aliud gloriosè glorificari: nam Dominus meus Iesus cùm carnem ex Virgine Maria pro salute nostra susceperit, glorificatus est quidem, non tamen gloriosè: quia dicitur de ipso, vidimus eum, & non habebat speciem: glorificatus est, & cùm ad crucem venit; verùm hæc gloria non erat glorioſa, sed humilis: verùm quia oportebat hæc pati Christum, & sic intrare in gloriam suam, ideò tunc gloriosè glorificabitur, cùm venerit in gloria Patris iudicare terram.* Egregiè sanè: oportebat pati priùs, & per passionem glorificari, vt ex hac glorificatione, veluti dispositione aptâ, ad glorioſam transiret glorificationem, vt hanc

S. Irenæus.

Exodi 15.

Origenes.

non gra-

non gratis, sed ex iustitiâ, sed ex merito acciperet, vt illam haberet gloriam quæ per agonem acquiritur.

In quam sententiam, egregium protulit multis retrò sæculis vaticinium, magnus Patriarcha Iacob, dùm Christum Dominum, quem sub personâ filij sui Iudæ considerabat, sic alloqueretur: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, acquiescens recubuisti, vt Leo.* Quæ verba de Christi resurrectione, & regno, nimirùm gloriosa eius nominis exaltatione, communi Patrum & interpretum consensione accipiuntur. Ne verò intelligas diuinum hunc Leonem, eam gloriam, quasi rapinam, aut prædam venatum fuisse, aduerte in Hebræo, vt subtiliter notat Pagninus, non legi, *ad prædam ascendisti*, sed potiùs *è præda ascendisti.* Quod magis adhuc explicat Paraphrastes Chaldæus, ita transferens: *Quoniam de iudicio mortis, animam tuam abstuliſti fili mi.* Hoc ipsum comprehendit D. Paulus illis verbis: *Humiliauit semetipsum vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Vbi ex triplici hac diuersâ lectione, ea conficitur expositio, è vitæ prædâ, quam mors ex Christo Domino cepit, ipsum ad glorioſissimam prædam gloriæ Patris, & sui nominis, in toto terrarum orbe exaltationem ascendisse, non secus, ac leo, belluarum fortissimus, qui vt venationi insidietur, vt velociùs fortiusq; ad prædam assurgat, priùs se demittit, & incuruatur. Ita planè Christus, priùs se ad ignominiosam crucis mortem demisit, vt nominis sui claritatem & exaltationem obtineret.

Pagninus.

Chaldæus.

Habetis igitur triplicem hodiernæ piæ deambulationis comitatum, primò, Angelos: quia lætitia ex Christi resurrectione orta tàm Angelis, quàm hominibus communis est. Secundò, mulieres deuotas, vt ab his etiam viri ad deuotionem, & piam Christi inquisitionem instrui, ac excitari non erubescant. Demùm ipsùmet Christum cum discipulis peregrinantem, vt quamdiu in hac mortali vitâ peregrinamur, cum in omnibus nostris actionibus, præsentem esse cupiamus, more Apostolorum illum alloquendo: *Mane nobiscum Domine, quoniam adueſperascit.* Amen.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Oculi eorum tenebantur, ne agnoscerent eum. *Lucæ 24.*

Christus in resurrectione est abyssus incomprehensibilis.

MAgnus ille Philosophorum Chrysippus, doctrinæ atq; ingenij laude celeberrimus, dùm circa voraginem quandam obambularet, in quam summo impetu creberrimi vndequaq; fluminum riui confluebant. Inuestigare volens tantæ profunditatis causam, quæ fluuiorum alluuiones absorbebat, nec tamen vllis aquarum inundationibus adimpleri posset. Difficultate superatus, cùm sublimi & sagaci suo ingenio, occultissimam quæsiti rationem perscrutari non valeret, se sc præcipitem in bararhrum illud dedit, inquiens: *O abysse, cùm ego te capere non valeam, tu me recipe.* Certè cùm ego hodiè altissimum Dominicæ resurrectionis arcanum intueor, gentibus adeò creditu difficillimum; vt licet Pythagoras, Socrates, & Plato, animarum immortalitatem cognouerint, corporum tamen resurrectionem nequaquam sibi persuasisse patiebantur. ideoq; cùm Paulum apud Agrippam Regem, & Proconsulem Festum, mysterium Christi resurrectionis annuntiantem audirent; insanum iudicauerunt: *Insanis*, inquit, *Paule, multæ literæ te ad insaniam conuertunt.* Nec gentilibus tantùm, sed ipsis etiã Apostolis Christi resurrectio fabula & figmentum quoddam videbatur. Cùm enim sanctæ illæ mulieres nuntiassent Apostolis, Christum resurrexisse, inquit Euangelista: Putabant esse deliramenta, quæ dicebantur. Quoniam igitur tanto arcano humanus

Chrysippus.

Lucæ 14.

nus intellectus adeò superatus est, vt etiam sapientissimo cuilibet somniũ quoddam esse videatur, meritò hodiè illa Chrysippi verba vsurpare possemus: *O abysse cœlestis, cùm te capere non valeamus, tu nos recipe.* Nihilominùs tamen; in tàm ardua rerum obscuritate, tu ipse tàm portentosi operis summe opifex Deus, tuo lumine mentem nostram illustra, vt quod naturalis ratio non capit, nec ingenium Angelicum, nedùm humanum consequitur, sed sola tua sapientia comprehendit, dignè tractare & explanare valeamus, dùm te velut alteram abyssum, in mysterio resurrectionis contemplabimur; ad quam licet omnes piè & religiosè viuere cupientes confluere enitantur, manantium instar riuorum, nemo tamen ineffabilem tuam resurrectionem capere potest, nisi à te ipso prius capiatur.

Abyssum, Nicolaus de Lyra vocat elementũ, candorem, & pulchritudinem in se abscondens. quis hodiè nouum eiusmodi elementũ, Christum Dominũ non agnoscet? qui post glorioſam sui resurrectionem, candidâ & byssinâ immortalis gloriæ veste indutus, & cunctis discipulis velut frdissimus comes in itinere associatus, omnem suum abscondit nitorem ab oculis eorum, ne illum agnoscerent. Sed quid adeò elusos spectantium discipulorum oculos reddere potuit? vt quem tot annis docentem audiebant, inter mortales commorantem vbiq; comitabantur, & longo tempore optimè notum habebant, intra vnius tridui spatium resurgentem agnoscere non potuerint; sed alium omninò fuisse arbitrarentur. Pulchrè hoc D. Basilius bombyce verme delineauit mysterium, vbi docet S. iste Doctor, experientiâ ipsâ comprobante, bombycem serico domicilio inclusum atque sepultum, innatâ suâ vi atq; virtute, ex illo veluti angusto ergastulo innouatum prosilire: atq; viuum & alatum in vermem prodire. Adeò vt cùm reuera idem ipse sit, qui antea, quasi alter omninò conspicientibus appareat. Eiusmodi profectò vermem fassus est Christus Dominus se esse: *Vermis sum & non homo.* Hic proinde vermis humiliter in paruo sepulchri domicilio sepultus, adeò mirabili prævaluit virtute, vt inde nullius alterius indigens adminiculo, saluus & incolumis prodierit. Atque cùm iam non mortalis, neq; terreni vermis conditionem præseferens; sed agilitatis, subtilitatis, & immortalitatis dotibus, mirificè condecoratus discipulis apparuit: ideò hac sua renouatione ita oculos discipulorum elusit, vt cùm reuera idem ipse esset, qui antea fuit; omninò tamen quasi alter ipsis videretur. Si ergo hæc portenta, inter naturæ ipsius ambitum reperiuntur, qualia de vermiculo Indico cornua protendenti gemina, narrari solent. Qui in erucam vertitur primùm, fit deinde progressu temporis id, quod bombyx appellatur: Et necdùm in hac formâ persistit, sed illis præmollibus corniculorum bracteolis, sese sensim prolatantibus, in alarum speciem, ita demum fit volucris. quid mirum? quòd maiora prodigia in Christi resurrectione, diuinitatis eius omnipotentia ostenderit? vt qui in oculis insanientis mundi exiguus & despectus habebatur, renascens in tantam gloriæ speciem mutatus fuerit, vt humanam excederet cognitionem. Et licet Apostoli cœlestem planè cum Christo duxerint vitam, mirum tamen non est, quòd in eo cognoscendo oculi eorum caligauerint. Et cælum enim non semper præsentem solis aspectum intuetur, sed nubibus quandoque circumuolutum, absentem putat, cùm absconditus proximè cursum suum peragat. Cælum profectò spirituale erant duodecim Apostoli: & quemadmodùm inter illa cœlestia signa Zodiaci, vnum pessimum esse docent Astrologi, quod scorpionem vocant. Sic inter spiritualia Ecclesiæ (quæ est nouum quoddam cœlum) signa; vnus extitit perfidus & proditor Iudas. In firma-

Lyranus.

Basil. Hex. hom. 8.

Psal. 21.

Vermis in India mirabilis.

mento motum trepidationis nonnunquam fieri, docent Ptolomæus & Alphagramus; in militantis pariter Ecclesiæ cælo, motus semel eiusmodi factus est. Quando non inuenientes in sepulchro Christi corpus Apostoli, trepidatione conturbati dicere cæperunt : *Sed & multi ex nostris terruerunt nos.* Luc. 24. Inter quos tantus eo tempore tremor obortus fuit, vt quasi ex altissimo spei cœlo, in profundissimam diffidentiæ abyssum lapsi, suam Christo secum eunti aperirent desperationem : *Nos autem sperabamus quia redempturus erat Israël.* Luc. 24. adeoq; in sua incredulitate sistebant, vt Christi resurrectionem, penitùs muliebre somnium iudicauerint : *Visa sunt* (inquit Euangelista) *ante illos sicut deliramenta verba ista.* In cœlo Mathematici deprehendunt errantia sidera, quæ nunc circa solem feruntur motu recto, nunc ab eo longè recedunt cursu obliquo & retrogrado; In Ecclesia Christi velut in cœlo quodam fluido, sacræ illæ mulieres quasi sidera quædam errantia, modò Christi sepulchrum adibant, modò indè reuertebantur in Hierusalem, deplorantes Christum non repertum : *Tulerunt*, inquiunt, *Dominum de monumento & nescimus.* Ibidem. Nec mirùm, quòd Christum inter mortuos quærentes non inuenerint, quia iam ad immortalem gloriosamq; vitam, resurrexerat. Et quem vncturæ venerant, Pater æternus illas præueniens, resurrectionis gloriæ oleo iam eum inunxerat, dicente Regio vate : *Propterea vnxit te Deus oleo latitiæ præ consortibus tuis.* Psal. 44. Sola (vt doctissimi Matheseos sectatores fatentur) Luna, inter sidera cælorum nullo trepidationis motu agitatur : Sola quoque in nouo Christi Ecclesiæ cælo B. Virgo, quasi Luna quædam purissima exstitit, quæ sole illo mundi, scilicet; suo Filio in cruce eclipsato, doloris pariter eclipsi obnubilata, semper immota permansit : nec quidquam de filij trepidauit resurrectione, sed constanti fide, firmâ spe, ignitâ charitate sufflata, diuinæ voluntatis placita admirabatur, & mente venerabatur deuotâ. Sol primi mobilis motu ab Oriente in Occidentem fertur, sed protinùs inde plenus reuertitur radiorum. Christus diuinæ voluntatis motu raptus, quæ primum illius mobile fuit, à vitæ ortu vsq; ad mortis occasum circumferri voluit; vbi inclinato capite è nostro hemisphærio declinauit. Sed mirâ celeritate, Patrum hemisphærium perlustrans, subitò in nostrum iterum redijt orbem. Verùm nimiùm in sua pulchritudine imutatus, haud aliter cognosci potuit, quàm in fractione panis, quandò ad mensam recumbens benedixit, fregit, deditque discipulis suis. Nam tunc primùm inquit Euangelista : *Cognouerunt eum in fractione panis.* Luc. 24. vel quòd manibus tanquàm cultro frangeret, (vt vult Lyranus) Lyranus. vel quòd ante porrectionē panis, benedictionem præmitteret, (quòd intendit Vatablus) vel quòd veritati proximum putauerim, quia cùm panem frangeret, manusque detegeret, Vatablus. discipuli vulnerum citatrices in illis conspexissent. Optimum enim credibilitatis motiuum sunt signa externa : nec tàm facilè verbis, quàm gestibus fit persuasio. vt non immeritò manuum actus, secundam linguam esse dixeris, quòd ipsis faciliùs quandoque, quàm verbis intentum assequamur. Vnde refert Tullius oratione in Verrem. Cicero in Verrem. Orante apud Senatum Romanum M. Antonio, pro Aquileio, facillimè Patres illos conscriptos fuisse persuasos, cùm Senatui Antonius Aquileij vestem ostendens, singula eius vulnera pro republica susceptа numeraret. Christus pariter Dominus, licet omnes scripturas in itinere discipulis secùm euntibus aperuisset, oculos tamen eorum teneri videns, ne illum agnoscerent; in fractione panis, signa vulnerum suorum illis monstrauit, vt his quasi euidentibus documentis, oculi eorum aperti, celeriùs in veritatis amplexum mouerentur. Vel deniq; (vt multorum fert opinio) ideò eum in fractione panis cognouerunt, quia eandem

eandem sacram Synaxim, quam in vltima cæna edendam porrexerat, ijsdem communicauit.

Et profectò, non alio motiuo tàm Apostolorum, quàm omnium degentium in terris mortalium, detenti in ignorantia oculi aperiri poterant, quàm hoc cœlesti edulio, & Angelico pane, sub cuius Christus speciebus corpus suum in cibum, & sanguinem in potum nobis omnibus tradidit. Nam si rectè Philosophi discurrunt, res dupliciter à nobis cognosci: nimirùm per causam, & per effectum. Causam equidem sacratissimi corporis Christi non alibi habemus, quam in pane Eucharistiæ, scilicet ipsa consecrationis verba, quorũ vi & efficaciâ integrum Christi corpus sub minutissima hostia, immò & sub quouis fragmento visibili, denouo producitur, cum tanto prodigio, vt licet ab innumeris, vndequaque ad hanc regalem mensam accurrentibus conuiuis sumatur; nec tamen fractis speciebus frangitur, nec consumptus quidquam minuitur. Sed quasi abyssus inexhausta in infinita manducantium ora, quasi in riuulos quosdam diuisa, integer & totus semper manet. Habemus in hoc delicatissimo pane & effectum nobilissimum, à Deificata Christi humanitate in animas nostras dimanantem, ipsam scilicet sanctificantem gratiam, quæ animas nostras velut dulce epulum nutrit, & in immortalem vitæ incorruptionem transmutat. Si ergo in grano in terram seminato, & iterum renascente, semen fœcundum cognoscimus, quis obsecro ex hoc Angelico pane, quem hodiè Christus discipulis, & nobis omnibus manducandum proposuit, Christi resurgentis præsentiam non agnoscet? quis eius fœcunditatem non mirabitur? Ex qua nos omnes, quasi mortua diuinæ grana filiationis, fœliciter & pulchriùs renascimur. Meritò profectò Scriptura sacra dixit: *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Abyssus enim inexhausta, & humano haud penetrabilis intellectu, fuit incarnata Christi diuinitas, vmbræ verò quæ obstabant, quominùs ingenium creatum, ad tanti arcani cognitionem pertingeret, erat sacratissima eius humanitas. Sed ecce vt primùm sub panis speciebus inclusus mundo apparuit Dei Filius, obnubilatus mortalium aspectus, non ampliùs in tenebris perfidiæ stetit, sed Deum pariter agnouit, & adorauit. Et quemadmodùm Pòéta docet, necessitas coruos loqui, psittacos fari, & philomelas modulari, atq; fames docuêre. Diuturnâ quoq; fame stimulata mortalium anima, non priùs in Dei notitiam trahi potuit, quam cùm cœleste edulium in pane Eucharistico sibi porrectum suscepit & gustauit. Hoc certè Deus promiserat olim hominibus per Prophetam Ezechielem, vbi postquam multa beneficia, quibus animam locupletauerat enarrasset, illamque à se byssо & purpura vestitam, atq; diuersi coloris amictu ornatam, inauribus, torque, coronâ, & annulis honestatam edixisset; licet iam ornamentis illis nihil ampliùs addi posse videretur, nihilominùs tamen Deus post hæc ampla munera, maius quoddam, & tanquam omnium præstantissimum adiecit, inquiens: *Similam & mel comedisti.* Quasi diceret: dedi tibi in victum & alimoniam panem similagineum, dulci melle conditum. Sed quid est æterne Deus? Ergone vnicum panis frustum, torque aureo, & coronâ præstantius est. Sic sanè: quia panis iste animæ in cibum datus, non materialis sed spiritualis & sacratissimum Christi corpus in se continens censeri debet. Hoc ergo modo Deus animam alloqui voluit: Ecce ego te ô anima laui aquâ, quæ de latere meo profluxit; ego te sanguine meo redemi, qui crudeliter effusus per omnes venas manauit: ego te pretiosâ veste decoraui, & polymitam seu diuersorum colorum, hoc est; virtutum, & bonorum operum, alteram vestem superposui. Collum tuum torque obedientiæ, aures tuas inauribus fidei, caput tuum dia-

Ignorantia Apostolorum de Christi resurrectione pane Eucharistico sublata.

Gen. 8

Ezech. 13.

demate charitatis ornaui, necdum his contentus, vt adhuc totum in te amorem meum effundam, dabo tibi corporis mei edulium, vbi panis est floreus humanitatis meæ, cum melle diuinæ suauitatis, omne delectamentum habens & saporem. Sed quid agis ô æterna bonitas! si enim vis, vt te verum & eundem qui patiebaris resurrexisse credamus, vt quid ad aperiendos oculos nostros, corpus tuum in cibum nobis præbes? Quis Hæreticorum non carpet tuam dignitatem? te ex eo, quia alimentum hominum factus es, non esse verum Deum asserendo. Hoc enim artificio vsus est Moyses apud Israëlitas, vbi persuasurus Iudæis vitulum ex auro factum non esse Deum, quem illi pro numine colebant: fregit inquit scriptura vitulum, & in minutum puluerem redactum, bibendum

Exodi 32. præbuit Israëlitis, inquiens: *Considerate ô stulti, quem adorabatis Deum, esse cibum, quem modo bibistis & comedistis.* Errorem proinde istum relinquite, & animaduertite Deum non esse, qui vobis cibi vices suppleuit. Nec tantùm Moyses, sed & Deus ipse, eadem fuisse vsus industriâ fertur, de arcanis Catholicæ fidei: quando enim Ægyptij pro Deo adorarunt agnum flammis circumdatum, Deus grauissimo illi morbo occurrens, vt ostenderet agnum nequaquam Deum esse, sed vanum atq; superstitiosum simulachrum, iussit ante discessum ab Ægypto, per singulorum domos agnum comedi, vt eâ re, Deum Ægyptiorum cognoscerent non esse Deum, sed potiùs humanorum corporum alimentum: si ergo Moyses vitulum aureum, ex eo quòd in pulueres redactus in potu hauriri potuerit, probauit non esse Deum. Si & ipse Deus ex eo, quòd agnus ab omnibus comederetur, demonstrauit agnum non esse numen. Quomodò & tu æterne Deus, cibus animarum nostrarum esse desideras, siquidem non nemo infidelium ex hoc ipso facile deducet, te non esse Patri consubstantialem, & consequenter diuinam non habere naturam.

Verùm solutionem huius difficultatis suggerunt nobis acutissimi summulistæ, qui docent tunc tantùm Enthymematis consequentiam esse veram, quando argumentum ducitur a pari formaliter, hoc est; cùm æquè probabile est consequens, atq; Antecedens. Hic autem magnum est discrimen quia argumentum fit tantùm à pari materialiter, seu à simili, quod semper infinitis modis claudicat. Rectè proinde Moyses deduxit vitulum auro conflatum non esse Deum: rectè quoq; Deus, Ægyptijs demonstrauit agnum, non esse numē: quia scilicet tàm vitulus, quàm agnus erat cibus mortuus, qui in substantiam manducantis conuerti solet, & per eius vitam viuere in illo dicitur; mors verò & mutatio Deo non competunt. At verò panis ille, quem hodiè Christus fregit, & discipulis dedit, & qui nobis in animæ nutrimentum atq; fidei lumen exponitur, est cibus viuus & nullatenus mutari potest, iuxta illud prophetæ: *Ego Deus & non mutor.* Malach. 3. Ac proinde cùm diuinus iste panis vitam in se habeat, & auctorem vitæ sub suis accidentibus subsistentem contineat, non iam nos illū in nostram vertimus substantiam, sed ille potiùs nos in suam spiritualiter transformat diuinæ participes efficiens naturæ. quemadmodùm nimiâ quondam deuotione absorpto Augustino, ipsemet Deus respondit: *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Ecce abyssum, quam nullus mortalium capere potest, sed ab ipsa capitur. Ecce signum, quod ignorantem in fide hominem dirigit, & obcæcatum circa Deum cognoscendum illuminat. Ecce panis, qui deuotè sumptus resurgentem nobis aperit IESVM. Cum enim gustus sentit se panem gustare, subitò fides docet non iam illic esse substantiam panis: cùm olfactus dicit se odorari vinum, corrigitur statim à fidei lumine dicente, illic non esse vini substantiam, sed liquorē illum suauissimum diuini nectaris & ambrosiæ: videlicet, Christi sanguinem, in quem virtute verbo-

verborum consecrationis, vini substantia conuertitur. O immensam Dei liberalitatem! ô eximiam bonitatem! non iam esum agni paschalis distribuit nobis hodiè Deus, vt quondam suis Israëlitis. non ad lactucas amaras nos inuitat, non ad manna aut coturnices, sicut quondam Iudæos. non ad librum comedendum, quem olim Angelus Ioanni deglutiendum porrexerat, dulcem quidem ori, sed amarum stomacho. Verùm iam propriæ carnis suæ cibum, sacratissimi corporis panem edendum nobis frangit: in quo dapes offeruntur regiæ, quia Christus Rex est; dapes cœlestes, quia Christus de cælo descendit; dapes diuinæ, quia Christus Dominus verus Deus est. Et tamen cùm tanta sit cibi istius maiestas atq; vtilitas, pauci admodùm reperiuntur, qui tàm delicato cibo accumbere curent, & eâ quâ par est reuerentiâ ad illum accedant. Cùm tamen non alio quopiam motiuo, Deus magis excitare potuit hominum appetentiam, quàm dùm carnem propriam liberalissimè nobis sub speciebus panis offerret, qui mortuos etiam ad vitam reuocat. quod testatur regius vates in persona Christi inquiens: Psal. 101. *similis factus sum pelicano solitudinis.* Et quæ obsecro alia Christo cum pelicano similitudo esse potest? nisi vitæ mortaliũ, restauratio? Ferunt enim naturalistæ, quòd pelicanus filios suos, vbi primùm nati sunt, interficiat, & postea eosdem sanguine suo resuscitet. Quod si Philosophi in pelicano hanc agnoscunt virtutem, vt extinctos filios sanguine suo reuocare possit ad vitam, quis hanc efficaciã in pane illo negabit esse, quem nobis Christus fractũ porrexit. Ille etenim tanquam verus mortalium Pater, occidit in nobis omnem iniquitatem, quia morte sua mortem nostram destruxit, & vt meliorem haberemus vitam, panem nobis viuum in sua resurrectione attulit, qui corpus eius & sanguinem nos viuificantem continet. Sed quemadmodùm pelicanus non statim discerpit pectora sua, vt

Pelicanus pullos suos mortuos sanguine proprio viuificat.

A pristinæ filios vitæ restituat, dõnec omnis turpitudo & immunditia ab illis morte defluat. Sic planè panis Angelicus Christi, non priùs aperit oculos ignorantiæ homini, qui conscientiâ impurus ad tàm purum & sanctum accedit sacramentum, donec morte peccatorum omnis dedecoratio ab illius anima segregata sit. quomodò igitur catholici (si vera in vobis fides, de reali in hoc pane Christi corporis & sanguinis prẽsentia est) quomodò inquam peccato mortali B contaminati, sacratissimum Christi corpus sub speciebus panis istius, sumere desideratis, & audetis, quomodò blasphemus detractor, contumeliosè audebit intra fœtidum sui corporis sepulchrum sepelire, illumque qui cælo hominem beare cupit, in turpissimum animi sui ventrem immittet. An te latet (quisquis è numero talium es) edictum illud Ioanni in spiritu ostensum, vbi exierat præco scilicet Angelus Dei, qui antequam homines præparatæ Christi mensæ C accumberent, alta voce clamabat: Apoc. 21. *Foris canes foris impudici.* Per quod significari Deus voluit, repelli ab hoc pane homines vitæ culpatæ, qui instar canum vix per sacramentum pœnitentiæ foras emissa peccata, iterum repetunt & reassumunt; dùm canibus rabidis similes aliorum virtutibus allatrant, & de proximorum fama atq; honore vltra mensuram detrahunt. Verùm non hic panis canum est, sed filiorum duntaxat: nec hominum quorumuis, sed tantùm D dignè accedentium. Foras igitur impudici, foris illotæ frontis homines, quos nullus tenet pudor, sed turpis & inhonesta voluptatum carnis possedit consuetudo. Panis hic non peccatorum tenebras, sed iustitiæ candorem; non morum deprauationem, sed vitam inculpatam amplecti solet. Nec certè sine mysterio panem Eucharisticum nocturno tempore Christus instituit, dicente Apostolo: 1. Cor. 11. *Dominus quidem Iesus Christus, in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, deditq; discipulis.*

Non ſine ſpeciali arcano, & poſt reſurrectionem, veſpertino tempore, cùm iam ſol declinaret in occaſum, & tenebræ mundum repeterent, eundem panem iterum fractum duobus diſcipulis tradidit, niſi vt illorum corda adhuc fidei lumine deſtituta, (quoniam ab vltima cæna abfuerant) illuſtraret; oculos eorum aperiens vt eundem verum Deum & hominem reſuſcitatum agnoſcerent. Lucæ 24. Nam quid eſt, quod addit ſacer textus: *Subitò euanuit ex oculis eorum*, niſi vt illum ſub ſpeciebus panis ſibi porrecti eſſe crederent, quem oculis viderant. Et certè erubeſcant hic impij hæretici, quomodò falſo commento inſultare audent, Chriſtum non exiſtere re ipſa præſentem in ſacra Euchariſtia ſed tantùm fide imputari. Hebr. 13. Nam ſi credunt Paulo dicenti: *Fides eſt fundamentum rerum non apparentium*, quomodò fides illorum ſubſiſtet in Euchariſtia, ſi ibi ſacratiſſimum Chriſti corpus re ipſa non eſt, ſed tantùm imputatur: quoniam fides verum præſupponit fundamentum, cui inſiſtere poſſit. Si ergo ibi non datur res non apparens, hoc eſt ipſemet Chriſtus præſens cum ſua humanitate ſimul atq; diuinitate vnitis, iam fides Hæreticorum non erit argumentum rerum non apparentium, ſed potiùs nihili, deſinetq; vera fides, & mutabitur in genuinum figmentum.

Sed nos cum hodiernis Apoſtolis, verum in pane Euchariſtico agnoſcamus Deum, illiuſq; ſummam admiremur munificentiam, quòd ille cùm creator omnium eſſet, ita tamen ſe rebus vitâ & ſenſu carentibus voluit ſubmittere, vt panis & vini ſpeciebus includi minimè erubuerit. Sed fortaſſè ad hoc, vt in iſta ſua ſubmiſſione non ab omnibus cognoſcatur, præſertim verò rebellium & ſuo nimium critirio confidentium animis. 1. Reg. 21. Quod pulchrè præfigurauit Dauid Rex, qui Saulem fugiens cùm veniſſet in ciuitatem Geth, vbi manebat Achis Rex Philiſtæorum, ecce milites agnoſcentes Dauidem quòd ille ſuo duci Goliath caput amputauerit, ad regem eum adduxêre. Ille verò cùm Rex pariter eſſet, vt tamen mortem euitaret, fatuum ſe & amentem ſimulauit. Concutiebat (inquit ſcriptura) caput, corpus & latera iactabat, ſputo ianuas pingebat. Quem ſimilia facientem cùm Achis vidiſſet, ratus non eſſe Dauidem, quem prudentiſſimum & ſapientiſſimum eſſe audierat, dimitti eum iuſſit increpans ſatellites: *Vidiſtis*, inquit, *hominem fatuum, quare adduxiſtis eum ad me?* Quod conſiderans D. Auguſtinus hanc Dauidis ſimulatam dementiam, fuiſſe imaginem rei, quæ Chriſto accidit, narrat. Quid enim Rex iſte Achis ſignificat, niſi incredulum, & dubium apud Latinos. Vt ergo Chriſtus Dominus infidelium contemptum vitaret, ne illum ſæpiùs in ludibrium ſuſciperent, vt amoris diuini tantâ ſe humilitate depreſſit, vt mundi ſapientes illum inſanire cenſuerint, cùm tamen eſſet ipſamet ſapientia Patris. Nam quando dixit Hebræis; *Panem quem ego dabo, caro mea eſt*: reiectus & irriſus erat ab eis minimè id credentibus & murmurantibus: *Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*. Nec mirum, quia abyſſus hæc inperſcrutabilis capi non poteſt, niſi à quo capitur.

Auguſtinus ſuper Pſalmum 33. Ioan. 6.

Qui ergo amore Chriſti captus eſt, qui delicatiſſimo eius epulo in nouam gratiæ vitam renouatus eſt, hic ſolus, panis ſpeciebus illuminatus, ſub ijſdem realem Chriſti præſentiam agnoſcet, & fatebitur: hic vera & immutabilia bona in ſolo Chriſti pane quæret. quod declarauit ingenioſa illa Ægyptiorum imago, qui ad ſignificanda vera & ſolida bona, pingebant adoleſcentem vnâ manu ſpicas triticeas, alterâ vini poculum habentem. Quoniam quibus panis & vini copia eſt ſecuros poſſunt capere ſomnos, miſſas facere reliquarum rerum & lucrorum curas, quibus inuigilantes mortales nuſquàm non curarum æſtu non ſolicitantur. Et quia peregrinantibus vnicum eſt ſubſidium panis, vobis ego hodiè in

Emmaus

Emmaus perrecturis, Christum resurgentem speciosum formâ præ filijs hominum, vna manu panem Eucharisticum porrigentem, alterâ vinum sui sanguinis propinantem offero, vt in hoc mortalitatis gressu, ab isto cæleſti pane illuminati, Deum cognoscere, & vbiq; viarum comitem habere possitis.

EODEM DIE *CONCIO TERTIA.*

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas. *Lucæ 24.*

Verbum Dei est ignis mentem humanam penetrans.

MEritò arcanorum Dei oraculum Rex Dauid, sermonem Christi ignem appellat: *Ignitum* inquit, *eloquium tuum vehementer.* Quia sicut ad præsentiam solis, etiam occultissima deserti antra calefiunt, & saxorum instar congelatæ liquescunt glacies; sic ad sonitum verbi diuini, etiam obduratissima emolliuntur pectora, & obstinatissimi peccatorum animi in amaras pœnitentiæ lachrymas facilè soluuntur, teste D. Ambrosio qui dicit: *Ignis hic sermo Christi est, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata.* quo exaudito (vt præclarè discurrit D. Gregorius hom. 30. in Euangelia) inardescit animus audire præcepta cælestia, & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur. Ignem hunc Christus Dominus rediuiuus, velut alter Sol, è subterraneis lacubus, scilicet; ex lugubri sepulchro, in nostrum ascendens hemisphærium, eiaculatus est hodiè, in terram deuotæ Christianitatis. Non, vt illa Sodomitano rursus, sicut olim temporibus Loth, ardeat incendio, neque vt eam donatæ munere fœcunditatis, aut certè vsu & flore viriditatis recens erumpentis spoliet. Nam sicut clarior post nubila phæbus exoritur; sic post amaram passionem, Dominus noster clementior factus, probare magis atq; augere, quàm minuere aut damnare mundi bona contendit. Nec sanè dignum videtur, vt innoxia elementa nostri luant sceleris vltionem. Nam quid natura deliquerat, quia adulta iam soboles errauit. Non erat mihi credite partus in vitio, sed deuio lapsa est errore progenies. Quem ergo resurgens Christus ignem in orbem Christianum hodie sparsit? eum cettè, qui secretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus: qui vaporem fidei & deuotionis adoleret: qui cupiditatem virtutis accenderet. Ignem inquam illum misit hodie Christus in nos, quo calefactus Hieremias clamauit: *Ecce*, inquit, *ignis flammigerans in ossibus meis.* Ignem misit, quo probetur aurum virtutis conducentis ad salutem: quo expolietur argentum morum atq; operum Christianorum. Ignem misit, quo etiam corda Apostolica succendantur: quo flagrantes Apostoli in via, vnâ cum Domino ad castellum Emmaus iter conficientes, in carbunculos & ignitos rubinos soluantur *Nonne*, inquiunt, *cor nostrum erat ardens in nobis, cùm loqueretur, & aperiret nobis scripturas.* Quocirca quid fit iste ignis à Christo dimanans, & quantùm nobis necessarius atq; vtilis, meritò hodiè radio gratiæ cælestis incalescentes, disseremus.

Ignem qui hodiè è sacratissimo Christi vultu atq; ore, in cor peregrinantium Apostolorum descendit, fuisse non alium, quam verba Saluatoris, quæ de suâ passione cum illis faciebat, testatus est ipsemet Deus: *Nunquid non verba mea quasi sunt ignis, & quasi malleus conterens petram.* Ac si diceret: Verba mea sunt quasi ignis, quia consumunt rubiginem peccatorum, & calefaciunt ad amorem Dei, & illuminant ad fidei articulos cognoscendos. Sunt quasi malleus, quia duritiam cordis frangunt & emolliunt ad compunctionem. Nam quem-

Pſal. 118. n. 140.

Ambro. in Pſal. 118 Serm. 18

Gregorius

Hier. 20.

Lucæ 24.

Hieré. 23.

quemadmodùm lapis igne calefactus, citò frangitur malleo; sic planè cor hominis, dùm est calore verbi diuini plenum, citò liquescit in deuotionem. atq; hinc triplicem video conuenientiam, inter ignem, & diuinum Christi resurgentis eloquium. Nam sicut igni primò conuenit, mundare, eleuare, & vnire, deinde illuminare, ac demùm succendere; sic planè eloquio Dei hæc omnia competunt officia, iuxta illud scripturæ: *Scrutatus sum Hierusalem ad* Sophon. 1. *lucernam, sed neminem in ea, vel qui mundaretur, vel qui accenderetur, aut illuminaretur, inueni; ideò eam in tenebris reliqui.* Ignis mundat, dùm à metallis partes terræ crassiores segregat. Verbum diuinum hoc ipsum præstat, dùm omnem peccati maculam ab animo fidelium depellit, purificat mentem, consumit errorem. Quid enim Apostolos infidelitate laborantes, & de Christi hæsitantes resurrectione purgauit à culpa? Profectò ignitus Christi sermo, vltrò se se ignorantibus comitem associans, teste ipsomet Domino: *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Neq; solùm culpæ diuinis colloquijs expiantur: sed quod magis fortasse mirabêre, etiam pœnæ relaxantur. Quid obsecro causæ, quòd illi Babylonici iuuenes, camini flammas non senserint, nisi quia inter medios carbones, diuinas laudes decantauerunt. *Igne eloquij diuini succensi* Daniel. 3. n. 24. (inquit D. Ambrosius) *fornacis ardentis vaporem, nec timere, nec sentire potuerunt.* Quia ignis verbi diuini, dùm accendit cor hominis, simul illud refrigerat. Quod D. Antonius ingenuè fatetur de S. Catharina Senensi, affirmans illam in hac vita, nullum maius refrigerium habuisse, quàm cùm de Deo loqueretur. In quo delicatissimo colloquio, integros centum dies sine cibo, sine potu, sine somno consumere libentissimè parum illi fuit, si qui adessent, quibus cum conferret. Et reuera in Dei verbo tàm loquendo, quàm audiendo, meritò dies & noctes homo impendere posset. Quia quantum thesaurus nummo, tantum sermo Christi mundanis colloquijs antecellit. Nam diuinus sermo aut sanctitatem, in homine supponit, aut illam infundit. Hinc est, quòd Abrahamum, quondam filij Heth, Principem Dei appellauerint: *Princeps*, inquit, *Dei es apud nos.* Et vnde quæso tantam illi dignitatem tribuebant, vt diuinum quasi eum hominem appellarent. Respondet optimè Philo Hebræus libro de nobilitate, ex eo tantùm, quia nimiùm eloquio diuino oblectabatur. *Honorabant*, inquit, *quasi suum Principem suspicientes ingenium augustius humano fastigio: nec enim sermonibus vtebatur vulgaribus, sed diuinitatem quandam præseferentibus.*

Gen. 23. n. 6.

Philo Hebræus.

Refert Sacra pagina, iuraturos olim magnam oris munditiam habere oportuisse. Vnde Isaac & Abimelech inter se fœdus inituri, inquit sacer textus: *Post cibum & potum surgentes mane iurauerunt.* Cuius facti, quare videlicet iuramentum illud in tempus matutinum distulerint, rationem sufficientem reddit Lyranus: *Vt essent*, inquit, *saliua ieiuna, propter reuerentiam iuramenti.* Neq; tantùm à cibis mundi esse debebant, verùm etiam à iocis, à probris, à maledictis. quemadmodùm docet Philo Hebræus, in libro de Decalog. *Iuraturus*, inquit, *debet se ipsum considerare, num purus sit animâ, corpore, & linguâ: illâ ab iniquitatibus, hoc à piaculis, istâ à maledicentiâ. Nefas est enim per os, quo profertur nomen illud sanctissimum, quidquam turpe progredi.* Si ergo illud os, quo nomen Dei vsurpabatur, purum esse debebat, ab otiosis & multò magis à pernicioſis verbis: Qua obsecro sanctitate opus est, vt consecretur os nostrum, quo sacrosanctum Dei corpus, & sanguis toties suscipitur. Necesse profectò est, vt abundantiam suauitatis diuinæ perpetuò eructet. Hanc autem emundationem ori nostro, non aliud conferre potest, quàm ignitus Christi sermo, sine quo muti fiunt & elingues Christiani. quod præclarè expressit

Gen. 26. n. 31.

Lyranus.

Philo Hebræus.

S. Antoni. 3. P.

pressit Sapiens in filijs Israël : *Decantauerunt*, inquit, *Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter : quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* quasi diceret : hos Domine qui præ inueteratâ malitiâ nihil antea dignum loqui poterant, & qui muti instar saxi hærebant in vitijs, ignitum eloquium tuum purificauit, atq; in modulationem laudum tuarum linguas eorum erumpere fecit. Verùm quemadmodùm ignis, non aliter grossiores terræ partes, quàm sursum trahendo depurare solet, sic planè verbum Domini ignitum, non aliter hominem ab omnibus inquinamentis emundat, quàm à terrenis ad cælestia illum subleuando. ita vt homo verbo Domini erectus, melior & veluti nouus quidam fiat, cui non iam terra, sed cælum proprius debeatur locus. Tellus enim rerum tantùm corruptibilium, & cum tempore labentium, naturalis locus est, iuxta illud sapientis effatum : *Generatio aduenit, & generatio præterit.* Corpus autem hominis Christiani, ignito Christi verbo abundans, licet passibile sit, & mortale, quia tamen à verbo Dei incorruptibilitatem quandam induit, ideo etiam illi incorruptibile cælum, & omnis peregrinæ impressionis expers debetur.

Sapiẽn. 10. n. 20. & 21.

Eccl. 1.

Sed mirabitur forsan quispiam, quomodò terrenus homo per verbum Christi potest à rebus terrenis abstrahi, & in rerum cælestium amorem allici : Cùm dicat D. Gregorius: *Carnis locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dùm per redemptorem nostrum altiùs in cælo collocatur.* Proinde non videtur, vt corpus nostrum, cùm sit terrestre, à terrena cupiditate possit eleuari; licet animus ad sui contemplationem creatoris non difficulter permoueatur. Verùm introspiciant obsecro omnes nobile illud exemplum, quod Aristoteles lib. 8. Politic. & Herodotus lib. 2. allegant. Fatentur hi authores Imperatorem Amasim Demetiadem

D. Grego.

Aristotel. Herodotus

A appellatum, ex humili loco ad imperialem dignitatem euectum fuisse: eaq; de cáusa apud suos subditos parum auctoritate valuisse : vt tamen suum honorem ab illa contumelia vindicaret, accersito ad se aurifice, iussit vt è pelui aureâ, pedibus antea lauandis destinatâ, insignem Iouis statuam conflaret. Cùm verò certo die ipse Imperator, totusq; populus ad templum confluxisset, eam in medium afferri imperauit, quam dùm omnes flexis genibus adorarent, mox B Amasis Imperator sic eos allocutus est. *quid adoratis, quod hesterna die vas abluendis pedibus meis deseruiebat?* cui omnes responderunt : *Non aspicimus quod fuit sed quod nunc est, Protinus Imperator hæc verba in eos retorquens apposuit : Ergo & in me non aspciendum quod fui, sed quod sum* Egregiam ianè prudentissimi istius Imperatoris responsionem, & ad præsens negotium summè accommodam. Si etenim naturam mortalis nostri corporis contemplemur, proprium quidem eius C locum terram (vtpote ex illa formati) incunctanter dicemus. Quòd si aspexerimus, Christi redemptione corpora nostra à terrenâ putredine liberata esse, & cælestis gratiæ dotibus abundè cumulata, non terram ipsam, sed cælum proportionatum & connaturalem illius locum, ingenuè fatebimur. Non igitur aspiciendum est, quid fuimus, sed quid nunc sumus. Immò si experientia ipsa nos docet, naturalia omnia mutatis eorum conditionibus, & qualitatibus, locum D etiam mutare, sicut quod antea aqua erat, ideoq; in inferiori terræ loco propter eius grauitatem consistebat, non aliter in altum postea ascendit, nisi beneficio ignis cælestis, in vapores resoluta subtilior fiat. Sic planè & nos, non aliter ad cæleste desiderium possumus eleuari, nisi ab igne verbi diuini purior multò & subtilior conscientia nostra reddatur. Quisquis ergo dignior iam in oculis Dei apparere vult, quàm antea fuerit, abijciat omne terrenum opus, necesse est, aut saltem animum illi non apponat.

ponat. Quod mellifluus Bernardus subtiliter philosophando, in hunc modũ proponit. *Si non vales*, inquit, *res terrenas abijcere, fatere te pecuniæ tuæ non Dominum esse, sed seruum, custodem, non possessorem.* Quasi diceret: non potest maior seruitus & vilipensio hominis esse, quàm sicut mare lunæ; ita hominem Christianum seruire terrenæ possessioni; & sicut mare à luna trahitur, atque retrahitur, ita sanguine Christi redemptum, à momentaneis & caducis bonis, tristari & humiliári. Hoc enim solùm inter mare & lunam, atq; inter hominem temporalium cupidum, discrimen inest: quod luna cum paribus spatijs crescat, atq; decrescat, paribus quoq; interuallis mare implet, & euacuat, effundit, atq; refundit. Iam verò terrena bona, cùm inæquales patiantur vicissitudines, & alijs quidem superabundent, alijs vix sufficiant, cùm statim exhauriantur: alijs denique omninò desint: ideo inæquali seruitutis tyrannide, suos possessores vexant; diuites enim perpetuâ solicitudine, pauperes verò perpetuâ cupiditate. Sed ignitum Christi eloquium, deputabit hodiè à cordibus nostris hanc terrenam crassitiem, & totum mentis nostræ affectum, in diuinum eleuabit amplexum. Altiora enim iam conueniunt homini, quia per amaram Christi passionem emptus, & ad solum Deum ordinatus est: ita vt in præsenti vitâ nihil illum satiare possit, præterquàm ipsa cælestia, in quibus est plena satietas. Quod optimè prospiciens Isidorus in Soliloquio, deplorat humanam temeritatem, quia postpositis cælestibus, ad terrena interdùm magis propendet, vbi nihil est appretiatione dignum. Quamuis enim quisq; in sæculi gloriâ fulgeat, quamuis purpurâ ornetur, aut auro resplendeat; quamuis cultu pretioso redimitus incedat; semper tamen in pœna est, in angustia, in mœrore, in discrimine. Et dùm in sericis stratis cubat, turbidus est: & dùm in plumâ iacet, pallidus fit; & in lectis aureis atque eburneis turbatur. Sapiens igitur homo, sicut vapor è terrâ ad solis radium ascendit, ad diuinum eloquium se se erigere debet: vt ibi integrâ mente consideat, vbi nec rubigo, nec macula, nec tinea quidquam corrodit.

Bernardus Serm. 21. in Cantica.

S. Isidorus

Illud etiam de igne fatetur Aristoteles lib. 2. de generatione, quod ille vniat separata, & diuisa coniungat. Quod ipsa experientia clarè ostendit in quouis metallo: hoc enim in partes fractum, si coniiciatur in ignem, facile vnitur, & iterum coagmentatur. Loquitur Christus Dominus hodiè nobiscum ad Emaus, scilicet; cœleste illud castellum peregrinantibus, loquitur inquam per sacra Euangelij verba, non alio fine arbitror, nisi vt cum penes eum sit nostræ iustificationis omnimoda & absoluta potestas, vt nostrum omniũ gelidas, & aliquantùm ab illo per peccatum separatas conscientias, ignito suo eloquio inflammet, atq; nostros animos igni concupiscentiæ ardentes, refrigeret, & sibi vniat, diuinæ suæ gratiæ imbre, nostram duritiem cordis humectans, & mollificans dono pœnitentiæ; calore sui amoris exsiccans virorẽ mundanæ cupiditatis, & pia desideria fouens: vitiosos motus & prauas passiones repellens, frumentum verò boni operis à lolio malæ intentionis separans, & singulorum animos inseparabiliter sibi coagulans. Et quis obsecro tantum repudiabit bonum? vnum duntaxat reperio in finibus humanæ mortalitatis Alexandrum Magnum, qui cùm à Dario vocatus esset ad titulum maximum, illo non contentus, altiorem adhuc requirebat. De quo scribens Valerius Maximus: *Darius*, inquit, *vt virtutem Alexandri vno & altero prælio expertus fuit, diuidebat Regnum cum illo, & filiam suam in matrimonium cum decies centum millibus talentorum, illi proposuerat.* At ille altiùs adhuc quidpiam tertio prælio prætendebat, quod admiratus Parmenion præcipuus de primatibus eius: Ego inquit si Alexander essem, vterer hac conditione

Aristoteles lib. 2. de Generat.

Valerius Max. l. 6. cap. 4.

ditione & titulo; respondit̃q; Alexander: Et ego si Parmenion fuissem. Insatiabilis igitur Alexandri animus, altiores quærebat titulos, quia se illos sperabat assecuturum. Verùm Christiano homini altior iam titulus dari non potest, quàm dum Christus, vt regnum suum non terrenum, sed cœleste cum illo diuidat, & filiam suam, scilicet glorioſam humanitatem in felicissima illa beatitudine æternis temporibus spectandam illi offerat, verbo suo sanctissimo nos sibi vnire vult. Consistendum igitur erit hic fortiùs, nec iam titulus altior (cùm sit impossibilis) quærendus; sed vt in maximo titulo vnionis cum Deo, participationem & hæreditatem obtineamus, omnimoda adhibenda cura.

Habet alteram ignis proprietatem, quia accendit. Sed & hæc non deest verbo Christi efficacia. Accendit & illud, verùm sine læsione, quia nusquàm exurit. Nam vt dicit Diuus Ambrosius: *Vrit sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, sed non exurit, vt perdat.* Quod pulchrè figurabat rubus ille ardens, & tamen incombustus permanens, de quo sermo Domini ad Moysen factus erat, quo significabatur ea virtus & energia diuini verbi esse, vt licet illo totum cor hominis ardeat, minimè tamen comburatur. Ecce & hodierni Apostoli fatentur, in itinere cor suum arsisse, combustionis tamen insciũm permanere: *Nonne inquiunt cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas.* Peregrinamur & nos omnes in cæleste Emmaus, accedendo per fidem, spem, charitatem, ad Deum. Sed ne in hoc longinquo itinere, quod toto nostræ vitæ spatio decurrendum est, aberremus; comitem viarum nostrarum sistit se nobis sermo Christi, doctrinæ Euangelicæ, vt nos aut frigescentes calefaciat, aut certè præsumptionis, vel vanæ cupiditatis vaporibus exsiccatos accendat. Sic enim ipsemet Deus testatur. *Ignem,* inquit, *veni mittere in terram,* & *quid volo, nisi vt accendatur.* Et quis est iste ignis à Deo missus? non alius profectò, quàm ignitum Christi resurgentis eloquium, quod tantâ vehementiâ & celeritate, tanto impetu & fortitudine, sicut flamma ignis, omnia terrena desideria in nobis absumit. quæ autem Dei sunt, vrendo infundit, & mentem roborans ad cælestia conuertit, diuisiones artuum & intima penetrans medullarum. Verùm vt salutaris flamma verbi diuini nos accendat, zelus honoris Dei in nobis præcedere debet. Quod diuino spiritu afflatus regius vates prædixit, inquiens: *Exquisiuit me zelus domus tuæ, quoniam inimici mei obliti sunt verborum tuorum.* Est enim zelus ad vitam, diuina præcepta seruare, & amore Domini eius custodire mandata. Vt fecit Phinees, de quo legimus in Numeris: Loquente Dño ad Moysen: *Phinees filius Eleazar filij Aaron sacerdotis, sedauit furorem meum à filiis Israèl, in eo, quòd æmulatus est zelum meum in illis, & non consummaui filios Israèl in zelo meo sicut dixi. Ecce ego do ei testamentum pacis, & erit illi & semini eius post eum testamentum sacerdotij æternum, propterea quòd æmulatus est Deum suum & non exorauit pro filijs Israèl.* Iam enim assurgente Dei furore, cæsa iacebant viginti quatuor millia populorum, tendebat pæna in omnes, nec vllius erat finis exitij. Sed tanto malo occurrere volens Phinees, arripuit Syromasten, & duos occidit interdictâ sibi consuetudine copulatos: sicq; redemit omnes, & indignationem Domini mitigauit, & dedit victoriam, quibus negauit salutem. Ecce quàm salutaris zelus Dei? non vnius temporis illud vitium fuit, vbi tamen feruor ad vindicandum Dei honorem accessit, protinùs cessauit omnis mulcta. Qualenam autem illud fuerit peccatum, cui adeò indignatus erat Deus. Respondet Scriptura sacra, quia Madianitis miscebatur Iudæo, contra diuinum edictum. Madianitis autem iuxta commentatorum interpretationem, illa fuit, quæ nullo vxoris legitimæ copulata

Ambro. in Psal. 118. Serm. 18.

Exodi 3. n. 2.

Lucæ 24.

Lucæ 11.

Psal. 118.

pulata erat coniugio, nullo fidei con- A iuncta consortio. Considera nunc pietas Christiana, nonne hæc vitia premunt regnum nostrum? Iam enim prostituta ingenuo miscetur, & impudens casto, & adultera coniugatam simulat, & publica fornicaria, virginem audet mentiri. Miscetur nunc Madianitis catholico; scilicet; hæreticorum perfidia; vt populum Dei fidelem, & sanctum, corrumpat. O quam multis iam nationibus meretrix ista feralis irrepsit, quæ lugubri funere populum religiosè creden- B tem, contendit tumulare. Sed resurge tandem cum Christo rediuiuo zelantissime Phinees, arripe gladium igniti eloquij Dei, interfice perfidiam, iugula hæresim, expelle vitia, succende lupanaria, & turpem viuendi modum proscribe ex finibus Christianitatis: ne propter hæc inueterata scelera, vniuersus populus, immò regnum ipsum intereat. Vrget iam ira cælestis, & ipsemet Dominus malè viuentes atq; credentes, pro quibus pati dignatus est, palam C arguit. *O stulti & tardi corde ad credendum.* Percute igitur zelantissime Phinees Christe rediuiuè, ipsam vluam impietatis, generatoriumq; perfidiæ: ne partus formetur infelix, ne adulterina conceptio diffundat seminarium præuaricationis & sceleris. Verùm vt nobiscum statuatur testamentum pacis, testamentum gratiæ, testamentum cælestium promissionum.

Luc. 24.

Talem zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam studet Eccle- D siæ seruare castitatem. Talem zelum habere debet Iudex, ne scelera grassentur impunita, sed vt castigata coërceantur. Melius est enim, vt vnius aut duorum damnatione plurimi liberentur, quàm vt paucorum absolutione omnes periclitentur. Talem deniq; zelum (scilicet diuinæ charitatis) quilibet Christianorum habere debet, ne conscientiam eius peccati macula possideat. quia sicut putrefactum lignum non arripit flamma comburens; ita etiam cor remissum, atq; Dei gloriam negligens, ignitum Christi eloquium minimè accendit. Quòd si mirabitur quispiam, si sermo Euangelicus Christi ignitus est, ita vt ardere faciat corda audientium, quomodò illa non exurit atq; consumit; cùm ignis sit elementum omnia consumens. Verùm docent naturalistæ, ignem dùm extra sphæram propriam existit, nec lucere, nec inferre calorem. Hanc ego video rationem, quare licet verbum diuinum accendat cor hominis, non tamen illud exurit, quia cor hominis quod omni labe peccati purgatum est, est propria sphæra ignis a verbo Christi dimanantis, ideoq; hominem non lædit, sed magis conseruat.

Tertiam deniq; ignis proprietatem habet, quòd illuminet. Sed & hæc virtus in verbo Dei mirificè splendet: nam in hoc singulariter verbum diuinum præcellit, quòd licet omnis doctor inflammet audientis affectus, non tamen pertinacem interiùs mouet. Diuinum verò eloquium, & obstinatissimum cor cælesti lumine irradiat, & rudissimo impertitur intelligentiam, & maximum peccatorem fortiùs, quàm Sol stipulam, aut ferrum Magnes, trahit. Hoc Regius vates decantat: *Vultum, inquit, tuum illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Vbi supponit, sicut Deum non aliter videri posse, nisi in lumine supernaturali, quemadmodùm docent Theologi, ex illo fundamento: *In lumine tuo videbimus lumen.* Ita neq; diuinam iustitiam cognosci posse, nisi in lumine verbi Euangelici. Quod facilè deducitur ex illo Apostoli: *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Dominus ergo in scripturis nobis loquens, illuminat nos, & lucet in corde iustorum, per ignitum suum eloquium. Vnde meritò dicit S. Ambrosius: *Cum Sapientem videris, cognosce, quia descendit super eum Dei gloria, & illuminauit eius mentem scientia fulgore cognitionisq; diuinæ.* Mirabile est, quod Moyses quamdiu vixit, si quando alloqueretur populum Iudæorum, vela-

Psal. 118.

Hebr. 11.

Ambro. in Psal. 118. Serm. 17.

velamẽ semper habebat in facie sua, ne in eum Filij Israél intendentes superturbarentur. Mortuo tamen Moyse, Iesus Naue non iam per velamen, sed facie reuelatâ alloquebatur omnes, & tamen nemo trepidabat. Rationem aliqui assignant, quia Moyses ex consortio diuino, lumen quoddam vehemens contraxerat in suo vultu, cui ferendo non erat sufficiens pupilla Hebræorum. Sed hæc ratio vacillat ex eo fundamento, quia etiam Iesu Naue, in locum Moysis succedenti, dixerat Deus, quòd cum ipso pariter esset futurus, sicut fuit cum Moyse, & eum similiter illuminaturus gestorum gloriâ. Proinde illud ego mysterium in hoc velamine deprehendo, quia per velamen significabatur cæcitas populi Iudaici, qui veram legis claritatem non erant visuri. Vultus Moysis splendens, fulgorem legis figurabat: qui certè fulgor non in litera, sed in spiritu cognoscendus est, litera enim occidit, spiritus autem viuificat teste, Apostolo. Per virum autem illum Iesu Naue, in locum defuncti Moysis succedentem, qui sublato velamine, reuelatâ facie populum alloquebatur, ostensum fuit, quòd venturus esset verus IESVS, ad quem si quis conuerteretur, & verbum eius vellet audire, is de corde suo velamen auferret, & reuelatâ facie verum Saluatorem videret. Christus ergo rediuiuus illuminauit cor populi nationum, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei; eleuat enim ignitum eius eloquium, ad cognitionem cælestium arcanorum mentem hominis. Nam si sol, cùm aduersam sibi caliginosam nubem prospicit, lucidissimis eam perfundit radijs, & ita rutilantem reddit, vt Solem mentiatur, Christus pariter refurgens, & tenebrosam alicuius conscientiam prospectans, ignitum eloquium suum mittit in cor hominis, vt totam animam gratiæ fulgentem radijs, sibi assimilet. Quid ergo vtilius Christi eloquio? De quo Sanctus Bernardus de sermone multiplici vtilitate verbi Dei, sic dicit: *Licet mortuus fueris in peccato, si tamen audieris vocem Dei, viues.* Sermo enim quem loquitur Dominus, spiritus & vita est. Si cor tuum induratum sit, memento scripturæ dicentis: *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* Si tepidus es, & emori iam formidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te, quia eloquium eius ignitum valdè. quòd si tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus tuus: *Et erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen semitis tuis.* Quòd si titubas adhuc, clama ad Dominum, & in verbis tuis confirmabit te; vt experimento discas, quoniam *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu eius omnis virtus eorum.* Si trepidas, nesciens vtrum odio, vel amore dignus sis; tunc maximè, *memor esto verbi tui seruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, vt ab auditione mala non timeam.* Cùm enim nemo absq; speciali Dei reuelatione cognoscere possit, an in felicem prædestinatorum sortem sit adnumeratus, & in libro vitæ scriptus, vt æternâ fruatur vitâ; illud tamen vnicum solaminis habet, si tàm ambiguæ rei, ex sacro eloquio veritatem experiri desiderat.

Nam inter signa felicissimæ prædestinationis, illud singulare annumerauit Christus, libenter audire verbum Dei: *Omnis, inquit, qui ex Deo est, verba Dei audit.* Et comprobat Apostolus: *Audientes, inquit, populi gauisi sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Sed quid sit audire verbum Dei, non leuis est difficultas, quoniam & ipsi Pharisæi audiebant ipsummet Christum prædicantem, & palam in templo docentem, & tamen dicit Dominus, quòd non audierint: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Respondet itaq; ad hanc difficultatem, quam nemo hominum soluere poterat, Sacra pagina. Audire verbum Dei, nihil esse aliud, quàm re ipsa illud adimplere. Non audire autem dicuntur illi, qui licet auribus au-

Act. 14.

Ioan. 8.

S. Bernard.

ſcultent, mente tamen verbo Dei non obediunt, ſed illud conuertunt in concentum, aures ſuas demulcentem. Sic expreſsè loquitur Sacer textus: *Filij populi tui audiunt ſermones*
Ezech. 33. *tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & ex eis, quaſi carmen Muſicum faciunt, quod ſuaui dulciq; ſono canitur.* Cùm ergo Phariſæi audientes verbum Dei, illi non obedierint, meritò à Chriſto dicuntur non audiuiſſe. Non audiunt certè moderni Chriſtiani, licet ſint præſentes in templo, verbum Dei, quicunq; ſolo prædicatoris ſtylo dicendiq; artificio delectantur; ad doctrinam verò ſalutarem minimè attendunt, quos in hunc modum carpit
Chryſoſth hom. 2. ad populum. D. Chryſoſthomus: *Non eſt*, inquit, *theatrum Eccleſia, vt ad delectationem audiamus, quia auditores hinc oportet recedere lucratos ampliùs.* Comprobatq; hoc ipſum hom. 38. ad populum, vbi curioſos magis, quàm religioſos verbi diuini auſcultatores, ſic alloquitur: *Hoc Eccleſiam ſubuertit, quòd non quaritis ſermonem compunctiuum audire, ſed qui delectare valeat: Nec vt charitatis ignis in vobis accendatur, ſed vt videatis, quanam ſcintillæ plùs euolent, quiſnam in verbis ornatior ſit, quis in rebus plùs eruditior, quis in geſtu venuſtior, quis in pronuntiatione clarior & decentior.* Cæterùm ego opinor, quia Chriſtus rediuiuus, cui nihil eſt magis curæ, quàm ſalus credentium, non permittet vt eius fideles delectationem potiùs ex diuino eloquio, quàm ſalutarem eruditionem quærant. Verùm inclinabit animos illorum, vt non tantùm verbum diuinum audiant, ſed ſimul corde puro illud complectantur, & verbo atq; opere adimpleant. Spem iſtius opinionis non mediocrem mihi affert Euangeliſta inquiens: *Amen*
Ioan. 5. *dico vobis, quia venit iam hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent.* Nam licet D. Chryſoſthomus & Euthymius, verba hæc de mortuis re ipſa, & per Chriſtum reſuſcitandis, atq; ad vitam reuocandis exponant. Siquidem etiam mortui dicuntur audire vocem Dei, quia virtus Chriſti Domini in eos peruenit, reſurrectionem in illis operando. Quemadmodùm etiam voce, velut diuinitatis ſuæ inſtrumento, vtebatur Chriſtus, cùm Lazarum è ſepulchro educeret: *Lazare veni foras.* S. Auguſt. Veriùs tamen mihi videtur Diuus Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 6. & Serm. 64. de Verbis Domini, & tract. 22. hæc verba in ſenſu ſpirituali interpretari, de mortuis morte peccati, qui prædicatione verbi Chriſti, ad gratiæ vitam reuocantur. Nunc profectò venit hæc aurea hora, vt omnes qui antea ſepulti in peccato, ſed iam per Chriſti acerbam paſſionem redempti, & per reſurrectionem eius ſuſcitari ſumus, audiamus ſalutare eius eloquium, quod animas noſtras viuificet.

Ecce quanta vtilitas & neceſſitas diuini eloquij. Alios gladij trucidant, & occidunt, ſolus verbi Dei gladius omnes viuificat. Alios ignis deuorat, & in cineres vertit, ſolus Chriſti rediuiui ignitus ſermo corroborat, & in feliciſſimam æternitatem, ſingulos, flammâ charitatis ardentes conſeruat. Et quid pro tanto beneficio rependemus Chriſto reſurgenti? qui adeò ſalutarem vocem & animas noſtras penetrantem, nec tantùm accendentem, ſed etiam illuminantem hodiè auribus noſtris impertitus eſt. Vnum certè nobis ſupereſt Socratis magni Philoſophi remedium, quem ferunt Hiſtorici, teſtamento mandaſſe, vt ſingulis annis Æſculapio gallus offerretur pro gratiarum actione; quod ſibi proſperam valetudinem & vitam conſeruaſſet. eam forſan ob cauſam, quia gallus omnium vigilantiſſimus eſt. experimento enim conſtat, gallinis dormientibus, gallum vigilare, & ad illarum præſentiam nocturnas agere excubias: qui ne ſomnus obrepat incauto, ſe ipſum proprijs alis quatit. Et quia linguæ ſanctæ periti, docent voce iſta gallus, in Hebræo ſignificari cor, vnde verba illa Iob: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Iob 28. vertunt, *quis dedit*

cordi

cordi intelligentiam. Propterea quòd etiam cor nostrum eodem munere cum gallo fungatur. nam omnibus animæ sensibus & facultatibus à labore cessantibus, & inter dormiendum quodam veluti stupore correptis, cor semper vigilat, seruandi corporis solicitudine anxium, nusquam abstinens à motu. Quem si interimeret, continuò vniuersa corporis humani conuenientia, & compactio rueret, & dissiparetur. Idcirco magni Philosophi præscriptum sequendo, pro referendis Christo rediuiuo gratijs, quod in cruce pendens & voce illa clamans: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;* prosperam vitam nostram, à mortis æternæ interitu seruauerit, cor nostrum illi offeramus, vt sacro illius atq; ignito eloquio, & hic in terris ardeamus, & in cælis illuminemur, & ad videndum in beato lumine reuelatum Dei vultum feliciter eleuemur.

EODEM DIE CONCIO QVARTA.

Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. *Lucæ 24.*

Recensentur causæ, propter quas Christum pati oportuit.

PRofundæ vir sapientiæ Theophylactus, altiùs penetrans dubitationem Christi discipulorum, miratur, vnde tanta incredulitas corda eorum inuaserit, vt etiam circa omnipotentiam Filij Dei hallucinarentur; cùm tamen iam ab illo antea edocti essent, Christum tertia die à mortuis surrecturum fuisse, & partam salutem toti mundo allaturum. Et tamen descendentes in Emmaus, colloquuntur secum; *Nos,* inquit, *sperabamus quia redempturus erat Israël: & ecce neq; seipsum saluauit.* Quasi dicerent; spe magna antea erigebamur, de nostra salute, dùm Christus nobiscum conuersaretur, sed à modò iam desperamus: quia neq; seipsum saluauit, neq; iniustam mortis sententiam contra se latam effugit. Causam tantæ dubitationis præfatus Theophylactus affert, quòd scilicet; ante mortem Christi, radius Diuinissimi Spiritus, nondum descendisset in Apostolos, sine cuius irradiatione inscrutabilia Dei arcana cognoscere, nemini mortalium concessum est. *Nondum,* inquit, *cordi eorum spiritus erat datus, quia Christus nondum erat glorificatus.* Quia ergo vna cum infelicissima illa secta Iudæorum, nihil aliud sperabant se à Christo obtenturos, præter temporalem beatitatem: Iudæi enim expectabant Christum, Saluatorem & redemptorem à malis; quæ eis impendebant, iugo scilicet seruitutis Romanorum, sperabantq; eum regnaturum vt Regem terrenum, & ideo in perfidiam inciderunt. Mundus quippe semper in errore versatur, & ideo qui mundana quærit, ab errore immunis esse non potest. Quod & ipse Venerabilis Beda comprobat, excusans Christi Discipulorum incredulitatem, vtpotè non ex malitia, sed ex ignorantia ortam: *Meritò,* inquit, *tristes incedebant quia & seipsos quodammodò arguebant, quòd in ipso redemptionem speraverint, quem iam mortuum viderant, nec resurrecturum credebant: & maximè dolebant eum sine culpa occisum, quia nouerant innocentem.* Verum ego aliam adhuc istius incredulitatis causam reperio: quia nimirum Apostoli sub tempus cruentæ passionis in fugam acti, recesserant à Christo, sine cuius præsentia impossibile erat fidem salutis habere, cùm hæc, vtpotè donum supernaturale, & ex meritis Christi procedat, & in speciali eius fauore consistat. Quocirca ab hac incredulitate tamdiu non poterant erigi, quousq; Christus præsens se illis peregrinantibus non associaret, eos benignè increpans: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam* Quasi diceret: non per hoc Filius Dei mundi Saluator esse desijt: quia tàm funestam mortem passus est: non

A

B

C

D

Lucæ 24.

Theophyl.

Bedæ

Lucæ 24.

non ideo prærogatiuam mediatoris perdidit : quia tot cruciatus in ſuo corpore ſuſtinuit. non demum ea propter dominium in omnes creaturas perdidit, quòd inſtar hominum, debitum naturæ exoluens, in ſepulchro ſepultus eſſet. Quin imo nuſquam homo de ſuo irreparabili lapſu ſurrexiſſet, niſi Chriſti paſſionis virtute ſubleuatus : *Per hoc amarum mortis poculum peruenit ad gradum ſalutis* inquit Beda. Quomodò igitur oportuit Chriſtum pati, & quare, conſiderabimus.

Beda.

Torquentur non leuiter multorum ingenia, quomodò Chriſtum oportuit pati, cùm ei æterna gloria non tanquàm externo candidato, ſed tanquàm legitimo heredi deberetur : quomodò, ſi pati eum oportuit, peccaſſe cenſentur, qui illum occiderunt? cùm in hoc voluntatem æterni Patris videantur impleuiſſe. Sed peccârunt ſanè : Dei enim diſpoſitio fuit prudentiſſima, vtpotè in remedium ſalutis humanæ. At verò executio Iudæorum impia, vtpotè ex ſumma malitia procedens, nec id perficere intendens, quod Deus diſponebat. Sed quomodò adhuc æterne Fili Dei (ſi te pati oportuit) promeruiſti nobis æternam ſalutem; quoniam in neceſſarijs meritum non datur. Meruit equidem; quia paſſio illa neceſſaria fuit tantùm ex parte creaturæ, quæ egebat ſubleuatione, quoniam per peccatum ceciderat; non autem ex parte ipſius, vtpotè innocentis, pæna autem non debetur niſi culpæ. Verùm trutinemus iam cur illum pati opotuit.

Inprimis itaque pati Chriſtum oportuit. propter vtilitatem ſuam, vt corpus hoc terreſtre, quod aſſumpſerat, per paſſionem redderet glorificatum, vt docet Apoſtolus ad Philippenſes 2. *Chriſtus*, inquit, *factus eſt pro nobis obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quippe non aliter glorificatum illud Chriſti corpus fruitionem diuinæ viſionis potuit aſ-

Philipp. 2.

A ſequi; quàm per humilitatem & acerbam mortem, iuxta illud Ioannis 12. *Nunc anima mea turbata eſt.* (quod ad paſſionem) & poſtea ſubdit : *Pater clarifica Filium tuum :* (quod ad glorificationem ſpectat.) Sic Ioſue poſtquam pronus ceciderat in terram, coram Arca Domini; poſtquam puluerem ſuper caput ſparſerat, poſtquam longa prece illi ſupplicauerat, tandem audiuit à Domino : *Surge cur iaces pronus in terra?* Ioſue 7. Sic Gedeon poſtquam ſe humiliauit co-

Ioan. 12.

Ioſue 7.

B ram Angelo dicens : *Ecce familia mea minima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo Patris mei.* Iudicum 6. audiuit à Domino : *Surge & deſcende in caſtra Madian; quia tradidi eos in manu tua.* Iudic. 7. Ita Dominus IESVS poſtquàm à Deo Patre morte percuſſus erat; *Deſcendens ad inferos prædam faucibus inferni eripuit, & reſurgens à mortuis in ſplendore glorificationis illuxit.* Iſaiæ 53. Nam in corpus eius humanum glorificatio deriuari non potuit, niſi per varias paſſiones, ap-

Iudic. 7.

Iſaiæ 53.

C probante id ſacrâ paginâ 1. Cor. 15. *Seminatur corpus in ignobilitate, ſurget in gloria.* Cuius pulchram nobis ſimilitudinem Plinius ſuggerit in lapide Chalcedonio, qui oculos luſcos & ſanguineos, ſi eiſdem appendatur, ſanat; omnem illam turpitudinem in ſe extrahens; vt autem reddatur pulchrior adhuc, quàm ante, profundè in terra defodi debet, & poſt triduum extrahi. Sic planè Chriſtus appenſus mortali carni, omnem

1. Cor. 15.

Plinius.

D ſe extraxit, proinde vt multò pulchrior in ſua glorificatione appareret, mortem paſſus per triduum in tumulo defodiendus erat. Pati igitur Chriſtum oportuit vt promereretur gloriam ſui corporis, & noſtri exaltationem.

Cæterùm hinc ſtatim altera controuerſia oritur, an etiam Chriſtus hæc patiendo promeruerit gloriam animæ ſuæ? quod licèt aliqui cum Suarezio dicere non erubeſcant : communior tamen ſententia Theologorum negat Chriſtum animæ ſuæ

mæ suæ gloriã promeruisse. Idq; ratio euidens suadet; quia Christus independenter à merito habuit lumen gloriæ, tanquàm passionẽ sibi connaturaliter debitã, ratione vnionis hypostaticæ. Ergo & visionem Dei debitam lumini (in qua consistit gloria animæ) vt actum efficacissimi principij omnino habere debuit. Sed diceret forsan quispiam: licet lumen debitum fuerit Christo ratione vnionis, potuisse tamen per miraculum illud Christo non dari, nisi dependenter à meritis: deinde potuisse illud lumen duplici titulo dari, videlicet; & ratione vnionis, & per meritum. Verùm id subsistere nequit: nam quoad primum, miracula sine reuelatione, aut iusta ratione, asserenda non sunt, quorum neutrum in casu allegato ostendi potest. Quoad secundum verò, falsum est de lege ordinaria dari posse titulo meriti, quod iam alio titulo debetur: quia meritum exigit præmium, quod alias non supponitur debitum, quodq; sit quasi nouum commodum merentis. Vnde iustus semper meretur augmentum gratiæ, & gloriæ, sicut peccator augmentum pœnæ, quæ maior infligitur pro maioribus aut pluribus peccatis. Idque dupliciter explicari potest; vel quòd maior infligatur saltem quoad efficaciam: licet enim pœna damni non possit esse absolutè maior, pro vno, & pluribus peccatis; est tamen in hoc sensu maior, quòd causet maiorem pœnam sensûs: vel quòd maior infligatur illâ; quæ per sententiam iudicis infligitur: sunt enim pœnæ, quæ absq; sententia necessariò sequuntur ex ipso delicto, tanquàm effectu, vt sunt priuatio gratiæ, & consequenter gloriæ, & has augeri non est opus ad augmentum peccati.

Secundò, necesse fuit Christum pati, propter communem nostrûm omnium salutem: nam per mortem eius sumus Deo reconciliati, teste Apostolo Rom. 5. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Et quis non obstupescat fa- Rom. 5.

A ctam libertatem humani generis, quæ per passionem Christi consummata est, cùm id conuenientiori modo fieri non potuerit, annuente D. August. 13. de Trinitate. *Sananda*, inquit, *nostræ miseriæ conuenientior modus alius non fuit, quàm per Christi passionem.* Cuius maximæ conuenientiæ rationes subijcit D. Thomas 3. p. q. 46. art. 3. in corpore. *Primam*: quia per Christi passionem homo cognoscit, quantoperè Deus hominem diligat, quod Apostolus ad Romanos 5. obseruat: S. August. S. Thomas.

B *Commendat*, inquit, *Deus suam charitatem in nobis, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Atq; per hanc amoris ostensionem, excitatur homo ad redamandum Deum. Nulla quippe maior est ad adamandum prouocatio, quàm amoris præuentio. *Alteram*: quia dùm Christus tormenta & crucem patiebatur, plurimarum virtutum nobis exempla exhibebat, videlicet, obedientiæ, humilitatis, constantiæ, iustitiæ, &c. Hinc dicitur 1. Petri 2. Rom. 5.

C *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius.* 1. Petri 2.
Tertiam, quia Christus per passionem suam non solùm hominem à peccato liberauit, sed etiam gratiam iustificantem, & gloriam beatitudinis ei promeruit. *Quartam*: quia per eandem passionem. *Homini* (inquit Sanctus Doctor) *inducta est maior necessitas, se inuicem à peccato conseruandi, qui sanguine Christi redemptum cogitat à peccato.* S. August.
iuxta illud 1. Corint. 6. *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate* 1. Cor. 6.

D *Deum in corpore vestro.* *Quintam*: Quia virtute passionis Christi, ad maiorem dignitatem eleuabatur homo, quatenus prosterneret, & vinceret dæmonis astus, à quibus fuerat iam aliquandò deuictus, quod indicat Apostolus 1. Corint. 15. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ibidem 15.
Mirari proinde & lætari homo debet, quòd Dei Filius pro illo talia pati non fuerit dedignatus.

Prodigiosum quidpiam Horatius in illo suo versiculo alicubi expressit:

preſſit : *Dùm perit parit, & dùm parit perit.* Cuius prima pars de Phœnice intelligitur: is enim ſenio confectus, congregans fragrantes oliuarum ramos, in illiſq; conſidens, ad exortum ſolis accenditur à nimiùm incaleſcente aëre, atq; comburitur, ſed mox ex ſuo puluere pulchrior iterùm renaſcitur phœnix, ſicq; dùm perit, quaſi iteratò ſeipſum parit. Altera verſiculi pars intelligitur de pellicano, cuius natura talis eſſe fertur: quòd filios roſtro confoſſos occidat: vel vt veriùs quidam putant, mortuos filios progeneret, ſed mox miſeratione ductus, ſeipſum diſcerpit, & rurſùs pectus eodem roſtro ſulcatum vertit in ſanguinem, quo ſuperfuſi filij ſubitò reuiuiſcunt, ſicq; mortuos filios viuificando, ipſe perit. An non meritò hoc vtrumq; Chriſto applicare potuerimus, qui nos ſenio peccati confectos videns, in hac ipſa noſtræ mortalitatis aſſumpta carne, in cruce igne ſummi amoris, exuſtus eſt, ita vt illi non eſſet ſpecies neque decor, ſed ecce iterùm ex hoc mortalitatis puluere multò vegetior ac pulchrior renaſcitur ; quia ſemel mortuus ampliùs non moritur. Hinc Regius vates Pſal. 101. dicit in perſona Chriſti : *Similis factus ſum Pellicano ſolitudinis.* quia nos omnes ſuo ſanguine viuificauit, & è faucibus mortis æternæ miſericorditer ereptos, iterum priſtinæ libertati reſtituit. Quocirca meritò illi Eccleſia ſancta occinere poteſt : *dùm perit parit ; & dùm parit perit.*

Phœnicis & Pellicani mirabilis natura.

Pellicanus ſuo ſanguine pullos viuificat.

Pſal. 101.

Tertiò, oportuit Chriſtum pati, propter nimiam debitorum quantitatem, quæ tanta erant, vt non niſi ſanguine Chriſti ſolui poſſent. 1. Petri 1. *Scientes quòd non corruptibilibus, auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* Quippe pura creatura non potuit ſatisfacere pro peccato ſuo mortali, propterea ; quia vt ſatisfactio habeat proportionem æqualitatis cum iniuria illata, requiritur vt dignitas perſonæ ſatisfacientis, habeat eandem proportionem cum dignitate perſonæ offenſæ. atqui hanc pura creatura habere non potuit. Ergo ſatisfacere non valuit. Quæ ratio ſatis ex eo comprobatur: quia ex quo capite creſcit grauitas offenſæ, ex eodem minuitur proportio ſatisfactionis, tantoq; minor eſt ſatisfactio ; quantò maior perſona offenſa. Quoniam ergo perſona offenſa, ſcilicet Deus, erat infinita, ideo non potuit illi exhiberi condigna ſatisfactio à pura creatura, vtpotè à perſona finita.

B. Petri 1.

Creatura pro peccato ſuo mortali ſatisfacere non potuit.

A

Quodſi dixeris pro peccato non requiri ſatisfactionem infinitam, eò quòd malitia peccati quantacunq; eſt, ſit finita : proinde videtur poſſe pro illo à pura creatura ſatisfieri condignè per actus finitos, præſertim multos & intenſos, & aliunde ex obiectis aut circumſtantijs excellentes. Quod ex eò luculenter conſtat : quia quod finitum eſt, poteſt compenſari per finita ſaltem multa : ſic quia auri valor eſt finitus, poteſt adæquari per plures argenteos. Reſpondetur enim falſum eſſe ; quòd pro peccato non requiratur ſatisfactio infinita ; nam licèt in rebus eiuſdem ordinis, vnum finitum maius, poſſit per alia plura finita minora adæquari, ſicut valor auri per plures argenteos ; eiuſdem quippe ſunt ordinis, valor auri & argenti, in ordine ad commutationes. At verò in rebus diuerſi ordinis id fieri nequit : in his enim non poteſt ad æqualitatem veniri rei ſuperioris ordinis, cum rebus inferioris ordinis, tametſi hæ multiplicentur. Sic iniuria in fama non poteſt æqualiter compenſari per pecunias, & vnum peccatum mortale, non exæquatur per plura venialia ; neq; homo per plura bruta. Non poteſt itaq; pura creatura ſatisfacere pro ſuo peccato mortali : quia ſcilicet, offenſa diuinæ maieſtatis licèt finita ſit, tanti nihilominus fieri debet, vt iuxta prudentem æſtimationem deceat, nullam pro ea ſatisfactionem offendentis admittere & acceptare, vt ita homo videns impoſſibilem ſibi ſatisfactionem, deterreatur à peccando.

B

Pro peccato mortali requiritur ſatisfactio infinita.

C

D

Neq;

Neq; tamen hinc inferre licet, impotentiam ad satisfaciendum prouenire, non ex æqualitate intrinseca pretij, quod redditur, sed solùm ex extrinseca non acceptatione illius, propter inconuenientiã, quæ sequeretur ex acceptatione. Quia pretium satisfactionis inæquale de se illud censetur, quod ex se non est sufficiens ad placandum offensum, cum autem tantò difficilius placetur offensus, quantò maius debitum videt in offendente ad vitandam offensam, & maius periculum iterandæ offensæ, si facilè placetur per eius satisfactionem; & Deus videat summum debitum in homine ad vitandam offensam, atq; periculum illam iterandi, consequens est, vt nulla satisfactione puræ creaturæ placari possit, adeoq; nulla sit sufficiens de se ad illum placandum.

Neque etiam pura creatura potuit satisfacere condignè, pro peccatis alienis mortalibus, aut originalibus: quia vt docet S. Bonauentura peccatum extensiuè est infinitum: posset enim diffundi in homines infinitos, si essent. Ergo non potuit pro eo satisfacere, cùm non nisi satisfactionem finitam præstare queat. Proinde Christo mediatore opus erat, qui ingentia nostra debita exolueret, nosque reconciliaret Patri æterno. Non solùm autem pura creatura, per modùm satisfactionis non potuit satisfacere pro peccatis alienis, sed neq; etiam per modum meriti, cùm Sancti Patres absolutè & sine prædicto discrimine, negent puræ creaturæ sufficientiam ad reparationem generis humani, per condignam satisfactionem. Immo S. Leo Sermone 12. de passione expresè id negat, cùm ait: *nec vlla sanctissima merita condonationem poterant illatæ mortis euincere.* Et ratio manifesta est: quia licet ad meritum de condigno, non requiratur eadem proportio æqualitatis, inter merentem, & eum, apud quem is meretur; adhuc tamen verum est, quòd meritum non possit efficaciter operari in præsentia robustissimi contrarij, & contra illud: quale tunc esset peccatum mortale, contra vim meriti robustissimè resistens.

S. Bonau.

S. Leo.

De ceruis duo stupenda narrat Plinius lib. 21. Naturalis historiæ capite 9. & D. Augustinus lib. octuaginta trium Quæstionum, q. 71. inprimis, quòd solo spiritu è cauernis renitentes feras extrahant: præterea, quòd dùm in opima pascua transire volunt, si profundas aquas sibi obstare viderint, mutuò se iuuent in suis capitibus sustentandis. Eligunt quippè vnum cæteris fortiorem, qui primus prosilit in aquas, cæteri verò continuo ordine cornua sibi imponendo, illo veluti fortissimo præduce in pascua transmeant. Christum cœlestis sponsa in Canticis titulo cerui pariter honorat: *Transiliens*, inquit, *colles, saliens in montibus quasi hinnulus ceruorum*, ijsdem vt opinor de causis: In vniuerso enim mundo, nonnisi quidam profundissimi hiatus, & tenebrosæ nimium cauernæ latebant, in quibus tot mortalium miriades, quasi indomitæ feræ aberrantes à cælesti gratia, miserrimè absorbebantur. Donec vnigenitus Patris in cruce spiritum emittens, suo illo omnipotenti halitu, viscera terræ penetrans, de subterraneis cauernis, feras, scilicet; animas hominum detentas extraheret, & in apertum libertatis campum secum educeret. *Tunc* (inquit sacra pagina) *aperta sunt monumenta, & multa corpora Sanctorum surrexerunt cum eo.* Quia tamen adhuc ad illa æternitatis pascua (quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit) oportebat nos peruenire, ideo Christo Iesv quasi fortissimo ceruorum opus erat, qui nos per torrentem suæ amaræ passionis eò perduceret, ad Patrem æternum, gemitibus inenarrabilibus pro nobis interpellans: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Verùm nisi quis efficiatur vt ceruus, hunc passionis torrentem minimè tranare poterit. Nihil equidem salubrius sitienti, quàm pellucidus amnis; & tamen si de illo bibant venenosi serpentes,

Ceruorum stupenda virtus.

Serpentes halitu de cauernis extrahit.

Cantic. 2.

Ceruus si de pellucido fonte bibat rumpitur.

pentes, crepant & rumpuntur: quia cùm eorum venenum frigidum sit, externum frigus cum interno sic concrescit, vt omnes meatus constringantur, & obturentur; per quos dùm spiritus meare nequit, enecantur. Et hæc forsan causa est, cur serpentes venenum euomunt, antequàm bibant. Econtra verò cerui, qui naturæ calidioris sunt, dum siti æstuantes ad fontes currunt, & frigidam hauriunt, sic reficiuntur, vt D. Epiphanius libello ad Physiologum, eo potu ad quinquaginta annos denuo viuendos, eosdem reparari testetur. Ita planè propositus est nobis æternitatem sitientibus, pellucidus & delicatissimus amnis, Christi passionis tranandus, verùm si in illum prosilieris, nisi priùs peccati virus euomas, æternùm peribis. Quodsi cum singulari cordis munditia id feceris, feliciter tranabis.

S. Epiph.

Quartò, oportuit Christum pati propter implendas scripturas, cùm illæ sint insolubiles, vtpotè à prima veritate in dicendo procedentes; Nam auctorem scripturæ sacræ ipsum esse Deum, difinierunt Principes Apostolorum 2. Petri 1. *Spiritu Sancto, inquiunt, locuti sunt Sancti Dei homines.* Et quemadmodùm nouum testamentum, Deum habet Auctorem; ita & vetus, attestante ipsomet Christo Domino, quando ingressus Synagogam accepit librum Isaiæ Prophetæ, & reuoluit illum Lucæ 4. *Vt ostenderet*, inquit D. Ambrosius, *seipsum esse, qui locutus est in Prophetis: & remoueret sacrilegia perfidorum, qui alium Deum dicunt veteris testamenti, alium noui.* Ad quod alludens Sponsa Canticorum 1. dicit: *Meliora sunt vbera tua vino.* Quia vt eruditè obseruat Philo Carpatius, *vt duo vbera hinc inde pectori affixa cor ambiunt, ita duo testamenta, ex Spiritu Sancto spiritualem nobis potionem diuini lactis instar effundunt, nosq; super delectationes omnes humanas sanctissimè latificant, ac tuentur.* Quoniã ergo prænuntiata fuit in Scripturis sacris passio Christi Isaiæ 33. *Quasi ouis ad occisionem ducetur*, idcirco necessariò adimpleri debuit. Reuocare hîc quæso vobis in memoriam, amantissimum illum Patriæ suæ Patrem, Codrum Regem Athenienſium, qui bellum cum Doribus gesturus, consulens oraculum Delphicum, responsum ab Apolline acceperat, non aliter Athenienses futuros victores, nisi Rex in acie primus occumberet. Quo audito, hostes sub pæna capitis sanciuêre, ne vllus suorum militum Codro manus inferre auderet. Amans nihilominus populi sui Rex, sine multo sanguine & cæde, Patriam suam sartam tectamq; seruare volens, pulchro stratagemate hostem elusit. Nam vestibus vilissimis gregarij militis indutus, & ignotus occumbens, victoriam suis peperit. Christo pariter genus humanum proprio sanguine cupienti redimere, & in horto sanguineo sudore oraculum è cælo postulanti, æternus Pater respondit, non aliter redimendum, fore genus humanum, nisi vnus ille pro omnibus moreretur; *Necesse enim est, inquit, vt vnus pro populo moriatur.* Sed quia nulla creaturarum, in ipsam Deitatis eius personam manum mouere ausa fuisset, veste humanitatis abiectissimâ indutus, & omnibus ferme ignotus, in ara crucis occubuit, vt nos sua morte ab æterno interitu vindicaret.

Codri Regis amor in Patriam.

Quintò, oportuit Christum pati propter imitationis exemplũ, vt ipse quoq; homo pro eius honore, neq; pati, neq; mori formidaret. iuxta illud Matt. 10 *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius, quid faciant.* Hanc crudelissimam Christi passionem prædixerat olim iustus Simeon, quando accipiens Christum in vlnas suas, exclamauit: *Ecce hic in ruinam & resurrectionem multorum positus est.* Quasi sanctissimam eius Matrem his alloqueretur verbis: Domina mea, videsne hunc infantulum, quem hodiè cum tam solenni pompa & iubilo ad altare deferimus. Fruere illo modò; quia veniet tempus cheu! quo videbis eum iam grandæuum & hominem factum, duci &

Matt. 10.

1. Petri 1.

S. Ambros.

Cantic. 1.

Philo Carpatius.

Isaiæ 33.

ci & deferti non à me, sed à crudelissimis & immanissimis tortoribus, ad altare crucis, cui affigetur. Videsne Domina mea vultum illum iucundissimum: *In quem desiderant Angeli prospicere* 1. Petri 1. Qui est speculum, & deliciæ Angelorum; veniet eheu tempus, quo videbis eũ sputis illitũ, alapis cæsum, spinis coronatum, sanguine adeo obtenebratum, vt nullus eum hominem esse dignoscere possit. Conspiciſne manus illas delicatas, cælorum fabricatrices? easdem aliquando videbis acutissimis clauis perforatas, & durissimo crucis ligno affixas. Intueris nunc corpusculum illud, inter omnia humana formosissimum: *Speciosus enim forma præ Filijs hominum.* Scias aliquando futurum, vt hoc ipsum pulchrius adamante corpus, visura sis diro lanceæ ferro confossum. Eheu, & millies eheu, iste dolor tanquàm gladius acutus animam tuam transuerberabit. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, inquit Euangelista. Quæ deuotissimus Bernardus paucis complectitur Ser. 2. in festo Purificationis. *Veniet*, inquit, *quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra ciuitatem inter brachia crucis.* O quanta & quàm acerba Catholici mei pro vestra salute passus est Christus, ostendens, quia & vos non nisi per amaras tribulationes, æternitatis campum potestis ingredi. Sic vos ipsemet Christus alloquitur Ioannis 13. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis.* Arserunt Martyres, cupientes illam cælestem gloriam intrare; quia nullatenus eò sine ardore ingredi poterant, sed gladijs occisi, in craticulis assati, igne & ferro consumpti, & millenis tormentis vexati. Tali modo & nobis satagendum est cum Christo intrare.

An forsan putatis aliam ob causam, statim à natiuitate in die baptismatis, manibus vestris candelam ardentem imponi, nisi vt vobis documento sit, quòd tota vita vestra debeat esse continuus ardor, vel charitate, & claritate bonorum operum, vel iniuriarum tolerantiâ. Non aliam rursus ob causam in vltima vitæ periodo, seu agone, eadem accensa candela iterato ad manus vestras reponitur, nisi ad erigendum vos in firmam spem & confidentiam, quòd sicut dùm candela illa consumitur elychnio mortuo, lux semper vergit sursùm ad centrum suum, ita & vos, qui hîc ardentes per gratiam currebatis, licet per transitum mortis elychnium vestri corporis extinguatur, & terræ mandetur, lux tamen animæ vestræ sursùm ascendat, videlicet; ad centrum suum connaturale, quod est beatitudo æterna: ad quam vos Christi passio feliciter perducat.

EODEM DIE
CONCIO QVINTA.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

Christus propter dignificandum Petri primatum, ante alios Apostolos illi primò apparuit.

INdomitâ mundi malitiâ compellitur hodiè Christus, veritatem suæ resurrectionis demonstrare, vt tàm Iudæos, quàm alios quosuis obstinatos peccatores confundat. Iudæi quippè, cùm nullum pium possiderent affectum erga Christum, cùm totus voluntatis eorum affectus, ad mundi honorem, & gloriam hominum aucupandam propenderet, licet sufficientissimis à Christo conuicti argumentis, diuinam ipsi virtutem negare non possent; veriti tamen, ne si in eum crederent, vanâ illâ suâ gloriâ, ex hominum plausu captatâ, priuarentur, ex mera malitia, & diro ambitionis affectu, mortuum resurrexisse negabant. Quia vt docet S. August. libro 5. de Ciuit. cap. 14. *Est hoc vitium pia fidei inimicum, vt si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor, vel amor, tales ho-*

S. Petri 1.

S. Bernard.

Ioan. 13.

S. August.

les homines vera etiam credere, nec velint, nec possint. Multi pariter in vitijs obdurati, articulum Resurrectionis credere nolebant, ex hoc solo fundamento, ne malarum suarum actionum pœnas extimescerent. Teste Gregor. Nysseno Orat. 3. de Resurrectione: *Qui sibi,* inquit, *conscij sunt turpissimarum & fœdissimarum actionum; quibus graues pœnas meriti sunt, odio iudicij tollunt resurrectionem, & pro eo, quod cupiunt, & optant, varias cogitationes sibi fingunt.* De necessitate autem fidei est, credere resurrectionem mortuorum futuram, cuius certitudo pendet ex Resurrectione Christi, iuxta doctrinam Apostoli Rom. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* vbi ostendit Apostolus, quòd peccante primo homine, non solùm peccatum in nos deriuatum sit; sed etiam ipsa mors, quæ est pœna peccati, ab hoc autem vtroq; malo, per Christum liberati sumus, & sic resurrectio Christi, dicitur causa nostræ resurrectionis. Non quòd operetur resurrectionem nostram, sed quia principium resurrectionis Christi, hoc est, virtus diuinitatis existens in Christo, nostram resurrectionem faciet, ad similitudinem resurrectionis illius. Quemadmodùm etiam, si homo albus generaret hominem album, dicitur albedo generantis, causa albedinis geniti: non quòd albedinem geniti effectiuè producat, sed quòd principia eius in generante, sint principia generatiua, facientia albedinem in genito. Probat itaque Christus hodiè veritatem suæ resurrectionis, quia surrexit verè, hoc est perfectissimè. non tali modo sicut Lazarus, cuius resurrectio licet vera fuerit, non tamen fuit perfecta: quia Lazarus resurrexit iterùm moriturus; Christus autem resurgens ex mortuis, *iam amplius non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6. Surrexit verè, quia est ipsamet veritas, ita vt in illo nihil sit falsum, aut fictum, aut phantasticum; sed omnia vera, vt habetur Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Quia cùm sit Deus; veritas autem sit proprietas diuini esse, in summo illi conuenit verum esse, vt hinc euidenter constet, & omnia eius miracula, & mortem, & resurrectionem veram esse. Considerabimus itaque, cur Redemptor noster post suam resurrectionem, Beatissimo Petro, primò ante alios voluit apparere.

Ad hanc curiosam inquisitionem, iustæ me rationes impellunt: cur enim Christus, non omnibus simul Apostolis voluit apparere, siquidem omnes excluso Iudâ, & Matthiâ loco eius incluso, ac S. Paulo superadnumerato, in dignitate Apostolatûs, hoc est, in potestate ordinis sacerdotalis, & Episcopalis, ac iurisdictionis vniuersitatis in totum orbem, nullo habito discrimine certarum diœcesum, nationum, regnorum, locorum, &c. pares fuerunt. Proindè consentaneum videbatur, vt omnibus simul visendum se Christus exhiberet. S. Chrysosth. hoc refert in summam Christi bonitatem: videbat Christus Petrum, post trinum perfidæ negationis lapsum, amarè flentem, nec sibi à lachrymis temperare potuisse, vnde quia illi nihil magis cordi est, quàm verè pœnitentes in gratiam recipere, prætermissis alijs Apostolis, festinauit Petro suam exhibiturus præsentiam, vt mœstum solaretur, & de remissione criminis commissi certum redderet. Verùm ratio hæc non euacuat difficultatem: si enim ad hanc apparitionem amoris affectus mouit Christum, certè magis mouere illum debuit, vt priùs Ioanni appareret, quem ex omnibus vnicè dilexit Ioan. 21. *Vidit discipulum illum, quem diligebat Iesus.* Idq; non solùm ante passionem, sed etiam post glorioſam suam resurrectionem. Aderant in maris littore Petrus & Ioannes; & tamen licet sese vtrique Dominus æq; conspiciendum dedisset, à solo duntaxat Ioanne cognitus fuit, qui postea Dominum Petro mon-

Gregorius Nyssenus.

Rom. 5.

Christi resurrectio quomodò causa nostræ.

Rom. 6.

Ioan. 14.

Apostoli in dignitate Apostolatûs omnes fuerunt pares.

Ioan. 21.

monstrauit: *Dixit ergò discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est.* At, cur Petrus, qui antea acutissimè Christum intueri, & introspicere solebat, modò nonnisi manu ductus à Ioanne, ipsum cognouit. In pœnam commissi periurij id factum autumo: pristinæ enim negationis nebulæ, illius oculos obscurauerant, ne tantâ perspicacitate, ac Ioannes intueretur. Sic censet Chrysologus Serm. 78. inquiens: *Quæ res illam Petri sic tardauerat mentem, vt ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueuerat nuntiare: vbi est prius illud singulare; Tu es Christus Filius Dei viui. vbi est? in domo aufugerat Caiphæ Principis Iudæorum: tardiùs Dominum suum videbat, qui vocem facilè ancillæ susurrantis audiuit.* Columbæ equidem, hoc est, simplicis animæ oculis munitos esse oportet Christi spectatores, ne trabs arrogantiæ in pupillæ puritatem illapsa, visui sit impedimento. Si enim arbores tempestatem metuunt, aquæ cœnum, aues laqueum, feræ agrestes retia; multò magis homo omnem iniquitatem procul fugere debet, cùm ea ipsi laqueus, tempestas, retia, ac deniq; cœnum sit, quo mentis claritas obscuratur.

Chrysolo.

Prætermissis itaq; Apostolis, inprimis Christus Petro apparuit, ad declarandam eius dignitatem. Quia licet Petrus, in dignitate Apostolica cæteris esset par; habuit tamen à Christo primatum in spirituali potestate, hoc est in iurisdictione vniuersali, in totam Ecclesiam totius orbis, quâ Petrus supra alios Apostolos excelluit. Soli enim Petro data est potestas ordinaria, regendi & pascendi vniuersam Christi Ecclesiam, ita vt eius iurisdictio extenderet se directè, etiam ad aliorum Apostolorum personas. vt euidenter constat ex Scriptura sacra Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* quibus verbis, promissa est ædificatio Ecclesiæ in authoritate Petri, tanquàm in secundario lapide post Christum. Dupliciter quippè Ecclesia innititur Christo, vt fundamento, primò, quatenùs ab ipso redempta accipit vim meritorum eius, omnem vim vitaliter viuendi salutiferè. Secundò, quatenùs ipsius fide, fundatur in sua fide, & gubernatur in moribus. Quo ad primam rationem fundamenti, non egemus alio Christi Vicario, teste Apostolo ad Hebr. 9. vbi docet, non esse nobis opus, alio redemptore, cùm sufficiat Christus ipse per se, qui *noui testamenti mediator est.* Verùm quoad secundam rationem fundamenti, quia Christus non erat nobiscum perpetuò mansurus, & humano modo conuersaturus, ac nos in moribus & fide gubernaturus, ideò loco eius egemus Vicario, non quidem eo, qui aliam fidem à Christo docendo, fundet nostram fidem. Quia hoc impossibile est, ex illo 1. Cor. 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Sed qui fidem à Christo datam infallibiliter explicet, propaget, custodiat, proponat, legesq; credendorum & agendorum à Christo latas, obseruari curet, additis alijs necessarijs, vel vtilibus, prout necessitas circumstantiarum tulerit, exigente id statu Ecclesiæ duraturæ, vsq; ad secundum aduentum Christi. Cùm ergo Petrus in hac potestate, voluntate Christi cæteris Apostlis eminuerit, dignitas eius postulabat, vt ei Christus primò appareret.

Ecclesia Christo dupliciter innititur.

Hebr. 9.

Ad quid egemus Christi vicario.

1. Cor. 3.

Petrus vniuersali iurisdictione Apostolis maior.

Matt. 16.

Disceptant nihilominùs Doctores, cur potiùs Petrus, quàm Ioannes, in Vicarium Christi electus sit? Siquidem Christus egregia præ alijs discipulis Ioanni signa dilectionis præbuerat. Nam & supra pectus suum in cœna, fecit eum recumbere, & charissimam sibi Matrem in cruce ipsi commendauit, vt hinc dilecti nomen optimo iure sibi illemet adscribat. Et nihilominùs (licet & Ioanni non parua erga Christum dilectio inesset) cùm ad sui Vicarium deligendum accessit, non dilecto Ioanni; sed Petro summum Ecclesiæ munus attribuit. Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Sed magno id consilio factum video,

Cur potiùs Petrus, quàm Ioannes a Christo in vicarium electus.

Ioan. 21.

videa, ne scilicet ea maximi momenti electio, vel ob respectum ad matrem, quam in sua Ioannes recepe-
Ibidem 19. rat. Ioan. 19. *Et ex illa horâ accepit eam discipulus in sua.* Vel ob peculiarem beneuolentiam, quam erga Ioannem habebat, potiùs quam ob præstantissima merita, (quamuis hæc Ioanni minimè deerant) facta videretur. O attentissimam prudentissimamque Christi electionem, malè à multis electoribus, peius verò à pluribus electis expensam! Quid? itanè eligentes merita, & virtutes eligendi, penes quos hæc potestas residet, obseruare, & examinare solent? Iranè diuinæ etiam charitati innixi, honorum candidati Ecclesiasticas dignitates semper ambiunt? Haud assentior: imò vereor maximè, ne sæpiùs Christi tunica (id est Ecclesia sancta) quam sic intitulauit ipsemet Saluator, B. Petro Episcopo Alexandrino & Martyri, discissam vestem ostendens, eumq; alloquens: *Arius vestem meam, (quæ est Ecclesia) dilacerauit* sorte potiùs, quàm meritis obtineatur. Quod pulchrè præfigurabat Dominus ac Redemptor noster, quo in cruce sanctissimam animam exhalante, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, *non habentem*
Ephes. 5. *maculam, aut rugam.* Ephes. 5. Milites qui eum cruci affixerant, de hac ipsius veste Ecclesiæ typum gerente, sortiebantur: *Dixerunt ergò ad inuicem, non scindamus eam; sed sortiamur*
Ioan. 19. *de illa, cuius sit.* Ioan. 19. Paucosne videbitis hisce temporibus, ad dignitates & Prælaturas Ecclesiasticas anhelantes, non iam vt stelliones proprijs meritorum manibus, sed alieno fauore innitentes, nec domibus suis reclusos, studijs, & orationi intentos, sed potiùs in aulis Regum, in palatijs Principum familiares, & omnia seruiliter pro dominatione facientes. Sic quondam Petrus Damianus opusc. contr. Cler. Aulicos, Bonifacium Pontificem, alloquebatur: *Cùm de modernis Episcopis mihi*
Petrus Damianus. *perplura displiceant, illud intolerabilius arbitror, quia nonnulli, dùm honores Ecclesiasticos Ætnæis vaporibus æstuantibus ambiunt, in clientelam potentium, tanquàm seruos se deditos obscœnè substernunt, Ecclesias quippè deserunt, dùm Ecclesias concupiscunt.* Hinc fit, vt dùm tales publicas in Ecclesijs Christi consequuntur sedes, non ipsorum meritis, aut Dei nutui, populi vox, quæ Dei solet esse, rem tribuat; sed potiùs sorti, & fortunæ. Quin & ipsemet Deus, de tali honorum adeptione grauiter conqueritur, Oseæ 8. *Ipsi* inquit, *regnauerunt, & non ex me,* Oseæ 8. *Principes extiterunt, & non cognoui.* Quod D. Gregorius in 2. parte Pastoral. cap. 1. in hunc modum exponit: *Ex se namq;, & non ex arbitrio summi Re-* S. Gregor. *ctoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, neq; aquàm diuinitùs vocati, sed suâ cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potiùs, quàm assequuntur.* Non probat itaq; Deus, nec ratum habet tale regimen, quod non Dei voluntate, sed humano fauore assumitur. Hac de causâ, ipsummet quotidianum panem, qui vt vitæ subsidium, & iustis ac peccatoribus animis est, peculiari ratione iubemur à Deo efflagitare Lucæ 11. vt scilicet si volumus nobis vtilem, ac proficuum fore, non nisi de eius manu accipiamus. Quemadmodùm docet S. Chrysosthomus in Catena S. Thomæ ad caput 6. Matthæi. *Non solùm autem,* inquit, *oramus ideò, panem nostrum da* S. Chryso. *nobis hodiè, vt habeamus, quid manducemus, quod commune est inter iustos, & peccatores; sed vt quod manducamus, de manu Dei accipiamus, quod est tantùm Sanctorum. Nam illi Deus dat panem, qui cum iustitia præparat, diabolus autem ei, qui præparat cum peccato; vel vt dùm à Deo datur, sanctificatus accipiatur, & ideò addit nostrum, id est, quem nos habemus præparatum, illum da nobis, vt à te sanctificetur.*

Rabbanus autem in capite 16. Matthæi, censet Petro Christi Ecclesiæ Principatum collatum fuisse, quia maiori præ cæteris Apostolis deuotione, Christi diuinitatem confessus fuerat. Exploraturus Dominus, hominum de se opiniones, interro-

Matt. 16. terrogabat discipulos suos: *Quem dicunt homines esse filium hominis? Responderunt illi, alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Res stupenda: expendite, qualia & quanta tunc Christus fecerat miracula, dùm hæc diceret? mortuos resuscitauerat, leprosos mundauerat, claudos erexerat, cæcis lumen restituerat, infirmitates quaslibet sanauerat, dæmones suo imperio ciecerat, omnes in admirationem sui rapuerat; paruulos, medios, infimos, attonitos reddiderat; & tamen cùm nihil horum Ioannes effeciſſet, nihilo plus eo Christum faciebant. Quod attendens Dominus, separatis tantisper à mundialium rerum tumultu discipulis, eorum iam, qui non humana, sed diuina in Christo æstimabant, sententias de se extorquere cæpit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Diuus autem Hieronymus exponit: *Illis quia homines sunt, humana opinantibus, vos qui dij estis, quem me esse existimatis?* Vbi Petrus, tanquam os Apostolorum & caput, primus respondit: *Tu es Christus Filius Dei viui*, hoc est, vt inquit Origenes in hunc locum: *Tu es fons vitæ, à vita fonte, qui est Pater.* Quæ responsio adeò grata fuit Christo, vt statim beatum illum pronuntiauerit: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est.* Quid sibi vult caro, & sanguis? Sanctus Hieronymus intelligit Iudæos. Quasi diceret Christus, supra Iudæorum æstimationem te eleuasti, & ab illis tale iudicium non accepisti. S. autem Hilarius com. 16. in Matt. per carnem & sanguinem, intelligit solam humanam rationem: *Quia*, inquit, *vltra humanos oculos, & intendisse, & vidisse laudatus est, non id, quod ex carne & sanguine est contuens, sed Dei filium cœlestis Patris reuelatione conspiciens.* Ergò ideò Petrus Beatus, quia id patris gratiâ assecutus est, idque prospexit, quod nulla caro, nullus sanguis prospicere, aut videre poterat. Imò non solùm beatus, sed etiam vltra omnes Apostolos dignificatus, illam accipiens promissionem: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quod solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Matth. 16. Vbi clauium promissione, Ecclesiæ Principatus, primariaq; potestas significatur. Matt. 16.

Tempestiuè hoc loco addubitat Chrysost. quare alij, qui pari eloquio Christum laudauerunt, palam confitentes eum esse Dei Filium, non sunt ita dignificati à Christo? Proclamauit Nathanàél Christum Dei Filium Ioan. 1. *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israèl*, & tamen non solùm vllo beatificationis, aut dignitatis officio muneratus non est, verùm etiam quasi non multò inferiora, quàm oporteat cogitaret, à Christo redargutus est. *Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis.* Equidem sagaci expensione, & curiosâ admiratione dignissimum est, quam ob rem Christus Petrum ob vnicam confessionem: *Tu es Christus Filius Dei viui*, ita gloriosè laudauerit, & gazis cœlestibus præcelsè munerauerit; Nathanàélem verò simili confessione conspicuum, illaudatum, & immuneratum dimisit? Aut enim vterq; gloriosè beatificandus erat, aut neuter, non alteruter tantùm, de simili cum altero eiusdem confessionis merito commendandus. Cæterùm ex ipso Euangelicæ narrationis contextu, opportunam huic thesi ethicam solutionem conijcio. Non enim Nathanàél miraculum vidit, cum Iesvs de illo diceret: *Ecce verè Israèlita, in quo dolus non est.* ita vt Nathanàél obstupescens exclamaret: *Vnde me nosti.* Quia prælustrem miraculorum famam de Christo audiuit ab ijs, quibus denegare fidem nefas censebat: neq; hactenus audierat famam vulgi, qui in varias de Christo sententias diuisus erat, ideò Christum Dei Filium confitens, non est beatificatus. Petrus autem vulgi opiniones multas, Christi dignitati ac maiestati parum idoneas audiens, & valdè improbabiles

Ioan. 1.

Ibidem.

S. Hieron.

Origenes.

S. Hilarius

cognoscens, quia ita sublimiter sensit de Christo, vt eum verum Deum, ac Dei Filium profiteretur, meritò beatificatus, & primatu Ecclesiæ honoratus est. Eximiè quippè laudabile erat, & in homine meritò beatificandum, quod dùm alij variè de Christo sentirent, nec valdè laudabilem de eo opinionem combiberent, attentè spectatis, & exploratis, quæ extrinsecùs apparebant, neglectisque quæ minus Christum honestabant, humana transcendere, & de Christo, vt par est, sentire.

Vt ergò Christus primatum Petri dignificaret, primò illi ante omnes voluit apparere: quia hunc Ecclesiæ primatum, qui penes Petrum, & eius successores, vsq; ad consummationem sæculi manere debuit, Christus in tantum æstimauit, vt etiam Petri vices aliquandò ad tempus sustinuerit. Quod sic concipite: Bonus ille latro in cruce, & suæ furacitatis, & dominicæ innocentiæ benè conscius, Christi diuinitatem in tormentis agnoscens, sui memoriam supplex exposcebat: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Lucæ 23. Dicitque Sacra pagina, quòd sui memoriam piè quærens, feliciter paradisum inuenerit. *Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodiè mecum eris in paradiso.* Quî hæc poterant fieri? cùm paradisi, seu regni cœlestis hactenùs clausi, apud Petrum claues manerent, iuxta illam Christi promissionem Matth. 16. factam: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Respondet Arnoldus Carnotensis, quòd licet tunc defeciſſet Petrus, à magno cœlestis clauigeri munere obeundo, Christus tamen eius vices suppleuerit. Vnde in Tract. de septem verbis Domini, hoc colloquium ad Petrum inducit. *Hodiè mecum eris in paradiso. Te tamen o Petre, iuxta crucem non video, territus lates, nec ibi Apostolicâ authoritate veteris, vbi ad inuicem fixis iuxta crucibus, priuata miscent colloquia, Saluator, & peccator. Absens eras, & ministerij tui claues (quod pace tuâ dixerim) modò non profers, (supplet vicem tuam summus Sacerdos, apertisq; feris antiquis, latro primitiæ derelictorum introducitur, aperiente Christo in regnum cœlorum.* Ecce Petrus paradisi clauiger designatus, post trinam Magistri abnegationem, Christi oculos præ pudore ferre non sustinens, confestim territus aufugerat, & flebilis latebat, irremediabilibus vbertim lachrymis procurans præuaricationis lituram. Ingressurus erat in paradisum latro, Apostolica desiderabatur authoritas, quæ commissis sibi clauibus, paradisum hactenus clausum ex officio referaret. Nihilominùs quia tunc ex legitimâ causâ abfuit, lachrymis sua delicta mundans, ideò Christus vices eius obijt, ne suo muneri Petrus defuisse putaretur.

Erubescant hic dissidentes in fide, qui Romano Pontifici, S. Petri Vicario, seipsos monstrare, eiusque supremam in terris iurisdictionem agnoscere recusant, negantes ei successorem à Christo relictum, seu ius succedendi. Quasi verò non ipsum lumen naturale sufficienter dictet, Christi Ecclesiam seu Rempub. debere esse ordinatissimam, quoad modum regiminis, proindè monarchicã, quæ potior est, quàm Aristocratica, aut Dimocratica, vt probat Aristoteles in Politicis. Consequenter debere habere monarcham visibilem, in absentia Christi, vtpotè & ipsa visibilis. Cùm autem constet, alios Apostolos non fuisse hac dignitate præditos, ex eo, quòd nulli succedatur ita continuo vsque ad præsentem diem, in vniuersali gubernatione Ecclesiæ, sicut Petro; necesse est, primatum Petri cum Christo non esse extinctum, sed ad eius successores deuolutum. Si enim in veteri testamento, semper vniuersali pastori demortuo, vniuersalis succedebat, quod fuit figura gerendi in Ecclesia, quomodò in nouo testamento, mortuo vniuersali pastore, alter quoque vniuersalis succedere non dicitur. Alioqui cùm Christus in Petro ædificasset Ecclesiam, si ab illo nulla successio deriuata est ad alios, dubio procul

Petro

Christus Petri vices aliquando ad tempus sustinuit.

Lucæ 23.

Matt. 16.

Arnoldus Carnotẽ.

Hæretici temere negant vicariatum Christi Romano Pontifici.

Petro ab Ecclesia sublato, tanquàm auulso fundamento, ipsa Ecclesia iam pridem aruisset, simulq; cum Petro extincta fuisset, nec iam vnquàm reparari posset, siquidem Petrus, qui Ecclesiæ fundamentum à Christo institutus fuit, non nisi vsq; ad extremam iudicij diem, ad vitam reuocabitur.

Erubescant sensatiores Hæretici, & Schismatici, qui admisso hoc iure succedendi, negant illud pro vno tantùm esse relictum, sed pro quatuor Patriarchis, ignari successorem S. Petri non plures, sed vnum tantùm esse debere, vt constat ex Monarchico regimine à Christo institutò: eumq; non Hierosolymitanum Episcopum, nec Antiochenum, nec Constantinopolitanum, sed Romanum Pontificem, vt expressè definitum habetur in Concilio Florentino, non longè à principio, vbi sic habetur. *Definimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem, in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum, successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere.* Hanc veritatem Imperatores, ac Reges, semper indubitatam tenuerunt, Romanum Pontificem, caput Ecclesiarum Dei in vniuerso mundo, Pastorum ac Sacerdotum Principem agnoscentes, & submissè venerantes. Sic Constantinus Magnus, ita semper Pontificiam dignitatem veneratus est, vt ad Syluestrum Papam scribens, eundem tanquàm Christi Vicarium, & Imperiali dignitate maiorem agnosceret. De quo illud etiam præclarum testimonium Imperialis humilitatis, erga Episcopos, commemorat Nicephorus lib. 8. Histor. cap. 16. *Cui*, inquit, *cùm plurimæ aduersùs Episcopos querelæ ab ijs, qui cum eis acres inimicitias gerebant, oblatæ essent, pius Imperator statuto die, libellos eos omnes in manibus tenens, hæ inquit querelæ, & accusationes, magno illi Iudici decidendæ remittuntur, statutumq; tempus, extremi iudicij sit dies, cui iudici occulta etiam manifesta sunt. Mihi quidem homini errori obnoxio, nefas esse videtur, Ecclesiasticorum virorum accusationes reuidere, & audire. Neq; enim conuenit, puto, Dei ministros, se præstare debere, vt vel à me, vel ab alio iudicentur.*

Valentinianus pariter tertius, in epistola ad Theodosium Imperatorem, quæ exstat in Concilio Chalcedonensi, ad Romanum Pontificem, tanquàm supremum Ecclesiæ caput, ac Sacerdotum Principem, iudiciorum Ecclesiasticorum ius spectare, palam fatetur his verbis: *Debemus*, inquit, *dignitatem propriæ veneration is B. Petro Apostolo integratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenùs beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide, & sacerdotibus iudicare.* Martinus item & Valentinianus, epistolâ ad Leonem Papam, Ecclesiasticum Principatum non sibi, sed diuino iure Pontificibus deberi agnouerunt. *Pro reuerenda*, inquiunt, *& Catholica religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam sanctitatem, Principatum in Episcopatus diuinæ fidei possidentem, sacris literis in principio credimus alloquendam.* Hac pietate ductus Iustinianus Imperator, epistolâ ad Ioannem Papam, in Cod. de summa Trinitate, & fidei Cathol. non Imperatores, non Reges, sed Romanum Pontificem, affirmat esse omnium Ecclesiarum caput, inquiens: *Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.* Sed ne longius excurram, vnus pro mille stabit Basilius Imperator, qui in octaua Synodo generali, hac de re sic præfatus est. *Laicis nullo modo licet, de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neq; penitùs resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari.* Hæc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdo-

Conciliū Florentinū

Constantinus Magn⁹ Romanorū Pontificē maiorē se agnouit.

Nicephor⁹

Valentinianus Imperator.

Martinus & Valentinianus Imperatores.

Iustinian⁹ Imperator.

Basilius Imperator.

cerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, qui ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus.

Quid de Regibus pijssimis censebimus, an ab hac in sedem Apostolicam veneratione alieni fuêre? minimè: Vladislaus enim Rex Poloniæ, epistolâ ad Ioannem XXII. deuotum ac subditum se eius filium professus est. Sigismundus pariter ad Concilium Lateranense, in data epistola, obedientiam Romanæ Ecclesiæ præstitit, his verbis. *Designamus oratores nostros, dantes illis potestatem, coram sanctitate Leonis X Papæ comparendi, ibidemq; obedientiam, iuxta maiorum meorum consuetudinem, præstandi, & recognoscendi eum esse verum, & vnicum, & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis pastorem.* Eadem sem-

Regum Poloniæ in sedem Apostolicã pietas,

per fuit Polonorum Regum pietas & obedientia, erga summum Pontificem. Nec non antiquorum Angliæ Regum: Eduardus enim primus Rex Angliæ, in epistola ad Nicolaum XI. Papam ita scribit: *Summo vniuersalis Ecclesiæ Patri Nicolao, Eduardus gratiâ Dei Anglorum Rex, debitam & subiectionem, & obedientiam.* Idem fecit alter Eduardus, epist. ad Bonifacium VIII. & alij Reges Longobardorum, Armenorum, Francorum, &c. Quibus hodiè præit Christus suo exemplo, qui post suam resurrectionem, licet verus esset Deus, hunc honorem B. Petro exhibuit, vt & illi supremum in terris Christi Vicarium, debitâ submissione venerari non erubescant, scientes totam hanc venerationem, simul in ipsum Christum Regem Regum & Dominum dominantium refundi, Amẽ.

Regum Angliæ testimonia,

DIE III. RESVRRECTIONIS.

CONCIO PRIMA.

Pax vobis. *Luc. 24.*

Ostenditur, quale bellum cum Christi pace consistere valeat.

Liceat mihi quæso hodie venientem cum triumpho victorem IESVM, & in conclaue Apostolorum clausis ostijs introëuntem ad eum modum salutare: quo Rex Latinorum quondam fortissimum Æneam ex incendio Troiano, & cruento cũ Græcis peracto bello illæsum redeuntem, inter sui penetralia palatij suscepit: *Pacem ne huc, an arma fertis.* Nam & ego in biuio versor: num Christus rediuiuus confluenti ad sacratissimæ solennitatis paschalis festiuitatem, deuotæ Christianitati, pacem firmam proclamet; num certè belli pericula denuntiet. Ad pacem quidem hodiernum inclinat Euangelium: quia desideratissimo illius titulo turbatos Apostolos salutat Christus. Sed ex aduerso, bellum huic paci opponit altera discrepans Christi doctrina: *Nolite, inquit, arbitrari quòd venerim pacem mittere, in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.* Quid ergo? in vno loco dicit Christus se pacem afferre, & in altero bellum proclamat. Num forsan aut sol cum tenebris, aut bellica dissensio cum societatis fœdere, aut bellonæ certamen cum tranquillitate regnorum, aut martis duellum cum sanguinis integritate, aut denique mors cum salute subsistere poterunt. Sic est pietas Christiana: Pax Christi cum bono bello optimè possunt cohærere. Nam sicut peritus Chirurgus ferrum simul & ignem putridis ægroti mem-

Matt. 10.

ti membris applicat, quò meliùs reliquorum membrorum saluti obuiare, & consulere possit: sicut sapiens medicus, amaris potionibus, & simul diris carnium venarumq; scissionibus, & similibus iaculis atq; tunsionibus, rebellium & violentorum humorum conspirationem prosequitur, vt tandem moribundum corpus, ad meliorem frugem reducat. Ita planè Christus Dominus, & bellum bonum inuexit in orbem Christianitatis, vt pacem malam ex animis eorum euelleret. Quæ contra charitatis ordinem aliquando solet exhiberi, dùm homo terrena cælestibus, humana diuinis, caduca æternis præfert. Simul quoq; pacem hodiè attulit, vt malum inter Christianos dissoluat bellum. Sic ista duo loca sibi contraria, de pace & bello, concordat doctissimus Antonius Peres, in authentica SS. quatuor Euangelistarum, de fide Euangelij secundum Matthæum cap. 38. Et S. Augustinus tomo 4. libro quæstionum Euangelicarum secundum Matthæum q. 3. Venit Christus (inquit ille) bellum mittere, quia separare filium aduersùs patrem suum: hoc est, vt homo renuntiet diabolo, qui antea fuit pater illius, dùm in peccato decumberet. Venit separare filiam aduersùs matrem suam: hoc est populum sanctum in fide, aduersùs incredulam Synagogam, & pernicioſam generis humani societatem. Pace igitur Christi vos hodiè salutabo, verùm, quòd simul in hac pace consistentes, ad bellum parati esse debeatis, irradiante resurgentis gratiâ Saluatoris edisseram.

Antonius Peres.

S. August.

Ita Deus omnes astrorum motus ordinauit, vt post caliginosam noctẽ, lucidam diem pariant, atq; nocte homines terreri, die verò solari destinauit. Quod sapientissimè Regum & Prophetarum antesignanus Dauid edisserit in hunc modum: *Posuisti*, inquit, *tenebras, & facta est vox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ; ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Quasi diceret: ita

Psal. 103.

A Domine tempora dispositi, vt sole radios suos in occasu abscondente, ac veluti tenebroso quodam velo, instar noctis vniuersam terram cooperiente, homines veluti emendicatis quibusdam solis reliquijs, lucernis accensis, aduersùs tenebrosas noctis vmbras sese protegant, quæ tunc temporis multo maiores esse solent, vt Pastor ille apud Virgilium Melibæo dixit.

Et iam summa procul villarum culmina fumant.
Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ.

B Tunc enim iuxta effatum Regij vatis, ferociſſimæ quæuis belluæ, ex antris suis egredientes, per campestria hinc inde discurrunt, vt prædam sibi inueniant attestante scriptura: *Vt*, inquit, *rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Tunc temporis aues formidolosæ nidis suis accubant, homines in suis domicilijs conquiescunt, infirmi quasi caliginosæ noctis melancholiâ illos grauiùs infestante, deteriùs habent. Ac tandem horribilia phantasmata, quæ procul C abigi à cordibus fidelium postulat sancta Ecclesia: *Procul*, inquit, *recedant somnia, & noctium phantasmata.* Tunc inquam domorum incolas, terrore atque horrore nimiùm vexatos conturbant, affligunt, & quod maximum, noctes etiam insomnes ducere plerumq; compellunt. Verùm lucidâ in orbem prodeunte die, ab his omnibus periculis liber & immunis homo efficitur, dicente propheta: *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Quasi di- D ceret, cùm iam longiùs tenebræ recedunt, & sol cœlum conscendit, protinus leones, tygres, vrsi, aliaq; effera animantia, ad nemorum recessus, siluarum antra, & caliginosas, quas incolunt cauernas regrediuntur. Singuli verò hominum, singulis operibus vacare incipiunt, & vnus quisq; se ad opus suum præstandum accingit. Agricultor ad vineam, iudex ad tribunal, Ecclesiasticus ad diuina negotia, aduocatus ad clientis patrocinium, literis deditus ad speculationem. Orto sole, & solo

Ibidem.

Ibidem.

eius aſpectu, claritate perfusâ, montes & valles, gratâ oculos viriditate recreant. Colles & planities herbis coopertæ lætitiam quandam præseferre videntur. Irradiante demùm sole, fœcunda in vberes fructus exundat terra, teste Regio vate: *Benedices*, inquit, *coronæ anni benignitatis tuæ, & exultatione colles accingentur, induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento.* Quis obiecro ignorat ante ortum diuini solis iustitiæ, Christi rediuiui, vniuersum terrarum orbem, tetrâ ignorantiæ caligine oppressum, ac dæmonis tyrannide vexatum fuisse? qui tanquam leo effrænis, innumeris infestationibus mortalium genus premebat. Prodeunte tamen de ferali sepulchro, in orbis hemisphærium sole iustitiæ, qui est splendor Patris, omnibus subitò bonis, doctrinâ salutis, splendore gratiæ, vitæ exemplo, Sacramentis, meritis, sanguine, ac demùm inappretiabili Christi passionis fructu cumulatus est orbis vniuersus. Premebant diuino hoc occidente sole, vmbræ infidelitatis discipulos, quibus eorum animi in funesta Christi morte contristati, & conturbati fuêre. Verùm vt primùm renatus est Sol iustitiæ, & in tertio hodie suæ ascensionis gradu steterit; vt primùm clarior & nitidior mundo apparuit, qui antea sub nubibus mortis obscuratus fuerat, mox ad antra & cauernas suas leones fortissimi, scilicet salutis humanæ inuidi Principes tenebrarum abacti sunt. Mox venenosi serpentes peccatorum suggestores aufugerunt. Mox lethali morbo peccati ægrotantes, nouo quodam refrigerio refecti, & pristinæ sanitati atque gratiæ restituti sunt.

Psal. 64.

Tulit ergo hodiè Christus pacem mundo consolationis, & fortitudinis, contra dæmonem. qui iam non potest redempto homini quidquam nocere, nisi quantum diuina voluntas permiserit, ipsamet æterna veritate id asserente: *Ecce*, inquit, *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones.* Hodiè primùm iugum æternæ damnationis de ceruicibus humani generis sublatum est. Hodie fœdus amicitiæ æternæ cum Deo pactum. Hodie pace optata de superbis hostibus ex humana infirmitate triumphantibus, populus Christianus donatus est. Quia pacificauit Rex gloriæ cælestia simul & terrestria. Refert Paulanias, quòd cùm à Lacedæmonijs Messenij grauiter premerentur, quidam Aristhomenes, noctu Palladis templum ingressus, ibi clypeum suum reposuerit, vbi hostes parta victoria arma reponere consueuerant. Sicq; inimicos inuadens, fugauit totum illorũ exercitum, & Messenios è molestijs eripuit, cui occurrentes Messeniæ fœminæ, carmen illud decantauerunt.

Colloſſ. 2.

Per medium campum ſtericleam & iuga bŏum Spartanus fugat fortis Ariſtomenes.

Sic planè, cùm fortis & armatus tenebrarum Princeps, mundum sua tyrannide opprimeret, misericordiâ motus diuinus Aristhomenes, scilicet Christus Iesvs, in excelso crucis throno reposuit illud suum insigne J. N. R. J. & in ipso mortis templo, vbi dæmon victorum hominum trophæa arroganter locauerat, sacratissimæ humanitatis suæ clypeum erexit. quo munitus, & resolutum dæmonem aggressus domuit, tartareas potestates cœrcuit, antiquorum Patrum carceres reserauit, & captiuos omnes in spatiosum libertatis & redemptionis campum eduxit. Vt proinde lætabunda fidelium Ecclesia, meritò hodiè tanto victori Christo nouũ occinat canticum. Non tamen illud, quod Maria soror Moysis; cùm mare rubrum sicco pede permeantes Hebræi, gloriosam reportassent ex Pharaone victoriam. Non illud, quod Debbora, insigne decus victoriæ cecinit, cum potentissimum Sisaram debellasset. Non illud, quod Anna ob sterilitatis opprobrium sibi ablatum, Deo persoluebat. Neq; demum illud, quod Ezechias quindecim annis suæ ætati superadditis, Deo gratificans occinebat, sed nouum illud: *Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum*

Psal. 97.

sanctum eius. Nam maius his omnibus gaudium, Apostoli sancti ex victoria Christi susceperunt, quod præclarè descripsit Propheta: *Lætabuntur*, inquit, *coram te, sicut qui lætantur in messe, & sicut lætantur victores captâ prædâ, quando diuidunt spolia, & sicut in die Madian.* Vbi primum gaudium Apostolorũ ex conspectu Christi, comparat Propheta cum gaudio messorum. Sicut enim arandi serendiq; elapsis interuallis, niuibus & frigoribus transactis, brumalisq; temporis inclementiâ sopitâ, lætantur potissimùm agricolæ, dũm copiosas colligunt messes, quibus horrea compleant; sic planè discipulis Christi euenit, quorum corda, postquàm frumentum Christi corporis, intra sepulchri terram satum esset, mæror maximus occupauerat. Verùm rediuiuum videntes Dominum, tanquam maturam splendentemq; aristam, in credibili lætitia gestire cæperunt, teste Euangelista: *Gauisi sunt*, inquit, *discipuli viso Domino.* Secundò, lætitiam discipulorum ex apparitione Christi Domini, comparat Prophe ta cum gaudio militum victoriâ obtentâ. Sicut enim milites tempore belli, grauissimis præmuntur angustijs, propterea, quòd vt veteranus quidam protulit miles, dubius sit belli euentus. Nihilominùs tamen vbi prosperum & secundum martis successum vident, quasi obliti omnis susceptæ miseriæ, vexilla extollunt, tympanis personant, concrepant tubis, & inũmerabilia lætitiæ signa præseferunt. Sic planè se res habet cum discipulis Christi: & hi enim cùm in monte Caluariæ strenuè dimicaretur, tanto fuerunt terrore concussi, vt terga vertentes, proprium ducem in manibus hostium reliquerint. At verò vbi Christum cum triumpho resurgentem, & inter se comparentem viderunt, illicò omnis eorum tristitia in tripudium, mæror in gaudium, melancholia in lætitiam versa est. Quia, *gauisi sunt viso Domino.* Tertiò demùm lætitiæ discipulorum, quam ex præsentia Christi rediuiui conceperunt, magnitudinem comparat propheta cum gaudio pugnantium in campo Madian. In campo enim Madian victoriam reportauerant milites, ex hostibus Cretaceis, confractis vasis, in quibus accensus ignis inclusus asseruabatur. Sic planè confosso clauis acutissimis Christi mortali corpore, indeq; lucidissimâ animæ eius face prodeunte, dæmon in quo ignis æternæ damnationis asseruabatur, victus miserabiliter cecidit. Ex cuius victoriæ assecutione, incredibilem Apostoli conceperunt lætitiam. adeò enim strenuè Christus in sua passione, cum Principe tenebrarum debellauit, vt impossibile sit hominem reperiri, qui resolutum illud certamen considerans, mirari pariter & lætari non debeat. Prælium autem hoc Christi cum potestatibus inferorum, Draco cum Elephante dimicans, ad amussim exprimit. Docet enim Plinius naturalis historiæ peritissimus author, calidissimæ naturæ Draconem esse, atq; adeò irâ propriâ impulsum, Elephantem quæritare, qui sanguinis est frigidissimi; vt eo sitim suam extinguat. Verùm, cùm id difficulter possit obtinere, quoniam Elephantus multò est robustior Dracone, idcircò hac arte vtitur Draco. Cùm Elephantum arbori innixum comperit, (sic enim dormire illum tradit Plinius) sanguinẽ de venis eius sugit: vbi exanguis Elephas, mortem iam sibi imminere cernens, & in terram corruens, corporis sui pondere draconem comprimit, sicque moriens victoriam reportat de Dracone. Egregia sanè figura victoriæ Christi: Nam lucifer in sacro eloquio, Draconis nomine venit, iuxta illud Prophetæ: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Et illud S. Ioannis: *Michaël præliabatur cum Dracone.* Draco iste adeò ignitæ naturæ est, vt Iordanem fluuium potare audeat: *Absorbet* (inquit Iob) *fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.* Non enim solum cupit inuidissimus nostræ salutis hostis, peccatores, qui suarum passionum

Isaiæ 9.

Ioan. 20.

Ioan. 20.

A

B

C

D

Plinius.

Psal. 103.

Apoc. 12.

Iob 40. n. 18.

sionum fluctibus deferuntur, absorbere; verùm etiam iustos ipsos Iordane expressos, quo Deus stupenda prodigia operatus est. Hic ergo infernalis draco, Christi sanguinem sitiens, dùm ligno crucis innixus, & somno crudelissimæ mortis oppressus esset, Hebræorum manibus, & blasphemantium ore sanguinem eius suxit. Verùm exanguis Christus decidens, & diuinitatis suæ pondere in eum irruens, compressit illum, iuxta prophetiam Dauidis: *Tu confregisti capita draconis.* Psal. 37.

Pacem ergo desideratam attulit nobis Christus, in qua magnificentia eius, maiestas, & potentia summè eluxit, quòd potentissimum hostem, dæmonem scilicet; cuius potentiam admiratus Iob dixit: *Non est potestas in terra, quæ valeat ei comparari;* Iob 41. dùm inquàm tantum hostem non vllis armis, sed corporis sui horrendis cruciatibus exterminauit, & penitùs profligauit. Iuxta effatum Euangelistæ: *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Ioan. 12. Procurauerat quidem ab instanti suæ damnationis, crudelissimus hic generis humani tyrannus, hominum animas multis sceleribus deturpare, vt sic in odio Dei habitæ, facilius non permouerent æternum Patrem, ad mittendum ad nos vnigenitum Filium suum. Sed spes eius præconcepta votorum magnitudinem non adæquauit, nec malè intentis optatus respondit euentus. Quia non est consilium, non est prudentia non est sapientia aduersus eum. Nitebatur semper diabolus, per omnia diuinis ordinationibus resistere, & in omnibus vijs supplantator existendo, ruinam Angelorum, de hominum genere reparare volente Deo, hominem ipsi inobedientē reddidit, non obstante custodiâ Angeli boni. propter cuius malignam suggestionem, eousque excreuerat hominum iniquitas, vt diluuio vniuersali mortalium genus perderet, iustè indignatus Deus. Solo Nòe viro iusto, cum filijs, eorumq; coniugibus, ab interitu præseruatis. Et videns iam ante Ecclesiam militantēm in Abele initium habere, statim Caimum aduersùs fraterni sanguinis effusionem suscitauerat. Extinctis vero aquarum inundatione hominibus, ex tribus fratribus stimulauit vnum, qui Patri suo dormienti illuderet. Venit tandem ad eos, quos sanguis Christi redemerat, sed hic iam compedibus vincta eius malitia subsistere debuit: cùm pacem à Christo nobis partam agnosceret. Voce enim victoris, & triumphatoris Christi, ab omni fraudulentâ fidelium deceptione repulsus est: *Nolite*, inquit, *tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Psal. 104.

Meritò proinde diem hodiernam, diem Solis vocare possem: quia illuxit nobis feliciter optatæ pacis possessio, factâ per mortem & passionem Christi. Et quemadmodùm Pererius supra Genesim docet, tertiò primùm creationis die, terram omni amænitate & florum varietate fuisse completam, hortos produxisse pomiferos, atq; adeò ipsum paradisum in Palæstina, omnem delectationem in se habentem. Sic planè Christus Dominus, non prius, quàm tertio resurrectionis die, pacem humano generi partam in sanguine suo præsentauit. Quia hic dies festiuitatis Paschalis, est regnum cæli, salus mundi, vita credentium, occasus inferni, gloria superorum, mortuorum suscitatio, testimonia diuinæ resurrectionis pretium redemptionis humanæ, demùm cognitio mòrtis abolitæ. verè dies solis est hodierna festiuitas, quam fecit Dominus, celsior cunctis, lucidior vniuersis. in quo sibi nouum populum regenerationis spiritu conquisiuit: In quo singulorum mentes, gaudio & exultatione perfudit: in quo pacem optatam dedit Apostolis, reconcilians ima summis. Dies proinde solis est hodiernæ festiuitatis, quia defunctis vitam, peccatoribus veniam, sanctis gloriam confert, quando operatione virtutis, eleuat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis, consumat iustos, firmat

Pererius.

Augustin. Serm. 162. de tempo.

mat dubios, damnat incredulos. Quod ergò ornamentum, aut quem fructum hodierna Christi pax confert animæ Christianæ? Magnam profectò, quia inprimis mutuam concordiam, ne ampliùs in Christianitate odium, superbia, dissensiones regnent, sed vnitas in fide, & gratia IESV Christi. Sic Augustinus super illa verba S. Ioannis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis;* Christi pacem describit. Pax inquit est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis; Hæc est pax Christi, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, amat humiles, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida. Hæc est vera Christi pax, quæ non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare, quæ odisse non nouit, nescit extolli, nescit inflari.

Ioan. 14.

Confert etiam pax Christi, medicamentum non leue ægrotanti animæ, plenam scilicet & perfectam dilectionem, per quam possimus non solùm amicos, verùm etiam inimicos diligere. quod quomodò verus Christianus tenere, credere, & adimplere teneatur, ipsa veteris testamenti documenta manifestè docent. Considerate obsecro primùm, quanta in beato illo Patriarcha Iacob fuerit charitas? vt odientem se fratrem Esau maluerit in longinquas regiones fugere, quàm vicem odij rependere. quem sicut vitare studuit; ita odisse nesciuit. vt tamen illum sibi placatum redderet, reuersus de terra aliena, amplissimis illum muneribus honorauit. conuertite vestri animi perspicacem oculum, ad antiquissimos illos Sanctos Patres, quàm benigna fuerit in illis erga inimicos charitas. Nam B. Ioseph pro parricidij, & venundationis crimine, impijs & malitiosis fratribus suis, non odij amaritudinem, sed charitatis dulcedinem repensauit. Quando premente fame & inediâ, venientes in Ægyptum emptum frumentum, singulos lachrymis perfusus osculabatur, quibus tantùm abfuit, vt mali quidpiam penderet, vt potiùs omnia bona tribuens, tàm viuo, quàm mortuo patre, germano semper amore illos dilexerit. Familiaris pariter diuinis eloquijs Moyses, cùm frequenter illum populus ille Israëliticus, duræ ceruicis, & ipsi Deo rebellis, non solùm contemnere; sed lapidare etiam vellet: diuinæ charitatis memor, quasi grauissima illa opprobria ignorasse videbatur. Vnde ita pro delinquentibus & idololatrantibus filijs Israël, supplices ad Deum tendebat manus, vt clamaret: *Si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Hanc dilectionis pacem Moyses in suis legibus, Deo inspirante, & approbante, sacrosanctam seruandam præcepit in Exodo. *Si videris*, inquit, *Asinum inimici tui iacentem in luto, non pratteribis, nisi priùs alleues eum.* Si ergo asinum inimici non licet in luto dimitti, quantò magis homo ad imaginem Dei factus, non debet aut odio haberi, aut contemni, aut prorsùs negligi. Nam si Cæsaris imaginem violare, est crimen læsæ maiestatis; & hominem profectò, qui est Dei imago, despicere, crimen est læsæ diuinæ bonitatis, atq; auctoritatis. Retinebat hanc dilectionis pacem iustissimus & patientissimus Iob, liberâ conscientiâ Deum alloquens: *Si gauisus sum ad ruinam inimici mei, & exultaui in eo, quòd inuenisset eum malum, vel si in corde dixi, benè.* Seruauit hanc charitatis pacem Rex Dauid, qui licet multis virtutibus fuerit exornatus, nulla tamen illum actio familiariùs Deo coniunxit, quàm dilectio inimicorum suorum, vt testatur de illo scriptura inquiens: *Cui cùm inimicus suus in faciem malediceret, maluit tamen parcere, & Dei iudicio reseruare, quàm suæ iracundiæ satisfacere.* Vnde meritò securus dicit illud, quod omnes homines attento & trementi animo dicere debent: *Si reddidi retribuentibus mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis, persequatur inimicus animam meam, &*

Exodi 23.

Iob 31.

1. Reg. 16.

Psal. 7.

comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. Ecce quanta illum Dei vindicta manet, quanta maledictio, qui de inimicis diligendis, Dei præcepta contemnens, odium seruare in corde suo non metuit. Cùm per Salomonem quoq; Spiritus Sanctus clamet, & dicat : *Cum ceciderit inimicus*
Prou. 24. *tuus, ne gaudeas, ne forte videat Deus, & displiceat illi, & auertat iracundiam suam ab eo, ad te verò illam dirigat, qui de inimici ruina gaudebas.* Iuxta illud alterum cælestis sapientiæ effatum :
Prou. 17. *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Verùm, opponet forsan quispiam, excusando se à dilectione inimici, & seruanda pace cum illo, præceptum illud veteris testamenti, vbi dicitur; *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum.* Quomodò ergo Christus nos cum inimicis pacificare venit ? cùm vnum Dei præceptum alterum non tollat ? sed qui sano intellectu scripturæ diuinæ sensum cognoscere cupit, sententiam hanc ita discutere debet : vt intelligat per proximum significari omnem hominem, per inimicum verò, primò diabolum, deinde omne illud, quod hominem coinquinat. Diuino itaque præcepto insistendo, diligere debemus omnem hominem, quia omnis homo noster proximus est. Et simul debemus odisse diabolum, qui & Dei, & nostræ salutis capitalis est inimicus. Duo proinde ista Dei præcepta. *Diliges proximum*, & *Odio habebis inimicum;* in vno etiam homine malo impleri possunt. Nam quatenus homo est, proximus tuus est, vtpotè ab vno creatore, & ab vno primo parente ortum trahens. quatenus verò peccator est : quia non solùm tuus, sed etiam Dei, immò & sui ipsius inimicus est, odio haberi debet. Similiter hæreticus, Iudæus, & quicunq; infidelium, aut saltem malè credentium, quia homo est; cùm sic acceptus sit vera imago Dei; proximus est : & ideò diligendus. Sed quâ infidelis, cùm sit & à Deo auersus, & suæ perditionis author, & multorum deprauationis caput, odio habendus. Si ergo præceptum Dei adimplere desideras, dilige in quolibet homine, carnem pariter & animam, quem Deus ad imaginem sui, & tui fecit : & abominare in illo malitiam peccati, impudicam actionem, conuersationem peruersam, vitam belluinam, hæresim, Iudaismum, & omnem à vera fide errorem, quem illo consentiente, diabolus in animum ipsius deprauatum induxit. Quod vbi sancto & pio animo feceris, vices cælestis medici ages. odio habens morbum, & diligens ægrotum: abominando quod in se malum est, & toto animo propendendo in bonum. Quemadmodùm D. Augustinus, præceptum illud de inimico odio habendo, ad hunc sensum ingeniosè exponit. Atq; hæc veritas apertissimè deducitur, ex illo sacræ scripturæ loco, in prouerbijs, vbi Spiritus Sanctus per Salomonem loquitur : *Si*, inquit, *esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Quem locum propter summam eius difficultatem, pleriq; dùm benè non intelligunt, de medicamentis vulnera faciunt. Quando præceptum hoc diuinum, ad fouendum internum suum furorem assumunt, dicentes intra se. Ecce cibo inimicum, vt ardeat in æternum. Sed absit hæc peruersa diuini ænigmatis intelligentia, à cordibus nostris. Nam qualiter locus hic accipi debeat, antiqui illi Sancti Patres, reuelante Spiritu Sancto, sic definierunt. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius* : Vbi per caput, in homine, sensum rationalem intelligunt, qui sensus cùm à feruore charitatis recedens, fiat frigidus ; iuxta illud Apostoli : *Quia abundauit iniquitas, refrigescit charitas multorum.* Ideo necesse est, vt quod obest saluti, contrarium sapiat, & cui deberet esse amicus, inimicus existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos, & charitatis igne succensos hortatur Spiritus Sanctus,

Augustin. Serm. 168. de Tempo.

Prou. 25. Rom. 12.

Matt. 24.

ctus, vt carbones ignis congerant super caput eius: hoc est; vt illi benefaciant. Cùm enim inimico tuo pio animo frequentiùs benè feceris, quantumuis ille sit impius & crudelis, barbarus & cruentus, nihilominùs tamen victus tuis beneficijs, tandem aliquando erubescet, & dolebit atq; pœnitere incipiet, quod admisit. Carbones ergo ignis imponimus super caput inimici, diligendo & benè faciendo. Nam cùm ille pœnitentiam cœperit agere, protinùs sensus rationalis, qui est caput ipsius, charitatis quoq; igne incipiet succendi: & qui priùs quasi frigidus & phreneticus, contra te consueuerat iracundiam retinere, mox spirituali calore de tua bonitate succensus, quem antea odio habuit, incipiet toto corde diligere.

Ex quo manifestè patet, quòd quicunq; pacem Christi habere desiderat, is ad bellum intestinum debeat paratus esse. Nam vt inimicum diligas, inueteratum odium te retardat. vt ergo te ipsum vincas, armis diuinæ gratiæ opus est, quibus expugnatâ in corde tuo omni inuidiâ & malitiâ, dilectio inimici mentem occupet. Vis pacem habere societatis cum Deo, ecce caro infirma spiritui prompto reclamat. Vt ergo plenus diuinâ pace abundes, armis diuini auxilij opus habes, quo suffultus, ab omni iniquitate te erigas. Vnde meritò clamat Apostolus: *Abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis.* Rom. 13. Quasi diceret; si pacem Christi habere desideratis, abundet in vobis puritas mentis, & animæ ab omni macula purgatę candor, nam verissimum est illud oraculum Isaiæ; *Non est pax impijs, dicit Dominus.* Isaiæ 57. LXX. autem vertunt: *Non est gaudere impijs:* Quia impiorum corpus, licet bonis omnibus affluat, in animum tamen illorum nihil omninò lætitiæ illabitur. Gaudium autem, quod Christi pax secum affert, non in ore, sed intus in corde hominem solari consueuit. Quemadmodùm docet Sapiens: *non est oblectamentum super cordis gaudium.* Eccl. 30.

A Verumtamen profani homines, licet animas eorum peccati labes cruciet, terreno duntaxat & temporali gaudio contenti esse volunt. quorum calamitatem & imprudentiam deplorat S. Bernardus Serm. 1. de resurrectione sub finem. *Ipsius*, inquit, *plangimus solennitatis iniuriam; prò dolor! peccandi terminus, tempus recidendi facta est resurrectio Saluatoris; ex hoc tamen tempore commessationes & ebrietates redeunt, impudentiæ repetuntur, &* B *laxantur concupiscentiæ frena: quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis propter iustificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum, quem suscipitis? quid minus reuerentiæ resurrectionis Dominicæ tempus exigit, quàm passionis.* Si tempore passionis fletibus mœstissimis, qui vel durissima quæq; corda emollire potuissent, fuistis compuncti, & lachrymati, nunc tempore festiuitatis paschalis, vbi Ecclesia deuotis vocibus concrepat lætabunda, cur spiritualis lætitia in cordibus vestris adesse non debeat? sed potiùs pro- C fana quædam & mortifera, vt olim dicebat Chrysosthomus suis auditoribus, in hæc verba prorumpens, sermone octauo de resurrectione to. 4. *Nonnulli*, inquit, *festiuos se esse dubitant, nisi gulæ, nisi ventri, nisi luxuriæ satisfacerent.* Non est hoc ô pietas Christiana, festiuitatem Dei colere, sed coinquinare: non est pacem Christi recipere, sed odium altissimi in se excitare. Quod si vultis scire, quid sit hominem festiuum esse? imitemini in aliquo illos, qui primi hac festi- D uitate vsi sunt, scilicet Sanctos Dei. quorum hoc potissimùm tempore, dies erant semper sobrij, noctes pudicæ, sanctæ vigiliæ, sopor castus, actus probi, conuersatio honesta. non verò illos sequimini, quorum (vt ait Apostolus) finis est interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusionem eorum, qui terrena sapiunt. Mirantur Doctores Sancti, quid sit causæ & discriminis, quòd Angelus semel in peccatum superbiæ lapsus, non ampliùs cum Deo pacificatus est. Homo autem ab eodem pariter

Chrysosth.

S. Bernard.

pariter ſtatu gratię, in profundum iniquitatis demerſus, diuinum ſenſit auxilium, quo ſuffultus, ad priſtinum innocentiæ ſtatum rediret. S. Auguſtinus in diuinum placitum hoc refundit, exclamans: *O altitudo*, inquit, *Sapientiæ & ſcientiæ Dei, & quis conſiliarius eius?* Alij, in eminentiam ſtatus Angelici, quòd ſcilicet Angelus, cùm ex illo perfectiſſimo ſtatu, in quo conditus erat, ceciderit, dignus non eſſet, cui Deus ſuam ampliùs dexteram porrigeret. Deniq; Thomiſtæ, in obſtinationem Angeli hoc ipſum referunt, quæ cùm conſiſtat in impotentia dolendi de peccato, & conſequenter in impotentia benè operandi, idcirco dicunt Angelum ſemel peccantem, ampliùs pœnitere non potuiſſe. Cæterùm ego cauſam hanc crediderim eſſe, quia Angelus in tenebris collapſus eſt, cùm adhuc neq; dies eſſet, neq; nox. Nam S. Thomas, & cùm illo Thomiſtæ docent, Angelum ab initio ſtatim ſuæ creationis diuinæ voluntati fuiſſe rebellem, propter inordinatam ſuæ pulchritudinis complacentiam. quod facilè deducunt ex illo loco S Ioannis: *Ille homicida ab initio erat.* Vbi ly ab initio, Thomiſtæ de inſtanti creationis Angelicæ; Alij verò S. Patres de principio mundi intelligunt. Ex eo fundamento, quia Angeli creati ſunt in gratia ſanctificante, ſicut etiam primus homo. Gratia autem ſanctificans, pro eodem inſtanti, cum peccato ſimul cohærere non poteſt. Nam ſicut vmbra ſoli eſt incompoſſibilis; ſic planè peccatum quatenus ſignificat maculam habitualem, & conſequentem inde priuationẽ gratiæ, incompatibile eſt cum gratia, non ſecùs, quàm priuatio cum ſua forma. Quia ergo Angelus peccauit, cùm ſolæ tenebræ mundum vndequaque operirent: nam, ſol & luna, quarto primùm die iuxta ſententiam Pererij in Geneſim, condita ſunt, vt lucem diuiderent à tenebris, & præeſſent diei atq; nocti. Quia inquam antequàm dies illuxit, in inferorum Chaos præuaricator Angelus præcipitatus eſt, idcirco denegatum illi fuit auxilium gratiæ efficax. Nam ſicut dùm aliquis tenebrarum hora in profundum puteum labitur, non aliter, quàm ſubſequente die erigi poteſt; ſic lapſo in tenebris Angelo ante luminis procreationem, antidotum præbere non videbatur conſentaneum. Homo verò fragilis ex natura ſua, quia cecidit quidem in nocte, dùm perfunctoriè mandatum Dei perpenderet, ſed tamen dies iam illuxerat, Deo vltore in paradiſum veniente, propterea non decebat, in media luce peccantem hominem abijci, aut certè in flammas damnationis præcipitari: quoniam lux ſemper miſericordiæ ſymbolum habetur. Flexit proinde hæc commiſeratio Deum, vt lapſum erigeret hominem. Non vnus fortaſsè noſtrum in tenebris obliuionis Dei cecidit, ſed ecce illuxit hodiè dies candida, Chriſtus ſcilicet rediuiuus ſtans in medio Apoſtolorum. Igitur erigite ad illum animos, vt cedant peccatorum tenebræ gratiæ lumini, & nox iniquitatis diurno ſideri. Tu verò clementiſſime IESV, qui omnes illuminare veniſti, illumina nunc conſcientias noſtras, & omni bellorũ ſtrepitu, atq; terrore periculorum repulſo, da pacem tuam fidelibus.

S. Auguſt.

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Pax vobis. *Lucæ* 24.

Chriſtus ſuâ reſurrectione pacem ſpiritualem reconciliationis cum Deo, & iuſtificationis, nobis attulit.

PAcem fortuna ſequitur Auditores: vbi enim pax dominatur, ibi læta omnia & fauſta eueniunt. Et Reges cum populis, quaſi parentes cum liberis procedunt: & agricolæ gaudent, ſegetem videntes luxuriantem, ac ſpicas vberes, granis onuſtas. Et Patresfamilias lætantur, manipulos

nipulos colligentes iniecta falce, congestos ducentes in horrea, terentes, ventilantes, & aggregantes. Ac tandem pacis tempore omnia in tuto stant certâ lege. Fatetur hoc Romanus Orator Philippica 13. *Dulce nomen*, inquit, *pacis*; *res verò ipsa tùm iucunda, tùm salutaris: Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere potest, quem discordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum delectat; eumq; ex numero hominum eijciendum, & ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto.* Discordiæ namque & bella, omnium malorum origo sunt: scilicet bonorum direptionis, & patriæ amissionis, innocentum captiuitatis, & mortis insontium. At verò pax origo & aggregatio omnium bonorum. Agnouit hoc cæca Romanorum antiquitas, quæ tanti habebat pacem, vt ad illam significandam, virginem quandam depingeret, manu cornucopiæ tenentem: vbi per virginem, pacem; per cornucopiæ omnem repræsentabat abundantiam. Agnouit & antiquissimus Euripides, cui tanto in desiderio erat pax, vt illam omnibus votis exoptaret inquiens:

Cic. philippica 13.

Euripides.

O pax opulenta & beatos inter pulcherrima diuos,
Desiderium me tui habet. ô quàm tarda moratis?
Atqui metuo ne prius laboriosâ vincar senectâ,
Quàm iucundum tui tempus inspexero, (dentia.
Cantusq; pulchri colores, conuiuiaq; coronis gau-
Huc ades, ô veneranda, hanc ad vrbem ædib.
inimicam expelle seditionem,
Insanamq; litem, ferro quæ gaudet acuto.

Et hæc certè erat vnica causa, quòd Julius Cæsar, vir doctrinâ celeberrimus, victorijs & triumphis solus inter omnes ad amussim clarus, fortitudine & industriâ potens, bello omnibus metuendus, Senatum Romanum arroganti contempserit fastu. propter quod omnibus fastidiosus esse cæpit; quia scilicet vrbi Romanæ, & toti imperio in miserrimo casu, propter immane bellum diu versanti, pacem & tranquillitatẽ omnem attulerat, debellato Pompeio. Sed longè maiorem Christus resurgens, pacem hodie mundo attulit, cælum & terram in mutuam redigens concordiam, teste Apostolo: *Pacificans*, inquit, *per sanguinem eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt.* Coloss. 1. De quâ pace præsens noster sermo istituetur.

Diuus Basilius, & S. Ambrosius, de Halcyone narrant, quòd partus sui tempore, mare alioquin varijs tempestatibus agitari solitum, tranquillum reddat. Vnde inquit D. Ambrosius. *Halcyonis auis singularis elucet gratia: Nam cùm vndosum fuerit mare, positis illius ouis subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatusq; aurarum quiescunt, ac placidum ventus stat mare, donec oua fouet Halcyon sua.* Septem dies fœtus formantur, quibus decursis educit pullos; illico alios septem adiungit dies, quibus enutriat partus suos, donec incipiant adolescere. Tantum autem beneficium auicula hæc, diuinitùs sibi concessum habet, vt suos quatuordecim dies, nautici, præsumptæ serenitatis obseruent, quos & Halcyonidas vocant, quibus nullos motus procellosæ tempestatis horrescunt. Hinc Pòëtæ fabulandi ansam sumpserunt, Halcyonem filiam Æoli fuisse, qui in gratiam filiæ suæ, dùm illa in littore oua parit, & educat, ventos detinet inclusos. Sed misso hoc vero, an falso commento, certè quemadmodùm pariente Halcyone, turbulentum mare quiescit, & furentes fluctus eius mansuescunt, ita vt eo tempore, non tàm mare aqueum, quàm potius balneum dixeris. Sic planè tempore cælestis illiùs Halcyonis Christi Domini, nos in cruce parturientis, summa pax vigere cæpit: quieuerunt enim Principes terræ, & vnusquisq; sub ditione suâ pacificè degere optauit. Vt meritò in hodiernâ Christi discipulis apparitione, illud Prophetæ verificari possit. *Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Isaiæ 2. Pacem attulit cælestis ille Halcyon, Christus resurgens, verùm non temporalem, sed potiùs spiritualem, vt ipsemet testatur per Prophetam: *Implebo*, inquit, *domum istam gloriâ, & in loco isto dabo pacem*; Aggæi 2. quasi diceret: cunctas

Basil. Hex. hom. 8. & Ambrosius in Hexae.

mortalium animas, piè in Deum & Christi resurrectionem credentes, implebo gratiæ meæ pulchritudine, & dabo eis pacem reconciliationis, vt iam liber homini ad Deum pateat aditus. Hucusque enim templum æternæ pacis, hoc est paradisus cælestis clausus erat, à cuius ingressu proscriptum totum genus humanum arcebatur. Nam in rei istius signum, excluso Deus Adamo & Euâ, è paradiso terrestri, statim ibidem collocauit Cherubin, & in manu eius gladium versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Sed ecce resurgente Domino, facta est tranquillitas & pax inter Deum atq; hominem, & fores cælestis paradisi iam patent apertæ, dicente Apostolo: *Cùm inimici essemus, reciliati sumus Deo.* Rom. 6. Quod iterum confirmat idem Apostolus in Epistola ad Ephesios: *Ipse est*, inquit, *pax nostra, dùm fecit vtraq; vnum.* Ephes. 2. Fecit enim vtraq; vnum, dum & nos participes diuinæ reddidit naturæ, & suæ in nostris cordibus fixit domicilium habitationis. Fecit vtraque vnum, quandò hominem sibimet ipsi pacatum reddidit, qui à se ipso antea acerrimè dissidebat, dùm aliud spiritus, aliud caro flagitaret, iuxta illud: *Caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem.* Corint. 5. Quod pulchrè elucidat D. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, vbi exponens locum illum, *Beati pacifici:* sic dicit; *Pacifici in se ipsis sunt, qui omnes animi motus componentes, & subijcientes rationi, & spiritui, carnalesq; concupiscentias habentes edomitas; fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, vt id quod est in homine præcipuum, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestijsq; communia; atq; id ipsum quod excellit in homine, id est; mens & ratio, subdatur potiori, Deo scilicet.* & hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, & hæc vita consummati perfectiq; sapientis. Augustin.

Philippum Macedoniæ Regem ferunt Historici, cùm inaudiret natum sibi filium Alexandrum, tanto fuisse gaudio correptum, vt à dijs postulauerit aliquid aduersi, quo suæ lætitiæ ex tàm felici nuntio conceptæ, vehementia & excessus temperaretur. Si Alexandri natiuitas tantam Philippo attulit lætitiam; quantò maiorem Christi resurrectio Apostolis, & toti mundo præbuit iucunditatem, & exultationem. Sed ne in summo tripudio mens vestra insolescat, petite Catholici aliquid aduersi à Deo vestro, Philippi instar Macedonum Regis, quo tanti vehementia gaudij frænari possit, ne vllus in lætabundis vestris animis reperiatur excessus. Et quid illud erit, nisi remorsus conscientiæ: quæ sola & lætum sine culpâ potest conseruare hominem, & timoratum exhilarare animum. Accedite proindè ad hanc diuinæ pacis fortunam, Christi passionis, deuotâ contemplatione fatigati mortalium animi, & iam ex illo puteo aquarum viuentium, dulces haurite aquas, vestros animos refocillantes. Gustate dulcem eius potum, quo in spe tantùm, à longè delectabantur antiqui Patres. Illis enim futura aliquando pax promissa erat, vobis feliciter oblata, illis facta repromissio thesauri, vobis eiusdem solutio præstita. Pax iucunda etiam ad mortuos ipsos, & in profundum Abrahæ sinum hodiè penetrauit, cuius gratissimo nuntio sumè gauisa est omnis rerum vniuersitas. Quòd per Saluatorem Iesvm, quicquid detrimenti humana natura à primogenitore susceperat, feliciter iam reparatum viderit. Pax optata in auribus Nòê personuit, dùm contemplatur non ampliùs opus esse arcâ, quâ mortale genus ab inundatione diuinæ iræ liberetur, siquidem iam gratiæ arcus, & pacis insigne mundo apparuisset; hoc est: Verbum gloriosâ humanitate indutum. Pax hodiè facta est domui Iacob, dùm iam lætum videt rediuiuum diuinum Ioseph, hoc est; Dei Filium morte crudelissima peremptum. Cuius salutarem aspectum, pridem vehementiùs & ardentiùs, quàm olim nati sui Ioseph, à fratribus venundati desiderabat. Pax amabilis

bilis facta est Patriarchis, quos de obscuris carceribus eductos, & tædiosâ diuturni exilij caligine liberatos, in lucem & libertatem perpetuam, secum resurgens eduxit Saluator. Quod perpendens S. Leo, Sermone de Natiuitate inquit: *Saluator apparens visibiliter pacem attulit hodiè, gaudeamus dilectissimi; nec enim fas est locum esse tristitiæ, vbi resurgentis splendor gloriæ apparet. Exultet sanctus, quia appropinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam: animentur gentiles, quia vocantur ad vitam: sed deplorent Iudæorum nationes, quia prodigiosa Christi resurrectione, magis indurantur ad stultitiam.* Hodiè lætari totum vniuersum oportet iucunditate spirituali, quia dies redemptionis nouæ illuxit Deo timentibus; sed pœna damnationis statuta omnibus perfidis & incredulis. Hodiè reparationis antiquæ felicitatis æternæ nuntium mundus auscultauit; sed destructionis, & reprobationis pœnam sibi accumulauit, sceleratorum improbitas, qui Christum resurgentem cùm habeant, ipsi tamen ab inueteratis corruptelis surgere minimè laborant. Mirabile est quod sacer Euangelij textus addit, discipulos pace à Christo salutatos obstupuisse. *Mirabantur*, inquit, *præ ingenti gaudio.* Sed est profectò, quod in summam admirationem, humanum rapiat intellectum. Si enim prodigio simile erat, populo Israëlitico diuisum fuisse mare rubrum? Nonne magis portentosum est, infinitum illum Oceanum, plenitudinem scilicet diuinitatis Christi habitantis, in fulgente iam solis instar glorioso eius corpore, etiam per obserata benè ostia, inter medios manasse Apostolos; vt suæ inter omnium animos diuideret, & diffunderet magnitudinem lætitiæ. Si admirandum habebatur, quòd rubus ille arserit incombustus? est profectò mirabilius, quòd tenerrima illa Christi caro, æstu vulnerũ & cruciatuum, quasi ignitis adusta radijs, & velut carbo denigrata, hodiè multò nitidior, & ab omnibus, quibus humana obnoxia habetur mortalitas, immunis in conspectu discipulorum steterit. Arduum videbatur olim, quòd virga Aaron, absq; vllo humore fronduerit? Sed parum est: dùm regia Christi caro, sine vllo extrinsecùs sibi adueniente auxilio, sed propriâ virtute, in immarcescibilem ampliùs reflоruerit immortalitatis gloriam. Nouum mundo apparuerat mysterium, dùm columna ignis, & nubes lucida, populum Israëliticum per deserta duceret? Sed & hoc modicum est: dùm hodiè ignis Deitatis flagrantissimus, tenui nubeculâ reuiuiscentis, & resurgentis humanitatis clausus, ducem se & Magistrum toti orbi pacificum præbeat. Quid multa? solem retroactum, mandato Iosue in Gabaonitarum defensionem, mirabantur anteacta sæcula. Verùm miretur potiùs præsens Christianitatis ætas, solem illum iustitiæ Christum IESVM, à morte retroactum redijsse, in fidelium defensionem, perfidorum vero æternum interitum. Conceditur hodiè toti mundo, iustitia & abundantia pacis, quia; *complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*, inquit Apostolus.

S. Leo.

Exodi 13.

Coloss. 1.

Quæ verba considerans Lyranus, in suo commentario, ideò dicit Christum Dominum pacificasse, siuè quæ in cælis, siuè quæ in terris sunt, quia Angelorum sedes hominibus instaurauit. S. verò Augustinus in Enchiridio cap. 62. Pacificationem hanc ideo factam esse dicit per Christum, quòd cùm grauis antea esset inter homines, & Angelos dissensio, atq; simultas, eam penitùs sustulit Christus, dùm resurgendo in gratiam reciperet hominem, adeò vt pax vtrinq;, & indissolubile amicitiæ fœdus, & inter homines, & inter Angelos stabiliretur. Deniq; meritò dixerim ego, Christum Dominum pacificasse ea, quæ in cælis, & in terris sunt, quòd cùm Deus habitator cæli præcipuus, homo verò iure hæreditario terræ colonus esset; Christus post suam gloriosam resurrectionem, vtraq;

Lyranus.

Augustin.

Exodi 3.

vtraq; hæc fecit vnum. vt & homo esset in cælo cum Deo, dùm Christus sacratissimam suam humanitatem, in dexterâ Patris collocaret; & simul vt Deus præsens maneret in terris cum homine, dùm immensam suam Deitatẽ, Eucharistico inclusam epulo, mortalium animis in delicatissimum relinqueret cibum. In hac stabiliendâ inter Deum & hominem pace, pulcherrimo Romanæ antiquitatis stratagemate, vsus esse videtur Christus. In annalibus Romanorum habetur, quòd cùm Romulus vrbem Romam condidisset, & feminarum summa indigentia, ad plebem procreandam haberetur, publicos ille ludos indixit, ad quorum spectaculum confluentibus Sabinorum populis, toto mulierum comitatu stipatis; dùm spectaculo intenti essent Sabini, Romani illorum puellas arripuerunt, sibiq; matrimonio copularunt. Verùm ægrè id ferentes Sabini, paucos intra menses arma in Romanos capiunt, & sanguinolentum atq; impiane bellum vtrinq; committitur. Tantæ cædis pugnam Sabinorum filiæ, quæ Romanis nuptæ erant dirimere volentes, filios inter brachia accipiunt, & in martium progressæ campum, pacem Sabinis ita suadent: *Quid in viscera vestra ruitis?* Deponite potiùs arma, nam si interficitis Romanos, filiarum vestrarum viros, vestrosq; nepotes de medio tollitis. Ad Romanos conuersæ aiebant: *Iam satis est furoris, & cædis.* Nam si interficitis Sabinos? auis vestrorum filiorum, & vxorum parentibus vitam eripitis. Quæ verba vtriusq; partis animos ita permouerunt, vt reiectis armis, odijsq; depositis, amicitiæ fœdus inierint, & eisdem legibus viuere, eidem imperio obtemperare statuerint. Vna tantùm inter illos dissensio restabat, quòd Romani aquilam pro insigni, Sabini verò celebres illos quatuor characteres, S. P. Q. R. elegerint. Sed & hanc discordiam, facilè quidam prudentissimus Romanorum composuit, eâ ratione. Vtrumq; inquit Genus eisdem characteribus vti potest: nã sicut illis literis Sabini volebant innuere. SABINO POPVLO QVIS RESISTET? ita inquit eisdem Romani facilè respondere possunt, SENATVS POPVLVS Q; ROMANVS. Adumbrare videtur hæc historia totum illud, quod Christo resurgente, mundo contigit. Indictum erat ab ipsa mundi origine bellum, inter Deum & hominem, quòd homo ad procreandum partum, in amæniſſimo paradisi spectaculo, duas virgines castissimas, licet Iustitiam originalem, & gratiam sanctificantem, quibus & esse hominis supernaturale, & operari innititur, resolutissimo ausu per peccatum violauerit. Quod omnipotens Deus vindicare cupiens, bellum homini indixit, ad acerbam vsq; Christi passionem duraturum. Prospiciens nihilominùs immensa Christi diuinitas tantam stragem, homini quasi in matrimonium copulata; perpendens inquam æternus Dei Filius, quanta in humanum genus mala, ex hac Dei & hominum discordiâ prouenirent, assumpsit in humeros suos, quasi delicatissimum infantem, resurgentem iterùm à mortuis humanitatem: reuersusq; in mundanæ campum bellonæ, his Deum Patrem allocutus est verbis. Quousq; æterne Pater non miserereberis? gladium iam quæso reconde, & iustitiæ tuæ dexteram comprimẽ. Nam si in genus humanum vlteriorem ictum destinas tui furoris, meum quoq; filium (id est humanitatem assumptam) & filij tui natos interimes. Rursùm hominibus pacem suadens, hæc ait: quid ô miseri ruitis in vos ipsos, tanquã maceries? ne precor ampliùs malè agendo, misericordiæ Patrem Deum vestrum irritetis? vobis enim, non ei, futurus est discordiæ huius exitus perniciosus. Quæ Christi resurgentis vox, tantæ energiæ fuit, vt ad eius sonitum, illicò cælum & terra se se pacis osculo salutauerint, factusq; iam sit non ex Sabinis, & Romanis, populus vnus, sed vnio Dei, & hominis, per restitutam amicitiæ gratiam facta. Dissensio ad-

sio adhuc inter nos & Deum vnica restat, quia Christo victori post gloriosam resurrectionem, nouum stemma appositum est: scilicet quatuor illi Sabinorum characteres S. P. Q. R. Sed diuersum quid longè significantes, nimirum. SANCTVS, POTENS, QVI, RESVRREXIT. Sanctus certè, quia solus suo sanguine perditum hominem ab æternâ damnatione eripere, & mundare potuit. Potens, quia illi tantùm ad vindictam de peccatis sumendam, potentia reseruata est. Sed vt iam plenè in gratiam cum resurgente Deo redeamus, & iam ijsdem & nos vtamur characteribus, Romanorum more Christo respondentes: SALVA POPVLVM QVEM REDEMISTI.

Pacem Julius Cæsar, debellatis vndequaq; hostibus superbè proclamari iusserat. Eusebius. Pax inquit Eusebius, quia Caius Julius Cæsar, vndecies centum nonaginta nouem millia hostium vicit. veriùs equidem in gloriosâ Christi resurrectione, pax in vniuerso orbe proclamari deberet, qui cruentâ sua morte, omnes humani generis hostes infensissimos debellauit. Iulius Cæsar debellato Pompeio magno, in suis triumphalibus vexillis, arrogantem satis ponebat titulum; veni, vidi, vici. In gloriosa Christi resurgentis carne, pulchriùs insculptus iste titulus emicat. Venit enim, vt saluum faceret, quod perierat. Vidit in carne mortali absconditus miserum mundi lapsum, simulque eius remedium esse voluit. Vicit potentem inferorum Principem, omnem illi adimens potestatem; ne amplius è tenebris damnationis in lucem, mortem venenato sibilo homini allaturus, prorumpere posset. Quam triumphalem Christi victoriam pulchrè descripsit Isaias: *Ecce*, inquit, *Dominus exercituum*, Isaiæ 20. *confringet lacunculum in terrore, & excelsi statura succendentur, & sublimes humiliabuntur.* Vbi alluſit Prophetа ad vrnas Gedeonis, quæ mediâ nocte à militibus confractæ, latentem lucem emittentes, Madianitas hostes in fugam abire compulerunt.

A Non dissimile vas fuit corpus Christi Domini, perforatum in cruce; quod in felicissimâ resurrectione adeò fulgentem emisit splendorem, vt non tantùm sepulchri custodes, sed totam mundi machinam attonitam redderet, diabolum vicerit, mundi peccatum deleuerit, vitam reparauerit, & hominem Deo reconciliauerit. Magnificentissimum sanè Christi opus, & solâ Deitatis incarnatæ omnipotentiâ dignum. Sed non percipit hæc humana imbecillitas, immò nec B sublimitas Angelica, atq; etiam Apostolica. nam dicit Euangelista, obstupuerunt Christum cum pace venientem admirati, non cognoscentes, immò plùs dicam, nec credentes mortuum surrexisse: sed putabant se phantasma videre. Irrepsit hic pessimus error, in multorum Ethnicorum animos, qui impossibile planè censebant, quomodò Christus cùm Deus pariter esset atque homo, mori potuerit? Quoniam cùm vnum esset suppositum, moriente Christo C in humanitate, etiam secundùm diuinitatem mori debuisset. Hic est discursus infidelis Neaniæ dicentis: *Si Christus erat Deus, cur hæc sustinuit? & si se ipsum liberare non potuit, quomodò alios liberabit?* Sed huic errori execrando, pulcherrima similitudine respondet D. Damascenus lib. 3. de fide orthodoxâ cap. 26. *Quemadmodùm*, inquit, *dùm sole super arborem illucente, si securis incidat arborem, impassibilis perseuerat sol: multò magis impassibilis verbi diuinitas secundum hypostasim carni copulata, patiente carne perseuerauit.* D. Damasc. Ac tandem doctissimus Arnobius lib. 1. contra gentes circa finem, hanc eandem veritatem elegantissimè his verbis illustrat. *Quis est visus in patibulo pendere? quis mortuus est? Homo, quem Deus induerat, & secùm ipse portabat. Incredibile quidem dictu est, & cæcis obscuritatibus inuolutum; si tamen velis, non cæcum est. si quo tempore Sibylla, præsaga illa oracula depromens fundebat, vi Appollinis plena, si inquam ab impijs esset cæsa atq; interfecta latronibus, nunquid Apollo in eâ diceretur esse* Arnobius.

tur esse occisus? Si vates Helenus, si Martius, aliiq; similiter ariolantes, vitâ & luce priuati essent, nunquid aliquis diceret, lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, vias rerum postulantibus explicabant. Mors igitur illa quam dicitis, assumpti hominis fuit, non gestaminis illius, nec gestantis. Hoc ipsum fatetur de illo Propheta inquiens: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Sed & ipsi cæcutientes Iudæi, si Christum resurrexisse non agnoscunt, consulant suum Rabbinum Moysen Gerondensem, qui in caput Gen. 29. super illa verba: *Qui introduxit eam in tabernaculum Sara Matris suæ.* dicit: *Hic est Rex Messias, qui dedit cor suum ad petendum miserationes pro Israël, & ad ieiunandum se, & humiliandum se pro eis.* Libera igitur & voluntaria Christi mors fuit, vt per eam pacem toti mundo compararet. nam ex vi vnionis ad verbum, caro illa Christi immortalis futura erat, cui impassibilitas & immortalitas iure naturali debebatur. Christus tamen liberè se mortalem & passibilem fecit, impediendo ne eius gloria, quæ in animâ delitescebat, ad carnem se extenderet. Libera fuit mors Christi, quia pacem toti mundo attulit: libera; quia mortem ipsam superauit, iuxta illud Prophetæ: *O Mors, ero mors tua.* Quod pulchrè enucleat S. Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa cap. 27. vbi ait. *Intercessit mors, & transglutiens illicientem corporis escam, diuinitatis hamo transfixa est, & insons & viuificum gustans corpus perÿt, sed & omnes restituit, quos olim deglutiuerat.*

Isaiæ 35.

Rabbi Moyses.

Osee 13.

S. Damasc.

Exodi 14. Scriptura sacra narrat, Pharaonem qui suo crudeli sceptro, & imperio Israëlem subiugauerat, virgâ Moysis portentosâ in profundo maris demersum fuisse. Christus pariter Dominus prodigiosâ crucis virgâ, omnem humani generis hostem, superbo Pharaone crudeliorem, in inferni barathrum detrusit, & omnia eius simulachra solo æquauit. Quod prædixerat Isaias: *Pro Saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.* Quid quæso saliunca illa erat? nisi spina alba: Quid vrtica? nisi idola & idololatræ: qui nihil prorsùs erant, quam ruina populorum atq; deceptio. Sed ascendit in locum illorum abies ligni crucis, atq; myrtus odorifera crucifixi Domini, quæ in signum æternum adorationis perpetuæ durabit. Testatur Plinius de naturali historia lib. 16. cap. 360. in bellis Cimbricis, quandam arborem nemine impellente, verùm sponte suâ cecidisse in aram Iunonis; eandem quoq; postea sponte suâ surrexisse, & floruisse, quod prodigium Romani omnes futuræ victoriæ contra hostes certum præsagium ominabantur. Arbori huic Christum resurgentem comparat Dauid: Psal. 1. inquiens: *Secus decursus aquarum dabit fructum suum in tempore suo.* Hæc præfectò mystica arbor, scilicet corpus Christi sacratissimum, cecidit sponte suâ super aram crucis in monte Caluariæ; sed iterùm post triduum sponte quoque suâ surrexit & refloruit. Quod certius signum erat, quàm illud Romanorum victoriæ futuræ, quam Christus Dominus de infestissimis suis hostibus relaturus esset. Et certè vt Christi misericordia atq; iustitia, secum pacificè conciliarentur, sic illum pati oportuit. Nam D. Augustinus libro cur Deus homo cap. 6 & D. Anselmus lib. 1. eiusdem tituli, & D. Bernardus supra Missus est. Dicunt magnam fuisse obortam controuersiam in Dei tribunali, inter omnipotentis misericordiam, & eius iustitiam. Commisso enim Adæ peccato, vniuersum genus mortalium inficiente, misericordia suadebat, vt Deus ex mera gratia illud homini debitum remitteret; iustitia verò rogabat, vt seuerè puniret. rursùs misericordia proponebat natiuam Dei bonitatem, propitiationem ac lenitatem, reuocans in memoriam, quòd Deus esset Pater misericordiarum, & omnis consolationis. In oppositum verò iustitia diuina obijciebat, iura eius violanda non esse: ius verò iustitiæ

Isaiæ 55.

Plinius.

Psal. 1.

Augustin⁹. Anzelmus. Bernardus.

stitiæ postulat, vt omne debitum exsoluatur. Porrò diuina misericordia allegabat Prophetarum oracula, summam Dei clementiam sæpissimè decantantia. vt habetur Ioël 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum,* Ioël 2. *quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ.* Iustitia verò Dei, è contra testimonia vltionem commendantia adijciebat. Potissimum verò illud Regij vatis: *Deus* Psal. 39. *vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Et Exodi 20. *Ego sum Dominus* Exodi 20. *Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios.* Misericordia insuper instabat, quòd si Deus non parceret, totius mundi regnum delere opus esset. *Quia* (vt inquit Propheta) *omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt.* Tandem ex aduerso iustitia obijciebat, quòd si Deus gratis parceret, nullum ei verum esset regnum: quia vbi non est iustitia, quæ omnis regni fundamentum habetur, neq; ædificium eius altiùs consurgere potest. Verùm diuina sapientia his vtrinq; grauissimis misericordiæ & iustitiæ ponderatis rationibus, atq; argumentis, vt nimirùm & misericordia esset iusta, & iustitia misericors, sententiam hanc immutabilem concluſit. Moriatur Christus innocens pro peccatis. Atque tunc primùm verificatum est illud Regij vatis oraculum: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ* Psal. 84. *sunt.* Sed quomodò obsecro cum diuina iustitia rectè hoc potuit consentire? vt innocens Dei Filius, impollutus, segregatus à peccatoribus, & omnis culpæ expers moreretur; vt hoc facto impij peccatores, & penè infinitis debitis onusti, ad mortem non damnarentur. Siquidem per hoc videntur iustitiæ iura violari, quæ innocentem saluandum, nocentem verò damnandum præcipiunt. Admiratus certè tantam Dei in homines misericordiam, insignis ille Thomas Archiepiscopus Valentinus Serm. 3. de Natiuitate in hæc verba prorupit. *Excessisti Domine, excessisti omnes iustitiæ metas, & dùm ni-*

miùm videri vis iustus, plus iusto factus es iustus; immò si dicere auderem, præ nimiâ iustitiâ (nisi quia Deus es) dicerem vtiq;, quia appareres iniustus. Sed non læsit diuina misericordia iustitiam, quia cùm Christus voluerit esse fideiussor peccatoris, pro illo ex vi liberè susceptì huius oneris soluere debuit, ad quod exoluendum miser homo impotens erat. Hoc enim est opus fideiussoris, vt pænam rei sustineat, Sicut proinde in rebus humanis, cùm Rex absolutâ potestate reum absoluit, non id in tantum illius honorem cedit, quantùm si iure iustitiæ illi suffragante, absq; vlla Regis liberali condonatione, à delicto imposito absolueretur. Sic planè poterat quidem Deus (non inficiamur) potestate suâ absolutâ vtens, cuncta hominis delicta liberaliter dimittere; quia tamen non remansisset causa eius iustitiæ splendore cohonestata, nec homo tantum sibi comparasset honorem: idcircò vt honorificentiùs homo liberaretur, Christus Dominus ordine & rigore iuris seruato, plenissimè pro eo satisfacere voluit, vt prædixit Propheta: *Sion in iustitia redimetur* Isaiæ 1.

Fertur de Alexandro Magno, quòd cùm audiret, milites sui exercitus ære alieno oppressos esse, publico edicto diuulgari fecerit, vt quotquot essent creditores, debiti chirographo ostenso, de proprio eius ærario solutionem reciperent. Verùm tàm creditores, quàm debitores, non vsquequaq; fidem dantes illi pollicitationi, nullus eorum pro solutione pecuniam expostulaturus venerat. quo cognito Alexander, præcepit ante fores palatij sui publicum apparari conuiuium, & mensas instrui, quibus decem millia talentorum apposita fuêre: tunc primùm certatim omnes adierunt, vt illâ liberalitate imperiali fruerentur. Christus Dominus obligatum infinitis debitis viderat genus humanum, & ideò clementiâ ductus, in suo cælesti ærario vnumquemq; tantum voluit accipere, quantum soluendo sufficeret, iu- Ioan. 14.

xta illud Apostoli: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sed miser homo, multorum debitorum reus, summam hanc Christi liberalitatem non plenè cognoscens, promissa ab eo petere renuebat, quod illi exprobrat Scriptura sacra: *Vsquequò modo non petistis quidquam.* Ideircò Christus Dominus id animaduertens, magnificentiùs quàm olim Alexander, in publico montis Caluariæ emporio parauit crucis mensam, pretium infiniti valoris, scilicet, sanguinem suum in illa effundens, vt vnusquisq; inde sibi, quod opus fuerit, ad plenam debiti sui solutionem accipiat. Quod ingeniosè enarrat D. Ambrosius in præfatione Psal. 35. *Bonum aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad lauandum omne peccatum.*

Ioan. 16.

D. Ambr.

Ecce igitur habetis pacem, Christi morte vobis partam, resurrectione ostensam pacem, quæ rebellem sensum regimini rectę rationis subiecit, peccatorem Deo reconciliauit, animæ pristinum gratiæ & innocentiæ statum reddidit, atq; ipsa Dei attributa, iustitiam & misericordiam concordi amicitiâ sociauit. Vnum tantùm restat, vt cum hac spirituali pace, etiam temporalem à Christo possimus impetrare, vt non tantùm mens nostra, verùm etiam corpus, in tranquillitate, decurrere mortalitatis stadium valeat. Sed quia Deus pacem hodie mundo attulit, & ego pace vos signans abeo.

EODEM DIE CONCIO TERTIA.

Videte manus meas & pedes: quia ego sum. *Lucæ* 24.

Aperitur, quare Christus in suo glorificato corpore, omnes vulnerum cicatrices retinuit.

QVod sagacissima mens humana capere non valet, hoc diuina omnipotentia ei manifestare solet, partim lumine Spiritus Sancti, caligi-

A nem tenebrarum ex animis nostris depellendo, iuxta illud Apocal. 21. *Charitas Dei illuminabit eum.* Partim prodigiosis operibus & miraculis in sui notitiam hominem trahendo, attestante ipsomet Christo: *Si opera non fecissem in eis, qua nullus alius fecit, non crederent.* In hodierna pariter triumphali solemnitate, glorioſam corporis sui resurrectionem Christus Dominus, vtroque hoc modo suis Apostolis voluit monstrare, videlicet; & per effectus miraculosos, B clausis ianuis ingrediens ad eos: & per præsentiam, corpus suum glorificatum illis ostendens. Ecquis iam ô munde summam beatitatem tuam non agnoscet? assecutus es nunc tantum Dei fauorem, quantum nusquàm antea experiri poteras, antequàm vnigenitus Patris indissolubili nexu cum carne humana copularetur. Arctissimum ieiunium peragebat Moyses in monte Sinai quadraginta diebus, vt solùm faciem Dei cernere posset. Exodi 33. *Si,* inquit C *inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Et nihilominus in cassum abijt eius conatus, & spes præconcepta votorum magnitudinem non adæquauit; Deo ipso respondente; *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet.* Arca illa veteris testamenti, quæ solùm erat figura Christi, tanti æstimabatur, vt septuaginta viros de populo, & quinquaginta millia plebis percusserit Deus, eò, quòd vidissent arcam. 1. Reg. 6. Nunc ve- D rò ad eam felicitatem homo admissus est, vt non solùm sacratissimum Christi corpus intueri, sed etiam tangere sibi concessum habeat: *Videte & palpate manus & pedes meos, & in his clauorum loca recognoscite: quia ego sum, qui pependi in ligno, & iacui in sepulchro.* Isaiæ 52. Profundiùs hoc scrutando, quidam Doctorum docet, mysteria ad salutem necessaria, in tribus casibus, ab ipso Deo immediatè, imediatione suppositi proponi. Primò in casu necessitatis, qualiter mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarna-

Exodi 33.

Ibidem.

1. Reg. 6.

Isaiæ 52.

carnationis immediatè proposuit supremis Angelis, teste Sancto Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus: *per Angelos*, inquit, *superiores proposuit obiectum fidei, quibus immediatè locutus est Angelis inferioribus & Adamo.* Secundò in casu priuilegij, qualiter locutus est Moysi, Dauidi, & alijs Prophetis, Exodi 14. *Crediderunt Deo & Moysi seruo eius.* Tertiò in casu dignationis, qualiter per Christum locutus est Apostolis. His tribus de causis præsens hodiè suis discipulis Christus appparuit. Inprimis propter necessitatem: quia mysterium Incarnationis humanus intellectus capere non potuit. Hinc cùm Paulus Athenis prædicaret IESVM, & mortuorum resurrectionem, irridebatur à Philosophis, eum nouorum dæmoniorum annuntiatorem esse asserentibus, vtpotè nixis illo fundamento philosophico: *à priuatione ad habitum*, (hoc est à morte ad vitam) *non dari regressum*, Actor. 17. Quod confirmat Propheta de Christi passione & resurrectione loquens. Habac. 1. *Aspicite*, inquit, *in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur.* Deinde, apparuit illis propter priuilegium, erigens hominem in spem certissimam, quòd & nostra caro eandem glorificationem habitura sit; quemadmodùm concludit Tertullianus: *Resurrexit Christus, ergo & nos resurgemus.* Apparuit demum propter dignationem: quia nemo mortalium hucusq; cælum conscendere posset, nisi Christus resurrexisset: ipse enim primò volitus est à Deo, idcirco primus intrare debuit cælum. Trutinabimus itaq; cur Christus in glorificato illo suo corpore omnes vulnerum cicatrices retinuit.

Acutissimus Balduinus docet, necessarium fuisse, vt anima Christi in resurrectione corpus cum circatricibus resumeret, videlicet, propter gloriam ipsiusmet Christi. Quod comprobat Venerabilis Beda, cap. 97. in Lucam, asserens: *quia non ex impotentia curandi cicatrices seruauit, sed vt perpetuum victoriæ suæ circumferret triumphum.* Idipsum docet D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei ad initium: *In illo*, inquit, *Regno, in corporibus Martyrum videbimus cicatrices vulnerum, quæ pro Christi nomine pertulerunt: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam quamuis in corpore, non corporis pulchritudo fulgebit.* Quasi diceret: post hanc vitam conseruabunt martyres in suis corporibus cicatrices vulnerum, quæ erunt singularis decor humanæ naturæ, erunt lætitiæ & gaudio ipsis iustis, quoniam agnoscent se gloriam, per ærumnas & tribulationes adeptos esse. Quemadmodùm enim aduersa priùs ingrata sunt, & sensibus repræsentata horrorem incutiunt; ita postmodùm transacta passione incredibilem voluptatem afferunt. Immò erunt etiam honori, non enim postremum decus est, promeruisse gloriam. Appositè mihi ad hæc videtur alludisse Pyrrhus Rex Græciæ, cum quo Romani bellum gerentes, & iam iam fermè victuri, nisi elephantorum magnitudine territi, & consternati equi, fugam stragemq; latè dedissent. Pyrrhus verò postea videns omnium vulnera in pectore, in manibus enses, in vultibus minas, in ipsa morte iram vigere, admiratus exclamauit. *O quàm facilè erat orbis imperium recuperare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis!* Bellum Catholici mei ingens vobiscum perpetuò gerit dæmon, inuidendo salutem æternam, & quia eius potentiæ humana fragilitas, haud facilè resistere valet, clypeum inuictissimum, scilicet; stigmata passionis suæ in sacratissimo corpore exhibet vobis rediuiuus Saluator, vt his velut robustissimis armis, acriùs pugnando, omnes dæmonis astus atq; insultus cum profectu vincatis. Si enim interrogaueris Catholice, quid sunt plagæ istæ in corpore Christi? Respondet doctissimus Rupertus, in caput Zachariæ 13. *Ego dico vobis: quia testimonium sunt obedientiæ,*

S. Dionys. — Exodi 24. — Actor. 17. — Habac. 1. — Tertullia. — Balduin. — Beda. — S. August. — Rupertus.

signa voluntatis, & iussionis paternæ. Quasi diceret: Plagæ Christi fuerunt ardentis amoris signa, pignora amicitiæ, concordiam inter Deum & hominem exhibentia. Hinc meritò dicitur Zachariæ 13. *Framea suscitare super pastorem meum, cohærentem mihi.* Quod idem est. O mors conualesce per Filium meum, pastorem bonum, in vnitate personæ coniunctum verbo, quod consubstantiale mihi est. Quasi diceret: Framea ex vtraq; parte acuta, fac in Christo meo cicatrices intensas & profundas: quia quò maiores, eò pretiosiores, & in æternum pignora concordiæ & pacis exercentes. Nam quemadmodùm cùm ciuitas aliqua conturbata est, & Princeps ciuitatis vexillum Regis extollit in sublime, vt omnes quiescant, & concorditer sistant, protinus omnes sub vexillum accurrunt, & ad vnitatem redeunt. Ita Christus dùm suos fideles, vehementissimis dæmonum tentationibus conturbatos spectat, vexillum suæ passionis illis expendit, ne in certamine desistant. In his Catholici mei Christi vulneribus mors ipsa confossa interit, in his cicatricibus Principis inferorum robur contritum est, hic clypeus fortissimus, hic scutum inexpugnabile, redemptæ suo sanguine Christianitati, Dei Filius comparauit: in his proinde foraminibus & non alibi vestrum subsidium quærere debetis. Quia facilè est, homini Christiano, hostem diabolum vincere Christi vulneribus, & illo duce cælum occupare.

Zachar. 13.

Præterea resurrexit Christus cum cicatricibus, vt his tanquàm euidentissimis signis, hæsitantia discipulorum corda, circa fidem suæ resurrectionis fortiùs corroborare: sicut enim columbæ campestres ad odorem balsami volitando, illius fragrantiâ allectæ accurrunt; ita Apostoli, qui tempore Christi passionis territi fugerant, vbi vexillum suarum plagarum Christus illis ostendit; dicens: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego sum.* Mox fortes in fide & concordes permanserunt. Et profectò si Amalecites ille, vt probaret coram Rege Dauid, mortem Saul, attulit diadema, quod erat in capite eius, & armillam brachij illius ad Dauid 2. Reg. 2. Si Baana, & Rechab, duo viri Principes latronum, attulerunt caput Isbosethi ad Dauidem in Hebron, dicentes: *Ecce caput Isbosethi filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam.* 2. Reg. 4. Quantò magis oportuit Christum mortem suam, per cicatrices probare: si enim non credebant discipuli eum resurrexisse, post tot luculentissima documenta, quæ publicam eius resurrectionis famam promouebant, quomodò credidissent, nisi cicatrices vidissent.

Luc. 24.

2. Reg. 4.

Meministis credo obfirmatæ illius pertinaciæ, quâ incredulus Apostolus Thomas, noluit fidem præbere discipulis: asserentibus se vidisse Dominum, & Magistrum suum à mortuis resuscitatum. Mouete, (aiebat ille) omnem lapidem, non me tamen ad credendum inducetis, nisi videro & tetigero in manibus eius fixuram clauorum. Et ecce sistit se præsens eius obtutui Christus, & benignè dubitantem alloquitur: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus.* Ioan. 20. Quasi diceret: ô Thoma quàm pertinax es, quàm proteruus & incredulus. Si tibi suspectus est amor meus, & dubitas num te sincerè diligam? Sileat lingua, & loquantur vulnera ista, quæ in cruce pendens pro te suscepi? loquatur vulnus istud lanceæ, & acutissimus dolor illius, & penetret saxeum atq; inexorabile cor tuum. Emolliant viscera tua, hæc mea vulnera pro te patefacta? quia illa tibi testabuntur iniuriam, quâ me incredulitate tua & proteruia afficis. Extende manum, & mitte in latus meum, vt cùm sis palmes, & ego vitis, hac incisione indubitatæ fidei fructus proferre valeas. Obediuit promptus Thomas, vt adnotat Petrus Chrysologus Serm. 84. *Thomas*, inquit, *Apostolus vt Christum Deum*

Ioan. 20.

Chrysolog.

Deum crederet, immisit manus, iniecit digitos, patefecit vulnera, & vt Christum crederet, iterum pati compulit Christum. At quomodò obsecro iterum Christus pati potuit, Thoma digitos suos in locum vulnerum imitente? vtiq; fides Catholica omnibus credendum proponit, Christum à die resurrectionis, omnis passibilitatis expertem esse. Respondet non nemo, Christum in illa occasione iteratò passum fuisse; per hoc, quòd vulnera sua patefecerit Thomæ: quasi idem prorsùs fuerit, patefacere vulnera, & renouare dolorem; cùm potiùs mallet Saluator noster cicatrices illas, tanquàm pignora maximi sui erga nos amoris occultare; quàm propalare ea, quæ amore nostrûm pertulit. Quia itaq; Thomas dubitando, ad patefacienda vulnera Christum adstrinxit, quasi iteratò illum pati compulit. Cæterùm ego duplicem passionem agnosco, vnam dolorosam, alteram gaudiosam; dolorosa fuit in cruce, gaudiosa verò nunc peragitur in Christi vulneribus, quando miser homo infidelitatis erroribus à Christo abreptus, mundi vanitatibus fascinatus, obstinatus peccati malitiâ, & vndequaq; densissima caligine errorum circumuolutus, guttula pretiosissimi sanguinis, qui in cruce de Christi corpore totus stillauit, viuificatus, velut columba cum ramo oliuæ, scilicet; cum profunda contritione, ad hanc salutis arcam accedit: tunc enim iteratò patitur Christus, sed passione gaudiosa pœnitentem peccatorem non repudians, verùm in sua gratia iam clementer susceptum, augens & confirmans. Patitur tunc Christus dùm alienus, à fide, sepositis falsorum dogmatum superstitionibus, ad orthodoxæ fidei lumen recipiendum conuertitur. Patitur tunc, dùm recidiuus peccator latronis instar in cruce pœnitentis, amotâ procul occasione peccandi, tandem puro corde euigilat. Patitur, quoties aliquem de lapsu peccati erectum iterum in suam gratiam recipit, cùm iuxta Philosophos, omne recipere, sit quodammodò pati.

Passio duplex.

Tertiò, ideo Christus cum cicatricibus resurrexit, vt Patri pro nobis supplicans, semper ostendat, quale mortis genus pro nobis sustinuit, & hoc motiuo ad comiserationem, summo furore percitum Patrem flectat. Sic quondam fecerunt fratres Ioseph, qui venundato illo Ismaëlitis prætereuntibus, tinxerunt tunicam eius in sanguine hædi, miseruntq; ad Patrem. *Hanc*, inquiunt, *inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Quam cùm agnouisset Pater, scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore: quanto magis Dominus noster Iesvs Christus, dùm vulnera sua Patri æterno ostendet, illum flectet, & ad miserendum nobis impellet. Nihil quippè magis Christum affligere potest, quam aduersa, quæ Christianitati eueniunt, & ideo pro nobis semper gemitibus inenarrabilibus interpellat, vt omnia mala à nobis amoueat. Gen. 37.

Tractans Diuus Hilarius de conuersione boni latronis, extraneum & singulare quidpiam refert, quòd latro in cruce pendens, ad solemnem illam confessionem: *Memento mei Domine &c.* impulsus fuerit per gemitum, quem Christus ediderat, dùm manus eius clauis affigerentur cruci. *Latro* (inquit S. Hilarius lib. 10. de Trinitate) *rogat, vt sui in regno meminerit, & credo eum ad hanc beatæ confessionis fidem, auditus transeunte palmas clauo gemitus accendit, & regnum Christi per dolorem infirmitatis, in Christi corpore didicit.* Quid obsecro causæ, quòd Redemptor noster, extremam illam anxietatem monstrauerit? Non gemuit, quando illum quinquies mille & ampliùs, cum omni crudelitate, flagris afflixerunt immanissimi tortores; non gemuit, dùm caput, & tempora iuncis marinis acutissimis perforarent: non gemuit in tot alijs inauditis cruciatibus. Sed tunc solùm, dùm manus eius acutissimis clauis cruci affigerentur. Rationem non aliam crediderim esse, nisi quòd Christus tanquàm verus Dei Filius, habe-

S. Hilarius.

Quare Christus ingemuit, cum manus eius, cruciaffigerentur.

haberet in manibus vniuersum mundum Psal. 97. *In manu eius sunt omnes fines terræ;* ita etiam in ijsdem manibus habebat animas omnium fidelium prædestinatorum Sapien. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Sentiebat ergo Christus per illam manuum suarum eleuationem, mundum & iustos, qui in eo degebant, affligi; & ideo tunc cum summo dolore ingemuit, sic censet Leo Papa de passione Domini: *Elementa,* inquit, *clauos crucis Christi senserunt.* Quasi diceret: dederunt elementa signa doloris, & tremuit terra, rupesq; inter se, quasi mutuo certamine collidebantur, & cuncta in hac rerum vniuersitate ad extremum redacta fuerunt: quia cuspis claui, quæ Christi manum perforauit, omnia pariter quæ in ea erant, tenebrauit. Hoc ergo pendens in cruce noster Saluator sensit, atque adeo tristem illum gemitum edidit: quia cætera omnia tormenta, solum illum affligebant; at verò in confixione manuum, omnes etiam creaturæ quodammodò lædebantur. Ingemuit itaq; tunc Saluator noster: vt ostenderet se pluris facere fidelium vitam; quàm propriam.

Sapien. 3. S. Leo.

Refert Sacra pagina 4. Reg. 6. Cùm Benadad Rex Siriæ, non exigua militum manu Samariam obsideret, tantam famem in Samaria exortam fuisse, vt humana carne cogerentur vesci homines. Dum itaque loram Rex transiret per murum, mulier quædam lachrymis perfusa illum allocuta est; *Salua me Domine mi Rex.* Cui ille: quid tibi vis fieri? quæ respondit. *Da filium tuum, vt comedamus eum hodie: & filium meum comedemus cras.* Postquàm verò coxit filium Regis, & comedit cum Rege, dixit ei Rex sequenti die: *da filium tuum, vt comedamus eum.* quæ abscondit filium suum. Hæc cùm audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Mulier ista diuinam significat iustitiam, quæ compulit Dei Filium ad passionem, vt cùm inaudita fames iniquitatum, vniuersum genus mortalium acriùs premeret, ille tanquàm Vnigenitus æterni Patris, & Regis Regum Filius, dentibus Iudæorum contereretur, & verteretur in cibum, ad satiandas famelicas mortalium animas. Grassatur etiam nunc ingens in toto orbe Christiano fames, dùm à cultu Dei gens iniqua descendit, dùm Cathedræ Ecclesiasticæ falsis blasphemantium dogmatis personant, dùm pietatis officia prostituuntur, dùm negligitur cura animarum, & propriæ vitæ amor, tot innocenter pereuntium animabus anteponitur. *Cùm* (inquit Augustinus Serm. 211.) *famem ò miserrime pateris? cur tanta penuria lacerarù?* & statim reddit causam: *crescit famis quotidie pœna, quia quotidie crescit & culpa.* Quasi diceret: perseuerant flagella Dei, pestis, belli, & famis, hisce nostris calamitosis temporibus, quia delicta perseuerant. Quid ergò? dedit iam æternus Pater Filium suum, quem vestra enormia peccata in cruce coxerunt, à vobis vicissim mulier illa, diuina iustitia filios pariter coquendos requirit, scilicet; animas vestras igne diuini amoris coctas, & verè pœnitentiæ amore contritas. Hoc consilium periclitanti Christianitati porrigit D. Augustinus loco citato, *Deinceps,* inquit, *vita peccata, delicta compesce, ad Deum conuertere, relinque idolum; & tunc poteris hostes diuino adiutorio vincere, nec quisquam nocere poterit vlteriùs, si damnato scelere, diuinus in te germinauerit cultus.* Equidem tunc primum Pater æternus, spectans vulnera Filij sui pro te supplicantis, flagella iracundiæ, in amoris & fauoris vestimenta commutabit.

S. August. Idem.

4. Reg. 6.

Quartò, Christus cum cicatricibus surrexit, vt mortis suæ indicijs populo redempto insinuaret, quantam in sua morte omnibus præstiterit misericordiam, vt cùm posset multis alijs modis reparationem generis humani facere, nihilominus etiam ad mortem abiectissimam seipsum submisit, non ex vlla necessitate, sed ex sola infinita bonitate: cùm enim esset verus Deus, non naturâ & necessitate, sed solâ voluntate & liberè

liberè mori potuit, quoniam quicquid extra seipsum agit, liberè agit, eò quòd nihil omninò boni accipiat, ex bonitate & existentia vllius creaturæ, etiam optimæ, qualis est incarnatio; neq; etiam patitur quicquam mali ex vllius creaturæ malitia aut carentia, & æquè beatus ac felix est, si nulla existat, aut nisi bona existat, aut si existant omnes æquè optimæ. Legimus in Scripturis sacris, cùm Naas Rex Ammonitarum, viros Jabes Galaad bello premeret, dixerunt
1. Reg. 11. omnes viri Jabes ad Naas. *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.* Quibus ille respondit: *in hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponamq; vos opprobrium in vniuerso Isràël.* Et allocuti sunt eum Seniores Jabes: *Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos fines Isràël, & si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te.* Postquàm verò venissent nuntij plorantes ad Saul, & ille sciscitaretur causam tàm lachrymabilis aduentûs, agnitâ eâ re, assumens vtrumq; bouē concidit in frusta, egressusq; ad defendendum illum populum, percussit Ammon, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter. Quo viso vniuersus populus clamauit post Samuelem: *Quis est, qui dixit, Saul non regnabit super nos.* Sic planè Christus Dominus plorantem in sua infirmitate populum, frameâ crucis defendens, vtrumque bouem disrupit: videlicet; & diabolum, & & peccatum in homine. O vtinam etiam his temporibus, dùm hostis atrocissimus, non solùm iugum grauissimum labenti Christianitati imponere satagit, non solùm bona, fortunas, liberos eripit, non solùm igni & ferro in visceribus Patriæ grassatur, non solùm vnumquemque nostrûm ad cædem designat, sed quod multò grauius, etiam in personas Deo dicatas sæuire, Religionem Catholicam Romanam extirpare, imò quod lingua dicere horret, in ipsum Deum & Virginem Deiparam, sacrilegam manum mouere audet; vtinam inquam septem dies nobis concedantur, quibus iratum Deum placare possimus, & eò nostris supplicationibus perducere, vt sicut quondam recalcitrantem cælestibus monitis Pharaonem in mari rubro, ita nunc sanguinis Christiani sitientissimum hostem, in proprio sanguine suffocare dignetur.

Demùm, Christus cum cicatricibus surrexit, vt in tremendo illo vniuersali iudicio ijsdem vulneribus demonstret, quàm iustè damnabuntur impij, qui ijsdem vulneribus veluti cælestibus antidotis, nolebant morbis suis mederi. vt docet D. Augustinus libro 2. de Symbolo cap. 8. *Sciebat*, inquit, *Christus, quare cicatrices in suo corpore seruabat, sicut enim monstrauit Thomæ non credenti, nisi tangeret, & videret, ita etiam inimicis suis demonstraturus est vulnera, dicens: ecce hominem quem crucifixistis*: videtis vulnera, quæ inflixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? quod lanceâ per vos & propter vos apertum est, intrare tamen noluistis. Quodsi Dauid nuntium de morte Saul, interficere iussit: *Accedens irrue in eum, qui percussit illum & mortuus est.* 2. Reg. 1. Si præcepit pueris, vt Baana & Rachab interficerent, eò quòd caput Isboseth attulissent ad eum: *Præcepit pueris suis, & interfecerunt eos præcidentesq; manus, & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron.* 2. Reg. 4. Quantò magis dignæ sunt manus, vt abscindantur, quæ toties Christo IESV, vulnera crescentibus peccatis renouant.

S. August.

2. Reg. 1.

Ibidem 4.

EODEM DIE CONCIO QVARTA.

Pax vobis.

Tria oblectamenta Spiritualis recreationis proponuntur fideli populo, nimirum musica, vmbracula, & cibaria.

POst diuturnos labores, post hesternæ deambulationis fatigationem,

nem, honesto otio, & iucundæ recreationi committit se Christus hodiè cum Apostolis, omnimodâ pace, & tranquillitate frui volens: cùm hoc naturæ humanæ maximè consentaneum esse videatur, otia laboribus miscere. Qua de re eleganter Clemens Alexandrinus, lib. de Pædag. cap. 5. discurrit: *Quæcunq; naturalia sunt homini, ea ab illo minimè sunt tollenda, sed eis potiùs modus, & conueniens tempus est adhibendum. Non enim si homo est animal, facultate ridendi præditum, ideò perpetuò ridendum est; quandoquidem nec equus, cuius est proprium hinnitus; semper hinnit.* Egregiè sanè: continuus enim labor frangit homines, interpositа autem moderata oblectatio, vires lassatas reficit, magisq; ad onera sustinenda corpus idoneum reddit. Hinc Aristoteles 4. Ethic. cap. 8. honestæ recreationis, & vrbanitatis talem modum præscribit: *Is, qui cum moderatione iocatur, comis atq; Vrbanus vocatur, talem sanè moris iam habitum assecutum, vt ad benè rectèq; iocandum, sese flectere possit.* Sed & ipse Deus, eum flendi, atque ridendi, hoc est seria agendi, & à laboribus abstinendi, Ezechieli modum tradidit, vt magnis laboribus, modicas oblectationes interseret. Sic enim ipsemet fatetur cap. 2. *Et ecce*, inquit, *manus missa ad me, in quâ erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intùs & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Sanctus verò Ambrosius lib. 2 de pænitent. cap. 6. ita exponit: *Accepit librum, in cuius capite scriptæ erant, lamentatio, & melos, & væ, duo tristia, & vnum delectabile.* Palam faciens, magnos labores, moderatis recreationibus leniendos esse, vt sapienter edixit Valerius Max. *Otium*, inquit, *industriæ subnecti debet, quo non euanescit virtus, sed recreatur.* Quali igitur recreatione hodiè, ob triumphalem Christi resurrectionem vti debeatis, ostendam.

Clemens Alexandr.

Aristoteles

Ezech. 2.

S. Ambro.

Valer. Max.

In decenti recreatione, plerumq; homines musicis instrumentis oblectari solent, quibus facilè tristes Melancholiæ nebulæ depelluntur, & omnia aduersa, velut profundo sepulta somno, euanescunt. Hinc antiqui Philosophi etiam ipsis cælis musicam tribuebant, quasi illâ mirum in modum non solùm homines, sed & Dij ipsi oblectentur. Plato enim in sua Republica affirmat, singulis orbibus cœlestibus, singulas Cyrenes præsidere, quæ suauissimos vocum concentus effundunt, quibus Deorum aures mulceantur. Pythagoras quoq; dicebat cœlestia corpora, dùm se inuicem magna vi defricant, & collidunt, conditissimos cantus excitare: ita nimirum, vt quò quis orbis celeriori cursu fertur, eò sonitum edat acutiorem. Vnde fieri necesse est, vt orbis lunaris, qui infimus est, & tardissimus, (si de motu diurno sermo sit) tenuissimum excitet concentum; adeò, vt eius non tàm sonus, quàm silentium à Virgilio 2. Æneid. Seruio interprete celebretur:

Cœlis cur musica attribuatur.

---Tacitæ per amica silentia lunæ.

Cui suffragatur Tertull. de pallio cap. 2. *Luna*, inquit, *modulationibus menstruis variat.* Quasi diceret: Luna certâ menstruâ, quasi numerorum ratione, & dulci chordarum concentu mensem efficit. Tandem Aristoteles, & consequenter alij Philosophi, cœlestibus Sphæris musicam inesse metaphoricam credunt, quæ in rerum ordine, consensu, proportioneq; consistit: qualis in concordi Republica reperitur, de qua pulchrè Tullius 2. de Repub. *Vt in fidibus*, inquit, *ex dissimillimarum vocum moderatione, concors & congruens efficitur concentus; ita in Republica ex summis, mediis infimisq; ordinibus aptissima harmonia consurgit.* Iam verò quanta in cœlesti mundo consensio, æquabilitasq; seruetur, testatur Marcus Tullius 2. de natura Deorum, vbi sic habet: *In cœlo nec fortunam, nec temeritatem inesse; sed ordinem, & constantiam dominari.* Nulla proinde re meliùs homo delectari potest, quàm musicâ, cùm musices harmonia, ad depellendos animi mærores accommodum

Tertullia.

Musica ad depellendos animi mærores idonea.

modum sit instrumentum : vt facilè colligi potest ex lib. Prouerb. cap. 25.
Prou. 25. vbi dicit Sapiens : *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* Quasi diceret : non secus animi languores, ac perturbationes à corde hominis concentus depellit, ac solent aures aceto. nitro dissoluto expurgari, & sanitatem recipere. Verùm cùm admoneat Plato in Tymæo, ad cælestium orbium stabilitatem, hominum mores conformandos, & ego vestris auribus in hac spirituali recreatione, cœlestem musicam adB duco, nimirùm de ore ipsiusmet Christi prodeuntem, qui in medio discipulorum consistens, suauiter modulatur *Pax vobis.* Et quæ iucundior harmonia in auribus discipulorum resonare potuit?

Repetamus si lubet Sacram historiam, 1. Reg. 18. vbi tangit Propheta tragicum Saulis delirium, & producendi calamitatem ambitiosissimum desiderium. Desertam à gratiâ Saulis animam nactus dæmon, tormento immanissimo discruciabat, C suæq; tyrannidis notas, vel ipsa facie prodebat. Internis flammis vrgebatur adustus, qui exteriùs rubentibus purpuræ splendoribus emicabat circumcinctus : prudentia dementis arce deturbabatur, agebantur pupillæ oculorum transuersim, præcordia continuis ictibus diffluebant concussa, & melancholiæ tormentis tabescebant pectora discruciata : obrigebant digiti, collidebantur artus, & tota concussione corporis afflictus Rex vexabatur. Quid tunc? tanto D malo à seruis procuratum remediũ : è pascuis Dauid adductus est, qui melos vice medicaminis malum leniens, regem rationi restitueret : *Misit Saul*
1. Reg. 18. *ad Isai dicens : stet Dauid in conspectu meo : inuenit enim gratiam in oculis meis.* Lyra, & psalmus, erant in dæmonem arma, & auris cantionem excipiens, animo communicabat medelam, ac dæmonis frenabat audaciam. Porrò Dauid ita erat Regijs oculis gratiosus, vt eum ne tantisper à se Princeps seiungi pateretur, causam reddente Sacro textu: *Igitur quandocunq; spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat.* Diligebat itaq; Saul medicum, quia internum sustinebat martyrium, & nihilominùs cùm aliquando Dauid manu suâ psalleret, dæmonemq; dulcissimâ cantûs melodiâ abigeret, Saul non sine irarum notâ hastam, vt pastorem confoderet, emiserat. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete.* En quam varia in regum aulâ fortuna! vbiq; orbitam rotat celerem, sed in curia citissimam : non ita pridem Dauid Principis conspectui gratiosus erat, & paulò post lanceâ impetitus. Audite huic rei appositam rationem magni Basilij Seleuciensis orat. 15. Quia antea pro medicina indigebat, modò verò iam firmiorem salutem adeptus, & dæmoniacis perturbationibus liberatus : qui ergo vrgente necessitate deuotus erat, postea immani odio inimicus, & Dauidis bonis operibus aduersarius factus est, inquit Basilius. *A damonis exitu leuatus Saul, & aduersorum detersa caligine in Dauidem, quem præsentem cognouerat, hastam eiaculatus, medicinæ pretium eadem obtulit.* Quid aptius? ne medicus infirmitatis existeret testimonium, improuisum ingratus Rex moliebatur interitum; & quia iam ad speciem Dauidis non indigebat cantibus, in Dauidem fraudulentis armabatur insultibus : coluit, dùm indiguit; occidere nisus est, cùm sanitatem recepit.

In aula Principum fortuna volubilis.

S. Basilius.

Proh inconstantes Regum mores, & omnem eorum gratiam, ipsâ lunâ centies mutabiliorem! in procelloso ambitionis solo eo solùm vento feruntur, qui vtilitatem, non qui honestatem inspiret. Plures ad genua prouoluti ipsos adorant, dùm ambiunt, quos ipsi postea conculcant, si culmine dignitatis elucere viderint. Quibus in hoc facto præit impius Saul, qui dùm crebris obrueretur infortunijs, & duris afflictaretur mo-

tur molestijs, intimus Dauidis erat amicus. Verùm postea omnibus liberatus aduersitatibus, hostiliter ad mortem vsq; eum persequi non verebatur. Felicior multò Christi Domini melodia aures nostras hodiè recreat, dùm non solùm strictam nobiscum firmat amicitiam, sed etiam iucundum otium, & dulcem pacem concedit, inquiens: *Pax vobis.* Controuertunt Doctores Sancti, an etiam primus parens noster aliquâ musicâ, siue instrumentali, siue vocali recreatus fuerit? Et quidem de instrumentali facilè consentiunt omnes, eâ non fuisse oblectatum Protoparentem nostrum, cùm nondùm inuenta esset; vocalem tamen minimè defuisse censent, cum hæc supremum illum totius mundi sublunaris Monarcham, maximè decuerit. Scisciteminì ergò cuius cantu recreabatur? Et respondet Abbas Celensis, quòd dulci phœnicis modulamine, super excelsam Cedrum sedentis. nec mirùm: siquidem Plinius, & Lactantius Firmianus, modulatissimum illi cantũ tribuunt, ita vt instrumenta musicâ illi assimilari possint. Phœnix Catholici mei iuxta D. Augustum & S. Hieronymum, Christi Domini, eiusq; glorioſæ resurrectionis symbolum est, mors phœnici natalis dies est, nisi enim phœnix aureo decine-reſcat in tumulo, non resurgit futuro sæculo. vnde de illo dicit Zeno Veronen. Serm. de Resurrectione: *Sepulchrum nidus est illi, fauillæ nutrices, cinis propagandi corporis semen, mors natalis dies.* An non portentosa hæc phœnicis generatio, Saluatoris nostri typum præseferre videtur? Et hic pariter sine virili semine, cœlesti scilicet virtute, hoc est Spiritu Sancto, inter aromatica ligna, nimirùm inter purissima Beatæ Virginis viscera, & ex sacro ipsius cinere, hoc est; purissimo sanguine procreatus est, è quibus ceu lignis aromaticis, odor quidam præstantissimus ascendens, & suauolentiâ suâ cœlos pertingens, Filium Dei in incredibilem erga se amorem pertraxit. Vbi verò Christus ex Aue, hoc est; ex Deo homo factus, phœnicis instar in solitudine habitasset, & vitæ cursum impleuisset, lignis aromaticis, videlicet Sanctæ cruci membra sua affigenda exposuit, vt nos qui eius pignora sumus, ab omni peccatorum labe redimeret. In cruce igitur, velut in nido aromatico mortuus, & tanquàm in cinerem redactus, in vermem sese commutauit, iuxta illud Psalmi: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* post triduum feliciter renatus, cui iam mors vltra non dominabitur, dulci suo cantu nos recreat, occinendo: *Pax vobis.*

Felix certè pax, quæ hominem cum Deo omnimodè conglutinat, nam S. Ambro. Augustus. Chrysosth. & Theophylactus, per pacem, reconciliationem cum Deo, & amicitiam ex inimicitia reuocatam in gratiam intelligunt. Ad quorum gustum Tertull. lib. 5. contra Marcionem cap. 5. appositè protulit: *Gratiam & pacem non solùm eius esse, à quo prædicabantur, sed eius, qui fuerat offensus: nec gratia enim fit nisi offensæ; nec pax nisi belli; populus autem per disciplinæ transgressionem, & omne hominum genus per naturæ dissimulationem deliquerat, & rebellauerat aduersùs creatorem.* Vbi inter gratiam, & pacem, nihil omninò interesse volunt, cùm nomine vtriusque remissio peccatorum significetur. Quid enim est aliud peccati remissio, prout nunc de facto per gratiæ infusionem fit, nisi reconciliatio cum Deo, & amicitia ex inimicitiâ reuocata in gratiam? nec aliud quidpiam est, facere pacem cum Deo per ipsiusmet gratiam, quàm habere pacem cum ipso nam tunc pax intelligitur obtenta, quandò facta est. Hinc D. Paulus, eos qui iam iustificati sunt, acriter hortatur, & monet, vt pacem cum Deo semel initam, summo studio colant, & studeant retinere, puros se ab omni peccati labe custodientes: Rom. 5. *Iustificati per fidem, pacem habeamus ad Deum.* Pacem igitur nobis hodiè Christus affert, quia nos

morte

Adam in paradiso vocali musica vtebatur.

Phœnici mors dies natalis.

Zeno Veronen.

Psal. 21.

Tertullia.

Rom. 5.

morte suâ plenè reconciliauit Deo: vt eum deinceps non iratum, quemadmodùm antea, & minas intorquentem; sed potiùs propitium, ac beneuolum habeamus. Atque ideò iam non terrore iræ diuinæ perturbati, ac gehennæ metu perciti, eum tanquàm Dominum furentem, aut hostem infensissimum horreamus; sed summâ cum ipso pace, & amicitiâ fruamur.

Secundò, tempore honestæ oblectationis, vtuntur homines vmbraculis, aut frigidarijs cellis, in quibus sole vehementiùs vrente, solent respirare. Hinc Assuerus Rex, septem diebus splendidum conuiuium peragebat in vestibulo horti & nemoris, vbi ne æstus quempiam adureret, vmbracula artificiosa vndiq; protegebant. *Et pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbasini, ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atq; purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur.* Esther 1. Sed præstantiùs multò vmbraculum, ad refrigerandum nos, proponit hodiè Christus, videlicet stigmata vulnerum suorum: *Ostendit eis manus & pedes.* Lucæ 24. Res stupenda: resurgens Iesvs, vt testimonium vitæ recidiuæ discipulis daret: *Ostendit eis manus, & latus,* Thomam alloquens: *Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Et postea Lucæ 24. *Ostendit eis manus & pedes.* Quæ in manibus, pedibus, ac in latere, foramina vulnerum seruauerat, ostia faciebat, per quæ ad salutem, & fidem intraret. At verò de capitis vulneribus, & foraminibus, à spineâ coronâ factis, nullam omninò facit mentionem, sed quasi penitùs nulla remansissent, altissimo illa silentio pressit. Et cur qui tantus erat in ostensione lateris, manuum, ac pedum; nullus fuit in ostensione vulnerum capitis? Existimo, vt hanc virtutem propriam capitibus Ecclesiæ, ac populi sui ostenderet, quomodò iniuriarum à subditis acceptarum obliuisci, & ne minimum earum vestigium seruare debeant.

Esther 1. Lucæ 24.

Sic sic Prælati Ecclesiæ, & Principes populi, absumere in se debent iniurias, & errores subditorum, vt nulla illarum memoria habeatur, quibus in hoc facto, dux & antesignanus Christus Dominus prælucet. Refert enim Euangelista Matt. 27. *Quòd milites accipientes Iesum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.* Necdum satis, sed insuper post multas irrisiones: *exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Duo mala fecerunt milites in Iesvm, vnum: quia chlamyde eum exuerunt; alterum: quia coronam spineam imposuerunt eius capiti; & tamen solius chlamydis mentio facta est, quòd exuta fuerit; de corona autem spineâ nullibi scriptum, quòd deposita sit. Respondet Origenes homil. 35. in Matt. ideò de chlamyde scriptum est, quia eam denuò milites Christo detraxerant; de coronâ autem spineâ, nullam mentionem factam, vt nobis relinqueretur occasio inquirendi exitum rei, de hac corona semel depositâ, & nusquàm postea detractâ. Inquit Origenes *Ego igitur arbitror, quòd spinea illa corona consumpta est à capite Iesu, vt iam non sint spinæ nostræ antiquæ, postquàm semel eas à nobis abstulit Iesus, per venerabile caput suum.* Ponderate seriò illud, *consumpta est à capite Iesu.* Quid est? fornax ardentissima pectoris Iesv, non absumpsit adactum sibi ferrum lanceæ; nec manus, nec pedes Iesv absumpserunt clauos, sed illorum vulnera in monumentum æternum seruârunt. Caput autem Iesv spinas sibi impositas, penitùs in se absumpsit, vt hinc pateat, quàm proprium debeat esse illorum, qui capita populi sunt, vt absumant iniurias, & errores subditorum, nec patiantur etiam minimum vestigium remanere.

Matt. 27. Origenes.

Dicam amplius, reseruauit Saluator noster, in suis manibus, pedibus, & latere, Sacra vulnerum stigmata, vt omnes mundi concupiscen-

scentiæ in illis refrigerium quærant, vt anima fidelis in his sacris foraminibus consistens, dicat : *Hæc est requies mea in sæculum sæculi.* Hoc refrigerium piæ contemplationis Christi vulnerum, & assiduæ in eius obsequio vigilantiæ, exoptabat quondam cœlestis sponsa, dilectum suum sponsum alloquens : *Veni dilecte mi, commoremur in villis.* Cantic. 7. S. Ambr. legit : *in castellis.* Vbi non modò honestos, hilaresq; in agrum egressus, ad commorandum in castellis, hoc est, ad laborandum & pugnandum referebat, quòd remissiones (vt dicebat Dio) præparamenta ad labores sint; sed etiam hæc oblectamenta egressûs nomine, quasi breuis moræ, & velut inchoatæ actionis spatium, signatè appellabat commorationem, & diuturnitatem temporis in castellis, siue in laborum exercitio ponens. Hinc pijs fatigata laboribus, subsidium inuocabat : *Fulcite me floribus, quia amore langueo* Cantic. 2. LXX. vertunt : *confirmate me in vnguentis, & stipate me in malis, quia vulnerata charitate ego sum :* satis indicans, eò quòd charitate recenter vulnerata esset; se fulcris & sustentaculis virtutum indigere, ne à proposito & rectitudine deficeret. Fulciri ergo rogat vnguentis, hoc est virtutibus, ad obtinendam bonorum firmitatem. Sic exponit S. Gregorius Nyssenus homil. 4. in Cantic. *Virtus,* inquit, *est, non solùm bonum intueri, & esse participem eius, quod est melius; sed etiam immutabilitatem in bono conseruare. Qui ergo vult fulciri vnguentis, quærit sibi adesse firmitatem in virtutibus.* Et ecce hoc fulcimentum, non alibi inuenit, nisi in foraminibus vulnerum Christi, his eum vocibus inuitantis. *Veni columba mea in foraminibus Petræ, & in cauerna maceriæ.* Vbi per petram intelligitur Christus, per foramina verò, sacra eius vulnera. Vnde S. Thomas de Kempis dicit: *nec dubitare quis potest, quòd ex vulneribus Christi bona varia, quasi ex apotheca profluant.* In vulneribus quippe sunt efficacissima medicamenta, quibus omnis mundanæ concupiscentiæ æstus penitùs extinguitur, quia in his foraminibus continetur dulcis aqua, ad abluendas omnes peccatorum maculas.

Cantic. 7. — S. Ambro. — Cantic. 2. — LXX. — S. Gregor. Nyssenus. — Thomas Kempis.

Facessant hic Pœtarum figmenta, multa stupenda de fontibus referentium, quin & non pauci ex Naturalistis. Plinius enim lib. 2. refert, fontem esse quendam in Dodona, qui cùm sit frigidissimus, faces si quis ardentes immiserit, extinguit; quòd si extinctæ admoueantur, accendit. In Bœotia ad Triphonium, duos fontes esse, quorum alter memoriam, alter obliuionem afferat. Scotusæ fontem esse, qui non solùm hominum, sed etiam pecudum vulnera sanet, lignumq; etiam fissum, & confractum, si inijciatur, coalescere faciat. Tradit Antigonus in Miran. nat. in Bætica prouinciâ, iuxta oppidum Antiqueram, fontem Antiquarium potu suo calculos dissoluere. Quia multò pretiosior aqua de foraminibus Christi vulnerum profluit, quæ omnem efficaciam habet ad sanandos animarum morbos. Semel tantùm ad pedes Iesv Maria Magdalena procubuit, & subitò ita mutata est, vt omnia quæ mundi sunt, toto animo detestaretur. Vulnera itaq; sua Christus nobis hodiè ostendit, vt non alibi, nisi in huius petræ foraminibus refrigerari, & recreari cupiamus : quemadmodùm concludit D. Ambr. Serm. 11. in Psal. 118. *Sancta,* inquit, *anima nescit aliud desiderare, quàm sponsum, qui est Christus Iesus : illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis viribus intendit, illum mentis gremio fouet, illi se aperit, effundit : & hoc solùm veretur, ne illum possit amittere.*

Fontes admirandi. — S. Ambro.

Ad extremùm, in iucundis recreationibus, delicatis ferculis se homines reficere solent. Non aberrauit ab hac consuetudine Redemptor noster : nam piscem, & mel cum discipulis suis manducauit : *Obtulerunt partem assi piscis, & fauum mellis.* Lucæ 24. Ecce tibi post resumptam gloriam, post quietem immortalitatis habi-

Lucæ 24.

habitam, IESVS noster condescendens discipulis, iterùm de mundialis vallis fructibus cibos capit. Quid tunc? Audite hostem generis humani, de hac re apud D. Epiphanium orat. de Ascens. ita discurrentem: *Cernebam illum mortali corpore indutum, ratusq; hominem, & aliud nihil, Iudæos aduersùs illum flagitiosè concitaui: clauos cruci affixi, morti denique iubegi. At verò videns illum tertiâ die à mortuis resurrexisse, repentè veluti acutâ cuspide traiectus in terram decidi. Rursùs adeum, ac antea comedere, & bibere cernens, aliam denuò crucem illi destinabam.* Quid magis metuendum? ipsissimus ille triumphator mortis, notissimus ille inferorum vastator, qui paulò ante ingenti dæmonum metu repagula inferni confregerat; cùm tantillum suis discipulis condescendens de frugibus terræ accepit, statim in se dæmones armauit. Virum triumphatorem suum vidit hostis, condescendentem suis discipulis in cibo & potu, & statim totum prælium crucis aduersùs illum reaccendit. Vt scilicet minimè credamus posse nos in pace consistere, quousq; mortalem hanc vitam agimus. Crede mihi quisquis es, quamdiu ima hæc sectaberis, non effugies hostes, non effugies periculosissima bella. Quod prophetico Spiritu prædixit Michæas cap. 2. sic inquiens: *Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem.* Diuus verò Ambro. lib. de fugâ cap. 5. *Surgite hinc, quia non est vobis hic refrigeratio.* Palam ostendens, quamdiu inter mortales agimus, minimè nos posse securitatem habere.

S. Epipha.

Michææ 2.

S. Ambro.

Aliò tamen vt video, mysterium istius comestionis spectat. In mensa Dominica post resurrectionem, primò appositus est assus piscis, vt priùs homo amaris tribulationibus assuescat, si vult in cœlo dulcioribus refici oblectamentis. Vt enim piscis assus totus igne desiccatus est; ita Christus hoc facto monuit comedentes, vt in se virentia quæque carnis priùs desiccent, si amant in resurrectionem vitæ transire. Ita censet

Christus post resurrectionem cur assum piscem comedit.

A Rupertus lib. 4. in Cantic. *Comedit,* inquit, *coram eis, non priùs fauum mellis, & deinde partem piscis assi; sed priùs partem piscis assi, & deinde fauum mellis, & sumens reliquias dedit eis. Hoc signo edocens, quòd & ipsi exemplo Iesu, priùs passionibus, atq; pressuris desiccandi, ac deinde fauo consurgendi, cum Iesu forent satiandi.* Priùs quippè siccitas luxuriantium passionum introducenda est, vt postmodùm ad vitam eatur. Christus Dominus in montis Thabor vertice, nubibus coæquato fulgu- B rans spectaculum ediderat, ex humana eius facie radij promicabant, qui solares radios tegerent, & multò fulgentiori nitore obscurarent. *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Matt. 17. Tantam gloriam Saluatoris videns Petrus, dixit ad IESVM: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Audite ergo quale responsum audiuit: *Non enim sciebat, quid diceret,* inquit Euangelista Marci 9. Durissima profectò videtur hæc c in Petrum sententia, quâ feritur velut prorsùs ignorantiæ tenebris occupatus. Ignorantiane est, velle cum IESV esse? ignorantiane est, amare, & nunquàm à IESV separari velle? & si hæc non est ignorantia, cur Petrus quasi ignorans taxetur? Meritò tamen vt video Petrus, quasi ignorantiæ reus arguitur, quia sine vlla amaritudine voluit in summa felicitate permanere. Sic resoluit Sanctus Remigius in citatũ locum: *Absq; gustu mortis,* ait, *voluit subire æternam* D *felicitatem.* Multa autem amara priùs hominem pati necesse est, vt gaudijs perfrui mereatur sempiternis. Nam & ipse Christus non nisi post passionem, & mortem crucis, glorificatus est.

Rupertus.

Matt. 17.

Marci 9.

S. Remigi.

Habetis igitur tria oblectamenta ad spiritualem recreationem, inprimis muficam suauem, quam vobis Christus intonat, pacem offerens. Deinde vmbracula ad refrigerandum, nimirùm signa vulnerum Christi in manibus, pedibus, & latere. Ac tandem duo fercula, assum piscem,

ſcem, & mel, vt ſi vultis gloriam illam cœleſtem deguſtare, primò aſſum piſcem, hoc eſt; varias mortificationes, & aduerſitates, in hac vita ſubire non vereamini, Amen.

EODEM DIE CONCIO QVINTA.

Pax vobis, nolite timere.

Chriſtus Apoſtolis pacem obtulit, quia illâ nihil melius, vtilius, & dignius in rebus creatis reperitur.

NVnc veriſſimum agnoſco illud prouerbium: NON DECET REGEM INIVRIAS VINDICARE. Quando rediuiuus Saluator noſter, non ita pridem à ſuis diſcipulis deſertus, & Iudæis ad mortem atrociſſimam traditus, cùm ſeuerâ potiùs reprehenſione digni cenſeantur, omnem illis humanitatem & clementiam exhibet. Heſternâ quippè die, cum duobus in caſtellum Emmaus eundo, licet ab illis minus dignè, tanquàm viliſſimus peregrinus tractaretur: *Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus,* Lucæ 24. Cum omni modeſtia reſpondit: *quæ.* Vnde tibi bone IESV tàm manſueta reſponſio? quomodò tantorum dolorum, tantarum quas ſuſtinuiſti paſſionum, ita citò oblitus manes? vix tertius hodiè labitur dies, & omnium iam pœnarum atq; cruciatuum non reminiſceris? ita vt ad memoriam reuocandam, neceſſarium eſſet te de illis per diſcipulos admoneri. *Et dixerunt: de Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo Et quomodò tradiderunt eum ſummi Sacerdotes, & Principes noſtri in damnationem mortis: & crucifixerunt eum.* Dicant quidquid alij volunt, ego hoc totum ad magnitudinem Chriſti beneficentiæ refero, qui liberaliter omnia dans, ac profusè, nuſquàm tamen improperat, ſed beneficiorum potiùs obliuiſcitur. En iterùm hodiè ſtans in medio diſcipulorum, non exprobrat illis timiditatem, & fugam ſub tempus ſuæ paſſionis; non exprobrat periuria à Petro commiſſa; non exprobrat incredulitatem; ſed quaſi omnium oblitus, dulci pace illos ſalutat: *Pax vobis.* Vt nimirùm verum ſe oſtendat Regem Regum, quem non decet vindicare iniurias hominum. Cauſas igitur proferam, cur Chriſtus non aliud quidpiam, præterquàm pacẽ ſuis Apoſtolis tribuat.

Inprimis eam ob cauſam, Chriſtus Dñus poſt glorioſam ſuam reſurrectionem, videtur mihi pacem ſuis diſcipulis afferre, quia nihil præſtantius tàm apud homines, quàm apud Deum habetur. Si enim nos contulerimus ad homines: tanta olim fuit pacis temporalis apud veteres Gentiles æſtimatio, & tanto labore eam quæſierunt, atq; habitam conſeruare ſtuduerunt, vt eam veluti numen aliquod celebrarent, eiq; templa ad aras erigerent. Nam in monte Palatino, fuit Romæ templum concordiæ dicatum. teſte Blondo lib. 2. de Roma inſtauratâ. Quod templum, vt vult Suetonius, Tiberius Imperator extruxerat, vel vt alij opinantur, Liuia Germanici mater. Et propè montem Palatinum, vbi quondam via, quæ ſacra dicebatur, erat; fuit à Veſpaſiano Imperatore inſtauratum templum pacis, cuius ruinæ hodiè apparent, facilè oſtendentes magnificentiſſimum ædificij apparatum. Nullum enim erat tunc in tota vrbe ædificium ſumptuoſius, nullum admirabili pretioſarum rerum amplitudine præſtantius. Vnde S. Hieronymus in Iòèlis Prophetæ commentarijs, ita de eo ſcribit: *Veſpaſianus & Titus, Romæ templo pacis ædificato, vaſa templi Hieroſolymitani, & vniuerſa donaria in delubro illius conſtituerunt: quæ Græca & Romana narrat hiſtoria.* Si verò ad ipſum Deum reſpexerimus, huic nihil gratius, nihil deſiderabilius pace, ita vt eius nomine intitulari cupiat. Hinc Chriſtus ab Apoſtolo dicitur pax noſtra, Epheſ. 2.

Pax apud veteres pro Numine habita.

S. Hieron.

Vaſa templi Hieroſolymitani Romam translata.

Ipſe

Ephes. 2. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne suâ.* Duo erant antea populi, Iudæus, & Græcus, venit Christus, & fecit, vt duo hi fierent vnum. Ex quo loco argumentantur Catholici aduersùs Arrianos, illosq; notant homines extremæ damnationis, qui negabant Christum vnum esse cum Patre. Nunquàm enim bonus mundi moderator, si ipse à Patre esset diuisus, posset petere in populis coniunctionem. Ait enim Proclus de fide ad Armenos: Proclus. *Iudæum, & Græcum, per baptismum in vnum hominem condidit, vniens potentiâ, quæ conuersione dissidebant: Horreant damnationem nouæ impietatis authores, siquidem cùm dissidentia in vnam concordiam vnita sint, is qui vniuit, quantum in illis fuit, in duo est diuisus.* Perpendite hæc verba: *Horreant damnationem:* Hominis enim damnati est, dominatricem potentiam putare in se dissitam, & disiunctam, quando ipsa ad vnionem populos inclinat. In solum namque damnatum animum cadere potest, quòd potestas aliqua petat à suis id, quod minime ipsa in se admittit. Christus itaq; vtraq; fecit vnum, quia Iudæos & gentiles, in vnam Ecclesiam congregauit, tanquàm Princeps pacis, qui apud Isaiam vocatur figuratus Melchisedech, qui Rex erat Salem, id est pacis. Christus figuratus Melchisedech.

Ahias Silonites Dei Spiritu plenus, prophetabat Ieroboamo, quòd accepturus esset regnum Israëliticum: 3. Reg. 11. *Hæc enim dicit Dominus Deus Israël, ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Res stupenda, audiuit hæc Ieroboam homo priuatus ab ore Ahiæ, postmodumq; impleta vidit, se Regem Israëlis electum agnouit, in throno sedit, regnum administrauit, & Sacerdotes quæsiuit, qui sacra dicerent, munera religiosa distribuit. Inter hæc tamen omnia Ahiæ oblitus, & prorsùs immemor exstitit, donec tandem filius eius periculosè ægrotaret: 3. Reg. 14. *In illo tempore ægrotauit Abia filius Ieroboam.*

A *Dixitq; Ieroboam vxori suæ: surge, & commuta habitum, ne cognoscaris, quòd sis vxor Ieroboam, & vade in Silo: vbi est Abias Propheta, qui locutus est mibi, quòd regnaturus essem super populum hunc.* Quid est? tunc primum Ieroboam recordatus est Ahiæ Prophetæ, à quo regni præsagium acceperat, cùm tanto antea tempore, nullam mentionem de illo faceret. Causam reddit Sacer textus: quia *in illo tempore ægrotauit Abia filius Ieroboam.* Filij ergo ægritudo diuexans patrem, B fecit illum venire in memoriam religiosi viri, de cuius ore lætissimum regni nuntium audiuerat. Quam misera mundialium Principum conditio; dùm in felicitate & prosperitate versantur, obliuioni tradunt religiosos amicos, quos non aliter sibi in memoriam reuocant, nisi dùm in calamitates incidunt: tunc enim multa cõminiscuntur, de obsequijs sibi exhibitis per illos. Mundi Principes in prosperitate amicorũ obliuiscuntur.

Sed videamus modum, quo Sanctus hic Dei vir, Ieroboamo futuram C eius in regno successionem prophetauit? quod Sacra pagina ita enarrat: *Apprehendens Abias pallium suum nouum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* 3. Reg. 11. Nonne sufficiebat, vt pallium in duas tantùm partes diuideretur, vnam paruam, & alteram magnam; vtq; magna pars diuisi pallij traderetur Ieroboamo. 3. Reg. 11. D Quid ergo necesse erat, quòd illi non vna magna pars, sed decem scissuræ traderentur? Sanè innuebatur per hoc, quòd populus, & regnum diuisum à debita vnitate, non posset manere, nisi in continuis scissuris, diuisionibus, ac seditionibus. Rem ingeniosè expendit Rupertus super libros Regum lib. 5. cap. 4. *Cur*, inquit, *tot scissuras Propheta fecit? cur pallium suum in duodecim partes scidit? Nempè, si nihil aliud, quàm regni vnius diuisionem in duo regna significare volebat, poterat vnum pallium scindere in* Rupertus.

duas partes. Quare ergò spiritui Domini sic magis placuit, & tot scissuras fecit? Planè, & in hoc veræ rationis constantia est. Scissum nempè à domo Dauid illud regnum Israël, deinceps aduersùs seipsum diuisum fuit decies, & ita demùm desolatum est, vt domus super domum caderet. Nequit igitur vnitatem in se habere, qui à debita vnitate desciuit. Qui, quam debebat suo Principi, suo Præsuli, vnionem non tenuit; nec vnquàm in rebus suis vnionem habebit, sed seditiones & scissiones frequentissimas tolerabit. Hinc Christo Domino moriente in cruce, inter alia portenta petræ scissæ sunt. Mysterium enodat D. Chrysost. homil. de cruce, & latrone: quia per suum illud sacrilegum facinus, à suo capite, Christo IESV diuisi erant: *Hodiè*, inquit, *apud Iudæos, qui mente audaci contra Deum vadunt, petra scissæ sunt.* Matt. 28. Profectò, vbi te à tuo capite scideris, siue Deo, siue homine, etiam in firmissimis tuis scissiones, & diuisiones cogeris pati: semper enim scissionem scissio sequitur, vt si quis homo debitam cum alio vnionem scindat, cogatur in suis crebras scissiones perpeti. vnus pro mille stabit Herodes ille, qui primus alienigena in Iudæorum regnum venerat. Quis illo domi, plures filiorum rebelliones & tumultus passus est? Quot enim filios habuit, tot rebelles, & seditiosos metuit; occidit tandem Antigonum, & Alexandrum, fratris Antipatri insidijs petitos; deinde & Antipatrum morti dedit, læsæ maiestatis reum. Et vnde tot filij seditiosi, ac proditionis suspecti fuêre? Causam indigitat Egesippus lib. 1. cap. 35. inquiens: *Habuerat Herodes in consortium Dosidem Ierosolymitanam feminam, priuato sibi ante sociatam, qua gratior eò esse debebat, quòd fuerat felix marito, cum qua regale adeptus fuerat fastigium. Verùm immemor gratiæ, proijcit Dosidem, sociat Mariannam Aristobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dùm sequitur nobilitatem, in perturbationem incidit, quâ sibi domus propria non conueniret.* Ecce causam rebellionum fundamentalem: qua se impius Herodes disiunxit à Dosidé, ideò non potuit domi videre conuenientiam, sed innumeras seditiones, & tumultus filiorũ perpessus est. Quia scissionem sequitur scissio, vt qui debitam vnionem frangere non veretur, nunquàm sit sine tumultibus, & seditionibus quietus.

Petræ cur Christo moriente scissæ.

S. Chryso.

Egesippus.

Herodes ob repudiatam Dosidem perpetuas rebelliones passus.

Quodsi vlteriorem istius rei probationem exigitis, sumite eam ex Sacra scriptura. Quærit S. Hieronymus cap. 1. Aggæi, quid sit, quòd in Genesi, primo, tertio, quarto, quinto, & sexto die, post consummationem operum singulorum, dicatur Deus creaturis à se productis benedixisse: *Et vidit Deus, quòd bonum esset, benedixitq; eis.* Gen. 1. Secunda verò die, nulla mentio istius benedictionis. vtiq; idem Deus erat die secundâ, qui & primâ, & creaturæ secundæ diei perindè Deo subiacebant, quemadmodùm & primæ diei? Respondet S. Doctor, quia non poterat secundus dies Dei sententiâ comprobari: quia numerum facit, & ab vnione diuidit. Nam iuxta Arithmeticos vnitas non facit numerum, cùm sit principium numeri: si tamen vnitati addatur vnitas, fit numerus, & arguit diuisionem. Ita ergò Deus execratur diuisionem, & discordiam, vt propterea secundæ diei benedicere noluerit. Quia nihil magis desiderat, quàm vt homines inter se, & ipsi vniantur. Vnde Proclus Platonicus, vnum vni esse dicebat: significans dandam esse omnem operam, vt omnes vnum essemus Deo, qui est vnus lib. de anima & Angelo ita dicens: *Per intellectum nostrum, diuinum attingimus intellectum: sic & primum vnum, à quo omnibus inest vnio per vnum, per quod sanè nostrum vnum, diuino maximè iungimur.* Et Diuus Paulus seriò monet nos, ad seruandam vnitatem cum Deo Ephes. 4. *Soliciti seruare vnitatem spiritùs in vinculo pacis.* Rectè autem vocat vinculum, quia quemadmodùm ait D. Chrysosth. in comentario illius Epistolæ. *Siquandò teipsum alteri cuipiam alligare volueris, aliâ*

Gen. 1.

Secunda dies cur in creatione mundi benedictione caruit.

Proclus.

Ephes. 4.

S. Chryso.

aliâ ratione illud non potes, niſi ipſum tibi colligaueris : ita hic Apoſtolus alligari nos inuicem vult, non ſimpliciter pacificos eſſe, neq; vtcunq; diligere, ſed in omnibus vnam animam eſſe, nempè qualis erat primorum Chriſtianorum pax, de quibus dicitur, credentium erat cor vnum, & vna anima.

Aſcenſurus Chriſtus in cœlum, priùs inſtantiſſimè patrem æternum orauit, vt ſe omnimodè cum hominibus conglutinaret. *Rogo*, inquit, Ioan. 17. *pater, vt ſint vnum ſicut & nos.* Ioan. 17 Quod non debet intelligi de vnitate naturæ, ſed de charitatis imitatione, hoc eſt; vt ſicut per identitatem eſſentiæ Pater eſt in Filio, & Filius in Patre; ita & homines per veram charitatem ac concordiam ſint in Deo, iuxta illud : *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Rogauit itaq; Chriſtus pro omnibus fidelibus, vt ſint vnum vnitate veræ dilectionis, per quam fideles non ſolùm inter ſe, ſed etiam cum ipſo Deo ſociantur. Vnde illa vox cœleſtis ſponſi Cantic. 2. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Olim enim Deus voce tonitrui, voce multitudinis, voce aquarum multarum perſonabat : quia nimis homines perterrebat; at verò poſt triumphalem Chriſti reſurrectionem, voce turturis, qui eſt conſortij & vnionis amantiſſimus, quia cum hominibus deſiderat inire conſortium. Ad quod pulchrè alludit S. Bernardus Ser. 59. in Cantica. *Non planè*, inquit, *principatum ſonat vox iſta, ſed conſortium. Conditor eſt, & conſortem ſe reputat : Amor loquitur qui dominum neſcit : amicos habet, non ſeruos. Neminem ſuſpicit amor, ſed ne deſpicit quidem. In ſeipſo celſos humileſq; contemperat ; nec modo pares, ſed vnum eos facit.* iuxta illud : 1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* 1. Corint. 6. Et propterea ſponſus cœleſtis non dixit : *Vox turturis audita eſt in terra mea*, ſed in terra noſtra : Quia amor proprietatem abnuit, ſocietatem non reſpicit.

Secundò, Chriſtus Dominus pacem ſuis Apoſtolis obtulit, quia in ſuo cœleſti theſauro, nihil melius pace potuit inuenire : tantum enim eſt pacis bonum, ait S. Auguſt. lib. 19. de Ciuit. cap. 11. vt etiam in rebus terrenis nihil ſoleat gratius audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil melius inueniri. Hinc S. Chryſoſthomus conſiderans hodiernam pacem, à Chriſto Domino diſcipulis oblatam exclamat : *O felicem ſalutationem.* Meritò felicem appellat, quia infinitatem bonorum ſecum adfert. Nam vt dicit Gloſſa Interlin. *Qui pacem dedit, omnia dedit.* Quippè ſine pace nihil boni haberi poteſt, vt docet S. Auguſt. Ser. 55. de verbis Domini. vbi ſic de pace loquitur : *Quoniam qui in ea non erit inuentus, à Patre abdicatur, à Filio exheredatur, à Spiritu Sancto alienus efficitur, nec ad hereditatem Domini poterit venire, qui teſtimonium pacis noluerit obſeruare.* Et Sermone 169. de tempore. *Meritum Chriſtianæ virtutis vileſcit in cunctis, ſi vnitatem non habet pacis, nec peruenit ad vocabulum filij, niſi per nomen pacifici.*

Scrutemini altiùs ipſum vocis ſignificatum, & aduertite per tres literas, ex quibus pax componitur, ſignificari Sanctiſſimam Trinitatem. P. enim ſignificat Deum Patrem, primam in Trinitate perſonam. A. Dei Filium, à ſolo Patre genitum, eiq; coæternum & conſubſtantialem. X. ſignificat nexum vtriuſque, hoc eſt tertiam in deitate perſonam, à Patre ſimul & Filio procedentem : *Pax*, inquit, *eſt additio literis conſtans, ad ſignificandam Trinitatem, à qua pax procedit.* Oſtendens eum, qui habet veram pacem, totam apud ſe habere Trinitatem. Vnde cùm hodiè Chriſtus alloquitur ſuos diſcipulos, *pax vobis* : idem eſt, acſi diceret : Habebitis Deum Patrem in cordibus veſtris, qui vos ſuâ omnipotentiâ vbiq; defendet, & confortabit. Habebitis me præſentem, qui cùm ſim verbum, vobis etiam non cogitantibus, ſuppeditabo verba, quæ loquamini : Cùm ſim ſapientia, veſtrum ita illuminabo & eleuabo intellectum, vt

Pace etiam apud Deũ nihil melius.

S. Auguſt.

S Chryſo.

Gloſſa Interlin.

S. Auguſt.

Pacis nomen Trinitatem ſignificat.

Idem qui ſupra.

non sit, qui vestræ doctrinæ resistere valeat. Habebitis præsentem & Spiritum Sanctum, qui cùm sit consolator, vobis carceres, vincula, tormenta, ipsam denique mortem, pro nomine meo, dulcem reddet, meritum in vobis augens, & victoriam consummans. Quia ergò Deus est optimus, omnia in se comprehendens, qui nomine pacis significatur, ideò Christus pacem discipulis offerendo, omnia simul illis bona dat; quia totam Sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

Tertiò, pacem Christus offert discipulis suis, quia hæc inter omnia bona primas tenet: omnium quippè bonorum pax est complementum, & consummatio. Vt docet S. Paulus Rom. 12. *Qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Tru- tinate verbum hoc, *instauratur.* quid sibi vult? hoc sanè, quòd in vera pace & dilectione, omne mandatum perficiatur, seu omnibus numeris absolutum reddatur, vt nimirum dilectio alijs legis, & virtutis perfectionem, ac complementum, imò vt sic dicam, vltimam manum addat, siue vt loquitur Paulus, iustitiæ fructibus saporem & maturitatem reddat. Vnde absq; ipsa omnia imperfecta, inchoata, & velut immatura atq; acerba sunt. Et ideò D. Paulus loco citato addidit: *Plenitudo ergò legis est dilectio.* Quod comprobat D. Gregorius Magnus homil. 27. in Euangel. *Omne* inquit, *mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt. quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur.* hoc est; solidum, perfectum, atq; absolutum efficitur. Et S. Iacobus cap. 3. *Fructus iustitiæ in pace seminatur, facienti bonum:* quia vt iustitiæ fructus opportunè proueniant, non sufficit eos quomodocunq; seminare; sed opus est, vt singillatim in charitate seminentur, alias adulterini, atq; syluestres fructus à generosa stirpe degeneres pullularent. Sic censet Origenes homil. 23. in Leuitic. *Neq; enim accepta esse possunt Deo opera tua, nisi in pace peragantur.* Origenes. Quod clariùs adhuc exponit S. Leo Serm. 10. de Quadrag. his verbis: *Quamuis magnum sit habere rectam fidem, sanamq; doctrinam, & multâ laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes,* S. Leo. nec potest *dici in qualibet morum excellentiâ fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* In comprobationem huius veritatis, ostensa fuit quondam Ezechieli visio rotæ inrer rotam: *Apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies, & aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.* Quid sit autem ista rota habens quatuor facies, respondet S. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 8. *Rota autem vita est, super terram, quâ viuimus: si* S. Ambr. *animæ nostræ motus quatuor eleuantur, eleuatur & vita nostra.* Per rotam autem in medio rotæ, Prado in comment. de prima visione parte 2. sect. 7. intelligit mutuam dilectionem, qua se fideles inuicem constringunt. Ergò quantumuis perfecta, & super terram eleuata videatur vita nostra decurrere, nisi tamen interiùs adsit mutua dilectio, manca & imperfecta censebitur: quia ab interiori rotâ, rectum decursum, atq; motum, imò & vitæ spiritum, qui erat in rotis, desumit. Huc collimat dictum illud D. Pauli 1. Corint. 9. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* 1. Cor. 9. Quis autem hic *vnus* sit, ita explicat Origenes homil. 1. in lib. Regum. *Meritò & ipsi non solùm vnum, sed & vnus dicuntur, sicut Apostolus designauit dicens: omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam.* Origenes. Ex quo rectè inferri potest, hâc quosdam, illâc alios currere, siue rotatum ire; vnum verò, hoc est charitate præditum, rectâ viâ ad palmam, feliciterq; discurrere, dùm eius *aspectus, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.*

Rom. 12.

Ibidem.

S. Gregor.

Iacobi 3.

O bona

O bona vnitas, O summa in omnibus bonis & consummata pacis felicitas, quâ vrbes, & res priuatæ; Respublicæ, & regna constituuntur, atq; conseruantur. Quod probè agnoscens Gallorum natio, pacem appellauit, *Festum omnium Sanctorum*: discordiam verò, & disunionem, commemorationem fidelium defunctorum. Eâ vt opinor de causâ, quia dùm celebramus festum omnium Sanctorum, reuocamus nobis illam pacem, quâ fruuntur beati in cœlis; dùm autem fidelium defunctorum commemorationem piâ deuotione agimus, Sanctorum persecutiones, carceres, cruciatus, omnesq; calamitates, & bella, quæ tot mortes in mundum inducunt, nobis præ oculis sistimus. Ergo pax omniũ bonorum, omnisq; felicitatis consummatio est, de cuius commodis Gregor. Nazian. particulares orationes scribens, demonstrat omnia pace solâ conseruari, dissidio, perire, cœlum, elementa, imperia, populos, vrbes, Ecclesiam. Hinc cum

Cur pax festum Omnium Sanctorũ dicta.

A Ezechias Rex Iuda, responsum accepisset, thesauros, quos Babylonijs glorię cupiditate ostentauerat, ijsdem futuros prædam, delicti conscius dicebat: *Bonus est sermo Domini: sit tantùm pax, & veritas in diebus meis.* 4. Reg. 20. Non negauit iustum esse Dei aduersum se iudicium, sed mala differri precatus est: non ob hoc, ne thesauros; sed ne thesauris chariorem pacem amitteret. Et quoniam pro pace, non pro diuitijs orauit, ideò quoad vixit, hostem po- B stea non vidit, Deo in posteros calamitatem illam, quam meruerat, transferente, vt monstraret præponendam esse opibus pacem.

4. Reg. 20.

Quare cùm tanta sit pacis præstantia, vt neq; in cœlestibus thesauris, neq; in terrenis bonis, quid piam melius, vtilius, ac dignius reperiri possit, eam ab illo Rege pacifico Christo Domino submissè hodiè postulemus. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, Amẽ.

DIE S. ADALBERTI,
CONCIO PRIMA.

Quem mittam, & quis ibit nobis. Et dixi ecce ego mitte me. *Isaiæ 6.*

Beatus Adalbertus fuit currus triumphalis, gloriam Dei, & salutem populi portans.

SOlicitus erat olim Deus, C tamen illorum se se tanto oneri subtraxerit, quia videbant nihil magis arduum esse, quàm excæcatos in fide dirigere in salutem. Nam immanissimarum ferociam belluarum hæc obstinatio superat. Vt meritò dixerit Propheta: *Facies hominis sicut pisces maris.* Quæ verba expendens Ambrosius, dicit; inter omnia animalia, nullum pisce intractabilius esse. Nam & vrsus aluearijs & prædis natus, arte & vsu hominum ferociam exuit; tripudia discit, ac ludum. Et leo

Habac. 1.

S. Ambro.

qui naturâ ferociſſimus habetur, ſenſim diuturnâ tractatione manſueſcit, atq; homini ſubijcitur & morem gerit, vt illum tanquàm catulum facilè regere valeat. Et Rhinoceros, cuius tanta fortitudo, vt nullâ vi capi poſſit, ad virginem ſibi occurrentem, depoſitâ omni immanitate accurrit, & quaſi manſuetus agnus in eius gremio caput reclinat, teſte D. Gregorio lib. 33. moralium cap. 13. Et venenoſi ſerpentes humanâ conuerſatione miteſcunt. Nam Tyberius tantæ manſuetudinis ſerpente delectabatur, vt de manu imperatoris cibum ſumeret, teſte Suetonio cap. 27. Et quod demum mirabilius, Hyrcaniæ tygrides ferociſſimæ, crebrâ hominum tractatione, in ſuũam tranſformantur manſuetudinem. Paucis multa? omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, domantur inquit Apoſtolus Iacobi 3. Soli piſces nuſquàm manſueſcunt, ſed vel leuiſſimum manus humanę tactũ procul refugiunt, nec vllo redduntur artificio tractabiles. Quid eſt igitur, quòd Propheta piſcibus hominem comparet? *Facies hominis ſicut piſces maris.* Niſi, vt oſtendat homines, potiſſimùm verò in infidelitate enutritos, eius naturæ eſſe, vt quantumuis cum eis benignè, quantumuis comiter & affabiliter circa ſalutem agas, ſemper tamen agreſtes, & inhumanos, ſemper toruo vultu & ſupercilio præſentes intuearis, quaſi intractabiles piſciculos. Non mirum proinde, quòd ad conuertendam præcipuè Iudæorum perfidiam, Deus ſollicitè quæſierit virum, vixq; vnum repererit Iſaiam, qui tanto oneri humeros ſubmittere vellet, inquiens: *Ecce ego mitte me;* ſed nonne magis hæc anxia ſollicitudo tenebat Deum, cùm execrabilis gentiliſmus per totam Vngariam, Poloniam, & Pruſſiam, velut peſtis mortifera graſſaretur. Cùm nemo Epiſcoporum, nemo paſtorum, tanto trium illarum Prouinciarum malo occurrere vellet; ſed quiſq; potiùs ſuæ inuigilans fortunæ, quàm Dei propagando honori, commiſſum ſibi gregem deſerebat. Priuata commoda, publicæ vtilitati Eccleſiæ; viuendi ſecuritatem, diſſeminandæ fidei; & temporaneam vitæ propriæ conſeruationem, tot animarum miſerè pereuntium æternæ ſaluti præponendo. Ingemuerat tunc Deus ſuper miſerabilem illam errantium populorum cladem, & virum tanto oneri aptum in omnibus quærebat Epiſcopis, atque paſtoribus, ſæpiùs inclamans: *Quem mittam ad populum errantem, & quis ibit nobis.* Sed inuenit virum, ſapientiâ, pluſquàm Prophetam; vigilantiâ, pluſquàm paſtorem; ſanctitate, pluſquàm Epiſcopum; virtutibus, pluſquàm Angelum; Diuum Adalbertum Epiſcopum eo tempore Pragenſem, poſt verò Regni Primatem & Archipræſulem Gneſnenſem, qui reſolutiſſimè diuinæ vocationi reſpondit: *Ecce ego mitte me.* Hunc ego hodie oſtendam fuiſſe currum triumphalem, in quo Dei gloria, & ſalus populi vecta eſt, per Vngariæ, Poloniæ, & Pruſſiæ regna, imò & per totum orbem.

Admirabiles quoſdam currus finxerunt Pòëtarum cõmenta, à diuerſis animalibus tractos. Bacchi enim currui tygres, Phàëtontis equos, Neptuni piſces, Turni ſerpentes, Oceani ingentes balenas, Thetidis delphinas, Dianæ ceruos, Veneris cygnos, Iunonis pauones, ſuppoſitos ferunt. Sed & in Romanorum triumphis non minùs prodigioſos currus triumphales reperio. Ferunt enim Hiſtorici, currum quem Iulius Cæſar triumphans conſcenderat, quatuor Elephantos traxiſſe, Aureliani currum ceruos quatuor, Marci Antonij quatuor ferociſſimos Leones. Sed portentoſum magis currum vidit quondam Propheta in ſpiritu Domini, in quo ipſemet Deus vehebatur, quem quatuor diuerſa animalia trahebant. Aquila, leo, bos, & homo. Talem currum diuinæ gloriæ parauit Sanctus Archipræſul Adalbertus, ſeipſum in triumphales quadrigas redigens, & quatuor

S. Gregor.

Suetonius.

Habac. 1.

Iſaiæ 6.

Iſaiæ 6.

Ibidem.

tuor illorum animalium; aquilæ, leonis, bouis, & hominis, in vehendo Deo officium feliciter exequens. Fuit profectò aquila triumphalis diuini currus. Refert Pausanias insignem illum sculptorẽ Phidiam, cùm Iouem marmore formasset, capiti aquilam imposuisse; vt ostenderet, solam aquilam propter oculos perspicacissimos, Deo ferendo idoneã esse, atq; propter hoc aquila dijs consecrabatur apud gentiles. Talis Aquila fuit B. Adalbertus, perspicacissimo ille mentis intuitu prospiciebat, quomodò etiã per densissimas gentilitatis & perfidiæ vmbras, illæsum Dei honorem transuehere posset. Propter quam oculorum perspicacitatem parentes eius, in prima statim infantiâ illũ periculoso laborantem morbo, Deo & Sanctissimæ Matri consecrandum duxerunt. vt ille in capite cœlestis illius Iouis fixus, rectam Domino pararet viam. Ferunt Naturalistæ, tunc aquilam summum erga pullos suos amorem ostendere, cùm illos incommodè in nido iacere animaduertens, regiâ quadam magnanimitate alium latiorem & cõmodiorem constituit. Cùmq; illos ex veteri nido, in nouum transfert, nequaquam vngues admonet, ne fortè quempiam lædat: sed super alas eos assumit & in humeris incolumes defert. Quòd si in itinere contigerit, vt venatores in illam iacula mittant, priùs matrem telo confodiendam, quàm pullos percutiendos, omninò necessum est euenire. Adeò quoq; diuini honoris amans aquila exstitit B. Adalbertus, vt cùm malè cum Dei nomine apud Pragenses actum videret, illud in Vngariam, quasi cõmodiorem locum transferre studuerit, atq; in vicinam Poloniam, vbi securissimè in illo aquilarum nidulo, scilicet; Archipræsuleo Gnesnenſi munere resedit, quasi nouum & auspicatũ propagando Dei honori nidum parans. Videbat incõmodè satis regna hæc in antiquis perfidiæ erroribus manere, ideoq; satãgebat illos omnes incolas, ad nouum fidei diuinæ nidulum transferre, Christum rediuiuum in triumphali virtutum suarum curru ad illos deuehens. Vbi in conditoris sui notitia conditum gregem alliciebat, non luxuriantibus verbis, sed Christi Euangelijs; non sermonum blanditijs, sed morum increpationibus; non facundiæ delectatione, sed ostensione veritatis. Memor illius quod D. Hieronymus ad Damasum Papam scribit: *Dæmonum cibus sunt, sæcularis sapientiæ inuenta & pompa verborum; nam dùm suâ suauitate omnes delectant, & aures dulci verborum applausu capiunt, animam solam relinquunt, cuius potissima ratio & cura habenda est. Vbi enim inanis sonus & verborũ strepitus procuratur, ibi nulla saturitas veritatis, nulla iustitiæ refectio inueniri potest.* Hæc misera & infelicissima tempora, iam nunc exorta esse videntur; vt mortalium animi, non tàm veritatis Euangelicæ zelo, quàm luxuriantis & ostentatricis humanæ eloquentiæ iucunditate capiantur, vt meritò iam de nobis verificetur illud Apostoli: *Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus.* Sed videant, quomodò displiceat Christo Domino hæc curiositas. Fuit eloquentissimus D. Hieronymus, cuius lingua melle suauissimo dulcioribus sapientiæ verbis delibuta erat, quia tamen nimiùm Ciceronianus fuit in concionando, ideò ab Angelo grauiter correptus, immò & verberatus est. Vt habetur in decretis dist. 37. cap. legimus. Quod ipsemet etiam fatetur ad Eustachium scribens. Sed vos Catholici mei aquilam hodiernam B. Adalbertum, suarum virtutum alis, triumphantem IESVM portantem intueamini; atq; ab illius perspicaci oculo, discite veram sapientiam, & prudentiam intelligere, potiùsq; Sacræ paginæ verba audire ambite. Hæc enim salutaris doctrina, dulcior est melle, fortior vino, lenior oleo. Hæc errantia corda illuminat, hæsitantem in fide linguam rectificat, vacillantem in virtutibus conscientiam roborat, inueterata exstirpat vitia,

Aquilæ amor erga pullos.

S. Hieron.

2. Tim. 4.

D. Hieron. propter nimiam eloquentiam verberatus ab Angelo.

vitia, & mentes hominum diuino frigescentes amore calefacit, lumen salutis creato intellectui impertitur, & tenebras ignorantiæ ab eo propulsat, sperantes beatificat, & credentibus gratiam confert. Quid Vngariam, quid Prussiam insanabili Hæreseos vulnere infecit? quid vastissimas Russiæ partes, à Sedis Apostolicæ regimine scissas, Schismate diuisit? nisi; quia magis verborum venustate, quàm Euangelicæ veritatis doctrinâ abripiebantur.

Pierius Valerius.

Scribit Pierius Valerius in suis Hieroglyphicis aquilam infestissimã serpentibus, & summe inimicam esse, atq; in illos continuò indictum gerere certamen. Eâ de causâ, quòd serpentes nidum eius aggrediantur, oua inficiant, & pullos lacerent. A quorum incursionibus miro artificio aquila nidum suum munire solet, lapide, qui aquilæ dicitur, eum circumdans: quo ita securus redditur nidus; vt ad illum non perueniat anguis, vel si peruenerit, & pullos infecerit, lapis ille mirificam contra venenum sanandi virtutem subitò afferat. Aquila generosa B. Adalbertus, vt contra venenum antiqui effusum de ore serpentis, hæreses videlicet; suos per Vngariam, Prussiam & Poloniam dispersos pullos defenderet, tot Euangelij nidum suum circumuallauit lapidibus, quot veritates è sacris arcanis, diuino insufflante spiritu haurire potuit. Effundebat in nidum generosæ huius aquilæ suum virus, impijssimus Hæresiarcha Ebion, Christum negans personam esse æternam. Sed retudit grandis hæc aquila à triumphali curru, in quo verum illis gentibus cognoscendum Deum vehebat, lethalem hunc ictum, Christi æternitatem comprobans testimonio Ioannis: *In Principio erat verbum.* Id est; in patre, qui est principium sine inceptione, Filij & Spiritus Sancti. Igitur, si Pater æternus est, etiam Christus cœlestis Patris Primogenitus, sine inceptione generatus, & perpetuò generandus, æternus esse debuit. Insultauit sacrilegus Sabellius, triumphalem magnæ huius aquilæ quadrigam infringere volens, & fidem Euangelicam disseminanti Archipræsuli opponens, verbum esse personam, indistinctam à Patre: ac proinde Trinitatis mysterium fictitium esse. Sed ab ingressu tàm venenosi serpentis, muniuit nidum suum fortis aquila B. Adalbertus, oraculo Ioannis, quasi lapide, omne virus perimente: *Et verbum erat apud Deum.* Si apud Deum Patrem erat, quomodò indistinctum esse potuit? cùm esse apud alterum, semper distinctionem personalem supponat. Oppositi vallum aquilæ triumphanti vehenti Deum, spurcissimus Arrius, incarnati verbi diuinitatem negans, ideoq; Christum pro Deo adorandum, minimè recipiendum suadens. Sed perspicacissima hæc aquila, omnia sacrarum literarum arcana optimè penetrans, superbum & blasphemum facilè infregit ausum, lapidem alterius aquilæ in pectore Christi Domini educatæ, D. Ioannis opponens: *Et Deus erat verbum.* Quasi diceret: hoc verbum, quod vobis carne humanâ indutum, secundùm Christi humanitatem passum, & crucifixum prædico, eandem cum Patre æterno diuinitatis naturam habet, & solâ personali distinctione ab illo discrepat. O vera triumphantis Christi aquila B. Adalberte! meritò Deum ignotis gentibus vehis, quia omnem diuini honoris iacturam sapientissimè præuides, & propulsas. Meritò tot regna diuinâ fide enutris, quia venenosos inferni serpentes, ne pullos tuos inficiant, antidoto Scripturæ sacræ potentissimo enecas. Meritò tot nationibus Deum cognoscendum, credendum, & adorandum vehis; quia cùm sis Regia, aquila, de Principum generoso sanguine procreata, non intra vnius prouinciæ ambitum, cœlestem tuum & sublimem volatum continere potes.

Ibidem.

Ibidem.

Demùm Aristoteles in historia de animalibus scribit, quòd interdum aquila cum alterius generis auibus coire soleat; vtq; legitimum fætum ab

Aristotel.

Ioan. 1.

tum ab adulterino distinguat, pullos radijs solaribus exponit. Et quos videt ad lucem solis palpebras demittentes, rostro deijcit, tanquàm illegitimos: quos autem irretortis oculis solem prospectantes animaduertit, eos tanquàm genuinam prolem suam retinet, fouet, ac tuetur. Non aliter certè auriga triumphantis Dei B. Adalbertus, tanquàm Regia aquila, coiuerat quidem cum adulterinis speciebus, varijs scilicet Hæresum erroribus infectis. Sed vt veros, quos ibi Deo parturiebat filios, ab adulterinis, qui perfidiæ potiùs vmbras amplectebantur, discernere posset, omnes educebat in apertum Ecclesiæ campum, vt iustitiæ, solem, quem velut nouus Phäeton cœlestis vehebat, id est Christum Iesvm æthereo sole fulgentiorem, sub rotundâ hostiæ forma, & intra eius orbem suæ radios diuinitatis continentem, patula mente, & irretortâ cordis pupillâ intuerentur. Et quos ad Christi intuitum conniuere animaduertit, vt Hæreticos à nidulo & gremio Ecclesiæ sanctæ anathemate repulit; quorum verò hoc sacramentum spectantium, acies oculorum spiritualium minimè perstringi, nec hallucinari in fide orthodoxæ veritatis aduertit, proprios & legitimos filios agnouit, eosq; sub vmbrâ alarum suarum admissos clementer fouit, & hucusq; contra incursus infernalium serpentum tuetur & protegit. Aquilam proinde triumphalis Christi currus habemus B. Adalbertum. Iam quomodò se leonem gesserit, perpendamus.

Mysterio non vacat, quòd Ezechiel sedentem in curru triumphali in carne humana Deum, trahi videret, ab aquila & leone: quia per hoc Deus significare voluit, se naturam solis imitari. Solem ferunt Astronomi in signo leonis comorantem, ardentissimis terram lustrare radijs. Sic planè Christus Dominus in sublimem cœlestis gloriæ triumphum elatus, & in signum leonis progressus, ab hoc rugiente leone B. Adalberto, per frigidissimas Hungariæ, Prussiæ, & Poloniæ Prouincias vehi voluit. Vt in hoc felici signo commoratus, occidentem iam iam populum, in subterraneas Aquilonis cauernas æterna perditione congelatas, efficacissimis gratiæ radijs calefaciens, dissolueret; atq; in redemptionis præparationem restitueret. Vt meritò triumphanti Deo in curru Sarmatici nostri leonis Beati Archipræsulis, attribuatur illud Gen. 49. *Ad prædam fili mi ascendisti.* Gen. 49. Nec enim alia de causa incarnatus Dei Filius, signum generosi huius leonis ascendit, nisi vt Euangelico illius rugitu, tot gentibus annuntiatus, innumera hominum corda æternæ saluti prædaretur. Et certè quemadmodùm sol signum leonis decurrens, æstatem parit; sic triumphans post resurrectionē Christus in signo leonis, sanctissimi Archipræsulis Adalberti, frugiferam toti Vngariæ peperit æstatem. Vt primùm eo tempore per Euangelium à beatissimo Antistite Adalberto prædicatum, in Christo Iesv regenerata Vngaria, in immensas cœlestium vbertates vindemiarum excreuerit. Assurgebant tunc fortissimi botri, vinum spirituale reddituri, cùm totum illud regnum cum Rege Geiza, & filio eius S. Stephano in fide Christi, per D. Adalbertum confirmatum esset. Atq; vtinam hoc musto repleta diutiùs mansisset Vngaria, dubio procul in tot principatus miserè & tyrannicè diuisa non fuisset. Leo cœlestis erat Diuus Adalbertus; à quo vectus ille Sol iustitiæ Christus Iesvs, fœcundam vniuersæ Poloniæ æstatem parturiuit, dùm eam sanctissimus Archipræsul & regni Primas, salutaribus fidei institueret præceptis: quæ ab illo primùm inebriata cœlesti gratiâ, & exobriata sarcinâ peccatorum, hucusque feliciter in ijsdem diuinæ fidei principijs radicata, eius patrocinio conseruatur. In hoc signo æternus ille sol à patre luminum descendens, lætam quoq; æstatem toti Prussiæ attulit: quæ impinguata & refecta musto Martyrij

B. Adalberti, tot ſurculos fidei germinauit, quot guttulas ſanguinis de corpore ſanctiſſimi Archipræſulis inter ſacrificandum confoſſi, & in partes diſſecti effudit. Nec mirùm: quòd magna illius regionis pars hæreſibus ſcateat, quia interempto ſanctiſſimo Archipræſule, ſolem quem vehebat, non aſpexit; ideoq; in tenebris perfidiæ miſerè cum ſuo interitu debuit manere. Anaſtaſius Sinaita teſtatur leonem nunquàm dormire, non quòd leo ſomnum vſquàm capiat: is enim ita proprius eſt animali & neceſſarius, vt abſq; eo conſeruari nequeat, teſte Ariſtotele libro de ſomno & vigilia. Sed potiùs ideo, quòd ob breuitatem palpebrarum ſemper apertis oculis vigilare appareat. Vnde etiam Antiqui in Symbolum vigilantiæ, leonem apertis pingebant oculis. Talis erat leo Beatus Adalbertus, quemadmodum de illo teſtatur hiſtoria: *Meridies prandentem, media nox dormientem nunquàm vidit.* Vigilabat ſanctiſſimus Archipræſul, ne quidpiam de grege Chriſti ſibi concredito periret. Vigilabat, ne falſa ſeducentium doctrina in Chriſti Eccleſiam irrepſiſſet, tempeſtiuè omnibus occurrens erroribus, & omnes in fide ſubtiliſſimè diſſoluens ambiguitates, ne inueterato malo, ferò medicina pararetur nihil profutura. Quod ſi extollit Alexandrum Magnum Pierius lib. 1. f. 2. quòd in ſua moneta propriam imaginem, pellem exuuiaſque leonis habentem, ſuper caput imprimi iuſſerit, quo ſignificaret eam eſſe ſuam vigilantiam, vt etiam dormiens vigilaret. Ideoq; extento extra lectum brachio ſemper dormiebat, manu tenens globum æneum, quo in argenteam peluim decidente, eius ſonitu continuò excitaretur. Laudabiliùs profectò eſſet, ſi Antiſtites Chriſtianitatis, adeò de ſua vigilantia gloriarentur, vt in pectoribus (quemadmodùm Alexander pectori matris ſuæ Olympiæ imaginem leonis imprimi fecerat) exuuias ſanctiſſimi Archipræſulis Adalberti, affigerent; quarum aſpectu ad eam excitarentur vigilantiam, quam habuit D. Adalbertus in fide Chriſti diſſeminanda. Non tàm frequens profectò Hæreſum commixtio inter chriſtianos reperiretur. Sed quia pleroſque delicatus ſomnus occupat, etiam inter Chriſti triticum noctu diſſeminata zizania oboriuntur: atq; cauendum & timendum eſt, ne aliquando ſelectum Dei ſemen ſuis inanibus folijs & ramis ſuffocent.

Sanctus Ambroſius in Hexemeron lib. 1. cap. 3. teſtatur leonis rugitu cæteras campeſtres belluas tremefieri, & præ timore ita animo cadere, vt vltra progredi nequeant. Quis eiuſmodi leonem non fatebitur ſanctiſſimum Archipræſulem Adalbertum, qui vt primum Poloniæ regnum circuiuit, & in ſolio Gneſnenſis Archiepiſcopatus, precibus Boleſlai Chrobri Principis Poloniæ conſtitutus, Euangelicum rugitum edidit; ſic perterruit infectas hæreſi belluas, vt vltrò progredi non poſſent, ſed depoſitis perfidiæ erroribus, ad lumen fidei recipiendum turmatim confluerent. Potens certè Sancti Archipræſulis fremitus, qui per euangelicam prædicationem, efferatos illos homines more beſtiarum viuentes, ita diuino timore perterruit, vt ex Dei inimicis, filios eiuſdem effecerit. Quod prædixerat Habac. cap. 3. inquiens: *Aſpexit & diſſoluit gentes.* LXX. autem vertunt, *Aſpexit & diſtabuerunt gentes.* Certè enim, vt primùm ex hoc leonis ſigno, id eſt; per D. Adalbertum prædicantem Deus in varijs erroribus educatas gentes aſpexit, ſtatim ab impuritate viuendi & frigidâ mortiferi peccati nebulâ, congelata infidelium corda, vrente ſalutis lumine, & igne charitatis diſſoluit, rebelles ante eorum voluntates Deo obſequentiſſimas reddens. Deniq; leo Rex omnium animalium ideo nuncupatur, quòd nullum timeat, vt docet Sapiens Prouer. 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* D. Adalbertus meritò omnium Antiſtitum Rex dicendus eſt,

Anaſtaſius Sinaita l. 9. comment. in Hexaë.

Ariſtotel.

Pierius.

S. Ambro.

Habac. 3.

Prou. 30.

est, cuius tanta eluxit in prædicatione Euangelicâ magnitudo, tanta in fide disseminanda generositas, vt nullius tyranni occursum pateret; sed vbiq; triumphantem IESVM audacter prædicaret. ideoq; Rex Antistitum, & triumphalis Christi currus dici meruit.

Tertium animal in prodigioso illo curru, in quo absconditus sub specie humanâ Deus vehebatur, vidit Ezechiel bouem, num ideo? quòd pulchritudinem incarnati Dei, pulchritudini elegantis tauri Scriptura sacra assimilet Deut. 33. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Num forte ideò? quia Deus cùm sit incircumscriptæ virtutis, & fortitudinis summæ, à boue quoq; trahi voluerit: cuius magnam fortitudinem absconditam esse in cornibus tradit Plinius lib. 81. cap. 45. Num deniq; propter mansuetudinem? taurus enim teste Plinio lib. 8. cap. 21. sub arbore ficus ferocitatem deponens mansuescit. Hæc tria; pulchritudo, fortitudo, mansuetudo, Deo in B. Adalberto sumè complacuerunt, vt præ omnibus, illius collo iugum triumphantis Christi imposuerit. Fuit in illo pulchritudo eximia, quia tota illius anima virtutibus & gloriâ cœlesti delibuta erat, & corpus puritate vitæ adornatum. Nam quia castitatis vigore pollebat, propositum virginitatis vsq; ad martyrij cruorem seruauit. Quia abstinentiæ gloriabatur angustijs, in religiosa vita sub Leone Abbate S. Bonifacij quinquennium exegit. Quia diuinæ sapientiæ spiritu plenus erat, multorum in Deum prouocauit affectus. Quia Pontificij administratione fulgebat, ideò è terrenis filijs, æternitatis fecit hæredes. Fuit fortitudo tanta, vt inter barbaras gentes Deum profiteri, & ad infidelem populum in sui necem conspirantem iteratis vicibus reuerti minimè exhorruerit, plùs salutem hominum, quàm vitam propriam æstimans. Fuit deniq; mansuetudo inaudita; nam tres fratres suos à Pragensibus occisos esse non ignorans, quasi tamen immemor illius iniuriæ, ad sui sanguinis interfectores redire festinauit, vt tanti sceleris reos salutari medicinâ fidei sanaret. Nec mirum: bouis enim naturam imitari voluit. Bos sub arbore ficus mansuescit omnis suæ oblitus insolentiæ. B. Adalbertus sub Christi iugo (quod frugiferæ ficus speciem præsefert) adeò mansuetus exstitit, vt proprij etiam sanguinis iniuriam obliuisceretur. Plinius (vt refert Rupertus in libro sapientiæ lectione quadragesima) arborem ficus dicit habere ramos longissimos, & quia ficis est onusta, præ grauitatis pondere vsq; ad terram illos demittit: folia eius sunt instar scuti protegentis corpus pugnantis, & sub vmbra eius non solùm homines, sed etiam animalia quiescunt. Fructus verò eius adeò dulcis est, vt comedentem in admirationem rapiat. Nonne arborem hanc pulcherrimè in seipso expressit S. Adalbertus? Rami profectò, id est: potentiæ illius animæ incontaminatæ erant, varijs atque heroicis Theologicarum virtutum fructibus onustæ, adeò; vt in terram vsq; summâ humilitate illum demitterent. Folia ficus (vt notauit Hugo Cardinalis supra Lucam cap. 21.) ad similitudinem manus humanæ formata sunt; sic planè interni actus B. Adalberti, non interiùs sistebant, sed ipse operi humanæ salutis manus admouens, bonorum operum partus incessanter edebat. Folia ficus pugnantem hominem protegunt, magna sanctissimi Archipræsulis Adalberti merita, quæ instar foliorum ficus per totum orbem dilatata sunt, in patrocinium, protectionem, & pro peccatoribus exorationem cedunt, quibus velut inexpugnabili scuto à diuinæ iræ iaculis perpetuò defendimur. Deniq; sub vmbra ficus homines, & animalia requiescunt, sub meritis B. Adalberti, & iusti ad augmentum gratiæ, & impij ad renouationem iustitiæ, & sancti ad incessanter decurrenda virtutum stadia, & scelerati qui bestiarum more vixerunt,

Deut. 33.

Plinius.

Rupertus.

Hugo.

runt, ad ſpem veniæ excitantur. A
Geminia. Deniq; Geminianus lib 5. fol. 25. narrat, bouem potiſſimùm ſilueſtrem eo modo capi: bos (inquit ille) mirum in modum colores abhorret, venator autem versùs ipſum viridi aut purpureo colore incedit, tunc mirâ ferocitate venatorem impetere tentans, dùm ille poſt arborem aufugit, arbori cornua infigit, quæ cùm educere non valeat, à venatore confoditur, ſicq; furor ille, quo in inimicum efferbuit, hoſtis manibus illum tradit. Perſimilis erat huic boui San- B
ctus Adalbertus, abhorrebat ille nimiùm colores & diuerſitates falſorum dogmatum, quæ magna ex parte in hæc regna irrepſerant. Ideoque infernalem illum venatorem, qui æternæ perditionis hamo, tot infidelium animas capiebat, ſummo conatu confodere cupiens, dùm ad arborem ſanctiſſimæ crucis in myſterio ſacrificij altaris, omnem ſuum zelum & pijſſimam contemplationem pro populi illius conuerſione orans, fortiſſimè affigeret, ab infidelitatis ve- C
natore confoſſus eſt.

Demùm, in illo triumphali curru, Ezechiel vidit in ſpiritu quartum animal, quod currum trahebat, hominem. Crediderim ego triumphantem Deum ab homine trahi voluiſſe, quia cùm homo omnibus ſublunaribus præſtet, Deus digniorem vectorem præter hominem, non potuit habere. Nam ſi bellicoſis Principibus moris ſemper erat, ad triumphales ſuos currus generoſiſſima quæque animalia alligare; quantò magis Deum infinitæ potentiæ & gloriæ decebat, nobiliſſimum omnium animalium hominem in triumphalibus ſuis quadrigis reponere. Tantùm enim ſibi immenſus Deus in humanitate complacuit, vt in illa abſcondi, & mundo apparere, & inter homines commorari voluerit. Sed veriorem reperio cauſam, cur triumphans Deus ab homine vehi voluerit, vt ſcilicet mundo ſuæ humanitatis, & benignitatis ſingulare ſpecimen, atq; argumentum præberet. Solum ho- A
minem omnimoda decet humanitas: per hominem quoq; Deus mortalium animos ſibi conciliare voluit: humanitate enim & comitate omniũ animi facilè deuincuntur. Nam teſte Plutarcho in vita Theſei, Theſeus Plutarch.
propter eximia humanitatis & beneuolentiæ ſigna Athenienſibus exhibita, adeò illorum animos ſibi deuinctos reddiderat, vt illi ſumæ magnificentiæ ſepulchrum exſtruxerint, quod etiam delinquentibus tutiſſimum aſylum erat, ibique quotannis B
ſolenne quoddam ſacrificium peragi inſtituerant. Talis fuit B. Adalbertus, qui memor ſui officij, quòd in Archipræſuleo illo curru Deum veheret, nil niſi comiter, nil niſi beneuolè & humaniter, circa infidelium conuerſionem agere voluit, ſapientis doctrinam præ oculis habens Eccl. 23. *Fili in manſuetudine opera* Eccl. 23.
tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris. Et certè, quid illo humanius eſſe potuit, qui quartâ tantùm prouentuum parte contentus erat, to- C
tum verò Archiepiſcopalis præeminentiæ reditum, in pauperes alendos conuertebat. Quid illo benignius? qui non ſeuerâ increpatione, ſed placabili fidei inſtructione, non iracundiâ, ſed amore; non pœnis plerumq; ex calore iniuſtè aſſignatis, ſed Euangelicis documentis; non toruo aſpectu, ſed profundâ ſapientiâ, & benigno intuitu omnes ſalutis documenta edocebat, vt nullius quantumuis infimæ & abiectæ conditionis conſuetudinem atq; familiaritatem repuliſ- D
ſet, ſed omnes & ſingulos comiter alloqueretur. O verum beati hominis ſignum! ô dignum Euangelico prædicatore vultum! Principum ſanguine procreatus B. Adalbertus & cum magnatibus magnanimus, & cum pauperibus pauper, & omnibus quaſi alter Paulus omnia fieri voluit.

Currum proinde triumphantis inter homines Dei vobis oſtendi, puriſſimum D. Adalberti animum, in quo velut in altero Salomonis eſſedo, ad ignotas gentes pertranſijt

Deus

Deus, & cœlesti spiritu delibuta eius lingua prædicante in notitiam infidelium venit. Et quia quadrigam triumphalem seipsum Christo rediuiuo præstitit D. Adalbertus, ideò etiam quadruplicem se in vehendo hoc curru exhibuit. Nimirum aquilam, dùm ad sublimem imperscrutabilis arcani diuinæ incarnationis fidem, imbecillos tot infidelium animos pertraxit. Leonem, dùm ita zelosè & fortiter diuinum honorem tueretur, vt moriendum sibi potiùs elegerit, quàm prædicationem Euangelicam, & cultum diuinum deserendum. Bouem, mansuetè iugum Christi portando, & illam barbarorum persecutionem patienter tolerando. Deniq; hominem clementer & benignè cum Christi grege procedendo.

Discite igitur ab illo, regni aquilæ perspicacitatem, quomodò sempe irretortis oculis solem æternum, debeatis intueri. Imitemini milites leoninam fortitudinem, non pro stipendijs & manubijs, sed pro fide & religione vobis vincendum, aut moriendum esse, considerantes. Arripite superbi, eius mansuetudinem, quomodò non in delicatis epulis (licet in generosis procreati cunis) sed in labore virtutum, vitam transigere debeatis. Amplectimini deniq; humanitatem & clementiam Antistites, non seueritate, sed comitate; nec iracundiâ, sed sapientiâ gregem Christi vobis pascendum esse arbitrati. Tu verò sanctissime Archipræsul, qui regnum hoc per Euangelium IESV Christi genuisti, & in fide salutis infidelem educasti populum, qui per Ottonem II. Imperatorem Romanorum, sepulchrum tuum generosè visitantē, Boleslao Principi sceptra & diademata regia attulisti, Regnum hoc speciali protectione defende. Nam si meritò sapiens dixit:

Prou. 10. *Gloria Patris est filius sapiens*, & tu iure nunc gloriare, dùm tot filiorum sapientiâ & deuotione coleris, quot Poloniæ gremium superstites habet animas. Quidquid enim in tota multitudine Polonâ virtutum & gratiæ nunc est, id tuo magisterio & martyrio radicatum prodijt. Filios ergo quia pater es, agnosce; & nos tibi filiale obsequium deuotè pendemus.

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis. *Ioan.* 10.

Probatur D. Adalbertum ex triplici capite fuisse bonum pastorem, nimirum; ex Dei vocatione, ex amore paupertatis, & ex morte pro Christi ouili susceptā.

TErruit non neminem horrenda hæc sententia, vt pasturam, & omnes Ecclesiasticas functiones procul fugeret. Quoniam, quem pastorem, & vitæ simul prodigum esse oportet: mortem verò quis non pertimescat? Plenum sanè difficultatis, & periculi pastoris negotium: nam Concilium Trident. sessione 24. c. 1. de reformatione, Ecclesiasticam præfecturam. *Onus Angelicis humeris formidandum vocat.* Quod forsan Saluator noster voluit exprimere, cui antequàm hostiles satellitum manus inijcerentur, secessit ille in hortum, vbi inter agones mortis prolixiùs orabat æternum Patrem. Cùmq; partem secretiorem horti petere vellet, octo ex discipulis, in loco apertiore aliquantum, reliquit extra, alloquens eos: *sedete hic donec vadam illuc, & orem.* Matthæi 26. 36. addit verò Sacer textus: *& assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi capit contristari & mœstus esse.* ibidem. 37. Vbi tanta erat mæstitudo, tamq; acerba, vt apertè diceret eam vitæ adimendæ sat fore; nisi illam omnipotentiâ suâ sospitaret. *Tristis est*, inquit, *anima mea vsq; ad mortem.* ibidem 38. Quasi diceret: vt exponunt Laurentius Iustinianus, & Titelmanus: Tanta premitur mæstitudine cor meum, vt maior vix possit æstimari: ita vt sufficiens videatur

Concil. Trident.

Matt. 26.

Iustinus. & Titelmanus

deatur animam meam è corpore ejicere, vitamq; finire, nisi me diuinitatis virtus ad perferenda quæ supersunt passionum tormenta, sustentaret. Quid obsecro causæ ? toties antea Christus orabat in horto; nusquàm tamen ad tantam deuenerat amaritudinem ; nunc verò ingens dolor, guttas etiam sanguineas exprimit ? Respondet S. Hilarius Canone 31. in Matthæum, ideo tantis doloribus fuisse pressum Christum, quia discipulos secum assumpserat. S. Hilarius. *Ergo*, inquit, *non ante tristis est, quàm assumit, & omnis metus illis capit esse assumptis, atq; ita non de se orta est, sed de his quos assumpserat mœstitudo.* At, si Christus bonus ille pastor, ille qui solus acuratissimè præesse, & prudentissimè gubernare nouit : ille in cuius gubernandi morem ne leuissimus quidem error cadere potest. Si is cùm hominum communem ageret causam, cùm tres solùm assumpsisset discipulos, singulariter procurandos, tantam cum tali officio admisit tristitiam ad animum, vt corpori certam mortem allatura mœstitudo videretur; nisi diuinitatis potentia vitam seruasset. si inquam Christus à tàm horribili pauore, se occupari permisit, quasi & ipse timuisset pastoralis officij curam, quis hominum ad hanc prouinciam obeundam ascendere non trepidabit ? cùm potissimùm curare debeat, non Christi discipulos, sed homines in vitia pronos, & plerosque tum miserijs, tum necessitatibus plurimùm obnoxios. Quoniam rectè rem administrare publicam, prudenter imperare cum debita maturitate, & sano iudicio cuncta disponere, absq; offensa iustitiæ pronuntiare, citra læsionem iudicare, & dicere sententiam, res est tàm ardua, tàm operosum & perplexum negotium, vt qui hoc debitè tractare, ac pro eo vt decet, excitare sciat, is miraculum omni portento maius videatur ; videbimus tamen quòd tàm arduo oneri, pares humeros supposuerit D. Adalbertus.

Vt quispiam Ecclesiam sanctam rectè gubernet, & doctrinam Euangelicam cum fructu, atq; fidelium propagatione disseminet, tria ex ordinatione ipsiusmet Christi Domini; in ipso requiruntur talenta. Primò, legitimus ad præeminentiam Ecclesiasticam ascensus. Nam dicitur expressè in Sacro Euangelio Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, fur & latro est, & qui intrat per ianuam, pastor est.* Ioan. 10. Vbi S. Augustinus Ser. 49. de verbis Domini, quærit; quis sit ille, qui intrat per ianuam ? & respondet eum esse, qui intrat per Christum ? qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi, & licet in eminentissimo honore collocatus sit; se tamen vilissimum puluerem in oculis Domini reputat. Eum verò qui non intrat per ostium, censet idem Sanctus Doctor, non alium esse quàm illum, qui non ex Dei voluntate, sed ex humano fauore, ascendit ad regimen Ecclesiasticum : Is enim fur & latro est, quia furatur pretiosissimum Christi sanguinem, non quærens salutem animarum, sed tantùm lucra diuitiarum. Quomodò enim is potest aliquem fructum in commisso sibi grege facere, quem sibi ministrum Deus non elegit, sed tantum fauor humanus intrusit ? Cùm apertè dicit Apostolus Rom. 5. *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur ?* Rom. 5. Quasi diceret : quomodò in Ecclesia Dei potest is aliquem mouere ad pietatem, qui impius est ; qui non humilitatis, sed ambitionis cupidus est ? Hinc Magnus Basilius Epist. 69. deplorat hanc miseram istis temporibus consuetudinem in Christianitate, quòd non qui virtutibus, sed vitijs creuit : non qui Ecclesiæ Dei ; sed qui aulæ Principis terreni, ætatis suæ obsequia pendit, ad regimen Ecclesiasticum promoueatur. *Subuersa* (inquit Sanctus Doctor) *sunt hisce temporibus pietatis dogmata, turbati religionis ritus, & quare ?* S. Basilius. reddit statim causam : *quia ambitio eorum, qui Dominum non metuunt, Ecclesiarum gubernacula inuadit : & iam manifestè velut impietatis præmium,*

mium, prima ſedis dignitas proſtituitur. Euanuit honeſtas ſacerdotalis. Quamobrem? Quia inquit, deſierunt, qui gregem Domini paſcant cum ſcientia, diſpenſationes pauperum, ad propria oblectamenta munerumq; largitiones abſumentibus eis, qui ambitionis dominandiq; ſtudio tenentur. Euanuit Canonum exacta diligentia, multa verò peccandi licentia graſſatur. Cur? Quia qui humanis officijs adiuti ad principatum perueniunt, hac ipſa delinquendi permiſſa licentia viciſſim gratificantur. Interijt iuſtum iudicium: iuxta deſiderium cordis ſui, nemo non ambulat: malitia omnem excedit menſuram, plebs emendari non ſuſtinet. Et quid tanti cauſa mali? reſpondet Sanctus Doctor: *qui præſunt, corrigendi libertatem, ac fiduciam amiſerunt. ſerui namq; ſunt eorum, qui beneficium antea dederunt. hi videlicet, qui humano patrocinio potentiam, ſibi ipſis acquiſierunt: Interea rident nos infideles, nutant qui modicæ ſunt fidei: fides ipſa in ambiguum vocatur, ignorantia offunditur mentibus, ſilent piè docentium ora, reſoluta verò eſt quauis blaſphema lingua. Propterea quòd qui præſunt; non Deo cooperante, ſed humano placito ſpeciem veritatis prætexente, & ſermonem verſutè adulterante, regimen teneant.* Quod cùm ita ſit, quis non videt, quàm malè cum Dei Eccleſia agatur, dùm non per oſtium in ouile Chriſti intrant paſtores. intrare verò per oſtiũ, quid aliud eſt, niſi à primis ſtatim annis creſcere in virtutibus, & pietatis ſtudia cum exercitijs literarum in diſſolubili quodam nexu componere? vt ſic quaſi veteranus miles, & in ipſa Chriſti palæſtra ſatis exercitatus, ad ſpirituale regimen, quilibet aptus reddatur.

Tertullia. Refert Tertullianus, quòd verbum æternum antequàm temporaliter naſceretur, iam inde ab ipſis mundi primordijs, incepit humanorum ſibi lineamentorum aptare figuram, vt eorum quodam experimento probaret, quàm decenter poſt longas, plurimorum ſæculorum ætates, illam naturam veſtire poſſet, cuius effigiem tanto ante induiſſet. Hinc & in veteri teſtamento, quoties locutus eſt Deus, ſemper perſonatus homo apparuerat, & ad Abrahamum licet in perſona trium Angelorum deſcenderit; illi tamen Angeli ſpeciem humanam repræſentabant. Et cum Iacob humanitatis pallio luctabatur indutus, vt clariſſimè docet S. Ambroſius, in Pſalmo 43. de filio Dei loquens: *Hic eſt*, inquit, *homo, qui luctatus eſt cum Iacob, & femur eius tetigit: quo tactu Patriarchæ neruus obſtupuit ſignificans ex eius ſucceſſione ſecundùm carnem ſe eſſe venturum, qui ſubneruandus eſſet à populo Iudæorum in ſui corporis paſſione. Quod non intelligentes myſterium, ſtatuerunt ne neruum manducarent filij Iſraël.* Quo ergo conſilio tàm præmaturè ac tempeſtiuè, humanæ naturæ formam, vt quam ſibi honorifica olim ea futura eſſet, experiretur, induere voluit? Quare tàm longè ante veſtire figuram, quàm corpus ipſum? Reſpondet Tertullianus. *Alloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediſcebat, in carnis habitu non natæ adhuc?* Iudex vt perſona publica & communis, ita loqui omnibus & præbere aures debet, magnis, paruis, plebeio, nobili, & curare, vt alij liberi euadant, alij ſuorum ſcelerum pœnas luant. Hoc autem rectè nemo fecerit, niſi merita ſingulorum attentus & iuſtus arbiter ante expenderit. Iudicis officio deſtinatus erat Dei Filius ab æterno Patre, *neq; enim Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Ioan. 5. Ante ergo, & multò ante; quàm id officij exercitare inciperet; alloqui, & liberare, & iudicare humanum genus ediſcebat, in carnis habitu non natæ adhuc. Quodſi illud æternum Patris verbum, Chriſtus IESVS, (qui licet inter ipſa ſtatim mundi conditi principia incarnartus fuiſſet, errare nullatenùs potuiſſet, eò, quòd ipſiſſima ſapientia Dei eſſet) tàm frequenti præludio, & annorum ſupra quatuor millia tàm anticipato, neq; crebro ſolùm experimento eguiſſe viſus eſt, vt officium ſuperioris & iudicis ex æquo adminiſtraret. Quis morta-

S. Ambro.

Cur Iudæi non comedunt carnes, quibus nerui accreſcunt.

Tertullia.

Ioan. 5.

mortalium audebit ad pasturam Ecclesiasticam aspirare, nisi priùs virtutibus & pietate, quasi præuio quodam ad hoc onus præludio, ad tàm horrendum onus fuerit, exercitatus & aptificatus? Imitatus est in hac virtute D. Adalbertus Principem pastorum Christum IESVM, qui licet in augusta ducali domo, parentibus nobilissimis procreatus esset; non tamen vt cæteri Principum nati, primordia ætatis suæ, aut voluptatum lenocinijs, aut theatralium spectaculorum ludis, consecrauit: sed honestissimis disciplinis, & feruentissimæ in Deum, & eius matrem pietati, totum illud lubricæ adhuc vitæ tempus vouit, & sedulò impendit. Proinde per ostium in Christi ouile ingressus est, quia non priùs; quàm integris nouem annis apud Episcopum Magdeburgensem, cum summa ingenij admiratione, & eximio virtutum profectu transactis, quasi nouem quibusdam sat asperis gradibus superatis, ad summum Episcopatus Pragensis culmen ascendit, vbi tàm diu sanctissimè pastoris munus egit, donec effusi in omnia scelera populi audacia, & effrænata malitia, vltimum recti, & omnis honesti iugum excuterent.

Alterum in bono Pastore talentum requiritur, voluntaria paupertas. Nam vt docet Diuus Basilius de Martyre Manante: *In pastore non sunt quærenda diuitiæ, sed paupertas cum pietate coniuncta.* S. Basilius. Pastor enim & pauper, hæc sunt Christiano homini ornamenta. Tales ipsemet Christus ad prima Ecclesiæ sanctæ fundamenta erigenda, destinauerat. Circumspice doctrinæ pietatis duces? piscatores inuenies ac publicanos. Inquire discipulos? reperies coriarios ac pauperes. Nusquam splendor? Hæc enim omnia cum ipso mundo abolentur. Quis non admirabitur, & non adamabit hanc in D. Adalberto virtutem? Non ille triumphali curru, aut eburneo essedo ad cathedram Episcopalem voluit deferri; sed pedibus eandem conscendit. A Non adamantibus & auro, omnibusque adornato splendoribus equo insedit; sed simplici fræno canabeo vsus. Sciebat nimirum hanc vanam ostentationis pompam, mercenariorum, non pastorum esse. Audiens Ecclesia sancta illam Christi Domini sententiam: *Ego sum Pastor bonus,* Ioan. 10. Ioan. 10. Sedulò cæpit scisciari, quoniam in sancta Ecclesia, multi inueniuntur pastores, quorum & mores, & pietas, & cura ouium longè diuersa; vnde tandem dignosci possit, B quis sit bonus pastor, & quis mercenarius pastor? Et licet tunc respondent Christus Dominus: *Mercenarius*, inquit, *videns lupum venientem fugit, & lupus rapit, & discerpit.* Quasi tacitè arguens eum esse mercenarium, qui Hæreses & Schismata in sanctam religionem irruentia non euellit, qui vitia & fædam viuendi licentiam, à suo grege non propulsat, qui templorum profanationem non vindicat, qui innocentum sanguinem non vlciscitur, qui collecto de C ouibus vellere, (cùm ijs extremè periclitantibus subsidium esset ferendum, etiamsi cum impendio proprij sanguinis) procul aufugit, vt grege in summo discrimine posito, ipse tranquillè & pacatè viuat. Talis mercenarius, quia pastor verus nusquàm deserit, sed animam suam dat pro ouibus. Nihilominus vt vitia pallio virtutis teguntur, sic ista mercenarij fraus, simulatâ pastoralis officij diligentiâ occultatur his temporibus. Non fugiunt iam pastores, resident D in loco suæ pasturæ, lustrant ouilia; & tamen multi illorum mercenarij? *Et nunc*, inquit D. Basilius supra citatus, *mercenarij multi sunt, qui non veritatis, sed quæstus sui gratiâ, pascendi potestatem vsurpant: qui vano prætextu precationibus instabant, vt panem comederent ouium: Qui proprium compendium curant, qui præsentia sectantes ad futura non aspiciunt.* S. Basilius. Hi sunt mercenarij. O quàm bonus pastor D. Adalbertus! contempsit ille opes, quarta solùm prouentuum parte contentus, ad modicam sustentationem:

vnde

vnde adhuc duodecim pauperes ad mensam propriam alebat quotidiè. Inciderat tum in ea tempora Diuus Adalbertus, vbi non vna tantùm periclitabatur Ecclesia, neq; duæ solùm, aut tres, in molestam tempestatem inciderant. Sed à finibus Hungaricis, vsq; ad Prussiæ limites, hæretica pestis omnia depopulabatur, & execrandus gentilismi cultus, magna ex parte triumphabat. Itaq; dùm aliqui adhuc stare viderentur, dùm adhuc vestigium aliquod veteris status seruaretur, antequàm consummatum ac plenum Ecclesiam Dei naufragium opprimeret, properauit iterùm Diuus Adalbertus ad suos Pragenses. Non ferens, vt fides apud eos extingueretur, apud quos primùm fermè ab ipso radicata eluxerat, vbi more Christi pauperem agendo vitam, exstirpabat vitia, prædicatione euangelicâ, seipsum pietatis exemplum omnibus præbens, vt sanus Christo restauraretur, quisquis optimum pastorem sequi vellet.

Tertium in bono pastore talentum requiritur magnanimitas; qui enim præest, maiestatem quandam præseferre debet, quæ subditis amorem pariter, & timorem incutiat. Summam in magno Patrono nostro, D. Adalberto magnanimitatem quis non obstupescat? Parum erat semel atq; iterùm ad discolas oues redire, nisi etiã tertiò imperterritus Christi miles, rebellem populum, & in fide extremè nutantem; in vitijs verò turpiter insolescentem, suasu Pontificis aggrederetur, tenebris lucem, errori directionem, & ignorantiæ salutarem doctrinam porrigere cupiens. Sed induratum virus medicinam respuit, tribus eius fratribus crudelissimè necatis. Quid? num hæc fraterni sanguinis perfusio, viscera Christi militis permouit ad vltionem? minimè sanè: Christi enim milites non armis, sed charitate pugnant, & iniuriam sibi illatam, non excandescente ira; sed boni irrogatione compensant. Mirantur hic Doctores sancti, quid sit, quòd Christus Dominus cruci iam affixus, cùm vltimis penè doloribus sitiret adustus, porrectam nihilominus spongiam vino plenam remouit: *Et cùm gustasset, noluit bibere.* Quomodò in summa siti potum non susceipit? Respondent nonnulli, quòd illâ spongiâ, sanguis de sacratissimo eius corpore detersus fuerit, ideoq; videns in illa spongia guttas sui sanguinis, licet vehementer sitiret, bibere noluit; quoniam totum suum sanguinem, in remedium generis humani profuderat. hunc Christi amorem imitatus est D. Adalbertus, quando fraternam cædem nequaquam vlcisci appetijt, licet id fauore Ottonis Imperatoris facilè præstitisset: quia vitam suam pro lucrandis Deo animabus, profundere paratus fuit. Verùm cùm videret id frustra apud Pragenses attentari, ne operam & oleum perdidisset, in Prussiam idolis & dæmonum cultibus plenam secessit, vt quasi in alieno solo, fertiliorem messem faceret. Et quid aliud diuinissimum hunc virum, in manifesta vitæ pericula ruere stimulauit? nisi eximia erga Deum & proximos charitas. Nam quando pietatis amor, hominis animum præoccupat, quodcunq; illi pugnarum genus ridiculum reddit, & quotquot illum desideratæ rei gratiâ conuellunt, delectant magis; quàm consternant. Testis mihi est, affectus ille ac desiderium Apostolorum, vnde Iudæorum ipsis aliquando flagella iucunda reddita sunt. *Ibant*, enim inquit Sacer textus, *gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Talis erat D. Adalbertus, qui supplicia loco gaudij duxit, iniurijs se omnibus, tanquàm rosis impeti arbitratus; pietatis obfuscationem non secus; atq; iacula quædam declinauit. Insanientium furorem, quasi quandam fumi offusionem reputauit. Efferas satellitum acies risit, pericula calcauit, quasi super rosis tripudiaret: nudatos gladios despuit, quando inter sacrificandum confossus, & in partes dissectus, tantis tormentorum

Cur Christus in cruce sitiens bibere noluit.

rum adinuentionibus; tanquàm varijs floſculis iucundatus eſt. Planè animum habuit D. Adalbertus igne firmiorem: Ferrum enim videtur ignis tyrannide emolliri, æs cedit ignis potentiæ, quin immò ipſa lapidum illo vinci ſolet durities. Diui autem Adalberti animum, neq; rabies idololatrarum ad iracundiam flectere, neq; vlla à Deo tormenta dimouere poterant. Quomodò igitur te ô ſtrenue Chriſti Martyr appellabo? ſtatuam te vocabo? ſed multum ita de tua tolerantia detriuero: Nam arreptam ſtatuam ignis emollit; inuictum verò animum tuum nihil immutare potuit, vt à fide orthodoxa diſſeminanda deſiſteres. Si ferrum te nominauero, & iſtam imaginem dexteritate inferiorem tuâ inuenio. Nam tu ſolus pluſquàm ferreâ dexterâ facies dæmonum percuſſiſti, ne ampliùs in ſuis triumpharent idolis; vnum tantùm reperio, (quo te dignabor) paſtorem te bonum intitulando.

Indicium boni & optimi paſtoris, certiſſimum eſſe docuit Chriſtus, ſi quis animam ſuam poſuerit pro ouibus; ſed quid ſit animam pro ouibus ponere, in diſceptationem cadit, ſiquidem animam ad mortem tradere, eſt impoſſibile, cùm illa ſit immortalis. Sed Philoſophi vt video authoritate niti voluit ſacra ſententia. Animam enim ibi eſſe aſſerit Philoſophus, vbi amat, ſeu vbi animat. Ex quo axiomate Philoſophico optimè ſequitur, animam ponere, nihil aliud eſſe; quàm mori pro eo, quem amas, & quem animas. Perpendite magnum Patronum veſtrum Diuum Adalbertum, quid ille amabat in hoc ſæculo, nonne ſalutem animarum? quid animabat? nonne corda populi pietate emortua, virtutibus vacua, religione frigeſcentia. Quoniam igitur pro his membratim cæſus eſt, quos Deo optimo maximo lucri facere voluit & æternitati, meritò animam pro ouibus dedit: quia anima illius in eorum perſecutionibus erat, quos ille amabat, & ſimul verbo euangeli-

A co animabat. Conſtat ex hiſtoria Eccleſiaſtica, Chriſtum D. Adalberto apparuiſſe in ſomnis eâ formâ, quâ Iudæis à Iuda traditus fuit. Quid ſibi volebat hæc viſio? Chriſtus cùm Iudæis traderetur, fuit deſpectus, illuſus, ad turpiſſimam condemnatus mortem; & tamen tot probra patienter tulit; ita, vt non ſolùm non excanduerit, ſed etiam pro crucifigentibus orauit. *Pater dimitte illis quia neſciunt, quid faciunt.* Vbi hac viſione commonefacere voluit Chriſtus
B Dominus D. Adalbertum, vt quantò plura ſuſtinebat aduerſa, tantò magis patiens circa ſalutem populi laborare non deſiſteret. Moyſes ſenio confectus, cùm ſe iam morti proximum cerneret, in hæc prorumpebat verba. *Obediui voci Domini Dei mei, & feci omnia ſicut præcepiſti mihi.* Deutor. 26. At, videamus qualem pro tàm accurato obſequendi ſtudio remunerationem expoſtulauit? *Reſpice*, inquit, *de ſanctuario tuo, & de excelſo cælorum habitaculo & benedic po-*
C *pulo tuo Iſràél, & terræ quam dediſti nobis.* Ibidem n. 15. Ecce non aliam mercedem expetijt Moyſes, quàm vt terræ & omni populo eſſet benè, & commodè pro laboribus, quibus ipſe diu diligenterq; indefeſſos ſubmittebat humeros. vt in eundem locum annotauit Oleaſter; *Iſte*, inquit, *bona fecit, Deiq; ſui præcepta impleuit; &*
D *tamen præmium ſuorum bonorum operum, non tàm ſibi; quàm populo ſuo à Domino poſtulabat.* Quid cauſæ? vt ſcilicet inde diſcerent, quicunq; curam aliorum gerunt, quidquid boni operantur, totum id eo agendum eſſe conſilio, vt ſubditi ſua inde emolumenta, & fructuum incrementa ſumant. En amantiorem gregis Chriſti ipſo Moyſe, paſtorem habetis D. Adalbertum. Adimpleuit ille exactiſſimè omnia quæcunque illi mandauerat Deus, & per mare rubrum proprij ſanguinis traduxit infidelem populum, ad vnius veri Dei cognitionem. Quam verò in ipſa ſua cruenta cæde vocem emiſit? *Moriar libenter Domine pro tui nominis gloria, dùmmodò populus*

Deut. 26.

Oleaſter.

pulus hic non pereat in æternum. Sed nondûm ſatis: Et nunc in ſuperna illa patria, clamat ad Deum ſæpiùs omnipotentem. Reſpice Domine de ſede magnitudinis tuæ, & gentem hanc ſanctam, populum tuum fidelem, ne des in opprobrium ijs, qui te non nouerunt. O vtinam Deus tales afflictis hiſce temporibus, in ſua Eccleſia ſuſcitet paſtores! quorum ſancto exemplo populus fiat melior, ſupplicationibus tutior. Sumam feliciratem oſtenderat quondam Deus ſuis Iſraëlitis, cũ illos degeneres à ſuorum virtutibus maiorum videns, ſic eos alloqueretur. *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* Iſaiæ 1. 25. Quaſi diceret: bono animo eſtote fideles mei, decretum mihi namq; eſt, manus meas vobis admouere, & non priùs ſubmouere; quàm vos ſic depurauero, vt nec ſtannum culpæ cuiuſpiam, neq; ſcoria qualiſcunq; defectus in vobis remaneat. Sed age videamus Domine, quibus inſtrumentis, quibus medijs, ad præſtandum hoc negotium vteris, vt populum tuum ſic expurges, penituſq; emundes? & reſpondet ibidem num. 26. Deus, *Reſtituam iudices tuos vt fuerunt priùs, & conſiliarios tuos ſicut fuerunt antiquitùs;* & ſtatim addit: *poſthæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.* hoc eſt; poſtquàm pro mea erga te benignitate & miſeratione, fidem pollicitationis meæ liberârо, & Sanctorum iudicum, conſiliariorumque incorruptiſſimorum, ſuperiorum optimorum tibi gratiam fecero, ad magnam gloriam meam, & tuam vtilitatem, vocaberis ciuitas iuſti. Non priùs ergo regnum quodcunq; in meliùs reformari poteſt; quàm optimos habeat gubernatores; vt plurimùm enim ſubiectus populus ſolet ſe conformare eorum moribus, qui potentiâ præualent. Vnde non poteſt iam maius beneficium conferri animæ, quæ per occaſionem peruersè præſidentium deſciuit à Deo, ſi quando ab ea auferantur iniqui præſides, & ſubrogentur alij, quorum ſint ſaniorà & ſanctiora tum conſilia, tum vitæ & artis regendi ſtudia: ſubditorum enim tota ſalus, & omne periculum in paſtoribus poſita eſt. Nam vt dixit Pius II. Epiſtola 64. *Quales ſunt Principes, tales & communes eſſe conſueuerunt, & mutantur ſerui ſtudio Dominorum.*

Miratur S. Baſilius hom. 6. in Hexaęmeron, quòd occiduũ æquor, affluxus, refluxuſq; ſubeat reciprocos, nunc abiens, nunc rediens, atq; redundans. Et ſane iuſta admirationis cauſa? Quis enim non obſtupeſcat, mare nunc tanto cum furore atque impetu inuadere littus, quaſi ſuos tranſgredi limites, & vna eluuione omnia, quæ propè, & quæ procul ſunt, debeat delere; nunc verò retrò abire, & velut fugere ripam, in quam paulo ante tàm vehementer inuehebatur? Cauſam autem iſtius rei Sanctus Doctor aſſignat, lunæ influxum. *Deſtagnat*, inquit, *atq; inundat, perinde quaſi lunę reſpirationibus partes ad poſteras ſubtrahatur, expirationibus autem ad priores ſuumq; proprium ſtatum reſtituatur. Vnum lunæ imperium, quo mari dominatur, omnia hæc facit.* At ſi tantum efficit apud mare efferatiſſimum elementum, tàm procul abſens luna, quid non valeat Princeps apud ſubditos? quandò tàm leuiter ſinunt ſubigi homines, vt lunæ quodam velut anhelitu huc illucq; mare agitur. Talis fuit Diuus Adalbertus, traxit ille ſua pietate Hungariam ad religionis orthodoxæ cultum: traxit admiranda ſanctitate Poloniam, ad fidele ſupremi numinis obſequium, & ardentiſſimam erga Reginam cœlorum deuotionem, traxit & Pruſſiam, vt in odorem vnguentorum Filij Dei abiret.

Bonum ergo fuiſſe paſtorem vobis produxi D. Adalbertum, ex triplici capite. inprimis, quia non aliunde; quàm ab ipſo Deo, tanquàm iuſtus Aaron, ad prædicandum gentibus Euangelium fuit accerſitus. Deinde, quia paupertatis voluntariæ amans, non plus de prouentibus

Iſaiæ 1.

Pius II.

S. Baſilius.

Ecclesiæ sibi assumens; quàm ad victum necesse esset, vt optimus pastor non tàm seipsum; quàm inediâ laborantes orphanos, & egenos pasceret, nec proprium quæreret ornatum, sed fidei propagationem, & Ecclesiæ sanctæ splendorem. Tertiò tandem, quia animam suam posuit pro ouibus suis, hoc est; non pro misera gloria vitam suam impendit, vt plurimi simulato religionis pallio solent, sed pro Dei nomine, ob nimiam charitatem, in genus humanum & animarum salutem. Suspiremus ergo hodiè ad tàm bonum pastorem, vt qui nos hic viuendo in terris fide diuina enutriuit, & nunc patrocinio suo in eadem fide perseuerantes tueatur, Amen.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. *Ioan.* 10.

Pastorum Ecclesiæ præcipua cura esse debet, vt errantes cum Christi Ecclesia vniant, suisq; prouentibus bene sciant vti.

TOTA dignitas incomprehensæ Deitatis, & omnis perfectio eius omnipotentiæ, in sola vnitate naturæ indiuisibilis consistit. Cuius luculentissimam rationem afferunt Metaphysici: quia perfectius est, præcellere alijs virtute, potestate, nobilitate; quàm vel vnum æqualem habere. Quoniam igitur Deo essentialis est vnitas, ideo vnigenitus Dei Filius, in hac vnitate naturæ cum æterno Patre viuens, id maximè curæ habet, vt hominem, cum quo iniuit vnitatem humanitatis, ad vnitatem quoq; glorificationis perducat. Hinc ab æterno nihil aliud primò voluit, nisi gloriam suam extrinsecam à creatura intellectuali. Proinde appetijt liberè amari, honorari, in æternum laudari, non modò naturaliter, sed etiam supernaturaliter. Quod deducit Regius vates, Psal. 16. *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* hoc est, dum non solùm Angeli beati, throno tuo immediatè assistentes, & toties in facies suas procidentes, te adorabunt in cœlis, sed & omne mortalium genus in terris humili poplite nomen tuum laudabit. Hoc vnanimi consensu fatentur omnes Theologi, subtili satis ratione id comprobantes: Quoniam inquiunt Deus ordine charitatis aliquid sibi appetere voluit, & non ex indigentia, sed ex libertate, & liberalitate, idcirco non potuit appetere nisi solum bonum extrinsecum; Nam intrinseca omnia ineffabili modo per essentiam possidet. Cùm verò inter bona extrinseca, soliùs gloriæ, honoris, & laudis capax sit Deus, vtpotè spiritus purissimus: (bona enim corporis secludit; quia corpore caret: bona etiam fortunæ spernit, cùm illi nihil fortuitò accidere queat) idcirco solam gloriam extrinsecam à creatura rationali, ante omnia liberè voluit. Præclarum equidem documentũ huius gloriæ suæ extrinsecæ, proposuit nobis Deus in Sacratissimo Christi corpore, Ephes. 1. *In Christo*, inquit, *restaurantur omnia.* volens nimirum Christo homini omnes conformes fieri in gloria, vt quemadmodùm ille propositus est mundo, quasi speculum omniũ perfectionum, omnes quoque æmulando eius virtutes, id promereantur, vt quod nunc solùm in ænigmate per fidem vident, id postea facie ad faciem intueantur. Verùm cùm id difficilè sit assequi, nisi per labores in Christi ouili susceptos, ideo considerabimus quodnam sit istud Christi ouile, & quomodò in illo circa gloriam Dei extrinsecam promouendam, Diuus Adalbertus laborauit.

Ouile Dei, in quo Christus omnes creaturas rationales gloria cœlesti vult reficere, est Ecclesia triplex, nimirum

Psa. 16.

Ephes. 1.

mirum militans, pugnans, & triumphans. Ecclesia militans est in terris, in qua homo vltimum iam obsequiũ circa gloriam Dei peragit. Primus enim status illius fuit lex naturæ, quæ durauit ab Adamo vsq; ad Moysen. In hoc statu homo mouebatur ad colendum Deum, solis dictaminibus priuatis, videlicet; solo instinctu naturæ, & lumine rationis. Hoc extincto successit alter status legis Mosaicæ, qui durauit vsq; ad aduentum Christi, in quo homo ad colendum verum Deum, conuocabatur per Moysen, ritu interno & externo à solo Deo, quoad omnia præscripto. Tertius status est modernus legis gratiæ, seu Euangelicæ, in quo sub vno capite Christi Vicario, fidem atq; doctrinam IESV profitemur. Ad hoc igitur fortunatissimum ouile, Christus omnem hominem venientem in hunc mundum adducere nititur: vt quisquis in tenebris errorum aut infidelitatis viuit hic tandem à Christo qui est imago lucis æuiternæ, illuminetur. *Alias*, inquit, *oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.* Verùm Christe IESV inscrutabile quoddam arcanum nostris auribus proponis? vtiq; neminem latet, ea quæ habemus, nostra esse: si ergo reperiuntur eiusmodi homines in mundo, qui non sunt in hoc tuo ouili, quomodò illos tuos esse dicis? Quodsi tui non sunt, manifestam contradictionem tua doctrina inuoluere videtur. Verùm iure merito hanc prærogatiuam sibi Christus appropriat: reuera enim & in eos, qui penitùs Deum ignorant, & in hos, qui infidelitate excæcantur, habet ius hæreditarium; quia est Dominus cæli & terræ. Habet potestatem regiam: quia per ipsum facta sunt omnia. Habet potestatem paternam: quia redemit nos sanguine proprio. Vocat nihilominus Christus omnes infideles, oues alias, quæ non sunt ex hoc ouili: quia non sunt vniti cum Ecclesia sancta militante. Quemadmodùm enim in corpore humano membra triplici modo corpori, & sibi vniuntur: primò, substantialiter per continuationem naturalem generatione acquisitam: secundò, vitaliter per vitæ & sanguinis cõmunicationem. tertiò, per sanitatis omnimodam participationẽ. Ita quilibet homo istis tribus modis coadunatur Ecclesiæ Christi. Prima vnio substantialis consistit in charactere baptismi, vt docet Concilium Florentinum in decreto Eugenij: *Per ipsum*, inquit, id est, *baptismum, efficimur membra Christi, ac de corpore efficimur membra Ecclesiæ.* Et hæc vnio in statu legis naturæ, consistebat in remedio peccati originalis diuinitùs instituto. Secunda vnio vitalis consistit in fide supernaturali, præsertim in Christum qui venit. Tertia vnio sanctitatis, consistit in charitate sincera Dei & proximi propter Deum; iuxta illud 1. Ioannis 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.*

Qui ergo charactere baptismi est insignitus, qui verbum Dei spectans ad fidem veram, prona aure suscipit ad cor suum, qui charitatem erga Deum & proximum seruat, iste est verè in ouili Christi, & verum membrum eius Ecclesiæ militantis. Hinc Schismatici, quia non habent vnionem veram cum capite Ecclesiæ, videlicet submissionem parendi ipsi, non habent vnionem vitalem: quia nihil participant de meritis Ecclesiæ. Non habent vnionem sanitatis; quia carent charitate erga Christum & eius Vicarios. Impij quoq; Hæretici, non habent pariter vnionem vitalem: *quia iustus ex fide viuit.* Hebræor. 11. Sanctus autem Thomas q. 5. art. 3. de fide docet, quòd fides habitualis per quemlibet actum infidelitatis amittatur. Licèt enim illi, non dubitent de veritate diuina speculatiuè, seu vniuersaliter; dubitant tamen practicè, seu in particulari, quatenus aliquas Dei reuelationes ab Ecclesia per pastores eius propositas contemnunt, priuato spiritui multùm confidentes. vt docet Apostolus ad Timot. 1. *Quidam circa fidem nau-*

Vnio hominis cum Ecclesia triplex est;

Concil. Flor.

1. Ioan. 4.

Ioan. 1.

Schismatici non sunt vniti Ecclesiæ.

Hebr. 11.

S. Thomas

1. Timot. 1.

naufragauerunt, ex quibus est Hymeneus A *& Alexander.* Vbi Apostolus Hymeneum & Alexandrum vocat infideles, eò quòd circa fidem aliquid obstinatè tenuerint, etiamsi in reliquis articulis fidei rectè senserint: dubitare verò in fide, quocunq; modo, est hæreticum esse. Cuius rei euidentissimũ signum habemus Isaiæ 7. Promiserat Deus Regi Achaz victoriam de Regibus Syriæ & Israël; ille verò diuini promissi & fidei, quam ex parte Dei Isaias Propheta ei fecerat, dubius hæsit. Stimulante enim B eum Propheta, vt ad maiorem promissi certitudinem, signum aliquod in cœlo aut in inferno à Deo fieri Isaiæ 7. postularet, respondit: *Non petam & non tentabo Dominum.* Vbi Sacræ scripturæ interpretes condemnant eum Hæreseos, eò quòd Prophetæ consilio vti, & ei credere noluerit. Nam S. Thomas supra hunc locum sic dicit. S. Thom. *Noluit*, inquit, *signum petere, vel quia in idolis confidebat, vel in Rege Assyriorum.* Quasi diceret: quia Achaz Deo non seruierat, nec eum sibi deC uinxerat, sed grauiter potiùs offenderat, dubius de veritate verbi eius, & peccatum infidelitatis cõmiserat, ideo sibi persuasit, quòd in illo statu signa à Deo petere, foret aliũ Deum æstimare, quàm Spiritus Sanctus docet & consulit, vt eum æstimemus. Post iniurias enim munera expetere, & post peccata fauores requirere, est magis iram eius prouocare, vt puniat, quàm misericordiam eius inuocare, vt succurrat.

Non habent demum & peruersi D Catholici, maximis peccatis grauati, cum Ecclesia Christi vnionem vitalem, & sanitatis; quia fides illorum sine operibus mortua est. Proinde & isti sunt quodammodò infideles abnegantesq; Deum. Cuius rei pulchrum nobis documentum proponit Scriptura Sacra Hebr. 11. vbi Diuus Hebr. 11. Paulus sic de Moyse loquitur: *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis.* At, quomodò hoc fieri potuit, vt Spiritus Sanctus rem tanti momenti subticuerit? nam si peruolueris totum vetus testamentum, nullibi hoc reperies. Quomodò credibile est, Moysen tanta fuisse præditum animositate, vt flocci fecerit se esse filium Principis, & dedidignatus fuerit se esse nepotem Regis? Nodum soluit Angelicus Doctor in cõmentario huius loci lectione 3. *Non quidem verbo sed, facto.* Quando igitur S. Paulus dicit, Moysen negasse se esse filium filiæ Pharaonis, non censet, quòd negauerit matrem verbis, sed operibus. Ex quo loco Sanctus Thomas deducit, duplici modo posse negari Deum, aut verbis, aut moribus, aut actibus sceleratis, professione christiana indignis. Hinc idem Apostolus ad Titum II. affirmat, quosdam Christianos nonnisi solo nomine gaudere. *Ore quidem*, ait, Ad Titũ. 2. *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Dicit proinde Paulus, Moysen se negasse filium filiæ Pharaonis, eò quòd ipse esset Hebræus, illa verò Ægyptia: ipse fidelis, illa idolorum cultrix: ipse Dei amicus, illa inimica: ipse sanctus, illa peccatrix; & sic negauit se esse filium eius, *non quidem verbis, sed factis.* Quia vera cognatio contrahitur per virtutem, maiorq; & melior est cognatio spiritûs, quàm carnis; vt eleganter deducit D. Ambrosius super Malachiam. *Non sanguinis*, inquit, *rectitudo, sed virtutis cognatio, proximos & consanguineos* S. Ambro. *facit.* Vnde si Pater fuerit bonus, & filius malus, neq; pater talis filij pater, neq; filius talis patris filius censendus est; quia licèt non verbis, factis tamen illum negat.

Equidem iure merito possemus, sanguineis planè lachrymis deplorare monstra, quæ hac ætate nostris oculis obuersantur, & illud gemebundi cum Valerio Maximo exclamare. *Dij boni! quas tenebras, à quo* Valer. *fulmine nasci passi estis.* Max. An non monstrositati simile est, nasci ex coruscante fulmine obscuras tenebras, & ex parentibus illustribus ac præclaris enasci filios infames ac discolos. Sicut olim ex Scipione Africano, viro apud omnem posteritatem memorando,

rando, progenitus est filius, adeò A moribus degener, vt soliùs duntaxat paterni nominis hæres videretur. Sic ex Quinto Fabio Maximo, virtutibus claro, authoritate graui, moribus celeberrimo, natus est filius libidinosissimus, & in omne vitiorum genus effusus. Dolebat talia spectando barbara illa gentilitas; ô quantò magis pudore suffundi debes consecrata Deo christianitas, dum tuos sæpiùs filios ita degeneres spectas, vt eorum mores non minùs sint contrarij operibus parentum, ex quibus B prodeunt; quàm tenebræ luci. Hac consideratione motus disertissimus Philo Alexandrinus libro quòd *Deus sit immutabilis*, asseueranter dicebat, melioris esse conditionis in hoc singulari bruta animantia; quàm homines ratione præditos. Cuius statim rationem subiungit: *Ex leonibus*, inquit, *leones, ex tauris boues gigni necesse est, at bonæ mentis non talis est propria progenies.* Nam quodlibet animal quantumuis rationis expers, generat sibi simile, atque per generationem C transfundit in filios suos omnes suas proprietates, leo ferocitatem, taurus fortitudinem, &c. Soli misero homini hæc virtus denegatur: quia licèt natura eadem communicetur proli, quæ est in generante; inclinationes tamen, & animorum propensiones, vt plurimùm diuersæ. Vnde frequenter contingit, vt ex patre sancto, filius nascatur sceleratus, ex humili superbus, ex optimis moribus parente dissolutissimus. Causam istius rei affert Sanctus Doctor D 1. p. q. 10. art. 1. Quia primus homo non conseruauit statum innocentiæ, & perdidit iustitiam originalem, in qua fuit à Deo conditus, quam si sedulò conseruasset, virtus quasi hæreditaria per generationem ex parentibus in filios, & ex filijs in nepotes, atq; ex his in omnem posteritatem, vna cum sanctitate fuisset transfusa. Peccatum proinde primi hominis Adami, nos hac felicitate orbauit, quod si non interuenisset, fuisset & ipse iustus, & omnes eius posteri sanctitatis heredes.

Philo Alexandrinus.

Prodigio simile est, quod Saluator noster in ipso vestibulo passionis, & limine mortis suæ, supplicem illam postulationem Patri æterno fecerit. Ioan. 17. *Clarifica me Pater apud temetipsum ea claritate, quam habui priusquàm mundus esset apud te.* Ioan. 17. Quasi diceret Saluator noster; clarificaui te Pater in terris, iam igitur rogo te, vt clarifices me claritate, quam habui antequàm mundus esset. Auget difficultatem non exiguam hæc postulatio Christi, vtpotè tres conditiones inuoluens: postulat enim inprimis, vt illi sit gloria cum Patre, quod indicant illa verba: *apud te*: deinde vt sit gloria, quâ de facto carebat: alioqui vanum esset, eam postulare, quàm habebat. Tandem vt sit gloria, quâ ante incarnationem fruebatur, quod insinuant illa verba: *ea claritate.* Ad resoluendum hunc difficultatis nodum, sciendum est, iuxta doctrinam Theologorum, quadruplicem in Christo fuisse gloriam. Prima fuit gloria verbi; quatenus Deus erat. Altera gloria animæ, per visionem beatificam: quia ab instanti conceptionis suæ fuit perfectè beatus. Tertia gloria corporis, quam per resurrectionem suam obtinuit. Quarta idq; vltima gloria nominis sui, quatenus erat Filius Dei incarnatus. Trutinate seriò, & aduertetis nullam gloriam ex his quatuor Christum postulasse. Non enim claritatem verbi; quia illam habebat: non animæ, quia à primo instanti suæ conceptionis fuit comprehensor, & diuinam essentiam clarissimè vidit. Non corporis: quia illam in æternitate Patri coæternus existens non habuit. Non deniq; nominis: quia & hac ante incarnationem & assumptionem humanæ naturæ fuit gauisus. Quam igitur gloriam tàm ardenti desiderio à Patre æterno postulauerit? respondet Doctor Angelicus in hunc locum: *Opinionem*, inquit, *de te hominibus huius mundi infunde, vt cognoscant te Deum verum: & tu hanc de me confirma in illis opinionem, vt credant me tuum Filium, & ve-*

Gloria in Christo quadruplex fuit.

S. Thomas.

& verum Deum. Quasi diceret Saluator noster: Pater æterne, gloria quàm postulo, est; vt quemadmodùm ante incarnationem meam fui verus filius tuus, & vt talis habitus & adoratus tàm ab Angelis; quàm etiam ab eis, quibus id, ante incarnationem meam dignatus es reuelare, eandem velis manifestare, & efficere, ne ego homo factus, illum pristinum perdam honorem & gloriam, sed totus mundus eandem de me concipiat opinionem, & cognoscat me tanquam verum Filium Patris mei, tuiq; expressissimam imaginem in omnibus tibi similem. Si ergo incarnatus Dei Filius, nihil sibi maiori ducit honori; quàm haberi Patris sui Filius, & ab omnibus pro tali reputari. Considerent Christianorum parentum filij, quantum ipsorum interfit, non degenerare à virtutibus optimorum parentum, & quàm arcto obligationis vinculo adstricti sint, ad elaborandum pro viribus, in omnibus proborum parentum veram filiationem, per virtutem & probos mores in se exprimere, ne à parentum pietate degenerando, etiam ab ipso Deo, si non verbis; operibus tamen degenerent.

Peruersi itaque Catholici vna cum infidelibus, vocantur quidem fideles, sed non à fide habituali, verùm à recepto baptismo, qui dicitur sacramentum Fidei. Et quidem actu fideles; quia indelebilem characterem secum circumferunt. Misericordiâ tamen commotus Dei Filius, volens omnes saluos fieri, ad hæc salutifera pascua, & in blasphemia hæreseos, & extra vnionem Ecclesiæ viuentes pertinaciter Schismaticos, & turpitudini peccatorum immersos Catholicos, benignè perducere satagit. Quod cùm iam sedens ad dexteram Patris, præsentiâ suâ facere nequit, per Pastores & Martyres suos Sanctos id præstat. *Euntes*, inquit, *in vniuersum mundum, docete omnes gentes.* O quàm feliciter hodiernus Martyr D. Adalbertus, hoc obsequium Christi peragebat, congregando pro- Matt. 28.

A cul aberrantes hædos, ad hoc ouile Christi, & licet de sanguine Principum procreatus, non tamen in mundi voluptatibus, sed in continuis persecutionibus vitam suam Deo consecrabat, vt & ijs, qui pessimè viuerent, esset fræno ad cõércendum se, & probis incitamento ad altiorem perfectionis gradum.

Disceptant doctissimi Theologi profundè satis, an Prælati Ecclesiæ suos prouentus, qui vltra congruam sustentationem supersunt, possint in B quoscunq; vsus conuertere. Et vnanimiter concludunt, Episcopum & quemcunque Prælatum iuxta statum suum viuendo, residuos prouentus, aut in pauperes, aut in pia opera erogare teneri. Auscultate quæso, an his tramitibus incederet hodiernus Martyr D. Adalbertus, refert historia, eum quarta parte prouentuum contentum fuisse, de reliquis pauperibus sustentationem, & Ecclesiæ ornamentum prouidisse. Superasti ô gemma Martyrum ipsum Dauidem: C hic enim profundæ humilitatis plenus, clamabat ad Dominum: *Pauper & inops sum ego.* At verò D. Adalbertus in summo Archipræsulcæ dignitatis fastigio collocatus, vt se ostenderet hominem, à seipso nihil habentem, sed omnia à Deo, etiam in summa abundantia, strictissimam paupertatem seruauit, cuncta pauperibus erogando, scilicet; non immemor erat doctrinæ Apostoli: *& opera vestra quæ agitis, cum magna cautela teneatis.* hinc de illo fert historia: D *lectus honestè stratus; somni tamen locus humus, & lapis subiectus capiti locus erat.*

Sacra pagina Gen. 34. testatur, Iacobum Patriarcham morti iam vicinum, castissimo filio suo Ioseph, vrbem Sichimam incontinentiæ labe fædatam, & turpitudinis lue corruptam, vt partem præcipuam testamento legasse: *Do*, inquit, *tibi partem vnam extra fratres tuos.* At, cur filio castissimo fædissimam vrbem tradidit? equidem, vt suæ castitatis exemplo, ab omni turpitudinis cæno eam expiaret. Idem planè egisse mihi vi- Gen. 34.

Quomodò Episcopus suos prouentus disponere debet.

hi videtur Deus cum Martyre ſuo Diuo Adalberto, diuinitùs eum noctu per viſionem admonendo, quo citiùs in Pruſſiam idololatriâ & varijs erroribus corruptam pergeret. Atcur taliter ô æterna bonitas cum dilecto tuo Martyre agis? ſcilicet; vt eius caſtitate & ſanctitate, velut facibus quibusdam prælucentibus, populum illum barbarum, ad Dei cultum faciliùs inclinaret. Vbi zelantiſſimum Moyſen & iuſtum Aaronem imitando, *non deſcendebat de*
1. Reg. 13 *tabernaculo Domini, vt aliquid diſceret aut ipſe populum doceret.* 3. Regum 13. Huic vni poſt Deum totum debet Polonia, quòd nunc diuinæ fidei claritate fulgeat. *Qui enim,* inquit S. Auguſtinus Epiſtola 180. ad Hono-
S Auguſt. ratum) *clades hoſtiles ideo non fugit, ne deſerat miniſterium Chriſti, maiorem charitatis inuenit fructum; quàm qui fugiens, aut comprehenſus ſuſcipit, martyrium.* Nam D. Adalbertus, eò quòd in ſummis periculis munus paſtorale in Chriſti Eccleſia non ſubterfugeret, non ſolùm gloriam illius claræ Dei viſionis promeruit, non ſolùm vt cœlo delicijs, terræ deſiderio eſſet, ſed & hoc, vt ſanguis ille in martyrio fuſus, omnia glorificationis attributa in corpore eius exprimeret.

Tria hæc in glorificatis beatorum corporibus futura, Doctores aſſeuerant, nimirum, ſubtilitatem, agilitatem, & penetratiuitatem. Eaſdem proprietates hucuſq; in corpore Diui Adalberti agnoſcit, & veneratur ſancta Eccleſia. Subtilitatem; dum enim pijſſimus Rex Boleſlaus Chrabri, ad redimendum eius corpus, tantum auri mitteret, vt grauitati corporis exæquari poſſet, Deo prouidente factum eſt, vt in ſtatera appenſum corpus, perexiguum ponderaret. Agnouit Eccleſia in corpore eius agilitatem; dum breui poſt, & remotiſſima Italiæ regna ad ſui viſionem ſepulchri pertraheret: illicò enim cum ſplendido comitatu ad ſepulchrum noui Martyris veniens Otto Imperator, & immenſa beneficia cœlitùs ſibi collata agnoſcens, Rempublicam Polonam ab omni tributo, & iuriſdictione ſuorum ſucceſſorum immunem fecit, & Boleſlaum regio diademate donauit. Agnoſcit demùm & penetrabilitatem; quia hucuſq; eius ſupplicationes cœlum penetrant, vt Deus labenti ſuæ Chriſtianitati ſuccurrat, & quemadmodùm olim Ieroſolymam propter Dauid ſeruum ſuum, ita nunc Poloniam propter D. Adalbertum Sanctum ſuum, protegat, & ex grauiſſima hoſtium oppreſſione eripiat.

EODEM DIE

CONCIO QVARTA.

Ego ſum paſtor bonus. *Ioan.* 10.

Bonus paſtor ex amore in oues, labore, & humilitate cognoſcitur.

NOn diffiteor, magnam ſemper in Eccleſia Chriſti fuiſſe authoritatem Sanctorum Patrum, è quorum numero Diuus Hilarius, vnicum tantùm nomen Deo attribuit, lib. 4. de Trinit. in medio inquiens: *Non*
S. Hilarius *ſermoni res, ſed rei ſermo eſt ſubiectus, & ideo ſicut in Deo eſt omnimoda realis vnitas, etiam vocis & nominis vnitas eidem competit.* Et ratio manifeſta eſt, quia omne ſimplex, aut totaliter cognoſcitur, aut penitùs ignoratur. Atqui Deus eſt ſimpliciſſimus; ergò aut totaliter cognoſcitur, & ſic vno nomine nominabitur, aut penitùs ignoratur, & ſic nullo nomine nominabitur. Cæterùm iſta ratio exigui momenti eſt, quia cùm Deus in hac vita, non poſſit cognoſci quidditatiuè, & per propriam definitionem, ſed tantùm extrinſecè, & per effectus; ideò poteſt magis & minus cognoſci, & ſic per plures effectus nominari. Hinc & in veteri teſtamento multis nominibus ſe Deus intitulabat. Exodi 3. *Nomen meum magnum Adonai, non*
Exodi 3. *indicaui eis.* Exodi 15. *Omnipotens no*
Ibid. 15. *men eius.* Pſal. 66. *Dominus nomen illi.*
Pſal. 66.

In nouo quoq; testamento, post ineffabilẽ suam incarnationem, multis nominibus intitulatur: nam S. Ioannes lucem eum appellat: *Lux erat in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioan. 1. & illemet seipsum, nunc vitem appellat: *Ego sum vitis vera, & vos palmites.* Ioan. 15. nunc Magistrum: *Vos dicitis mihi Magister, & benè dicitis, sum etenim.* Causa istius multiplicitatis diuinorum nominum est, quia Deum multipliciter possumus considerare, vel secundùm se, ve l in ordine ad creaturas. Si consideremus Deum secundùm se, inprimis quoad essentiam, sic multa nomina ipsi conueniunt: quia licet diuina essentia sit simplicissima; tamen propter infinitatem suæ perfectionis, & ob debilitatem, nostri intellectus, non potest à nobis vnico conceptu exprimi, sed de illa formamus plures conceptus, alium de sapientia, alium de potentia. Si consideremus personas, hæ quia sunt tres, tribus nominibus exprimuntur; Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Si consideremus notiones, hæ cùm sint quinq; in Deo, quinq; nomina habent; vt sunt, innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio communis, & processio. Quòd si consideremus Deum in ordine ad creaturas, tunc cognoscimus Deum secundùm causalitatem creaturarum, & sic propter diuersitatem effectuum, quos Deus producit in creaturis, quoad opera naturæ, gratiæ, & gloriæ, multa nomina imponimus Deo. hinc vocatur creator, conseruator, gubernator, prouisor, prædestinator, Saluator, iudex, & glorificator. Neque mirum, quòd Deus tot stupendis nominibus vocetur, cùm omnia sint excelsa, & magnifica: sed illud maximè stupendum, quòd post mortem & resurrectionem suam, vbi titulum ex omnibus maximum & glorioſum vsurpare debuit, vnicum tamen nomen pastoris sibi attribuit. *Ego sum pastor bonus.* Cuius rei mysterium hodie enucleabo.

Ioan. 1.

Ibid. 15.

Vnde multa nomina Deo conueniunt.

Ioan. 10.

Mysterium profundum, cur Christus post mortem, & triumphalem suam resurrectionem, non magnificum titulum, sed humile pastoris nomen sibi vsurpat, est salus nostra. Quod sic deduco, homo non aliter à gratia diuina excidit, & in æternæ damnationis periculum prolapsus est, nisi per superbiam, quæ ideò à Scriptura sacra, initium omnis peccati proclamatur. Psal. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ; ibi conciderunt, qui operantur iniquitatem.* Postquàm enim Deus hominem condidit, ne à debita rectitudine aberraret, leges ei seruandas præscripsit: *Si*, inquit, *seruaueris legem meam, & tu cum posteris tuis in iustitia conseruaberis; sin secùs, cùm posteris & corporaliter & spiritualiter morieris.* Quas leges transgressus homo, æternæ pænæ reus factus est: *Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors introiuit in orbem terrarum, & sic pertransijt in omnes.* Perpendite quæso, quid hominem in summa rectitudine constitutum, ad transgressionem diuinæ legis impulit? Equidem non aliud, nisi sola & infelix superbia, dùm saltem implicitè legibus diuinis subditus esse nollet, ideoq; illas non curaret obseruare. Quod apertissimè indicat definitio peccati originalis, hæc communiter afferri solita: *est voluntaria priuatio iustitiæ originalis.* Si voluntaria, ergò ex superba voluntate, & leges diuinas contemnente processit, vt palam constat ex ipsa Dei querela contra hominem facta Gen. 13. *Pactum meum irritum fecit.*

Psal. 35.

Lex hominis data.

Paccatum originale voluntarium.

Gen. 13.

Clementissimus ergò Deus, volens à tam dolendo casu hominem erigere, humilem pastoris titulum sibi vsurpauit, cùm non aliter illum ad amissam gratiam & gloriam reducere posset, nisi per humilitatem, teste Euangelista Matt. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Vbi Christus, nomine paruulorum humilitatem intelligit, vt exponit S. Ambr. Ser. 10. *Vnde*, ait, *intelligimus, quòd humilitate puerorum ad regnum, simplicitate penetratur ad cælum. Quisquis ergò cupit diuinitatis tenere*

Matt. 18.

tenere vestigia, humilitatis ima sectetur. Et ratio euidentissima est, quia ex medicorum sententia contrarij morbi, nonnisi contrarijs medicamentis curari solent, Christus autem ad medendum ægrotanti mundo venit, vt testatur ipsemet. *Venit quarere, & saluum facere, quod perierat.* ideò quoniam superbia fuit initium morbi, videlicet peccati, humilitas ipsi contraria, in medicamentum adhiberi debuit.

Et profectò, neq; in hac vita, neq; post mortem, potest quispiam ad gloriam euehi, nisi per humilitatem. Ponite vobis ante oculos vnigenitum Dei, hic cùm non ab electione, non ab euentu, non à tempore Princeps, *sed vt antiquus dierum,* ab ipsa æternitate & essentialiter Rex esset; tamen suam immensam gloriam non aliter mundo manifestauit, quàm per humilitatem, attestante Apostolo: *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Philipp. 2. Maximeq; ex hoc se Deum esse probauit, & naturâ, non arte Principem, quia seruitutis habitum non timuit, quasi maiestatem inuoluturum: cùm enim hæc propria esset, illam serui humilitas non abstulit, sed auxit. *Maximè ostenditur,* ait Photinus, *quòd Deus sit ex eo, quòd sese demiserit, ac humanitatem gestauerit: nouerat enim, quòd ex hac humiliatione nihil detrimenti susciperet, ex diuina natura sibi conueniens sublimitas.*

Quapropter sic altam hanc Deus æstimauit virtutem, vt quia Deus eam assumere non poterat, factus est homo, vt eam apprehenderet; non magnum quasi æstimans, Deum esse altum, nisi simul & homo esset humilis. Quod pulchrè elucidat Theodoretus in Epist. ad Philipp. 2. *Cùm,* inquit, *esset Deus, & naturâ Deus, & Patri æqualis, non hoc magnum existimauit: hoc enim est proprium eorum, qui præter dignitatem, honorem aliquem sunt assecuti; sed celata dignitate, summam accepit humilitatem, & humanam formam suscepit.* Imò, vt se verè humilem declararet, nomen pastoris, quod seruilem & laborioſam conditionem indicat, sibi vsurpauit. Pastoris est, laboribus assuetum esse, & prouidentiam circa oues habere. Perpendite, quantus Christi labor, & prouidentia circa salutem animarum, cuius tota cura & solicitudo, in saluandis hominibus. Lucæ 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Pastoris est, humilem esse: quid humilius Christo? de quo dicit Apostolus Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum vsq; ad mortem.* Vt scilicet palam faceret, neminem ad gloriam eleuari posse, nisi per humilitatem: neminem Deo sociari, nisi humilem: Siquidem ex omnibus documentis, sola humilitas est euidentissimum signum veræ electionis à Deo.

Officia Pastoris. Lucæ 10. Philipp. 2.

Hinc Deus destinaturus Moysen, ad populum suum in Ægyptum, vt populus crederet illum verè electum, & missum à Deo, manum eius leprâ infecit. Exodi 4. *Mitte,* inquit, *manum tuam in sinum tuum, quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam, instar niuis.* Quid cum missione tale signum? equidem multum, vt cæteri pro certo scirent, ad magna & præclara Moysen electum, & verè à Deo missum fuisse, manumq; illam cælum & terram immutaturam, quæ priùs leprosam se recognoscens, securam iam extabat à spiritu superbiæ. Proinde miracula illa, quæ patrabat Moyses, non ita efficaciter probabant Moysen â Deo fuisse missum; quàm illa magna eius humilitas, quòd in oculis suis abiectum, & leprosum se recognosceret. Non ergò Moyses inde immundus, quia leprosus; quinimmò, ideo electus, ne ipse de se extolleretur, & in superbiam abiret. Sic discurrit Theodoretus q. 10. in Exodum: *Legislatoris,* inquit, *manum infecit leprâ, docens eos qui pleniùs instructi sunt, horum nihil esse immundum.* Scilicet leprosum, aut non leprosum esse; cùm hæc extrema tantùm sint: & ideò licet Moyses leprosus; non tamen immundus, cùm ei lepra non ad confusionem, sed ad suæ

Exodi 4.

Christus essentialiter Rex est.

Philipp. 2.

Photinus.

Theodorethus.

Theodor.

gloriæ ostentationem adueniſſet. *Nam dextera*, addit Theodoretus, *quæ admiranda illa perpetrârat, cùm priùs fuiſſet leproſa, ſignis diuinis inſeruit, & elementa mutauit. Quæ res Moyſen etiam admonuit, non ſuperbire debere, ſed agnoſcere naturam, cum recordatione dextera leprâ priùs infecta.* En igitur vobis myſterium; Chriſtus paſtoris nomen ſibi vſurpauit, vt nos ad ſuam ſeruitutem traheret, & per humilitatem ſaluaret: quilibet enim homo paſtor eſſe debet, animam ſuam ita cuſtodiens, quomodò illam à labe peccati immunem Deo ſuo reddat. Paſtor eſt, cùm vitæ ſuæ dominium non habeat, ſed tantùm cuſtodiam: & ideò noctu diuq; vigilare debet, ne quid detrimenti vita eius patiatur à mundi concupiſcentijs, quemadmodùm faciebat Iacob Patriarcha Gen. 31. *Die noctuq; æſtu vrebar, & gelu: fugiebat ſomnus ab oculis meis.* Ecquid cauſæ? profectò quia ſe ſeruum, non Dominum; paſtorem, non poſſeſſorem agnoſcebat: & ideò vigilabat, ne quid de grege eius periret. Scilicet, ne quid de virtutibus, ne quid de meritis, ne quid indefeſſis laboribus minueretur, ſed vt ſemper plus vltra aſcenderet, ad maiora ſanctitatis incrementa procedendo.

Idem.

Gen. 31.

Hoc munus paſcendi vobis ſpecialiter, qui in dignitatibus Eccleſiaſticis conſtitui eſtis, Saluator noſter impoſuit, dum Petro Eccleſiam regendam committeret: *Paſce oues meas.* Vbi non ad dominandum, ſed ad laborandum: non ad diteſcendum, ſed ad fideliter diſpenſandum de bonis Eccleſiæ prouentum, conſtituit Paſtores Eccleſiæ, vt more paſtorum, vltra victum & amictum non plus ſibi vſurpent. Quia S. Bernardus in ſuis declamationibus, crudelem & ſacrilegum Prælatum appellat, qui præter victum & veſtitum, aliquid plus è reditibus Eccleſiaſticis accipit: *Sacrilega*, inquit, *eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non vtiq; Domini, vel poſſeſſores, vltra victum accipiunt & veſtitum.* Nam totum paſtoris officium, non in ſuam, ſed in ouium commoditatem impendi debet, teſte S. Gregorio Magno libro 7. Epiſtola 48. *Ille*, inquit, *per Chriſtum ingreditur, qui de eodem creatore & Redemptore humani generis vera ſentit, & prædicat, & prædicata cuſtodit, culmen q; regiminis ad officium portandi oneris ſuſcipit, non ad appetitum gloriæ tranſitorij honoris.*

S. Bernard.

S. Gregor.

En vobis normam boni paſtoris, à Chriſto delineatam, qui ſe ex tribus bonum paſtorem eſſe probat, ex labore: quia in ſuis humeris portat omnes ſaluandos, Iſaiæ 40. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fatas ipſe portabit.* Ex amore: quia neminem deſerit, ſed etiam deſerentem ſe benignè amplectitur; *& non quærentibus me palam apparui.* Deniq; ex humilitate, quia vt nos ad cœleſtia eleuaret, infra conditionem humanam ſemetipſum humiliauit, hanc virtutem ex omnibus nobis commendans: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Quocirca conformemur capiti noſtro, cum ſimus membra eius, & quoniam nos vitæ noſtræ cuſtodes eſſe voluit, ne à vita omnium viuentium aberremus, cum omnimoda vigilantia, & humilitate paſcamus animas noſtras, quouſq; æterna paſcua inueniant, & in illis citra omne periculum feliciter, & tutò conſiſtant.

Iſaiæ 40.

EODEM DIE
CONCIO QVINTA.

Ego ſum paſtor bonus.

Bonitas paſtoris magis in charitate quam in ſcientia conſiſtit.

NOn mirum, quòd ſe Chriſtus Dominus nomine boni paſtoris intitulet: quia hæc duo attributa, bonitas, & paſtura, Chriſtum verum Deum ſimul & hominem eſſe euidenter probant. De bonitate palam loquitur Euangeliſta Lucæ 18. *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* In quibus verbis docet

Lucæ 18.

docet ſolum Deum à ſeipſo, eſſentialiter ac ſemper eſſe bonum, imò ipſius naturam eſſe ipſammet bonitatem, & fontem omnis bonitatis. Si quando verò attribuitur homini bonitas, vt Lucæ 6. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum.* Hanc ille non habet à ſe, cùm ſit à natura corrupta, & ex ſeipſo malus, teſte Sacrâ paginâ Lucæ 11. *Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris.* Sed ſolùm dicitur bonus participatiuè per gratiam Dei, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, atque deriuatur tàm in homines & eorum opera; quàm in alias creaturas, quatenùs bonitas illis tribuitur. Quantùm etiam ad paſturam attinet, hanc ſoli Chriſto, Deo humanato principaliter competere, conſtat tum ex eo, quia ſolus Chriſtus animam ſuam realiter poſuit pro ſalute ouium ſuarum, & in ſanguine ſuo illas redemit Hebr. 13. *Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Tum ex eo, quia ſalus principaliter & æternaliter ex illo eſt, licet nunc poſt aſcenſionem tantùm inuiſibiliter paſcit oues ſuas, regendo felicitèr vniuerſam Eccleſiam. Proinde ſolus bonus paſtor: quia in hac ſuâ poteſtate alium ſucceſſorẽ habere non potuit. Quod probat S. Tho. 3 p. q. 8. art. 1. & 4. quia quemadmodùm caput hominis duo potiſſimùm munia ſibi vendicat, per quæ rationem capitis ſortitur in corpore humano. Primum, quòd vim cæteris membris internam vitalem impertiat. Alterum, quòd per ſenſus & intelligentiam, membra exteriùs rectè gubernet, & dirigat. Ita Chriſtus eſt Eccleſiæ caput Epheſ. 1. *Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius.* Eſt inquam caput non tantùm ideo, quòd extrinſecâ gubernatione & directione, ſiue docendo, ſiue præcipiendo, hoc myſticum corpus dirigat; ſed etiam ideo, quòd internum vigorem vitalem, omnigenam ſcilicet gratiam ſubminiſtret

Ibidem 6. Ibidem 11. Hebr. 13. S Thomas Capitis duo officia. Epheſ. 1.

A ipſi, iuxta illud Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accipimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta.* Habuit ergò Chriſtus ſupremam poteſtatem leges ferendi, abrogandi, noua Sacramenta inſtituendi, vna cum poteſtate committendi vices ſuas alteri in abſentiâ ſuâ, quam triumphaturus in cœlo, exerciturus erat in terris. Et quia ſucceſſor in officio parem habet poteſtatem cum anteceſſore, & inſuper ſupponit an- B teceſſorem amiſiſſe ſuam poteſtatem, eo quòd ſit tranſlata, & non ſolùm deriuata ad ſucceſſorem, quod Chriſto repugnat ex illo Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*, ideò Chriſtus nec habet, nec poteſt habere ſucceſſorem in plenitudine ſuæ poteſtatis, ſed ſolùm Vicarium, in quem tantum deriuauit poteſtatis, quantum iudicabat expedire, aut neceſſarium eſſe ipſi, ad commodum regimen Eccleſiæ in fide & moribus. Sicut ergò Pontifex C Romanus, rectè vocatur Succeſſor B. Petri, & Vicarius Chriſti ſumuſq; paſtor totiùs Eccleſiæ, non redemptione aut regimine ſummo, ſed ex commiſſione Chriſti, & quoad regimen externum, viſibile, ac temporale. Ita omnes Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, Chriſti vices gerentes, quoad externum miniſteriũ, verè paſtores nuncupantur. Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autẽ Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & Doctores.* D Sed in quonam potiſſimùm fundatur bonitas paſtoris, vt verè dici poſſit bonus paſtor, hodiè diſcutiemus.

Ioan. 1. Chriſtus quare ſucceſſorem in ſua poteſtate habere non poteſt. Matt. 28. Epheſ. 4.

Dicerem profectò, bonitatem paſtoris gregis Chriſti ſingulariter conſiſtere in ſcientiâ, quâ populo fideli ſibi concredito prælucere debet. Sic enim ipſemet Deus videtur innuere, Hierem. 3. *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ, & doctrinâ.* In quibus verbis manifeſtè oſtendit Deus, quòd munus paſcendi hominem, animal maximè varium, ac multiplex, ſummam per-

Hiere. 3.

fectionem & scientiam requirat in pastore, adeò vt teste Gregor. Nazian. eum à scelerum contagione purum, & ad summum virtutis fastigium erectum esse non sufficiat, nisi simul scientiâ & sapientiâ plenus habeatur. Quod confirmat S. Hieronymus supra epistolam Ephes. 4. inquiens: *Neq; in Ecclesia quisquam, quamuis sanctus, pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere, quos pascit.*

S. Hieron

Hoc principale requisitum pastoris, posuit expresè Diuus Paulus 1. ad Timot. 3. *Oportet*, inquit, *Episcopum Doctorem esse.* Magisq; hoc elucidat Ephes. 4. dùm recensendo Ecclesiasticam Hierarchiam, addit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Perpendite mysterium: postquàm Apostolus alias dignitates, particulis quibusdam disiunctiuis ab inuicem discriminasset; Pastores tamen & Doctores copulatiuè coniunxit. Et respondet S. Thomas Apostolum hoc feciſſe, ad ostendendum, quòd proprium officium pastoris Ecclesiæ sit, docere ea, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores. Comprobat D. Augustinus Epist. 59. vbi Paulino quærenti, in quo Pastores & Doctores apud Apostolum distinguantur, sic respondet. *Pastores*, inquit, *& Doctores eosdem esse puto, ideò cùm prædixisset pastores, subiunxisse Doctores: vt intelligerent pastores, ad officium suum pertinere doctrinam.*

1. ad Timot. 3.

Ephes. 4.

S. Thomas

S. August.

Vnum igitur atq; idem est pastorum, & Doctorum munus. Neq; sanè sufficit pastori humana scientia, nisi simul peritissimus sit sacrarum literarum. Sic docet D. Ambrosius in Epistolâ dedicatoriâ ad Apologiam Dauid: *Nemo*, inquit, *loqui potest, nisi qui scripturas omnes penitus excusserit, imbiberit, concoxerit, tantoq; vsu contexerit, vt in naturam abijsse videantur.* Comprobat D. Anastasius Nicenus q. 78. in scripturam. *Quamobrem*, inquit, *quicunq; sunt imperiti diuinarum scripturarum, non possunt esse patresfamilias: vt qui neq; à sese habeant, neq; ab alijs accipiant, sed seipsos decipiant, pereuntes famæ ignorationis.*

S. Ambro.

Anasta.

Talis erat D. Paulus, vt ipsemet Christus significauit, dùm eum vas electionis nominaret Actor. 9. *Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum, coram regibus, & Principibus, & filijs Israël.* Super quem locum D. Hieronymus in Epist. 103. ad Paulinum sic discurrit: *Cur dicitur Paulus Apostolus vas electionis? nempè quia vas legis & sanctarum scripturarum armarium est.* Talis D. Augustinus, quem nullum omninò Scripturæ sacræ arcanum latebat, vt de illo dicitur Epistolâ 3. ad Volusianum, *Legi deesse, quicquid Augustinus ignorat.*

Actor. 9.

S. Hieron.

Nec mirum, quòd Deus tàm exactam scientiam in suis pastoribus exigat, quia pastor ita perfectus esse debet, vt ne minimis defectibus obnoxius sit; ita, vt licet per ignorantiam eum contigerit errare, minimè excusationem mereatur. Leue latis videbatur peccatum filiorum Aaronis, Nadab, & Abiu, quòd ad sacras cerimonias, ex ignorantiâ & inaduertentiâ profanum ignem adhibuerint. Leuitic. 10. *Arreptisq; Nadab & Abihu, filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum.* Et tamen capitalem pænam incurrerunt: *Egressus q; ignis à Domino, deuorauit eos, qui mortui sunt coram Domino.* Ibidem. Quia etiam leuissimæ culpæ in Deum, graues pænas merentur, neq; in illis ignorantia nos excusare potest, quæ statum nostrum concernunt, & quæ omninò scire tenemur.

Pastor multis defectibus debet esse obnoxius.

Leuit. 10.

Quid ad hæc nouæ legis Sacerdotes dicent? Si tàm graues culpas, & tàm diras pænas incurrebant, qui in sacrificijs hircorum, & taurorum, solemnes ritus ac cerimonias præteribant, quæ nostra erunt flagitia? quæ supplicia? qui immaculatum Christi sanguinem non illotis tantùm manibus, sed illotis conscientijs sacrificamus. Non audebant olim Dagonis Sacerdotes templi sui limen, in quo amputatas Dagonis manus reperijssent, conculcare.

1. Reg. 5.

Azotij hucusq; limen templi in quod abscissæ manus Dagonis proiectæ erant calcare non audent.

1. Reg. 5. 1. Reg. 5. *Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, vsq; in hodiernum diem.* Euaginato mucrone terruit Angelus Iosue, ne in loco sancto, in quo stabat, calceatis pedibus graderetur. Iosue 5. *Cùm autem esset Iosue in agro vrbis Hiericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium.* Soluere iussus est Moyses calceamenta de pedibus, antequàm ad montem Dei Horeb, & rubum incombustum appropinquaret Exodi 3. *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est.* Incolumem seruârunt Hebræi illam ædem, ex qua Rahab funiculum coccineum in pacis tesseram suspendit, Iosue 6. *Rahab verò meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Iosue viuere, eo quòd absconderit nuntios, quos miserat, vt explorarent Iericho.* Formidabat exterminator Angelus polluere humano sanguine, eam dòmum, inqua sanguinem agni superfusum conspexisset. Exodi 12. *Erit autem vobis sanguis in signum, in ædibus in quibus eritis.* Nemo Angelorum audebat violare illos ciues, quos Hierosolymis inuenit sacro charactere diuinitùs sigillatos: *Omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis.* Ezech. 9. Quid ergò nos diuinæ legis Sacerdotes? sanctiusne est limen Dagon? sanctius suburbium Hiericho? sanctius desertum Madian? sanctiora sunt illa veteris legis monumenta, quàm altare Deo homini consecratum? Absit? Quid ergo? irruimus temerarij, & sacrilegis conscientijs sacra ministeria profanamus: quia ignoramus, quæ statum nostrum concernunt. Quia deest nobis perfecta scientia, & diuina sapientia, quæ mentes nostras ad omnem puritatem erudiat, quàm S. Iob vnicuiq; exoptat Iob 11. *Vtinam Deus loqueretur tecum, vt intelligeres.* Quasi diceret: sine sapientiâ cœlitùs communicatâ, homo nec ipsam Dei legem intelligere potest.

Ex his iam rationibus possem concludere, bonitatem pastoris Ecclesiæ Christi, in sapientiâ fundatam esse, illumq; tantùm posse dici bonum pastorem, qui est sciens, & sapiens. Sed me retrahit terribilis sententia Christi 1. Corint. 1. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* 1. Cor. 13 Quod statim elucidat D. Paulus 1. Corint. 13. *Si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ibidem 13. Cuius rationem reddit ibidem cap. 8. *Quia scientia inflat; charitas verò ædificat.* Ibidem 8. En vobis veram sententiam, quòd bonitas pastoris, non possit consistere in sapientiâ, quiâ hæc transitoria est; bonitas verò æterna, sed fundamentum illius sola charitas est; quæ nunquàm excidit; scientia enim sine charitate, in venenum conuertitur. Sic Scribæ, & Pharisæi, qui maximè de scientiâ gloriabantur, contra Christum semper steterunt, quia scientia illorum erat sine charitate, vt censet Iansenius. *Hæc est,* Iansenius. inquit, *natura humana, siue iustitia, siue scientia, quæ charitate & humilitate destituta est, vt cùm sit imperfecta, & tamen perfectam se iudicet, omnia, quæ à suo instituto sunt aliena, quantumuis perfecta, & bona, præse contemnat, & condemnet, omnia in peiorem partem rapiens, & leuia quæq; grauiter exaggerans.*

Et quod ita sit, vel ex ipsiusmet Saluatoris exemplo conijcite, in quo cùm esset omnis plenitudo sapientiæ, & scientiæ; non tamen ex sapientia se bonum pastorem prædicat, sed ex charitate. *Ego,* inquit, Ioan. 10. *sum bonus pastor, & animam meam pono pro ouibus meis.* palam faciens, illum tantùm fore bonum pastorem, qui non minus charitate flagrat erga suas oues, quàm scientiâ conspicuus sit. Quod pulchrè expressit D. Paulus 1. ad Timot. 4. illud monitum pastori præscribens: *Argue, obsecra, increpa, in ômni patientiâ & doctrinâ.* 1. ad Timot. 4. In quibus verbis miro artificio, charitatem cum scientiâ copulauit, quasi diceret: Argue vt Philosophus, obsecra

sacra vt orator, increpa vt iudex, in omni patientiâ vt mater, in doctrinâ vt Magister. Ita enim pastor debet reprehendere, vt simul conuincat: nam vt bene S. Chrysosth. in hunc locum discurrit: *Si absq; argumentis aliquem increpes, temerarius esse videberis, nullusq; te perferet. Et si obsecres, sed sic, vt non persuadeas tanquàm orator, nihil efficies: & si non increpes vt iudex, malum non tollis, sed confirmas.* Quia vt rectè S. Innocentius distinct. 83. cap. error. aduertit. *Error cui non iratcitur, approbatur; & veritas cùm non defenditur, opprimitur: negligere quippè cùm possis deturbare peruersos, nihil est aliud, quàm fouere.* At si omnia hæc sine amore, sine charitate, sine patientiâ fiant, nihil operabuntur. Vnde S Augustus. super illud 6. Galat. *Huiusmodi instruite in spiritu lenitatis*, scribens, sic dicit: *punientis est impetus, non charitas diligentis.*

S. Augustus. Galat. 6. S. Augustus. S Innocentius.

In tribus autem charitas boni pastoris consistit, primò, vt pastor arguat peccata populi: pastoris enim conniuentiam grauiter Deus fert. Ezech. 13. *Et violabant me ad populum meum, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt.* In quibus verbis Deus increpat illos pastores, qui innocentes opprimunt, & nocentes summo amore prosequuntur, atq; in aulis suis fouent. Quid enim aliud est, interficere animas, quæ non moriuntur, quam hominem iustum, & coram Deo viuentem aggrauare, & velut peccatorem ac morte dignum condemnare. Quid est, viuificare animas, quæ non viuunt, nisi sceleratum & impium, qui inconspectu Domini mortuus est, tanquàm innoxium, & vitâ dignum absoluere.

Ezech. 13.

Secundò, charitas boni pastoris consistit in hoc, vt se opponat coram Deo pro populo tanquàm murum. Hinc Deus exprobrabat Prophetis Israël Ezech. 12. *Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini.* Debet inquàm opponere se pastor coram Deo, precibus, sacrificijs, indictis publicè ieiunijs iram Dei à populo auertendo. Sic Moyses & Samuel fuerunt quasi muri, & obices quidam iræ diuinæ oppositi. Hinc Dominus ad Moysen, quasi sibi obstantem loquebatur. Exodi 32. *Dimitte me, & delebo populum istum.*

Ezech. 12. Exodi 32.

Tertiò tandem, charitas boni pastoris consistit in eo, vt oues suas defendat in omni occasione, magis populi vtilitatem; quàm suam curando. Hinc Deus exprobrat malis pastoribus, qui plus vtilitati propriæ, quàm saluti animarum incumbunt, Ezech. 34. *Væ*, inquit, *Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur.* Maximè autem pastor defendit populum, rectè consulendo Principibus, ne suos subditos aggrauent. Talis fuit B. Austregisilus Bituricensis Episcopus, cùm enim ex Palatio Theodorici Regis Guarnerius homo sæuissimus, auaritiæ & turpi lucro addictus, superbiâ tumidus, ad vrbem Bituricensem accederet, ab ea tributa Regis nomine exacturus. Sanctus Episcopus, tanquàm bonus pastor, curam Ecclesiæ & plebis sibi commissæ peruigilem gerens, ad Deum se contulit, diurnis atq; nocturnis precibus eius aures continenter pulsans, vt populum suum hac vexatione liberaret. Cumque ad vrbem iam aduentaret Guarnerius, S. Episcopus illi obuiam iuit, atq; pro commisso sibi grege murum se opposuit, paratus etiam si res postularet, Christi exemplo, pro ouibus suis animam ponere, & sic populum ab illa nimiâ & insolitâ exactione liberum fecit.

Ezech. 34. Pastor debet consulere Principi ne populum nimiùm aggrauet. Austregisili Episcopi solicitudo pastoralis.

Et certè nihil grauius punire Deus solet, quàm mala pastorum consilia, dùm Principum gratiam captare volentes, in tributa insolita facilè consensum præbent. Reuoluite Scripturam sacram, & considerate Ieroboam Regem, quo sacrificante, quasi volans ad eum ex præcepto Domini, venit vir Dei, eique super altare thus incendenti locutus est; *Altare, altare, hæc dicit Dominus,*

Pastores gratiam Principum per adulationem quærentes Deus seuerè punit.

ecce

ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendent. Quid causæ prô Deum immortalem! crudelis Ieroboam in Deum & in homines, ipse peccauit, totum Isrâël â Deo segregans, & ad idola conuertens: 1. Reg. 12. *Excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos.* Et tamen minæ non contra illum, sed contra Sacerdotes, & contra altare fulminantur: *Immolabit super te Sacerdotes excelsorum.* Ratio non alia, niſi hæc: quia etsi ipsius Regis fuit peccatum, tamen à Sacerdotibus approbatum, & stabilitum est. Quid ergò mirum, si non ad Regem, sed ad Sacerdotes, sed ad altare vibratur ira Dei.

1. Reg. 12.

Quid aliud hisce temporibus cernimus, niſi hoc inueteratum malum, quòd Principes, Dei Sacerdotes grauent, premant populum, Ecclesias expilent, victum eis adimant, & quod pudet dicere, etiam ad missarum eleemosynas aduolent. Sic, vt quasi iam de altari Dei Sacerdotes viuere non possint ampliùs: quia de altari iam Principes contra fas, contra diuinum ius ditari & viuere volunt. At quis in causâ? nonne pastores Ecclesiæ & ouilis Christi; qui dùm pro Ecclesia & plebe Christianâ Principibus recta consilia submini-strare debeant, non solùm ijs, quæ in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ sanciuntur, non contradicunt; sed ipsimet primi consulunt, & vt talia fiant, suadent. Sed velim agnoscant Dei iudicium: Principibus quidem Ecclesiam, & personas Ecclesiasticas grauantibus, Deus seuerum minatur supplicium, Oseæ 7. *Cadent in gladio Principes eorum.* Cuius causam statim subiungit Sacer textus: quia *recesserunt à me, & ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum.* At verò pastoribus talia mala consulentibus, primis ante omnia combustionem prædicit. *Immolabit Sacerdotes excelsorum, qui nunc in altari thura succendunt.* 1. Reg. 12.

Oseæ 7.

1. Reg. 12.

Pastorem ergò bonum Christus vocat; qui se, vbi res id postulauerit, murum pro grege suo opponere sciat: quemadmodùm fecit Diuus Ambrosius; qui Theodosium Imperatorem ob iniustam Thessalonicensium cædem, ab ingrêssu Ecclesiæ prohibuit. Quemadmodùm fecit D. Stanislaus; qui Boleslaum Regem ob sæuam crudelitatem, & summam fædè viuendi licentiam excommunicauit. Quemadmodùm fecit Diuus Adalbertus, qui licet iam optimè sciret, ab illo barbaro populo, cuius pastoralem curam gerebat, tres fratres suos atrociter fuisse trucidatos; tamen pluris faciens salutem animarum, quàm propriam iniuriam, ad illos conuertendos, allacriter quasi innocens Abel ad victimam festinabat. Talis fuit D. Paulus, qui exnimio amore salutis humanæ, mortem oppetere pro suis Galatis paratissimus fuit; inquiens: *Quotidiè morior propter gloriam vestram.* Et in quo obsecro consistebat, hoc tantum ipsius desiderium? Respondet ipsemet Ephes. 20. quòd in sano consilio: *Non enim subterfugi, quominùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

S. Ambrosius Theodosium ingressu Ecclesiæ prohibuit.

S. Stanislaus Boleslaum Regem excommunicauit.

Ephes. 20.

Vos iam alloquor pastores Ecclesiæ, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos ad regendam Ecclesiam sanctam, vt si boni pastores haberi vultis; conformemini Principi Pastorum Christo IESV. Et vt veram eius imaginem circumferatis, pascite gregem vobis commissum in scientia & amore, ad salutem animas populi dirigendo; Principibus verò, ne Ecclesiam & populum Dei aggrauent, sana consilia præbendo, & sic ille, qui sanguine Ecclesiam suam fundauit, vos bonos Pastores agnoscet.

EODEM DIE
CONCIO SEXTA.

Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.

S. Adalbertus pro ouibus Christi animam suam, & physicè & politicè consideratam, posuit.

EMphatica locutione Dominus & Saluator noster de seipso dicebat : *Ego sum pastor bonus.* Sed quâ de causa ? tacitè statim responsionem subiunxit, inquiens : *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Quæ verba in Syriaca lectione epitasim habere videntur ex particula *&*, sic apposita. *Et bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Vbi nemini dubium esse potest, causalis vim de more scripturæ eam particulam obtinere, quasi Christus hunc sensum facere vellet : ideò ego, & quidem ego solus, sum pastor bonus, quia quòd bonus pastor facere tenetur, ego feci, animam meam ponendo pro ouibus meis. verùm parce pie IESV, vt tecum humiliter & reuerenter paululum loquar ? quomodò ex hac præsertim ratione, quòd animam tuam, pro ouibus tuis posueris, solus vnicè bonus pastor dici poteris, cùm plures in Ecclesia sancta pariter zelozi pastores extiterint, qui aut animas suas pro ouibus suis, cuiuis discrimini obijcere non recusârunt; aut qui reapsè pro illis mortem oppetiêre. Nonne bonus pastor fuit Petrus ? cui tu ipsemet, trinæ interrogationi de tua dilectione ter annuenti, vniuersalis Ecclesiæ regimen commisisti, illis verbis : *Pasce oues meas.* Ioan. 21. Nonne bonus Pastor Paulus ? qui pro salute aliorum exstingui desiderabat Rom. 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem.* In quo ardentissimum illum Israëliticæ plebis amatorem Moysen, ad Deum pro suis Israëlitis illas preces fundentem : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* Exodi 32. longè prætergressus est : quoniam Moyses cum suis exstingui atq; deleri volebat; Paulus verò non cum suis, sed pro suis mori exoptabat, vt ingeniosè obseruat S. Chrysosth. homil. 1. de laudibus Pauli sic discurrens : *Moysen profectò Paulus eminenti virtute transcendit, cuius quidem sunt multa alia præclara, sed caput illius sanctæ animæ atq; fastigium est, quoniam pro Iudæorum salute deleri elegit ex libro vitæ : sed Moyses cum cæteris optauit perire, Paulus pro cæteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit; sed vt saluarentur alij, ipse de gloriæ æternitate decidere.* Qui se pro salute Corinthiorum in victimam Deo immolabat 2. Corint. 12. *Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Qui pro Ecclesiæ sanctæ dilatatione, atq; fidei propagatione, omnibus tormentis & cruciatibus sese deuouebat ad Colos. 1. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Nonne bonus pastor Ioannes Chrysosthomus ? qui suo regimini concreditos fideles, ita verè & ex animo alloquebatur to. 5. homil. 11. *Ego millies pro vobis immolari paratus sum, non enim propter diuitias vestras mundi insidias patior, sed propter charitatem, quam erga vos habeo, quia omnia ago, vt vos proficiatis.* Quomodò ergo solus bonus pastor Christus ? Respondet satis argutè D. Augustinus tract. 46. in Ioan. Apostolos, & alios viros sanctos, bonos quidem, sed non distinctos à Christo pastores fuisse : quia membra erant corporis Christi, ac proinde ex hoc loco non tàm conuinci, egregios quosque in Ecclesia Christi viros, bonos pastores non fuisse, quàm potiùs ostendi omnes alios, qui ab hoc tramite recedunt, bonos pastores non esse, cùm à norma per Christum propositâ deflectant. *Habet*, inquit D. Augustinus, *ouile Christi præpositos, & filios, & mercenarios. Præpositi autem qui filij sunt, pastores sunt. Si pastores sunt, quomodò vnus pastor, nisi quia sunt illi omnes vnius membra Pastoris, cuius sunt oues propriæ ? Nam & ipsi membra sunt ipsius vnius ouis, qui sicut ouis ad immolandum ductus est.* Bonus ergò pastor ex eo potissimùm cognoscitur, quia se Christo conformat, pro eius ouili nulla aduersa reformidans : ita enim

Ioan. 10.

1 Cor. 12.

Ad Colos. 1.

S. Chryso.

Qomodo solus Christus bonus Pastor.

S. Augusti.

Ioa. 21.

Rom. 9.

Exodi 32.

S. Chryso.

A

B

C

D

purâ affectione, pro commisso sibi grege pastor debet esse solicitus, vt vsque ad mortem accedat, tradens animam suam. Hinc profectò pastorum culmen & celsitudo consurgit, teste Regio vate Psal. 46. *Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* At, cur vehementer eleuati, quia videlicet *Dij fortes.* Quod si inquiras, in quo hæc maxima fortitudo consistat. Respondent plurimi, qui citata verba ex Græcis codicibus legunt : *Dij protectores, seu protectiones.* Quasi ea Pastorum Ecclesiæ, atq; etiam Principum sæculi, fortitudo & potentia sit, subditos tutari, eosq; abingruentibus periculis protegere atq; defendere. Quod tacitè insinuare voluit D. Paulus 1. ad Timit. 3. illis verbis. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quomodò bonum opus? Respondet S. Isidorus Pelusiota libro 5. epistolâ 216. Si desiderat arduum ac perdifficile negotium, quod ægrè confici queat. Statimq; Episcopatus labores, sudores, pericula, atq; curas ingentes in hunc modum percenset. *Ad eum enim omnia ea, quibus subditi opus habent, suspensa sunt : quæ tandem ista? eorum, qui diuino cultui consecrati sunt explorationes, esurientium alimoniæ, sitientium pocula, nudorum indumenta; eorum, quibus iniuriæ inferuntur, præsidium; eorum, qui orbitatem lugent, procurationes; viduarum defensio; eorum, qui iniuriam inferunt, vltiones; eorum, qui flagitiosè ac sceleratè imperium gerere conantur, reprehensiones; ægrotorum curationes; eorum, qui obtentationes; offenduntur, correctiones; eorum, qui in vinculis tenentur, solutiones : eorum, qui in calamitatibus versantur, consolationes.* Quasi dicere voluisset D. Paulus : si quis Episcopatum desiderat, labores intueatur, atq; illud spectet, an ferendis illis par esse queat. Pericula conspiciat, (aduersus eum enim armis instruuntur inuisibiles, ac plerumq; etiam visibiles inimici) ac non honorem suum animo perpendat. Mortes contempletur, non delicias : insidias, & curas conspiciat, non in voluptatem animiq; remissionem oculos conijciat. Illud deniq; sciat, quòd si quis ad hunc thronum euehatur, idcirco instituitur, vt legitimè certet; non autem vt citra periculum in luxu, ac delicijs versetur. Talem Pastorem bonum nacta erat olim Polonia nostra D. Adalbertum, qui Christum in cura pastorali imitando, eò vsque procedebat, donec animam poneret pro ouibus. Sed qualem animam posuit, hodiè ostendam.

Si abdita Philosophiæ arcana scrutari voluerimus, tres animas corpus Physicum organicum informantes reperiemus, videlicet, vegetatiuam, quæ plantis, sensitiuam, quæ brutis, & rationalem, quæ hominibus inest. Et licet indubitatum sit ex mente Aristotelis, in homine vnicam tantùm esse animam intellectiuam, nihilominùs certum est, animam rationalem continere eminenter tàm vegetatiuam; quàm sensitiuam, proinde illam etiam ratione suæ vltimæ differentiæ, esse formaliter eminenter vegetatiuam, atq; sensitiuam, eò quòd sit principium & vegetandi, & sentiendi, & intelligendi, quemadmodùm vnus idemq; ignis, est principium & calefaciendi, & illuminandi, & exsiccandi, & liquefaciendi. Quod ingeniosè tetigit Princeps Philosophorum Aristoteles l. 2. de anima tex. 31. affirmans *Vegetatiuum in sensitiuo, & hoc vtrumq; in intellectiuo contineri; quemadmodùm triangulus continetur in quadrangulo.* Atq; hoc fundamento D. Gregorius Nyssenus in lib. de hominis opificio cap. 12. eleganter docet, quòd vna rationalis anima, totum humanum corpus instar musici instrumenti fabricatum connectat, regat, ac moueat, omneq; illius functiones, per diuersa organa & facultates administret, ad eum modum, quo vnus idemq; cytharædus, varietate fidium, diuersos pariter sonos, in vnum concentum edit.

Quis non videt triplicem hanc animam, corpori Physico organico debitam, D. Adalbertum pro ouibus

Psal. 46.

1. Tim. 3.

S Isidorus.

Quid sit Episcopatum desiderare.

Anima corporis Physici triplex.

Anima rationalis continet in se vegetatiuam & sensitiuã.

Aristoteles

Animæ vegetatiuæ tres operationes.

Christi posuisse ? Tres principales operationes attribuunt Philosophi animæ vegetatiuæ, videlicet generatiuam, nutritiuam, augmentatiuam, ex eò fundamento, quia tria hæc in viuente requiruntur. Primò, vt producatur, possitq; etiam producere sibi simile, speciesq; propagare, ad quod necessariò, requiritur vis generatiua. Secundò, vt viuens iam productum acquirat, seu possit acquirere statum quantitatis perfectum, siue molem corporis conuenientem sibi, ad quod vis augmentatiua requiritur. Tertiò, vt viuens seipsum possit conseruare in suo esse, alereque diutiùs, quod fieri non potest sine vi nutritiuâ. D. pariter Adalbertus tres istas potentias animæ proprias, ad propagandum, conseruandum, in debitamq; perfectionem deducendum Christi ouile conuertit. Genitus spiritualiter ex aquâ & Spiritu Sancto, totis viribus in id incubuit, vt quàm plurimos filios sibi in fide sanctâ similes zelosâ suâ prædicatione pareret, partos verbo Euangelij nutriret, nutritos ad eam perfectionem, quam religio sancta Catholica exigit, Deo duce perduceret. Et quoniam optimè nouerat in sensu causali & concomitanter, verum esse illud Aristotelis effatum, generatio vnius, est corruptio alterius, hoc est; quòd vnius gernerationem, concomitetur aut sequatur alterius corruptio, habeantque ista duo quandam secum connexionem, vt exponit Sanctus Thomas, sic inquiens: *Vno corrupto, generatur aliud; & vno genito, aliud corrumpitur, & sic consideratur quidam circulus in generatione & corruptione.* Quod non solùm in naturali generatione, verùm & in spirituali verissimum esse, satis expressit Ionas Propheta, qui typum optimi pastoris & Principis pastorum Christi Domini gerens, sese pro nautarum extremè periclitantium, eorumq; qui in naui vehebantur salute, mari, fluctibus, ac certissimæ morti addicens, clamabat ad Dominum. *Domine tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors, quàm vita.* Ionæ 1. Quid ais Propheta Domini ? vtiq; vitâ nihil est carius in vita, quomodò ergo quasi iniurius in teipsum pronuntias, meliorem tibi esse mortem, quàm vitam ? Ne miremini: quia Ionas typum gessit Christi, communis omnium parentis & pastoris, proindè ostendere voluit, quòd sicut homini priuato, melior est vita, quàm mors, magisq; illi expedit seipsum, quàm alium quempiam à vitæ discrimine præseruare; ita Principi atque Prælato, melior & viuacior est pro subditorũ incolumitate mors, quàm vita, magisq; illi conuenit, illorum potiùs, quàm suæ saluti consulere. Vnde Christus Dñus dicebat Ioan. 16. *Expedit vobis vt ego vadam*, hoc est; immolari pro vobis in cruce, vt diuinus Spiritus mali Pontificis ore edocuit: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* Ioan. 11. Palam ostendens, nusquàm ad æternam illam beatitudinem, tot filios fuisse progignendos, qui salutem consequerentur, nisi mors Christi præcessisset, vt egregiè innuit Sanctus Maximus homil. 1. de Paschate. *Nisi*, inquit, *Ionas pessundetur, naufragæ nauis periculum non sedatur, sic non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte saluetur.*

Principi melior est mors, quã vita.

Ioan. 16.

Ibidem. 11

S. Maximꝰ

Hæc est summa perfectio pastoris Ecclesiæ, de suo sanguine nouos Christo generare filios, ad quam perfectionem summoperè Christus, in personâ suorum Apostolorum, futuros Ecclesiæ pastores exhortabatur. Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Vbi non de quacunq; dilectione Christus locutus est, sed de eâ, quæ inter omnes diligendi modos maior & eminentior est. Scrutemini obsecro altiùs illa verba, *sicut dilexi vos*, quid sibi volunt, & perpenditè, quomodò etiam nos Christus dilexit; & facilè deprehendetis, quòd magis, ampliùs, intensiùs nos dilexerit, quàm seipsum. Cùm enim in forma Dei esset, factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis,

Ioan. 15.

S. Thomas

Ionæ 2.

cis. Cùm esset diues, factus est pauper, vt illius inopiâ nos diuites essemus. Hinc S. Cyrillus Alexandrinus verba illa, *vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, aureo prorsùs orationis decursu ita explicat. *Vides nouum & inauditum dilectionis modum? lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut seipsum; Christus autem magis nos, quàm seipsum amauit.* Ad hanc Christi perfectionem, D. Adalbertus sese omni modo conformabat, ipsi mortis discrimini pro salute aliorum libenter se offerens: Quia probè sciebat, maiorem charitatem neminem habere, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et ecce quemadmodùm de Christi sanguine in crucis altari crudeliter effuso, progenita est Ecclesia sancta; ita de effuso Diui Adalberti sanguine, Polonia nostra antea superstitioni dedita, renata est feliciter in gratia Dei, enutrita reuelatis, & ad salutem æternam maximè necessarijs cœlestibus mysterijs, atq; ita stabilita est, vt in fide ac religione sanctâ ampliùs nutare nesciat.

Cyrillus Alexandr.

In sanguine D Adalberti Polonia renata est.

Animæ verò sensitiuæ, duplices potentias tribuunt Naturalistæ, alias cognoscitiuas, quæ vocantur sensus tàm externi, quàm interni: alias appetitiuas, cuiusmodi sunt appetitus sensitiui. Has vtrasq; potentias, homini Catholico necessarias esse, sufficienter docuit Christus. Matt. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sensum quippè esse potentiam merè passiuam ad sua obiecta, à quibus patitur, recipiendo ab eis species sensitiuas, seu intentionales, concorditer omnes docent. Hominis pariter obiectum cùm non aliud sit, nisi Deus, in hac vita solùm per speciem & ænigmata; quia per fidem, quæ in obscuritate fundatur, cognitus; in patria verò clarè & intuitiuè videndus, Christus tanquàm Deus incarnatus, vt istius obiecti amorem & desiderium in homine excitaret, semetipsum illi sequendum proposuit: *Sequere me.* Cùm autem teste D. Augustino, nihil sit volitum, nisi cognitum: ignoti enim nulla cupido, ideò se homini arctissimo modo per vnionem hypostaticam communicauit, vt eum homo iam plenè cognitum toto desiderio appetat, & sequatur. Ne tamen aliter in assecutionem, & possessionem huius obiecti deueniret, nisi per passiones, sudores, & sanguinis profusionem, crucem ei proposuit: *abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Et meritò equidem: qui enim volunt Christum comitari regnantem, crucifixum sequantur, necesse est, cùm & ipse ad regnum, non nisi per crucem iuerit, vt eleganter in citatum scripturæ locum discurrit Sanctus Chrysosth. hom. 28. in Epistolâ ad Hebræos. *Discipulus es, magistrum imitare, hoc quippè est discipuli; si verò ipse quidem per tribulationes perrexit; tu autem per requiem vis ire, non eandem viam vis pergere, quàm ille perrexit, sed aliam. Quomodò ergo sequeris, non sequens? Quomodò eris discipulus, Magistri non sectans vestigia?* Quod comprobat D. Bernardus Serm. 21. in Cantica ita loquens: *Quàm pauci post te, ô Domine Iesu, ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dexterâ tuâ vsq; in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita, & imitari; conregnare cupiunt, sed non compati.*

S. Chrysos.

S. Bernard.

Potentiæ animæ sensitiuæ duplices.

Matt. 16.

Et reuera, quòd ad regnum Christi nemo peruenire queat, nisi per dolores, & passiones, documentum sole clarius in ipso Saluatore nostro habemus. Quo pronuntiante; *quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Cùm ei Petrus diceret: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc:* Statim Christus indignatus, acriter eum reprehendit: *Vade*, inquit, *post me Satana, scandalum es mihi.* Matt. 16. Quasi diceret: ita tibi laborum displicet tolerantia, vt sine tribulationum pugnâ, superna gaudia occupare possidereque velis, & me etiam à passione & morte, à qua totius

Matt. 16.

mundi salus dependet, deterrere cupias, quo tu incolumis & saluus ad cœleste regnum pertingas. Abi ergo post me, mea sequere vestigia, neq; tibi gloriam sine passione & cruce promittere audeas. Deus bone! quantoperè hæc admonitio Christi permouit Apostoli pectus: quàm firmiter, quàm constanter subinde Christo adhæsit, qui quò meliùs morientem Christum sequeretur in cœlum, crucem resupinus ascendit, teste Chrysologo Serm. 27. Necdùm satis, sed etiam omnes fideles ad tollendam Christi crucem hortatur. 1. Petri 4. *Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* 1. Petri 4. Vbi D. Petrus alludere voluit ad illam Christi cogitationem, de qua D. Paulus protulit. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Quasi diceret: si illa, in assumptâ humanitate latens immensa maiestas, tot opprobria, tot contumelias, tot illusiones pro nostra salute sustinuit, quomodò nos leuissima quæq; pro nomine eius pati erubescimus: cùm ij tantummodò de sua salute sapienter cogitent, qui ad Christi exemplum se componunt; qui verò labores fugiunt, à Christi cogitatione procul abeant, & omninò desipiant. Vt egregiè ad rem præsentem S. Cyrillus Ierosolymitanus suum sermonem mouet Catechesi 14. *Nesis*, ait, *tantùm pacis tempore Iesu amicus, & belli tempore inimicus. Accipis nunc in remissione peccatorum, & spirituali dono Regis pecunias; quando venerit bellum, pugna strenuè pro Rege tuo Iesu. Pro te crucifixus est, qui nihil peccauerat, & tu pro crucifixo non crucifigeris? Non tu priùs gratiam illi hanc exhibes: prior enim accepisti, sed gratiam illi reddis. Redde illi vsuram, qui propter te in loco sacro Golgotha crucifixus est.*

S. Cyrillus Ierosolimitanus.

Vrgebat quondam, & vehementer vrgebat D. Bernardum hæc ratio, vt Serm. 4. de Resurrectione dicere non vereretur: *sunt quibus nondùm passus est Christus.* At, quomodò obsecro hoc subsistere potest? cùm Christus pro omnibus passus fuerit.

S. Bernard.

A Respondet idem Sanctus Doctor, illis nondùm Christum esse passum, qui sine laboribus gloriam cœlestem assequi volunt: *Qui*, ait, *labores fugiunt, & mortem metuunt vsq; adhuc, quasi verò ille, & labores sustinendo, & mortem moriendo non vicerit.* Tales enim non secùs faciunt, quàm si Christus nondùm mortem sustinuisset. Cùm non aliter crucem recusent, & salui ac incolumes, nullâ defatigatione aut labore suscepto, velint peruenire ad regnum, acsi egregium pa- B tientiæ Christi exemplar non haberent. Cùm tamen nos Christus ad suæ passionis imitationem, omnibus modis allicere studeat, iuxta doctrinam Apostoli 1. Petri 1. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* In quibus verbis duo nobis inculcat Apostolus. Primum, ita nobis hanc Christi crucifixi imitationem esse necessariam, vt inde nostræ prædestinationis atq; glorificationis argumenta desumenda sint, quòd conformes C simus imagini Filij Dei. Alterum, vt ex tot tantisq; patientiæ, & fortitudinis exemplis, quæ Christus patiens nobis præbuit, nihil omninò prætermittamus, imò potiùs totis viribus imitari conemur. Quàm plurimos spectauit D. Adalbertus, qui velut illis Christus nondùm passus esset, facilè in via salutis desistebant. Vidit discolos Pragenses, sanguine innocenti manus suas frequenter polluentes. Vidit in omnem libidinem effusos Prussiæ incolas, qui cùm D Spiritu Christi ministerium incepissent, à sensualitate postmodùm abrepti, ob carnis illecebras, siue nænias, à præscripto virtutis & veritatis citò deflectebant. Et quoniam animæ rationalis præcipua operatio est intellectio, apprimè cognoscens, eos certum sibi æternæ damnationis accersere periculum, velut puerilis ingenij & conditionis homines, eos arguebat, illâ Diui Pauli doctrinâ: *O insensati, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus,*

Idem quò supra.

1. Petri 1.

Ad Gal. 3.

fixus, Galat. 3. Quem locum Syriaca lectio ita effert: *Quis vos fascinauit? ecce coram vobis, quasi pingendus depictus fuerat Iesus Christus crucifixus.* Cuius statim rationem subdit Apostolus inquiens: *Sic stulti estis, vt cùm spiritu* Ibidem, *caperitis, nunc carne consummemini.* Ac si diceret: Quæ vobis spes salutis supereſt, qui tàm citò à fide sanctâ, & religione nuper inchoatâ recessistis, nec Christi crucifixi imaginem in vobis semipictam perficere curastis; sed ad carnis delicias oculos potiùs conuertistis?

Non hæc est Christi cogitatio, quâ armatos vos esse oportet: ita enim Christus Dominus redemptionem nostram perfecit, vt crucis atq; passionis ipsius imitatio nobis remaneat. vt præclarè S. Gregor. lib. 4. in lib. Regum super illa Samuelis verba ad Saulem 1. Reg 9. *Ecce quod re-* 1. Reg. 9. *manſit, pone ante te, quia de industriâ seruatum est tibi.* in hunc modum excurrit: S. Gregor. *Remansit quidem, quia non omnia nostra Christus expleuit: per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur.* Hoc profectò residuum, quod deest Christi passioni, nobis adimplendum remansit, vt per crucem, tribulationes, & labores, Christi vestigia sequamur, dicente Apostolo: *Si compatimur & conregnabimus.* Quasi diceret Apostolus: quod expleuit Christus, non valet, nisi tu quoq; illud, quod remansit, adimpleas. Ad quod non inerudite alluſit Origenes homil. 13. in Geneſim illa verba Gen. 17. *Erit* Gen 17. *pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*, ita ad modernum propositum accommodans. *Quid enim mihi* Origenes. *prodest, si in illa tantùm carne, quam de Maria susceperit, dicam venisse Christum, & non ostendam etiam in hac mea carne, quòd venerit. Ostendo autem, si potuero dicere secundùm Paulum, quia Christo conerucifixus sum; viuo autem iam non ego, viuit verò Christus in me.* Sed quemadmodum insanabili morbo, frustra adhibetur medicina; ita incorrigibili malitiæ hominum, nullum remedium proficit. Videns ergo pijssimus pastor D. Adalbertus, quòd suâ doctrinâ, & salutari admonitione, in illo barbaro populo nihil proficeret, Christum pro salute peccatorum mundi patientem imitatur. Mysterium altaris celebrat, vt facilius veniam delinquentibus impetret; quemadmodùm Christus in sacro crucis altari, seipsum cruentum sacrificium Patri offerens, veniam toti mundo impetrauit, illis verbis: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Sed ab ingrata & barbara gente cæditur toto corpore, cruentatur, & in frusta discinditur, vt Christum toto corpore flagellatum repræsentaret, dicereq; posset, stigmata Domini mei Iesv Christi, in corpore meo porto.

Indubitatum est, omnia Christi supplicia atq; tormenta, ad labores & quosuis cruciatus patienter & alacriter perferendos, mouere vnumquemq; fidelium. Sed spineam eius coronam, magis nos pungere, acrioreſq; infigere stimulos, omninò fateri debemus. Cur enim sacrum illud caput potiùs, quam alia corporis pars, spinis coronatum, & laceratum fuerat? nisi, vt dùm huius capitis membra nos agnoscimus, spinas potiùs, quàm flores, legendos nobis esse sciamus. Qua de re pulchrè Tertull. lib. de corona militum cap. 14. *Christus*, inquit, *Iesus quale* Tertullia. *oro te, sertum pro vtroq; sexu subijt? ex spinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis. Certè præter figuram contumelia in promptu est, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa sauitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt, & lancinauerunt.* Moxq; seriò & grauiter subdit: *Si ob hæc caput ei tuum debes, tale si potes, ei tuum repende, quale suum pro tuo obtulit.* Quasi diceret: debes, & strictissimo iure debes caput tuum spinis coronare, vt & huius capitis membrum fias, & oblato pro te spinis capiti, iustam retributionẽ rependas. Quid censetis de D. Adalberto? spineâ ille Christi capitis coronâ permotus, vt Chri-

Spinea Christi corona maxime ad patientiam mouet.

vt Christo similis euaderet, in capite maximum opprobrium pati voluit, dùm caput eius palo affixum, in ludibrium omnibus prętereuntibus exponeretur. Noluit pijssimus Martyr, laureâ, aut myrto, aut oleâ, & illustri quaq; fronde, & quod magis vsui est, centenarijs rosis ex horto Midæ lectis, & vtrisque lilijs, & omnibus violis, imò neq; gemmis, aut auro coronari; sed palo in capite transfigi, vt illam Christi coronam æmularetur, quæ postea ei obuenit, quia & fauos post fella gustauit, nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est; quàm Rex Iudæorum proscriptus in crucem. En quàm verè animam suam physicè spectatam posuit pro ouibus Christi, qui non tantùm sudoribus & laboribus, sed etiam sanguine proprio de omnibus membris effuso, Christi Ecclesiam, & vniuersam Poloniam maximè condecorauit.

r Caput S. Adalberti cur palo transfixũ.

Quod si Politicorum monita consuluerimus, & isti tres pariter animas, corpus Politicum informantes statuunt, diuitias, honorem, vitam: & istas omnes animas S. Adalbertus posuit pro ouibus Christi. Quippè assumptus in Episcopatum Pragensem, omnes suos prouentus quadrifariam diuisit: vnam pro sustentandis Sacerdotibus atque clericis, alteram pro sublcuatione pauperum, tertiã pro fabricâ Ecclesiæ, & captiuis redimendis: quartã deniq; partem pro suo vsu. De electione dubius populus Aaronis, an à Deo, an ab homine; an iussu electus diuino, an verò à passione humanâ, signum hoc diuinæ electionis à Deo accepit, nimirum virgæ germinationem: ita, vt cuius virga germinasset, ille verè à Deo electus; cuius verò nullum producens florem, non secus atque antea sicca steriliq; permaneret, repudiatus haberetur. Num. 17. *Quem ex his elegero, germinabit virga eius.* Cumque Moyses posuissct virgas omnium Principum in tabernaculo fœderis coram testimonio, sequenti die regressus, *inuenit virgam germinasse*

Corporis politici tres animæ, nimirum diuitiæ, honor, vita.

S. Adalbertus totum suum prouentum in quatuor partes diuisit.

Signum electionis Aaronicæ fuit virga germinans.

Num. 17.

A *Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperunt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Quid mysterij? vt ad diuinæ electionis signum, requisierit Deus, non solùm virgam germinantem, sed etiam flores & fructus producentem. Rupertus censet Deum, allegoricè per illam virgam germinantem, designare voluisse mansuetudinem, Pastori Ecclesiæ summè necessariam: vt hinc addiscant pastores, persæpè plus ipsos virgâ proficere florente, quàm B siccâ; plus fructus producente, quàm sterili; plus mansuetudine, quàm rigore. Quia vt obseruat S. Ambrosius lib. 3. Epistolâ 25. Episcopi officium est mederi; homo autem mansuetus cordis est medicus: *In Episcopi petitione*, ait, *abesse debet malignitas, in quo vita formatur omnium, vt placido ac pacifico iudicio præferatur vir omnibus, qui eligatur ex omnibus, & qui medeatur omnibus: etenim mansuetus homo, cordis medicus est.* Sed meliùs ad meum propositum Origenes hom. 9. C in Numer. per virgam florentem, frondescentem, ac fructus afferentem, intelligit hominem, qui per gradus incedens, primò germinat Christum confitens; deinde frondescit ex gratiæ donis, postea per pulcherrima exempla gignit flores, ex quibus odores exhalant; ac tandem producit fructus, quibus se & alios alit. *Est ergò*, ait, *primum germen, prima hominis in Christo confessio: Secundò frondescit, vbi renatus donum gratiæ Dei ex Spiritus Sancti purificatione susceptt, & D morum suauitate decorari, ac fragrantiam misericordiæ & benignitatis effundere; ad vltimum quoq; affert etiam fructus iustitiæ, quibus non solùm ipse viuat; sed & alijs præbeat vitam; cùm enim ad perfectum venerit, & protulerit ex se verbum fidei, verbum scientiæ Dei, & alios lucrifecerit, hoc est, attulisse fructus, quibus alij nutriantur.*

Pastores plus mansuetudine quam seueritate proficiunt.

S. Ambro.

Origenes.

Egregiè sanè, electum à Deo extitisse Aaronem, & non ab humano affectu, euidens signum ostendit Deus, dùm non permitteret virgam eius aridam permanere, siccamq; sed fron-

frondes, flores, & fructus producentem, hoc est; opera sancta, quibus & se, & proximum lucrifaceret, qualia & fecit & gessit Aaron, vt præclarè innuit D. Ambro: lib. 3. Epist. 25. Aaronem dignum appellans virum, quem omnes Prælati & Sacerdotes sequerentur. *Dignus*, inquit, *planè vir, qui sequendus proponatur omnibus, nam cum dira mors propter contumaces in plebem sæuierit, medium se inter viuentes, morientesq; obiecit, vt mors si staret, ne plures perirent; verè vir mentis, & animi sacerdotalis, qui se pro Dei grege, quasi pastor bonus pio obijceret affectu.* S. Ambro. Itaq; infregit aculeum mortis, impetum terruit, transitum negauit, pietas meritum ademit, quia pro ipsis se obtulit, qui resistebant. En, quales fructus germinans Aaronis virga producebat, sed non minores virga D. Adalberti, florebat hæc semper, quia tales fructus producebat, quos non sibi reseruaret, sed inter commissas sibi oues distribueret. Tales profectò debent esse, qui à Deo eliguntur, Principes superioresq; omnes, siue seculares sint, siue Ecclesiastici: imò hi præcipuè: tum quia specialiùs à Deo eliguntur, tum quia ob altissimum finem, vtpote animarum salutem, ad quem obtinendum, non quælibet, sed altissima requiritur sanctitas, & ideò subditorum potiùs, quàm suæ saluti consulere debent. Sic Alexandro sapienter olim ingerebat Demosthenes, inquiens: *Nihil in fortuna tua minus habes, quàm vt possis; nihil melius, quàm vt seruare & benefacere velis.* Demosth. Pulcherrimè magnitudinis fastigium, ad benefaciendi & saluandi potentiam; summam verò bonitatis, & excellentis genij, ad voluntatem ferendi subditis opem, ac leuamen reuocans. Quasi apertiùs dicere voluisset: ne tibi ô Magne Alexander, de imperio, cuius termini non alij, quàm mundi sunt, blandiaris; cùm multò maius ac excellentius sit, subditis benefacere ac opem ferre.

Sed video iam his temporibus, raros eiusmodi Principes & Prælatos, qui maiorem de suis subditis, quàm de seipsis curam habeant, vt docet Diuus Bernardus Serm. 77. inquiens: *Pauci admodùm sunt, qui non quæ sua sunt, quærant, ex omnibus charis eius.* S. Bernard. Quod ipsemet Dominus dolenter querulatur Isaiæ 23. de Pastoribus & Principibus loquens: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones*, Isaiæ 23. hoc est, se suaq; curant, non quæ ad alios spectant. Quod licet in priuatis hominibus non tantoperè indecorum videatur esse; in Principibus ramen, & magnis viris, qui publico bono nascuntur, omninò intolerabile censetur. Quia teste S. Bernardo supra citato: Non possunt pariter diligere Christum, qui manus dederunt mammonæ. Addam amplius, ex hac miserâ superiorum auaritiâ, non modò subditis, sed ipsis etiã Principibus, certissima interdum euenit ruina. Sic de Babyloniorum idolis pronuntiat Isaias cap. 46. *Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulachra eorum bestijs, & iumentis, onera vestra graui pondere vsq; ad lassitudinem contabuerunt, & contrita sunt simul, non potuerunt saluare portantem, & anima eorum in captiuitatem ibit.* Ibidem. 46 Vbi Propheta Domini idolorum casum atq; confractionem, refert in solam Principum Babyloniorum auaritiam, quòd nimirum simulachra ipsorum magna auri & argenti vi constarent, totumq; id pondus, ceruicibus afflictorum hominum illa portantium; nulla inter oneris & portantis vires seruata proportione, & æqualitate incumberet. Et ideò dicitur, *facta sunt simulachra eorum bestijs & iumentis*, id est; non humanis humeris, sed bestiarum dorsis æqualia. Per hoc adumbrare volens eos Principes, atq; Prælatos, qui infirmorum onera nolunt sustinere, sed sibi ipsis suæq; magnitudini & comoditati omninò prospicere, nihil de illa remittentes, vt subditos leuent, quod tamen in ipsos recidit, quoniam vis consilij expers mole sua ruit. Non talis erat Diuus Adalbertus, qui non solùm oues sibi commissas in nulla re aggrauauit;

sed etiam quidquid proprium habuit, in pauperes conuertit, spreuit diuitias, contempsit honores, dùm in monasterio S. Benedicti Romæ, non vt Episcopus, sed vt infimæ sortis homo, omnia onera prompto animo obiret.

De Domino Saluatore nostro legimus, quòd postquàm in cruce sancta expirasset, grauiter in latere dextro vulneratus fuerit. Ioan. 19. *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit.* vt illa graui suâ vulneratione, pacem Ecclesiæ Sanctæ compararet. *Primum ictum sustinere voluit, vt minus laderetur Ecclesia* Ioan. 19. Diui pariter Adalberti caput absciſſum, & palo transfixum fuit, vt eleuatum à terra, omnia pericula prospiceret, atq; propulsaret à populo fideli. Confugite igitur sub eius patrocinium, vt qui in tantum Christi ouiculas dilexit, vt pro illis vitam, diuitias, & honores ponere non recusauerit, nobis quoque vitam æternam impetrare velit.

EODEM DIE
CONCIO SEPTIMA.

Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.

Vnde D. Adalberti corpus post mortem habuit, quòd perrexiguum ponderaret in statera positum, aperitur.

LEgimus in Euangelio S Matthæi' cùm introisset IESVS Capharnaũ, quòd Centurio cohortis Romanæ, seruorum solicitudine aspectabilis, habens militem graui & periculoso morbo correptum, ad cœlestem medicum Christum IESVM accesserit, submisè rogans, vt afflictum ægrotum pristinæ sanitati restitueret. *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, ac dicens: Domine puer meus iacet in domo paraliticus, & malè torquetur.* Matt. 8. Matt. 8. Res sanè rara, & omni admiratione digna: Licet enim Deus terrenis Dominis præcipiat, vt seruos suos benignè tractent, cum illisq; clementer viuant, Eccleſiast. 33. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem tuum sic eum tracta, quoniam in sanguine anima comparasti illum.* Eccl. 33. Ex eo puto fundamento: quia serui non sunt mancipia: ex ijsdem quippè nobiscum seminibus, ortum trahunt, eodem fruuntur cœlo, æq; spirant, æq; viuunt, æq; moriuntur. Serui quidem sunt; sed tamen homines: serui sunt, sed contubernales: serui sunt, sed humiles amici: serui sunt, sed simul conserui. Pauci tamen admodùm sunt Domini, qui seruorum ægrotantium curam habeant; plures qui eos domo eijciant, & dùm sani ad nutum Domini iussa exequuntur, omnem in eos austeritatem exerceant. Quod illis exprobrat Siracides Ecclesiast. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subditos tibi.* Ibidem 4. Vbi per leonem, horrendam, ferocem, solo rugitu montes concutientem belluam, quemlibet patremfamilias iracundè domum suam administrantem, intelligit Carthusianus. Sunt enim quidam, qui domi quidquid audiant, quidquid loquantur, faciant irati. Ex Aristotele 2. de animalibus refert Holcot lect. 55. in Ecclesiasticum, quoddam animal reperiri, quod fel habet in aure, & sub lingua vermem. Tales sunt iracundi Domini, qui fellea auriũ amaritie omnia excipiunt, & acerbâ morsicatione domesticos abrodunt, abrosuq; inquietant, & euertunt. Itaq; non bonus domi Herus familiam inquietat, domesticos euertit, seruos opprimit, plerumq; non seruorum merito, sed insano phantasiæ suæ commento, & cognato propriæ imaginationis præstigio, quo omnia sinistrè interpretatur: quia fel habet in aure, & sub lingua vermem. Vnde domesticos inquietat, & ingenij sui spinositate lacerat, atq; cruentat, etsi nulla suppetat indignationis occasio. *Vt enim Echinus* (inquit S. Chrysosthomus) *in spinis ingreditur, quòd spinas secum circumferat; ita quibusdam in omni negotio acerbitas*

Animal quoddam fel in aure & vermem sub lingua habet.

S. Chryso.

bitas est; propterea quòd animo secum af- A *ferat asperitatem, etiamsi res ipsa nihil afferat incommodi.* Non sic mundi heros erudit S. Paulus ad Colossen. 4.

Colloss. 4. *Domini, quod iustum est & æquum, seruis præstate, scientes quòd & vos Dominum habeatis in cœlo.* Discite beneficentiam humaniorem in seruos, discite pietatis magisterium è Scholâ Centurionis, qui tametsi fide extraneus; ad Christum tamen fidenter accurrens, curam erga seruos primus dedicauit, inquiens: *Domine puer meus iacet.* Quid agis bone Centurio, B adeò solicitam serui tui curam gerens? Si Christum Dominum appellas, quomodò puerum tuum esse dicis? nam eo ipso, quòd Christus Dominus sit tuus, necessariò sequitur, & pueri Dominum esse. Quidquid enim seruus habet, Domini est. Respondet acutè Chrysologus Ser. 15. in persona centurionis: *Meum dico, quia iacet, si tuus esset Domine, non iaceret.* Iacent certè serui hominum,

Psal. 59. *quia vana salus hominum.* Ps. 59. Stant verò serui Dei, quia in eo faciunt C virtutem, & in eo sicut palmites in vite manent. Cur autem tanta solicitudine circa seruum laborauerit Centurio, causam tacitè innuit Sacrum Euangelium, illis verbis: *puer meus.* quòd nimirum iste seruus fuerit bonus, fidelis, & valdè vtilis Centurioni; bonus autem seruus auro æstimandus est, & velut anima propria diligendus, iuxta illud Eccl. 33.

Eccl. 33. *Si est tibi seruus fidelis, tracta eum sicut teipsum: quoniam in sanguine animæ comparasti illum.* Profectò enim animæ D sanguinem, quo vita fouenda erat, euacuat, & sibi incrementa inuidet, atq; detrimenta subornat, qui seruum bonum, aut negligit, aut contemnit. Si ergo homines prudentes, tanti æstimant bonos seruos, quid dicemus de Saluatore nostro, qui ex nimio amore, animam pro ouibus suis posuit. Fudit inappretiabilem suum sanguinem pro nobis: quia nihil in conspectu eius, pretiosius homine. Pretiosa anima: quia est templum & habitaculum Spiritus Sancti. Pretiosum corpus: quia Dei Filio arctissimè copulatum, pretiosa omnia eius membra, quia in reliquijs Sanctorum à populo fideli, debita veneratione honorantur: imò pretiosi & ipsimet capilli, quia numerus illorum apud Deum manet: *Capilli capitis tui numerati sunt.* Luc. 12. Luc. 12. Fidelem itaque Dei seruum D. Adalbertum vobis producam, & quam pretiosum eius corpus, post mortem apud Deum habeatur, ostendam.

Præcipuam in glorioſis beatorum corporibus dotem, agnoscunt Theologi agilitatem, quæ consistit in quadam facultate, ad motum localem expeditè, velociter, ac facilè exercendum, docentque habituros beatos summam quandam facilitatem in hoc motu exercendo. Porrò hæc facilitas, in duobus consistit: primò, quia beati, nullum laborem vel lassitudinem sentient, vnde fiet, vt quamdiu voluerint, possint in hoc motu durare. Quod apertè indicat scriptura illis verbis Isaiæ 40. *Current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient;* hoc autem prouenit ex impassibilitate, à qua nascitur, vt per huiusmodi motum, nihil alterentur membra corporis, nec relaxentur, nec spiritus dissipentur. Secundò, consistit hæc facilitas in maiori velocitate motus, quæ significatur illis verbis apud Isaiam loco citato: *Mutuabuntur fortitudinem, & assument pennas:* & illis Sapientiæ 3. *Tanquàm scintillæ in arundineto discurrent.* Sanctus igitur Bonauentura distinct. 49. articulo vltimo, q. 2. ad primam. vult istam velocitatem motûs in glorioſis Beatorum corporibus, prouenire ex ablatione resistentiæ, quæ procedit ex grauitate corporis. Et quoniam non videtur auferri posse resistentia, nisi auferatur ipsummet pondus, & grauitas, ideò consequenter asserit S. Bonauentura, auferri à corpore glorioso grauitatem. Ex hoc fundamento facile est deducere, quàm pretiosum factum est corpus D. Adalberti post mortem, siquidem-

Agilitas beatorum in duobus consistit.

Isaiæ 40.

Sapien. 3.

dem aliorum Sanctorum corpora, non nisi post illam vniuersalem in extremo die iudicij resurrectionem, dotes subtilitatis, agilitatis, & incorruptibilitatis accipient; corpus verò D. Adalberti hanc præcipuam dotem, nimirum agilitatem habuit statim post mortem suam. Quod sic ostendo.

S. Adalbertus occisus anno 997.

Relicto pro se in Archiepiscopatu Gnesnensi Gaudentio, D. Adalbertus, peregrinationem iam antea ad Prussos susceptam, prosequi enituit. Vbi dùm religionem Christianam, magnâ cum difficultate, & patientiâ disseminaret, à gente barbarâ & immani, dæmonum ac idolorum sacrificulis, cum Antistite instigantibus, tremenda altaris mysteria peragens, confossus ac interfectus est, die 23. Aprilis anno Christi Nongentesimo nonagesimo septimo: Instirit pijssimus Rex Boleslaus pro redimendo S. Martyris corpore, dilatâ in aliud tempus vltione. Paciscuntur barbari homines tantum auri vel argenti, quantum corporis pondus adæquaret. Sed appensum illud in statera, non sine magnâ omnium admiratione, perexiguum ponderauit: quia diuina virtus pondus & grauitatem ipsi ademerat. Ergo statim ab ipsa morte glorioſum illud corpus, à grauitate fuit liberum. Difficultas tamen est non postrema: quoniam grauitas est naturalis proprietas, necessariò consequens complexionem, & compositionem corporis humani, per quid in corpore D. Adalberti post mortem effectus grauitatis impediri potuit, vt instar rei leuitatem congenitam habentis, vix aliquid ponderaret, duas potissimùm causas tanti miraculi reperio.

Corpus D. Adalberti vnde post mortem leuitatem habuit.

Inprimis arctam mortificationem, quæ tantæ est efficaciæ, vt corpus hoc terrenũ in spirituale conuertat, omnemq; ab eo crassitiem atque pondus penitùs auferat. Sistite vobis ante oculos euidentissimum istius veritatis documentum in D. Paulo. Corpus suum castigabat Paulus in ieiunijs multis, in vigilijs ieiunè inso-

A mnibus, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus & carceribus, & mundi vbiq; penuriâ: corpori illa adnuens, quæ ad vitam proficiant, non quæ licentiam laxent. *Ego*, inquit, *castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* 1. Corint. 9. nonnulli è Græco textu interpretantur. *Quasi mancipium mihi penitùs subijcio;* alij *supprimo, elido, macero, vexo & obculco.* Alij *contundo, & percussionibus liuidum reddo, ac sugillo.* Nihilominùs Paulus, ita pœnalissimâ mortificatione, non B reddidit ad virtutes imbecillam, sed potiùs infirmam carnem, in mortificationis durissimæ officina, in robur inopinatum mirificè reformauit. Quod exponens hunc locum Cassianus, eleganter adnotat. *Vis*, inquit, *audire verum athletam Christi, legitimo agonis iure certantem? Ego igitur*, inquit, *sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi àërem verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficiar.* Intendite animum ad vlteC riora, quæ mox subijcit: *Vides, vt in seipso, id est in carne sua colluctationum summâ, velut in base quadam firmissimâ statuerit, & prouentum pugnæ in solâ castigatione carnis, & in subiectione sui corporis collocârit. Nec in vanum aduersùs eam (id est carnem) ictus continentiæ exercuisse designans, sed triumphum pugnæ, mortificatione sui corporis acquisiuisse.* Ecce tibi caro lutea, fragilis, lubrica, caduca, sic in mortificationis officinâ roboratur, vt spiritualium certaminum ac triumphorum gloD ria, in ea *velut in base firmissimè stet.*

Cassianus.

1. Cor. 9.

Non igitur mortificationis ictus carnem humanam debilitant, quin potiùs tunc malignus spiritus in luto carnis delitescens, cæditur ac verberatur; ipsa verò tanquàm spiritualium trophæorum triumphalis basis præstat erecta, vt palam fatetur idem Doctor gentium 2. Cor. 4. *In omnibus*, inquit, *tribulationibus patimur, sed non angustiamur: deijcimur, sed non perimur. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in nobis.* Sanctus verò Am-

2. Cor. 4.

rò Ambro. vertit, *mortem Domini Iesu in corpore circumferentes.* Super quem locum S. Ansel. ita discurrit: *mortificationem in nostro corpore semper circumferimus, quoniam ad eius imitationem assiduè carnem mortificamus. Quod ideo facimus, vt & vita Iesu, sicut nunc mortificatio, id est, vt gloriosa immortalitas resurrectionis manifestetur, omnibus in corporibus nostris.* O Christi Dei plagas, vulnera, passionem, crucem, mortẽ, quæ nostra nostris in corporib⁹ mortificatio æmulari præsumit? Equidẽ nostra hæc mortificatio; mortificationis autem mortis Christi æmula, Dominicæ resurrectionis viam gloriosam in corporibus nostris manifestat: quia dùm similem mortificationem, aut mortem mortificatus homo præfert, similem etiam resurrectionem auspicatò manifestat, & quòd contumeliosè acerbam mortem refert, immortales resurrectionis glorias feliciter augurat.

S. Ambro.

S. Anzel.

Perpendite, quæ sit ista gloria Christi resurrectionis, quàm per mortificationem in corpore nostro æmulamur, & facilè agnoscetis, esse illas dotes corporibus beatorum in cœlesti gloriâ debitas; nimirum incorruptibilitatem, agilitatem, & subtilitatem: has enim Christus post suam resurrectionem obtinuit. Nam factus est immortalis, & nullis amplius passionibus obnoxius. Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Factus subtilis vt clausis ianuis ad discipulos penetraret, & lapidè nondùm amoto de sepulchro suscitatus resurgeret, vt habetur Ioan. 20. *Cùm fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio eorum.* Palamq; id fatetur S. Iustinus q. 117. ad Gentes. *Quemadmodùm*, inquit, *non mutatione corporis in spiritum Dominus super mare ambulauit, verùm diuinâ potentiâ suâ, mare, quod pedibus calcare nequiret, ad ambulandum commodum & peruium reddidit, ita & suapte potentia è monumento, cui lapis impositus fuit, egressus est, & ad discipulos ianuâ clausâ ingressus.*

Rom. 6.

Ioan. 20.

S. Iustinus.

A *Non enim excitationis eius gratiâ saxi ipsius de monumento facta est reuolutio, sed eorum causâ, qui id erant conspecturi, vt ipsis resurrectio ostenderetur.* Comprobat S. Augustinus Serm. 138. de Tempore. *Quomodò*, inquit, *de sepulchro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus, saluâ virginitate processit.* Et S. Hieronymus Epist. ad Heditiam: *Non putemus*, inquit, *Angelum idcircò venisse, vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti, & reuolueret lapidem; sed postquàm Dominus resurrexit horâ,* B *quâ ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse, quòd factum est, & sepulchrum vacuum reuolutione lapidis.* Has ergo dotes habebunt beati in illa cœlesti patriâ; Sanctus verò Paulus docet, etiam in hac vita illas per mortificationem haberi posse.

S. Augustᵉ.

S. Hieron.

Nam post illas suas graues, & diuturnas mortificationes, D. Paulus sic infert: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, raptum vsq; ad tertium cœlum.* 2. Corint. 2. Quis hîc non obstupescet? ferri siquidem sursùm, corpori humano contra naturam est, cùm eius grauitas suaptè naturâ deorsùm tendat. Et tamen Paulus dùm adhuc in terris esset, iam quasi spiritus versabatur in cœlis. Parum erat, quòd è terris eleuaretur; sed etiam totus in cœlum ferebatur: adeò, vt velut propriè corporis expers, & corporearum passionum exsors, quasi angelizata carne duxerit coloniam in cœlos, nobilis eorum inquilinus. Quî hæc poterant fieri? vt animalis homo cœlos conscenderet? Respondet ipsemet, *in Christo:* quasi diceret, post indutum Christum, quia eius vitam & passionem, per continuas in meo corpore mortificationes æmulatus sum, omnem terrenę crassitiei grauitatem, & pondus deposui, vt facilè cœlos conscendere possem, & mirâ agilitate totum orbem peruadere, etiam ipsis Angelis multò velociùs. Sic censet D. Chrysosth. hom. 2. in eius laudibus: *Angelis quidem sapè diuersarum gentium cura commissa est, sed nullus illorum ita creditum sibi populum gu-*

1. Cor. 12.

S. Chryso.

bernauit, vt Paulus vniuersum gubernauit orbem. Michàëli gens commissa est Iudæorum: Paulo verò terra, ac maria, atq; vniuersa orbis habitatio, ipsumq; desertum, & hoc non ad iniuriam, quod absit Angelorum; sed ostendimus esse possibile illis hominem copulari, iuxtaq; illorum merita consistere.

Nunc iam ad acerbas D. Adalberti mortificationes respicite. Nihil illius seueritate fuit iucundius, nihil iucunditate seuerius: nihil suauitate tristius, nihil tristitiâ suauius. Apparebat pallor in facie, vt cùm continentiam indicaret, non redoleret ostentationem. Sermo parcus, & non nisi doctrinam salutis pronuntians; vulgaris habitus, neglecta mundities, & in culta veste, cultus ipse sine cultu. Ieiunium pro ludo habuit, inediam pro refectione, magis de alendis pauperibus, quàm de mensâ propriâ solicitus. Et cùm eum non vescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret, pane, sale, & aquâ frigidâ concitabat magis esuriem, quàm restinguebat. Locus continuæ orationis, & simul quietis, ac somni parcissimus, nuda humus illi erat. His ergò mortificationibus, promeruit, vt in vita adhuc, gloriam Dominicæ resurrectionis circumferret in suo corpore, statimque post mortem terrenam grauitatem exueret, & ideo corpus eius factum est pretiosum, tàm in oculis Dei; quàm in oculis hominum. Si enim exiguæ quantitatis adamas, suo valore cuncta metalla superat, quid dicemus de Reliquijs Sanctorum Dei, quas Imperatores, Principes, & Reges, omni veneratione colunt, & in suis pectoribus postposito quouis monili gestare cupiunt. Licet ergò corpus S. Adalberti terrenam deposuerit grauitatem, maximæ tamen æstimationis est; quia centrum eius non aliud, nisi cœlum, vna quæq; autem res tantò præstantior, quantò nobilius centrum habet, & ideo positum corpus eius in statera, versùs cœlum tendebat, vt appareret, eius dùm viueret, totam conuersationem in cœlis sitam fuisse.

S. Adalberti mortificationes.

A Alterum inuenio, quod effectum terrenæ grauitatis in corpore D. Adalberti impediuit, nimirum ipsum auditum: in hoc enim fermè nullam, aut satis exiguam grauitatem admittunt Philosophi. Inprimis ex eo, quia obiectum eius adæquatum est sonus; qui est qualitas resultans ex compressione aëris, ob corporum collisionem, diffunditurque per species intentionales, omnis grauitatis expertes, vsq; ad auditum. Deindè, quia sensorium, siue organum immediatum, in quo resident B potentia auditiua, est aër innatus, vbi coniungitur neruis auditorijs. Qui cùm iuxta Philosophos sit substantia tenuissima, & immobilis, inter cauitates aurium contenta, eius tympanulo subiecta, nullam grauitatem causar. Atq; ad hoc respexisse videtur Regius vates, qui de vniuersa hominum naturâ illud protulit: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Psal. 39. LXX. Psal. 39.
verò cum D. Paulo ad Hebr. 10. hæc C verba ita legunt: *Corpus autem adaptasti mihi.* Quod non est alienũ à mente Dauidis, qui etiam illis verbis nihil aliud voluit ostendere, nisi singulis à Deo hominibus, corpus perfectum, animum, sensus, externas, internasq; potentias, fuisse impertita. Hebr. 10.
Cur autem Propheta Domini, hæc omnia aurium solummodò nomine appellauerit? respondent interpretes, id eum fecisse per Synecdochen, partem nimirum pro toto ponendo. Verùm quid est, cur potiùs aurium, D quàm oculorum, linguæ, manus, aut præcipuæ cuiuspiam alterius partis meminit vates? Existimo, vt innueret omnia hominis membra, sensus, potentias, vires, & quidquid in homine est, ad Dei voluntatem explendam, ita paratum expeditumq; & obuium esse debere, quasi totus homo aures sit ad audiendum, & obtemperandum Deo: siue quòd nullus totius hominis, singulorumue eius partium debeat esse vsus, nisi Dei imperio obsecundare, cùm aures seruitutis ac obedientiæ symbolum habeantur.

Quid

Quid de D. Adalberto loquar, totum corpus eius aures erant, quia totus diurnis & nocturnis horis, in diuinis obsequijs excubabat : sic enim de illo legimus : *meridies prandentem, media nox dormientem eum non vidit.* Atrox bellum illud extiterat, quo à Rege Hebræorum septimo Achabo, vera religio lacessebatur In quo non armis, non argumentis; sed pessimis moribus agebatur. Regi quippè ad libidinem effuso, ad impietatem temerario, ad omne vitiorum genus præeunti, imperitum vulgus seruiebat : pudor aberat, aderat impudentia; regnabat iniustitia, innocentia exulabat; grassabantur vitia, virtutes peregrinabantur. Quò existimatis tot scelerum cohortes tendisse ? omnes ad veram fidem, non dico obseruandam, sed expugnandam facto agmine conspirârunt. Ergo vera religio paulatim exolescebat : vnius veri Dei cultus nequiter abiurabatur, belluarum simulachra in Deos consecrabantur, tauri, vituli, Ægyptiorum, Sidoniorumq; idola seu potius portenta palam in luce, in oculis adoranda proponebantur. *Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum. Et posuit Baal in templo, & plantauit lucum, omnemq; populum ad idololatriam induxit.* Videtis quantum vnius Principis licentia ciuium mores profligauit ? videtis quantam fidei iacturam profligati ciuium mores attulerunt ? Ita est Catholici, ita est, facilè nutat fides, ne dicam ruit, vbi mores deprauantur; sed tanto malo à Deo maturè consultum est.

Achabi Regis impietas.

Prodijt è deserto Helias, non lautus, non splendidus, non armatus : cinctu horrido, nudis plantis, aperto capite, promissis crinibus, pallenti ore, sulcatâ fronte, exhaustis viribus, nutante gressu, effæto corpore : *Iuit ergo Elias, vt ostenderet se Achab, erat autem fames vehemens in Samaria.* 3. Reg. 18. Deus immortalis, quæ species belluinæ propior, quàm humanæ ? veri Numinis altaria conuulsa iam, & dissipata iterum instaurauit Helias, altaria Deorum vano ritu excitata demolitus est, ipsos scelerum artifices, ipsos superstitionum architectos, ipsos fidei desertores, assertoresq; perfidiæ, ad vnum omnes perdidit, interemit, extinxit. *Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi.* Non dissimilis certè in D. Adalberto diuini honoris, & sanctæ Religionis zelus effulsit, qui videns eo tempore Prussiam turpi idololatriæ deditam, vt populum illum à vera fide aberrantem Deo lucraretur, Gnesnensem Archiepiscopatum ponte abdicauit, & velut alter Paulus, totum se pro salute eorum deuouens, in illas oras se contulit. Illuc toto impetu ferebatur, illuc omnes cogitationes suas referebat, in hoc totis viribus incumbens, vt Christo quàm plurimos stipendiarios faceret, & emancipatos. Itaq; diuini amoris æstu exardescente, licet ei diuinitùs variæ, terribilesq; pœnarum formæ, horrendaq; & maxima tormentorum genera obijcerentur, quæ visa alterius etiam fortissimi animum frangerent, ipse infractus & constans, incredibili quodam ardore ductus, plura sitiebat, & diuino æstuans afflatu exclamabat: *Non satis est Domine, non satis est.* Cœlestis enim flamma laboribus alebatur, & dura omnia atq; aspera temperabat, dolores, inuidias, & omnes barbaræ gentis persecutiones deuorabat. Eædem pectoris angustiæ, quæ cœli delicias non ceperant; vitæ huius miserias, maximas quasuis acerbissimasq; pœnas capiebant.

1. Reg. 18. Ibidem.

Quod inde processisse opinor, quia Christus Dominus se laborum comitem, D. Adalberto adiunxerat, maioremq; illorum in se partem transtulerat. Quod in diuino illo prodigio factum est palam, visu, audituq; mirabili, quando Christus D. Adalberto incorrigibiles Pragenses deserenti, in somnis apparuit sub illâ formâ, quâ Iudæis aliquando à Iuda venditus erat : quasi verò idem dolor

Christus cum Diuo Adalberto labores diuisit.

lor vtriq; communis esset, partemq; Adalbertus, partem Christus Dominus susciperet, ne alter sine altero pateretur. Vnde factum est, vt intra tremendum Missæ sacrificium martyrij sanguinem fuderit, vt quemadmodùm tunc cum Christo, quem æterno Patri offerebat, coniunctissimus fuit mentis puritate, & omni deuotione; ita & morte ipsâ pro illo susceptâ arctiùs eidē coniungerētur.

Hunc itaque glorioſum Martyrem, nobis imitandum proponamus, eiusq; vestigijs insistendo, dignas Catholico homine virtutes, quas ille viuis in se coloribus expressérat, imitari studeamus: non pudeat nos illum ducem ac Magistrum habere, à quo vniuersa Polonia veram Religionem didicit; vt sic exacto hoc vitæ curriculo, sat exiguo & breui, ad cœlum gradu veluti ex virtutibus facto ascendere valeamus, A.

DIE S. CATHARINÆ SENENSIS,

CONCIO PRIMA.

Orietur stella ex Iacob, & consurget virga Isràél, & percutiet duces Moab. *Numer. 24.*

Quando Deus Regnis zelum Religionis negligentibus obdormit, per vitæ emendationem, & inuocationem Sanctorum suscitari debet.

Sub tempus belli Suetici, Anno 1656.

SVmmum erga nos Dei amorem considerando, duo quodammodò secum pugnantia loca reperio in Sacris literis. Inprimis enim Salomon Prouerb. 16. constanter edicit, Deum sui causâ omnia produxisse: *Vniuersa*, inquit, *propter semetipsum operatus est Dominus.* Prou. 16. Iam verò in Symbolo Fidei refertur, Deum omnia etiam optima in finem hominis ordinasse. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlo, & incarnatus est.* Si itaq; omnia propter seipsum operatus est Dominus, quomodò & propter hominem eadem fecisse dicitur. Resoluit nodum D. Bernardus Serm. 3. Pentecostes. *In eo*, inquit, *quod dicitur, omnia propter se, præueniens commendatur origo; in eo autem quod dicitur propter nos, magis exprimitur fructus sequens.* S. Bernard. *Omnia fecit propter semetipsum: gratuità scilicet bonitate; omnia propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate; vt illa quidem efficiens causa sit, hæc finis.* Quasi diceret; Deus propter semetipsum omnia operatus est, quia motiuum ad hoc & causa impulsiua non fuit alia, præter immensam eius bonitatem: quippe si oculos suos conuertisset ad nostra merita, nusquàm ea produxisset. Amor proinde fuit omnium operum causa efficiens, qui cor Dei flexit, vt vniuersa in solius hominis commodum & vtilitatem ordinasset. Hinc de creatione hominis loquens Scriptura dicit, Gen. 1. *Masculum & fœminam fecit eos.* vt quid? Gen. 1. An, certè sine fœminæ productione defuit omnipotentiæ Dei modus propagandi genus humanum? minimè: Sed & hoc in commodum hominis factum esse recenset Sacra pagina, inquiens:

Motiuum operum Dei ad extra, est eius bonitas.

Ibidem. inquiens: *vt ei sit adiutorium simile.* Fœminam produxit Deus, vt dùm imbellium & effœminatorum virorum defuit robur, suam potentiã per imbelles fœminas mundo ostenderet. Periclitabatur iam extremè Ierosolyma ingenti exercitu Nabuchodonosoris vndiq; circumdata: & ecce dum omnes eius bellatores langueſcerent, nihilq; aliud præter deditionem cogitarent, ſuſcitauit ſpiritum Iudithæ fœminæ ſanctæ, quæ plus in Deo, quàm in humana potentia confiſa, ſic eum precata eſt. Iudith 13. *Fac Domine, vt gladio proprio eius ſuperbia amputetur.* Iudith 13. Moxq; ſui voti compos effecta eſt: Deus enim ſic Holofernis inſolentiam eluſit, vt qui totam Bethuliam vno ſpiritu à ſe diffiandam exiſtimabat, ab vna Bethuliæ fœmina prorsùs imbelli, nec alio, quàm proprio eius gladio armata, iugularetur. Immo tantùm potentiæ ſuæ per iſtam fœminam oſtendit Deus, vt hoſtes non ſolùm eam viraginem, à qua victi fuerant, ſed etiam eam imbellem plebeculam, quæ ſub illius patrocinio tenebatur, formidarent. ſubdit enim Sacra litera. Ibidem. 16. *In omni autem ſpatio vitæ eius, non fuit qui perturbaret Iſraël; & poſt mortem eius annis multis.* Iudith 16. Triumphauit diuina potentia per Reginam Eſther, de Aman crudeli tyranno, dùm effecit, vt è patibulo ſuſpenderetur. Eſther 7. Eſther 7. Triumphauit per optimam fœminam Iahel de Siſara, quem terebrato vtriq; tempore in terra defixit. Iudicum 4. Abimelech Iudex Iſraëlis oppugnabat fortiter oppidum Thebes, ſed de illius ſuperbâ audacia triumphauit diuina potentia per fœminam Thebitem. *Et ecce* (inquit Sacer textus) *vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Iudic. 9. Triumphauit per ſapientem illam fœminam in Abela, de Seba filio Bochri viro Belial, & perduellionis reo, contra ſuum Regem Dauidem tumultuante, quæ eius capite amputato, vrbem ex illius ingreſſu maximè periclitantem liberauit. 2. Reg. 20. Imò, quod magis ſtupendum, dùm prorsùs omne præſidium in rebus humanis deficit, Deus ſuum populum per ſtellas de cœlo tueri ſolet. Iudic. 5. *De cœlo*, inquit, *dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in curſu & ordine ſuo, aduersùs Siſaram pugnauerunt*, ita vt Iſraëlitæ penitus exarmati, de validiſſimis hoſtibus facilè triumpharent victores: quia *vbicunq; ingreſſi ſunt ſine arcu, & ſagitta, & abſq; ſcuto & gladio: Deus eorum pugnauit pro eis & vicit.* O afflicta Patria, hucuſque cælum tibi fuit clauſum! hucuſq; ſtellæ illæ cæleſtes, Sancti tui Patroni, à partibus tuis contra hoſtium potentiam ſtare non poterant, quia grauiſſima tua peccata fuerunt obſtaculo, vt vox vlulantium & gemitus afflictorum, ad maieſtatem Patris miſericordiarũ pertingere non poſſent, donec addiſceres depoſito omni tumore, è cœlo duntaxat omne præſidium ardentiſſimis & humillimis votis requirere. Verùm exoritur tibi hodiè in cælo Diui Dominici nouum ſydus, noua ſtella, B. Catharina Senenſis, quâ mediante, numen infenſum tibi placatum reddere, & de magnis preſſuris iam erigi valeas.

Deus per fœminas mira operatus.

Vaticinium Baalami initio à me propoſitum. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga Iſraël.* explicando Sancti Doctores, in varias ſententias abeunt. Cæterùm inſiſtendo Doctorum Eccleſiæ Authoritati, per ſtellam immenſa Dei miſericordia rectè intelligitur ab Origene hom. 18. in Numer. Per Iacob verò intelligitur Pater æternus à Diuo Auguſtino Sermone 31. de tempore. vbi loquens de ſtella Magis apparente ſic dicit: *Hæc ſtella vanas computationes Aſtrologorum, & diuinationes confudit, cùm ſtellarum adoratoribus, creatorem cœli & terræ adorandum potiùs demonſtrauit.* Cæterùm ego per ſtellas, ſanctos Dei bellè ſignificari arbitror, iuxta illud: *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in conſpectu Dei, & ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Ecquis negabit Beatam Catharinam Senenſem ſtellam eſſe, æterni Patris miſe-

Num. 24.

Origenes.

S. Auguſt.

Per ſtellas intelliguntur Sancti.

misericordiam nobis annuntiantem. Quæ per totum triginta trium annorum spatium in cælo Religiosissimæ D. Dominici familiæ, quò plùs luminis de æterno sole participaret, ita semper per arduas virtutes ascendebat, vt prodigium sanctitatis dici & haberi mereretur. haud ignorans neminem de repente sanctum fieri, iuxta illud Doctoris Angelici opusculo 61. de amore Dei & proximi: *Calent incipientes, feruent proficientes, ardent perfecti.* Ab ineunte statim ætate arctissimum seruans ieiunium, solo pane & herbis victitabat; postmodum solis herbis, demùm per octo annos speciebus duntaxat sacramentalibus, vbi per illum Panem Angelorum, in cælestem & Angelicam puritatem fuit transformata, quò magis ad Christi thalamum, & æterni Regis colloquium idonea euaderet, & tanquàm stella fulgida nocte intempesta præfulgeret.

S. Thomas

Nox Catholici mei, quam stellæ cælestes irradiant, furorem Dei nobis indicat, in quo ceu in nocte Deus obdormire videtur propter grauissima nostra peccata; protinùs verò extrema pernicies succedit, vbi Deus misericordiæ suæ pupillam palpebrâ iræ atque furoris obtegere incipit. Si enim mortuo leoni etiam muscæ insultant, quantò magis etiam viliſſima locusta tempore iræ Dei mundum terrere potest. Vix aliquantùm Deus obdormierat firmato orbe terrarum, & tota molle terrena tribus digitis appensa, & ecce statim à viliſſimo reptilium serpente, omne humanum genus insanabili veneno infectum est, & de paradiso voluptatis eiectum, ne sua maligna febri quâ intus æstuabat, vernantes paradisi rosas inficeret. Sed vt eousq; in balneo laborum homo sudaret, donec cælestis Medicus ad sanandam tàm periculosam contagionem descenderet. Obdormiuit iterum Deus humana carne quasi denso velamine amictus, vix autem ad placidam quietem oculos submisit, delicias vnionis cum filijs hominum ineundo, & ecce subitò in toto orbe ingens confusio exorta est, omniumq; conspiratio facta, ad abolendum nomen Dei. Hinc Deo dormiente regna christiana extremè periclitari agnoscens Regius vates, clamauit ad Dominum: *Exurge Domine quare obdormis.* Psal. 43. Quasi diceret: Sine te Domine ingens vniuersi machina ruere debet; sine tua prouidentia regna desolata manent: sine tua protectione Monarchiæ pereunt; sine tuo patrocinio mortale genus ingentibus vndiq; circumdatur periculis: te oculum auertente consecrata tibi Christianitas, ab infensissimis fidei & sacræ Religionis hostibus iam non solùm furtiuos insultus, & incursiones, sed etiam iugum seruituris intolerabile cogitur sustinere. Quare exurge Domine de somno furoris tui; & cùm tu solus sis protector populi tuo sanguine redempti, exurge in occursum hostium, ne gens tua sancta, populus acquisitionis à gladio hostili pereat, qui tibi in timore & humilitate seruire consueuit.

Psal. 34.

Per noctẽ ira Dei significatur.

An certè in hac moderna calamitate, Deum Patriæ nostræ obdormiuisse quis ignorabit. Eheu! obdormiuit quidem, sed non ad instar hominis, qui post multos labores & diuturnas fatigationes in placidam quietem componitur, etenim cùm sit spiritus immortalis, nulla eget respiratione. Obdormiuit tamen quasi furibundus leo oculis apertis, vt graues excessus, & enormia scelera sui populi circumspiciens, misericordiam atque prouidentiam suam quodammodò illi subtrahat. Vnde quia densissima peccatorum nubes aspectum diuinum à nobis subduxit, non mirum, quòd omnia prorsùs infortunia in vnum congregata, in nostra afflicta Patria sedem suam posuerint. Refert Sacra litera 1. Reg. 4. quòd, dùm Israelitæ absente Arcâ testamenti fortiter cum Philistijm pugnarent, nonnisi quatuor millia eorum cæsa fuerint. Postquàm verò adducta fuisset Arca Dei in castra, mox

Deus propter peccata obdormire solet populo vt leo furibundus.

mox extrema clades subsecuta : nam tunc & castra Israëlitarum direpta sunt, & Arca Dei capta, & quòd grauissimum; amissa prorsùs omni spe resistendi potentiæ hostium, & recuperandi pristinam suam gloriam, subiungit Sacra pagina : *Fugit vnusquisq;*. 1. Reg. 4. Quid est pro Deum immortalem ? absente arca, quamuis periculum aliquod grauissimum ingruebat, licet generosus sanguis aliquantum funderetur; tamen Israëlitæ ne digitum quidem cedebant hosti campo Martio, sed in fossis se defendebant, & recuperatis viribus iterum vincebant : Quodsi aduersa fortuna prædominaretur; tamen more militari armata manu recedebant, non illico in dispersionem acti fugiebant. Præsente autem Arca Domini, quæ illis singulare propugnaculum afferre debuit, turpis fuga & irreparabile damnum subsecutum est. Causam affert Doctissimus Rupertus lib. 3. in Genesim cap. 13. asserens, *Deum tunc in illa arca dormiuisse* : & ideo etiam robustissimum militem Israëlitarum fuisse dilapsum. Rupertus.

Equidem Catholici mei, Arca illa fœderis fuit prototypus sacratissimi Eucharistiæ Sacramenti ; vbi licet plenitudo Dei corporaliter habitat, fessus tamen Deus imprudentis & temerè agentis populi sui delictis, obdormiuit in hoc suo regali palatio, calice iræ & furoris inebriatus, attestante Prophetarum Rege Psal. 77. *Tanquàm dormiens*, inquit, *Dominus, tanquàm potens crapulatus à vino*. Psal. 77. Obdormiuit inquam adeò profundè, vt licèt iam prorsùs agonisare nostra afflicta Patria videatur, corruant thronus & virga Regia, euertantur funditùs Ecclesiæ, abigantur Pastores, vt dispergantur greges, quasi non videns, succurrere tardet. Ecquid oro causæ ? Ergone iam Deus alium induit animum; quàm ante ? vt qui populo suo fideli suam in perpetuum præsentiam, & in omnibus aduersis prouidentiam pollicitus est : *Ego*, inquit, *vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi* ; iam ouile suum deserat ?

A Ergone ille mortis & inferni victor atq; triumphator, qui Ecclesiæ suæ perpetuitatẽ durationis, & aduersùs omnes hostium insultus auxiliatricem suam manum promisit : *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*. iam suum iusiurandum deseret, & Petram Ecclesiæ blasphemantibus calcandam tradet ? minimè : quippè verbum eius æternum & immutabile; sed ideo hæc mala permittit : quia euanuit in cordibus nostris pietas, elanguit feruor ille antiquus, & B zelus Religionis : nam ante actis sæculis pro Fide & Religione, nunc pro stipendijs & præda militamus. Perijt candor & humilitas : nam antea pro aris & focis : nunc pro priuatis solùm comodis bellicum canimus. Sublata est vnitas & recta intentio : nam antea pro communi omnium salute, atq; vitijs extirpandis, publica consilia semper faciebamus ; nunc pro insolentia & fouendis hæresibus, vota in publicum proferimus. Quod spectans indignatus Deus obdormijt ; & C ecce media nocte, scilicet ; illo dormiente, clamor hostium factus est. Sic diuinam dormitionem interpretatur Magnus Augustinus to. 4. lib. 4. de Essentia Dei : *Dormire*, inquit, *dicitur Deus, cùm fides eius inter prospera huius mundi, in quorumdam fidelium corde non vigilat, sed dormit*. S. August. His itaq; obdormit Deus, in quorum cordibus fides Christi mortua est ; nam propter hanc fidelium frigiditatem, frequenter Deus & Ecclesias sanctas, & regna Christiana transfert in ma- D nus barbarorum, ad maiorem impij populi sui confusionem. Et quod maximum : ex tàm profundo somno, non est qui Deum nostrum excitet ad misericordiam. Vacant enim altaria, in quibus per sacratissima sacrificia Dominus expergefieri solet, & omnes (vtpote noctis filij) iniquitatem sectari, virtuti ducunt.

Verùm, ne nos miseranda eaq; vltima clades opprimat, ô frigidi Catholici susceitate tandem aliquando Deum vestrum, mores culpabiles corrigite, & inueteratas viuendi consuetu-

suetudines in mundi illecebris depo-
nite, & ne postmodum vobis dica-
tur, *custos quid de nocte, quomodò vigi-
lasti*, exuite veterem hominem, & in-
duimini Dominum IESVM Christum.
Hunc enim vnicum modum vobis
proponit hodiernum Euangelium.
Matt. 25. *Exite obuiam Christo.* Sed nemo for-
san erit, qui ad ipsum Dei conclaue
accedere, & dormientem eum susci-
tare audeat. Nam & ad tentoria po-
tentissimorum ducum non cuiuis li-
ber aditus patet. Fateor nimis auda-
cem esse, qui dormientem suum Do-
minum excitat de somno. Nihilomi-
nus si vrgentibus negotijs, etiam ad
Regum palatia noctu intromittuntur
aduolantes nuntij; & Deus in magnis
angustijs clamantem hominem ad
suum inaccessum Augustale libenter
admittit inquiens: *Inuoca me in die
tribulationis tuæ, & ego exaudiam te.*
Ideo si nosse auetis, quisnam sit in-
tàm grauissima & vrgenti necessitate
periclitantis Christianitatis, ad Deum
in legatione expediendus, accipite
documentum & oraculum ex sacro
Ibidem. Euangelio Matt. 25. *Prudentes*, in-
quit, *Virgines aptate vestras lampades,
& exite obuiam Christo.* Et quare Sacer
Euangelista non mittit obuiam cæ-
lesti Sponso virum sedatum, cur non
eloquentem oratorem, cur non vi-
rum aliquem fortem? existimo hanc
esse causam: quòd Deus omnia ista
attributa habeat; ibi enim est Pater
plenus dierum; ibi filius incompre-
hensa sapientia; ibi Spiritus Sanctus
bonitas infinita. Et ideo Virgines ex-
pedit, quia in aula Dei sola puritas
locum habet; & sola virginitas tanti
momenti est, vt teste Sancto Bernar-
do, Filium Dei traxerit in terras.

Habemus hodie Virginem Bea-
tam, Catharinam Senensem, quam
Deus adhuc inter mortales degen-
tem legationis munere fungi voluit,
dùm eam sæpius ad sacrùm collo-
quium raperet, vt sic quæ inter pec-
catores viuebat, ijsdem infensum
Deum placatum redderet. Vni Eno-
cho singulare priuilegium à Deo factũ
fuisse refert Scriptura: *Ambulauit*, inquit, *cum Deo, & non apparuit; quia tulit illum Deus.* Quomodò au-
tem id consecutus fuerit. Respon-
det S. Irenæus lib. 4. cap. 3. *Enoch pla-* S. Irenæus.
*cens Deo cùm esset homo, Dei legatione
fungebatur ad Angelos, & translatus est.*
Quasi diceret Sanctus Doctor: Enoch
eleuatus & raptus spiritu à terra, cæ-
los penetrabat ad loquendum cum
Angelis, & per feruentissimam suam
contemplationem, eorum dulcissi-
mo fruendum colloquio, cumque
tàm crebrò eos inuiseret, transtulit
eum Dominus in corpore, & anima
ad paradisum. Idem priuilegium præ-
stitit Deus S. Catharinæ, quam post
varias legationes, quibus perfuncta
fuit ad Angelos, per multiplices ra-
ptus & extases, apparens ei Christus
Dominus, rapuit ad cælos tanquam
alterum Paulum, vt in perpetuum le-
gatione ab hominibus ad Deum fun-
gatur. Hoc Pius II. in Bulla eius Ca-
nonizationis fassus est illis verbis.
Arcana cœlestis aulæ vidit, quæ non licet Pius II.
homini loqui.

Tres in Scriptura sacra & San- Triplex
ctis Patribus reperio claues Paradisi. paradisi
Prima est potestas Petri, iuxta illud clauis.
Christi Domini Matt. 16. *Tibi dabo* Matt. 16.
claues Regni cœlorum. Hæc clauis ma-
ximè per sacrificia cœlum peccato-
ribus clausum aperit, teste Propheta
Isaiæ 30. *In tympanis & citharis, & in* Isaiæ 30.
bellis præcipuis expugnabit eos. ex He-
bræo autem legitur: *in bellis eleuatio-
nis.* hoc est, in sacrificijs, in quibus
res Deo offerendæ eleuantur. Sacri-
ficia ergo Deo oblata, sunt præcipua
bella, quibus Dei hostes atteruntur,
& necessaria ad hoc præsidia à Deo
impetrantur. Vnde D. Ambrosius
in oratione ad Auxentium Epist. 32.
dicit: *Sacerdotis arma, aduersus arma* S. Ambro.
militis esse lachrymas cum precibus. Al-
tera clauis est sanguis Christi, Auctore
D. Hieronymo Epistola 129. ad Dar-
danum: *Sanguis*, inquit, *Christi clau-* S. Hieron.
*uis paradisi est, dicentis ad latronem:
hodie mecum eris in paradiso.* Tertia
clauis est oratio iusti, D. Augustinus
Serm. 226. de tempore. *Oratio iusti* S. Augustꝰ
*clauis est cœli, ascendit precatio, & de-
scendit*

scendit Dei miseratio. Sic tribus annis occlusum cælum, iusti Heliæ oratio reserauit, vt docet S. Chrysostho. Serm. 2. *Clauis*, inquit, *cœli fit clauis Heliæ sanctissimi: iubet enim & claditur cœlum; orat postmodùm, & aperitur, vt Sanctorum meritum monstraretur non solùm in terris posse quod voluit, sed & in cælestibus posse impetrare quodcunq; petierit.* Quamdiu hac triplici claue gloriabaris Ciuitas fortium Cracouia, tamdiu nihil aduersi tibi accidere potuit. Quamdiu sola Religio Christi in Petro fundata, & inappretabili Christi sanguine radicata vigebat in tuis visceribus, hucusq; gladius hostilis ad te appropinquare non potuit. At verò postquàm duplici claue exarmata es: scilicet; claue Petri, dùm ad consortium tuum hæreses, & multifarias Christi nomen blasphemantium sectas admisisti; & claue Christi sanguinis, cùm in expulsionem Religiosorum, aliorumq; Sacerdotum consensisti: quid amplius è cælo præsidij sperare potes? Quippè nullum firmius præsidium vrbi, aut regno esse potest, quàm Sacerdotium. vt eruditè Petrus Damianus lib. 7. Epistolarum, Epistola 3. ad Regem Henricum scribit. *Sacerdotium*, inquit, *regni tuitione protegitur, & regnum Sacerdotalis officij dignitate fulcitur. Rex enim præcingitur gladio, vt hostibus Ecclesiæ munitus occurrat, Sacerdos orationum vacat exercitijs, vt Regi cum populo Deum placabilem reddat.* Ac tandem concludit. *Regnum arma arripiat, vt stet Sacerdotium; sacerdotium oret, vt exaltetur imperium.* Imò & tertia claue iam magna ex parte spoliata es; dùm sub pallio simulatæ iustitiæ, Iudæ Iscariotis proditionem foues. Ideo in tàm grauissimis casibus vnicum tibi restat cœlitùs patrocinium, scilicet; Sanctorum inuocatio. vt docet S. Chrysosthomus hom. 53. in Acta. *Vbi pedes*, inquit, *Sanctorum ingrediuntur, nihil erit, quod tristet.*

S. Chryso.

Petrus Damianus.

S. Chryso

Cæterùm, adest hodierna Virgo B. Câtharina Senensis, quæ nobis cælum hucusq; clausum aperiet, & dormientem Deum susceitabit, & ad patrocinandum sua intercessione flectet: Quod ex duabus firmissimis rationibus conijcio, Inprimis; quia ille est efficacissimus exorator apud Deum, qui vnum cor cum illo habet. Eccl. 1. *Fili ne accesseris ad Dominum duplici corde.* hoc est; affectu mentis tuæ in Deum, & mundum bipartito. Et quare obsecro in dies magis aggrauatur hæc ciuitas? non aliam ob causam, nisi quia cor eorum penes quos regimen manet, diuisum est. Sic respondet Propheta Oseæ 10. *Diuisum*, inquit, *est cor eorum, nunc interibunt.* Sed ecce Diuam Catharinam Senensem, quæ vnum cor cum Christo habere volens, suum cum illo permutauit: dùm enim adhuc viueret, per altissimam contemplationem absorpta, enixè postulauit à Domino, vt cor proprium auferret ab illa, hoc est; omnem propriam voluntatem. Cui in illa feruentissima oratione persistenti apparuit Christus, eiusq; sinistro latere aperto, & corde ablato, recessit; suâ nihilominus omnipotentiâ super vires naturæ superstitem conseruando. Post aliquot autem dies, illâ è cœlesti quadam extasi sibi redditâ, & iam exire volente, luce circumfusus iterum apparuit illi Dominus, portans in manu sua cor rubicundum & illustre, propiusq; accedens, illud sinistro lateri virginis imposuit, in sacello Dominicanorum Senensium, sic eam alloquens: *En filia mea charissima paucis abhinc diebus abstuli cor tuum, sed iam pro tuo habes cor meum, vt semper in me viuas.* & mox clauso latere relictaq; in signum veritatis corallinâ cicatrice, euanuit. Si ergo permutatione cordium tàm arctissima coniunctio facta est, inter Beatam Catharinam & Christum, quis dubitabit eam nobis omnia hodiè impetrare posse. Vbi enim est cor Christi, ibi totus eius clementiæ thesaurus.

Ecclı. 1.

Oseæ 10.

B. Catharina cor suum cum Christo permutat.

Præterea, quia negotium graue & ipsam Christi fidem concernens habemus; nutat enim iam Fides sancta, periclitatur extremè Christianitas

nitas, & Ecclesia orthodoxa vndiq; concutitur, ac euertitur. Tanti autem momenti causam apud Deum feliciter promouendam, non video cuipiam alteri melius concredendam, quàm Diuæ Catharinæ, siquidem adhuc viuens similia portenta, & pericula à populo Dei abegit. Regente enim Ecclesiam sanctam Vrbano I. Summo Pontifice, vndiq; premebatur pari insultu Ecclesia Catholica. In subsidium vocata B. Catharina, affirmante capite Ecclesiæ, se absq; eius adiutorio non præsumere Ecclesiam pristinæ paci & tranquillitati restituere, quàm communis generis humani hostis turbulento Schismate conturbauerat. Et ecce quod robustissimi exercitus, & magnorum consilia virorum efficere non poterant, solius B. Catharinæ precibus & consilijs obtentum est. Protinùs enim prostrauit, vicit, debellauit, ac triumphauit de hoste animarum, & ita sedauit Schisma, pacem composuit, idq; suo consilio effecit, vt sedes Petri, quæ multis annis Auenione in Gallia fuit collocata, Romam reduceretur.

Igitur & vos Catholici mei in summis angoribus nunc constituti, agite & expedite vestram legationem ad Patrem misericordiarum per Beatam Catharinam, vt illa ardentissimo amoris sui incendio, emortuum iam vestræ refrigescentis charitatis ignem, denuo resuscitet & accendat, atq; pristinum calorem suo corpori mystico, scilicet Ecclesiæ sanctæ, quæ in congregatione fidelium consistit, restituat ac restauret, roburque hostium conterat, & totum hoc regnum pristinæ integritati & tranquillitati reddat. Nam cùm Christi cor in manibus suis habeat, nihil ei postulanti Dei Filius negare poterit.

A *B. Catharina triplex oleum habuit, nimirum summæ prudentiæ, obedientiæ, & vnguentorum Christi.*

DEfectus olei, non tantùm lucernas extingui, sed & homines magni nominis, atque generositatis, confundi, & regna florentissima desolari ac corruere facit. Quod euidenti Scripturæ sacræ documento comprobo; nasciturum Samsonem, Angelus Dei parentibus eius annun-
B tians, seriò cauit, vt puerum natum non molliter educarent; sed austerè, à delicatioribus cibis atque potibus eum deterrendo, ad oleum autem, & arcta ieiunia, statim ab infantia assuefaciendo. *Dixitq; Angelus Dei ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat se puer: & quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo.* Iudic. 13. Quamdiu ergo Samson hanc vitæ austeritatem seruabat, eousq; hostibus formida-
C bilis, ac inuictus permansit. Confligebat animosus cum leone, eumque strangulabat: *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilaceranit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu.* Non expauescebat numerosos hostium exercitus, quos solus ad internecionem delebat, quando à mille Philistæis in itinere circumdatus, vnicâ asini mandibulâ eos interfecit. *Inuentamq; maxillam, id est mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Iu-
D dic. 15. At postquàm ad delicias animum suum conuertit: *amauit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.* Iudic. 16. Mox ab illa imbelli femina circumuentus, & in manus hostium traditus perijt. *Cumq; molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vsq; lassata est.* Expendite illa verba, *ad mortem vsq; lassata est:* & obstupescite, quomodò Samson inuictæ fortitudinis, qui inter leonis vngues, inter confertissimos hostes, nun-

Samsonis austera educatio. Iudic. 13.

Samson ex ieiunio inuictus euasit.

Iudic. 15.

Ibidem 16

Deliciæ Samsonem perdiderunt.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.

nunquàm lassatus fuerat; inter importunas verò vnius Dalilæ preces, vsq; ad mortem ita lassatus fuerit, vt secretum suæ fortitudinis celerare non valeret. *Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: ferrum nunquàm ascendit super caput meum; si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroq; sicut cæteri homines.* Miratur S. Ephrem, quomodò Samson, eximiæ pulchritudinis, fortitudinis, & sanctimoniæ vir, vinci potuerit? *Quis*, inquit, *Samsone pulchrior? qui septem crines in capite gestabat, qui septiformè lumen designabant gratiæ. Quis illo fortior? qui leonem terribilem solus in via percusserat, & vna maxilla asini, mille viros alienigenas reiecit. Quin & tantæ erat sanctimoniæ, vt in inopia aquæ orante, ex arreptâ in manu eius mandibulâ asini, aquæ scaturirent. Atq; hunc tantæ sanctitatis, tantæ fortitudinis virum, propria mulier deturbauit.* Ponderate quæso, quos vicerit, & à qua victus sit. Vicit leones, vicit exercitus, vicit naturam; sed vicit eum mulier. Pariter Leuitici 24. locutus fuerat Dominus ad Moysen. *Præcipe filijs Israël, vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas, iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Ponetq; eas Aaron à vespere vsq; ad mane coram Domino.* Vbi in illis lucernis accensis, Deus exprimere voluit gloriam & felicitatem regni Israëlitici, ad cuius conseruationem totus, quantus erat, populus conferebat oleum purissimum, hoc est, mutuam charitatem, & concordiam. Quamdiu enim oleum concordiæ & charitatis in regno Israëlitico non defecit, tamdiu florebat, & splendebat, vt clarissima lucerna populus; postquàm autem euanescere cœpit oleum illud, nimirum illa animorum consensio, & vnanimitas, breui post extinctus est populus, perijt regnum. De quo pulchrè Origenes homil. 13. in Leuitic. *Dùm ergò*, inquit, *populus ille habebat oleum, quod conferret ad lumen, lucerna non est extincta.* Nam quemadmodùm de adiuncto oleo lucerna viuit; ita vt deficiente oleo prorsus deficiat; sic populus, sic splendor Reipublicæ, tamdiu affulget, quamdiu oleum concordiæ in ciuibus patriæ durat. Erat profectò Reipublicæ Israëliticæ splendor per quam viuidus, dùm ciues inter se optimè cohærerent, hoc est, dùm non priuato commodo, sed publico bono totis animis incumberent. Vbi verò ingressa est animorum dissensio; vbi in locum boni communis, irrepsit priuata cupiditas; in locum liberalitatis, auaritia, protinùs extinctus est vniuersus ille populus Israëliticus. Quia & ipse Saluator ruituri mundi, non aliud signum posuit, nisi defectum olei charitatis, & concordiæ: dùm scisitantibus discipulis, quandonã futura esset vltima sæculi consummatio, respondit: *Refrigescet charitas multorum: qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Matt. 24. Quoniam igitur ob defectum olei, & homines excelsi animi, per Samsonem adumbrati; qui interpretatur *Sol*, & regna florentissima intereunt. Ideò in hodierna festiuitate, abundantiam olei in B. Catharina vobis monstrabo, vt illud tempestiuè nostris lucernis procuremus, ne fortè extinguantur.

Triplex oleum in B. Catharina reperio, inprimis summam prudentiam cum fidei ardore coniunctam. Prudentia nihil est aliud, nisi virtus, seu animi affectio, quæ cum vera ratione coniuncta, vim habet ad regenda omnia, quæ ad vitam degendam pertinent. Vel, est habitus cum recta ratione consultandi, & agendi ea, quæ homini per totam vitam sunt bona, vel mala. Vnde officia prudentiæ assignantur, rectum consilium dare, bonum à malo, verùm à falso discernere, rectè cum alijs versari, perspicere occasiones, verbis solerter, & prudenter vti, ad omnem consultationem, & tempus, & diligentiam adhibere, operam & oleum in rebus vanis, & minus necessarijs non perdere. Materia verò prudentiæ, sunt ea omnia, quæ sunt bona & vtilia.

Ibidem.

S. Ephrem

Leuit. 24

Concordia & charitas regna conseruat.

Matt. 24.

Prudentia quid sit.

Prudentiæ officia.

Hinc

Hinc Plato 3. de legibus, eam ducem & Principem omnis virtutis appellat. Pythagorei matrem, & oculum omnium virtutum, cùm ipsa sola ostendat mediocritatem, quæ in omnibus virtutum actionibus est tenenda, & ideo rara est hæc virtus: nam teste Bòëtio, multi sunt docti; sed pauci prudentes. Putatisne maiorem prudentiam vnquàm repertam fuisse, quàm in B. Catharina Senensi? quæ non tantùm insignes legationes in rebus summè arduis feliciter absoluit, sed quod magis mirandum, à prima statim ætate, Christi iugum portare in sancta Religione D. Dominici elegit.

Altissimum montẽ Horeb quondam conscenderat Elias iussu Angeli, cum Domino Deo locuturus: *Cùmq; venisset illuc, mansit in spelunca.* 3. Reg. 19. 3. Reg. 19. Consurrexit vehemens turbo, à cuius impetu commota sunt montium cacumina, & petræ inuicem collidebantur: *Spiritus grandis, & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum.* Allocutus est Eliam Angelus: *ecce Deus transit?* ille tamen imperterritus respondit: *non in spiritu Dominus.* Successit post ignita commotio, ipsum àërem potenter adurens, & lapidum duritiem, instar ceræ liquefaciens. Præmonuit iterùm Angelus de aduentu Domini Eliam: *Ecce Dominus transit.* Sed ille nihil perturbatus, nec ibi Dominum esse credens, respondit: *Non in commotione Dominus, nec in igne.* Flare tandem cæpit delicatissimus ac tenuis àër, *& post ignem Sibilus aurę tenuis.* Quo viso Elias, pallio abscondit faciem suam, præsentem Deum oculo corporeo non ausus intueri, teste Sacra pagina. *Quod cùm audisset Elias,* Ibidem. *operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio spelunca, & ecce vox dicentis ad eum: Quid hic agis Elia.* Res stupenda: Deus, qui lucem habitat inaccessam, non detrectauit Moysi apparere in caligine nubis: Exodi 19. *Veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Exodi 19. Ad Iobum summâ afflictione pressum, non detrectauit A in turbine venire, qui potiùs approximans de turbine eum allocutus est: *Respondens autem Dominus, Iob de turbine, dixit:* Non detrectauit populo Israëlitico in igne fumante apparere. *Cùmq; eduxisset eos Moyses in occursum Dei, de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace: eratq; omnis mons terribilis.* Exodi 19. Coram Elia autem refugiebat Dominus esse in com- Ibidem. B motione, refugiebat esse in igne frementi, refugiebat esse in turbine. Sed ne miremini: Licet enim Deus lucis amator & conditor, horreat caliginem, eò quòd reprobos spiritus, suosq; hostes æternæ tradiderit caligini; quia tamen populum Israëliticum à caliginosa & tenebrosâ Ægypti terrâ eduxerat, ideò non detrectauit ipse caliginem, quæ non impedit, quominus eatur in lucem, vt sic populus ille de caliginosa seruitute eductus, spontè & liberè Deo seruire non recusaret. In Iobo pariter C amabat turbinem: quia iam tot malorum turbo eum Deo coniunctiorem fecerat. At verò in Elia, quoniam persecutionum turbo multa mala fecerat, siquidẽ vniuersum Israël separauerat à diuino cultu, vt destructis aris templisq; solus Elias relictus videretur. Ita quippè turbo persecutionis vastauerat vniuersa, vt omnes prorsùs in pænam æternam inuolueret. *Dereliquerunt pactum tuum filij* 3. Reg. 19. *Israël: altaria tua destruxerunt, Pro-* D *phetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus.* 3. Reg. 19. Quia ergò Deus turbines, procellasq; nocentes in Elia videbat, ideo ab illis abstinuit; in Iobo autem, quia vidit procellas non in malum, sed in bonum fuisse, amabat in procellis videri. Ita resoluit S. Methodius in Cat. Græca sic loquens: *Quoniam turbo tempestatis* S. Metho- *est author, nec Iobi fides in tempestate* thodius. *malorum vllum naufragium fecit, sed multò magis eluxit: idcircò Deus ad superioris ærumnæ procellam significandam, procellam item dùm loquitur, sumit.*

Deus

Deus itaq; se Eliæ videndum, & quasi intus & in cute agnoscendum ostenturus, eas primum ante se res præmisit, nimirum spiritum, commotionem, & ignem, quæ terrorem hominibus incutere solent, monens de singulis, alienam à se conditionem habere. Deinde Eliæ obuiam veniens, in placidissimo vitalis auræ sibilo se illi præsentem exhibuit. *Et post ignem sibilus auræ tenuis.* LXX. vertunt, *ibi Dominus*: hoc est, in vitalis auræ, quam ad vitam trahimus, respiratione. Quid aliud præseferebat ttanquillus hic blandæ auræ sibilus, nisi iucundam fidelis animæ cum Deo conuersationem. Non commouit ergò validus turbo Eliam, non commouit Eolus de tenebrosa cauerna ventos emittens, non commouit ignis fumans; verùm vbi tenuis auræ sibilus flare cœpit, pallio operuit faciem: quia in illo molli vento Deum vidit, ideoq; degustatâ semel cœlesti dulcedine, abscondit oculos, ne ampliùs terrena aspiceret. Videte parem B. Catharinæ felicitatem: postquàm se ei semel Deus spectandum exhibuisset, licet adhuc in ætate infantili, septimo nondùm expleto anno, ita eius videndi desiderio exarsit, vt oculos à terrenis auerteret, & quò faciliùs, ac sæpiùs tàm iucundo spectaculo frueretur, B. Dominici habitum inter sorores de pœnitentia impetrauit. Operuit oculos velo religioso, etiam ea, quæ vitæ conseruandæ necessaria sunt, fugiens: ira vt per integros octo annos, sine cibo, & potu, sola Eucharistiæ communione victitaret.

B. Catharina per octo annos solâ Eucharistiâ vixit.

Apostoli semel cum Christo ad mare exeuntes, panes secum non acceperunt. Matt. 16. *Cùm venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere.* Quis hoc capiat? Mari se discipuli cum Christo committebant, longo & periculoso itineri se accingebant; nullum tamen secum ferentes reficiendo corpori necessarium præsidium. Ergone ita debilis memoriæ erant, vt omninò panis accipiendi obliuiscerentur? Absit: non ex obliuione, sed ex summa prudentia id eos feciſſe conijcio. Habebant secum in eadem nauicula præsentem Christum, ideò eius præsentiâ recreati, eius doctrinâ exsatiati, nihil de panibus cogitabant. *Quia panem cœlestem habebant secum, quo refocillarentur, ideò terrestris obliti sunt.* B. Catharina abstinebat ab omni cibo istius mundi, quia præsentem habebat Christum, cuius conuersatione ad omnimodam satietatem reficiebatur, terrestris panis oblita, quasi iam in terris non viuens, cœlesti illa beatitudine frueretur.

Matt. 16.

Multa satis beneficia præstiterat Raphaël Angelus Tobiæ, quando filium eius ducens ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum, à deuoratione monstri marini seruauit. Postquàm enim peruenissent ad fluuium Tygrin, & Tobias intinere fessos gelidis vellet pedes fluctibus recreare, immanis fera terrorem incutiens, magni instar ædificij, de profundo veluti ad prælium se erigens, mortem oculis flammiuomis minitabatur. *Exiuit, vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.* Tobiæ 6. Proh truculentam bestiam! proh pedum ablutionem charam! sæpè carò constant deliciæ, & inde nascitur vitæ tormentum, vbi voluptatis allectabat illicium. Tunc anxios Tobias clamores ingeminare cæpit; sed comes Angelus monuit, timidè non diffugere; verùm piscis branchiam animosè prehensare: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* Dignum profectò supplicium, vt quæ innocuum fera lædere aggrediebatur, vndas & vitam amitteret. Introduxit Raphaël Tobiam in domum Raguelis, vt filiam eius Saram in coniugem acciperet; sed quia dæmonium habebat, quod septem viros, quibus tradita fuit, occiderat; ne Tobiæ quoq; idem eueniret, fel, cor, & iecur piscis, certissima ad fugandum dæmonium arma illi submiſtrauit, dæmoniumq; à virgine depulit: *Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto*

Tobias à deuoratione piscis marini per Angelum seruatus.

Tobiæ 6.

Tobiæ 8.

sexto superioris Ægypti. Tobiæ 8. Insuper saluum & incolumem ad domum paternam reduxit, patriq; eius, visum restituit. Cumq; valediceret Tobiæ, aperuit quòd Angelus esset; *Ego sum Raphàël Angelus, vnus ex septem,* Ibid. 12. *qui astamus ante Dominum.* Tobiæ 12. Quasi diceret: non putetis me hominem esse, licet in specie hominis vobiscum conuersatus sim: sum enim Angelus, sum spiritus, sum immortalis. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Cur obsecro non veram, sed apparentem tantùm manducationem, & bibitionem suam allegat? Respondet Chrysologus: S. Chrysol. *Quia erubescebat, qui cœlesti fruebatur beatitudine, cibis indigere humanis.* Hæc est suprema Angelorum excellentia atq; altitudo, cibis humanis non indigere, eodemq; saginari cibo, quo Deus. nimirum ipsâ gloriâ, ipsa luce, ipsa Dei maiestate. Quod si iuxta sanam Philosophiam alitus eas induit proprietates, quas cibus, quo sustentatur: ergò si Angeli cibo pascuntur diuino, & quo ipse Deus, quid erunt? quas induent proprietates, nisi deificas? nisi diuinas. Felices profectò tali potu, tali cibo, & eò feliciores, dùm non ad mensuram, sed ad saginam habent. Quod præclarè adnotauit D. August. in Psal. 66. super illa verba: *Sitiuit in te anima mea:* in hunc modum discurrens: S. August. *modò Angeli non sitiunt, quomodò nos? non esuriunt, quomodò nos? sed habent saginam veritatis, lucis, immortalis sapientiæ, ideo beati sunt.* Obstupescite sagenam: luce sustentantur Angeli, ac gloriâ ipsâ diuinitatis, non alio vtuntur cibo, quàm diuino; non alio sustentantur potu, quàm superaltissimo diuino splendore, & ad hæc ad saginam, ad repletionem, ad vltimam saturitatem: & ideò terrena tastidiunt, à nostris cibis abhorrent.

Cibi proprietates in manducantem tranieunt.

Quid aliud faciebat B. Catharina, nisi erubescebat humanis indigere cibis: erubescebat mundi ferculis recreari; erubescebat cum hominibus conuersari; sed in sancta Religione D. Dominici, austeram ducens vitam, perpetuis corpus suum macerabat ieiunijs. Quia quasi iam in terris non viuens, cœlesti fruebatur beatitudine, nec alio cibo, nisi diuino splendore refici volebat. Hinc illi ardens desiderium, frequenter accedendi ad Sacram communionem inerat, quam de manibus ipsius Christi, Angelorum, & Sacerdotum, cum summa veneratione accipiebat, sciens probè eos, qui tali cibo pascuntur, vitam Angelicam ducere, & in ipsum Christum, qui semel mortuus amplius non moritur, transmutari, iuxta illud: *Qui manducat meam carnem, in me manet & ego in eo.* Quippè Sacra Ioan. 6. communio, non solùm vires corporales corroborat, vt docet Sanctus Damascenus libro 4. cap. 14. Vbi de Sacramento altaris dicit: *cedit in animæ & corporis præsidium.* Verùm S. Damasc. etiam peculiarem quandam vnionẽ moralem, inter carnem Christi, & carnem dignè cõmunicantis causat: Qui enim dignè sumit Eucharistiam, per affectum vnitur Christo, non solùm quoad animam; sed etiam quoad corpus, ex qua vnione prouenit, vt Christus reputet illam carnem, tanquàm peculiari titulo suam, & cui peculiari ratione debeat consulere: quoniam nemo carnem suam odio habere solet. Hoc innuere voluit Apostolus 1. Cor. 10. loquens: *Vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus.* 1. Cor. 10. Et S. Chrysosth. hom. 60. ad populum Antiochenum: *Hoc,* inquit, *pane pascimur, huic nos vnimur,* S. Chrysol. *& facti sumus vnum corpus, & vna caro.* Cùm ergò B. Catharina, per Sacramentum Eucharistiæ Christo specialiter vnita esset, meritò cibum terrenum fastidiebat. Solâ Eucharistiâ per octo annos victitans. In quo superauit multas sanctas mulieres, & viros, qui solâ Eucharistiæ alimoniâ, vitam corporalem aliquandiu traduxerunt. Nam teste Bozio lib. 15. de signis Ecclesiæ cap. 2. Virgo quædam sumptâ Eucharistiâ, viginti & vna diebus, extra sensus posita, perstitit

Sacra Eucharistia inter sumentem eam & Christum vnionem moralem causat.

Bozius.

stitit immobilis, tota in cœlestibus contemplandis defixa. Maria Ogniacensis, triginta quinq; dies ieiuna permansit, cibo huiusmodi nutrita diuino. Bonfignorius Cauiagnera refert, virginem quandam nomine felicem, ex Oppido Barbarani Romæ, quinq; totas quadrageſimas, ſolâ Euchariſtiâ tranſegiſſe. Ludouicus pius Imperator in ſupremo morbo, quo obijt, totos quadraginta dies ieiunans tranſegit, ſolam Euchariſtiam quotidiè ſumens. Annonius pariter lib. 4. & Sigibertus narrant, in territorio Tullenſi, puellam quandam poſt Euchariſtiam ſumptam, primò decem menſes abſtinuiſſe pane; deinde trieñium totum, omni cibo & potu. At verò B. Catharina, per octennium ſolo cibo Euchariſtico vixit, quàm cùm perciperet, miris modis afficiebatur.

Euchariſtiæ virtus inſuſtentanda vita humana.

Aliud oleum in B. Catharina reperio, oleum obedientiæ, quod apud Deum pro ſummo ornamento habetur, & ideò Deus hoc oleum per murenulas adumbrare voluit. Cantic. 1. ſponſam ſuam alloquens: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Alia lectio habet: *Inaures & monilia aurea tibi fabricabimus, cum minutulis argenteis punctis.* LXX. legunt, *cum ſtigmatibus.* Murenulæ quippè duo ſignificant: inprimis ſtigmata vulnerum Chriſti, de quibus gloriabatur S. Paulus, Galat. 6. *Ego enim ſtigmata Domini Ieſu, in corpore meo porto.* Noluit S. Paulus gloriari in ſapientia, in maieſtate, in potentia miraculorum patratiuâ: quia quidquid eſt honoris, & gloriæ, & maieſtatis, & virtutis, id totum in vulneribus Chriſti cumulatiſſimè reperitur. Ita reſoluit Cyrillus Hieroſ. Catech. 13. inquiens: *Gloriatio ſanè Eccleſiæ Catholicæ eſt omnis Chriſti actio, gloriatio verò gloriationum eſt crux, ergò ſumma gloriatio in vulneribus Chriſti.* Quod probè ſciens Paulus, ſtigmata vulnerum Chriſti, tanquàm murenulas, tanquàm omnium ornamentorum ſummum ornamentum portare volebat. Non defuit hoc ornamentum B. Catharinæ: accepit enim murenulas cum ſtigmatibus Chriſti, quando vidit Dominum crucifixum, magno cum lumine aduenientem, & ex eius vulnerum cicatricibus quinque radios, ad quinq; loca ſui corporis deſcendentes. Qui ſanguineum colorem mutantes in ſplendidum, & in formam puræ lucis, inſtar murenularum corpus eius mirè exornabant. Ad tantam enim humilitatem ex illo beneficio inſolito, ſibi diuinitùs præſtito deuenit, vt Dominum IESVM ſolicitè precaretur, ne cicatrices illæ, ſtellarum inſtar in eius corpore fulgentes, apparerent. Nolebat Thomas Apoſtolus credere Chriſti reſurrectionem, niſi fixuram clauorum in corpore eius videret, & manibus ſuis palparet. *Niſi videro fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Cur obſecro Thomas veſtigia fidei ita ſolicitè inquirebat? cur tàm piè patientem IESVM, adeò durè diſcutere voluit reſurgentem? cur ea vulnera, quæ manus infixerat impia, deuotâ ſuâ dexterâ ſic reſulcare cupiebat? cur latus, quod impij militis lancea patefecerat, refodere obſequenti manu nitebatur? cur dolores perſecutorum furoribus irrogatos, famulantis Apoſtoli curioſitas renouare ſatagebat? cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cœleſtem medicum probaturus diſcipulus, de vulneribus requirebat? Equidem non cunctationem, ſed prophetiam, & piam Thomæ ambitionem in hoc agnoſco. Cognouerat prophetali ſpiritu Apoſtolus, ſola vulnera à Domino ad indicium ſuæ reſurrectionis ſeruata. Sciebat ex his vulneribus maximum in hominem ornamentum redundare, ne ergò reſurrexiſſe Dominum, aut ipſa in poſterum dubitaret impietas, aut illi ex Chriſti cicatricibus ornamentum deeſſet, piâ audaciâ vulnerum exhibitionē poſtulauit. Quid ergò Chriſtus? ſponte præſtat, quod Apoſtolus tardiùs implorat: *Venit Ieſus, & dixit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli*

Cantic. 1.

LXX.

Murenulæ ſtigmata Chriſti & obedientiã ſignificant.

S Cyrillus Hieroſoly.

Ex vulneribus Chriſti quinque radij in corpus B. Catharinæ dimanârunt.

Ioan 20.

& noli esse incredulus, sed fidelis. Ioan. 20. Miratur vehementer Chrysologus, & dicit : *Vt Thomas crederet in Christum,* S. Chrysol. *iterum patefecit vulnera, & iterum compulit Christum pati.* Stupendum profectò Chrysologi effatum, vtiq; in vera Theologia proclamatum est, Christum post suam resurrectionem habere corpus impassibile, quomodò ergò iterum pati potest, vulnera sua Thomæ ostendens ? Resoluit Chrysologus, quia in Christo fuit humilitas profunda, vnde & illas vulnerum suorum cicatrices occultare voluisset, nolens detegere, quanta pro nobis pateretur. Quia tamen hoc necessitas credendæ eius resurrectionis omninò exigebat, ideo non sine aliqua erubescentiâ, vulnera illa monstrauit spectanda & palpanda, atque pro hac iterum quodammodò pati compulsus est. Non absimilis fuit S. Catharina, stigmata vulnerum Christi in suo corpore suscepit, sed præ nimia humilitate ea occultare studuit, orans Dominum, ne oculis hominum appararent.

Deinde, istæ murenulæ, siue inaures, significant obedientiam perfectam, vt notat S. Gregorius libro vltimo Moral. cap. 10. *Sicut enim,* S. Gregor. inquit, *obedientia est virtus, qua per auditum intrat :* iuxta illud Dauidicum Psal. 17. *In auditu auris obediuit mihi;* Psal. 17. *ita per ornamentum aureum satis apertè, perfectissima obedientia significatur.* Atq; hanc ob causam, inaures solent aurium foramini innecti, seu infigi; sic autem innexæ, aut infixæ, non ita facilè remouentur, sicut annuli è digitis, aut monilia è collo, quæ facilè apponuntur, & remouentur. Vt nimirum per inaures foramini aurium infixas, denotetur constans & perfecta obedientia. Et quid de S. Catharina loquar, nonne his murenulis, scilicet perfectâ obedientiâ splendebat. Quo die, vel quâ horâ Adamus primam aspexit lucem, in paradiso positus, statim præceptum accepit, quo abstinere iubebatur, à scientiæ boni & mali ligno. Gen. 2. *Præcepitq; ei dicens : ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas.* Quam ob causam Adamo præceptum hoc in principio statim positum ? cur prohibitus esus ligni alioqui licitus ? Equidem, vt sic puræ obedientiæ meritum acquireret homo, & diuinæ iurisdictionis imperium in homine innotesceret, quem à tali esu arcebat, non aliqua rei malitia intrinseca, aut disconuenientia. Vt obseruat S. Bonauentura in citatum scripturæ locum : *Deus,* S. Bonau. inquit, *prohibuit homini esum illius ligni, propter meritum obedientiæ acquirendum ex parte hominis, & propter ostendendum iurisdictionis suæ imperium in homine.* Ita planè procedebat Deus cum B. Catharina, eam in ipsa statim infantia ad suum obsequium trahens, dùm se ei vix sextum ætatis annum attingenti, spectandum exhiberet. Cuius amore ita statim exarsit sancta puellula, vt subitò votum virginitatis emitteret, teste Raymundo Capuano. *Votum,* inquit, *emisit virginitatis, annos duntaxat nata septem, atq; se totam* Raymundus Capuanus. *Virginis precibus commendauit, vt sibi in sponsum impetraret filium suum, cui ipsa Virginitatem suam offerebat, voto emisso.* Murenulis igitur aureis argento vermiculatis, adornauit illam Christus, quia suæ obedientiæ æmulatricem esse voluit. Christus à primo suæ conceptionis instanti, obedientissimum se Patri exhibuit, vt de illo testatur Isaias cap. 50. *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi Magistrum.* Isaiæ 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico : retrorsum non abij, corpus meum dedi percutientibus.* In quibus verbis fatetur Christus, sibi erectas & apertas fuisse aures ad audiendum mane, hoc est cùm primùm apparuit homo in vtero matris, iam Deus pater ad eius aures intonabat, iam erigebantur eius aures, & aperiebantur, vt præcepta Patris audiret, quæ ipse libentissimè accepit, nec recusauit, cùm posset; sed sub illis voluit perseuerare. Sancta pariter Catharina, à primo vitæ suæ diluculo, statim Deo obedire, & eius sanctissima præcepta implere studuit, teste

citato

citato Raymundo. *Sex*, inquit, *annos nata Catharina, fuit valde deuota, atq; ad preces & orationes fundendas maximè propensa, & in exstasim sæpissimè eleuata. Quod valdè perfectam & exactam obedientiam designat.*

Tertium tandem oleum B. Catharinam video habuisse, oleum vnguentorum Christi, id est, sanctorum operum, quibus à prima statim infantia assueuerat. Scribit enim Raymundus: *Sex annos nata Catharina, desiderabat plurimùm in eremum se conferre, vt Sanctorum Eremitarum vitam imitaretur, ibiq; degeret in solitudine. Decreuit summo mane illuc pergere, panem portans: cumq; in speluncam quandam peruenisset, ibidem magnæ cum delectatione, & solatio se continuit, vacans orationi tota animi intentione, adeò vt eius corpusculum sæpè à terra eleuaretur.* Hoc oleo quondam, totum cor diuinum rapuerat cœlestis sponsa. Cantic. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vbi cœlestis sponsus loquitur non de vno ex oculis, aut de vno ex crinibus; sed sub imagine oculorum, qui interiùs vniti, res singulares siue simplices vident, vnũ oculum & vnum crinem accipit, vt ostendat sponsam inde maximè commendari, & sponsi cor percutere, seu in sui amorem omninò allicere, quod totam oculorum aciem, in ipsius charitatem & obsequium defixam habeat. Huc omnes cogitationes suas, & curas reuocans, ac tanquàm in scopum dirigens, vt vnica sit eius solicitudo, vnus amor, vnum negotium, animæ scilicet salus, & cœlestium bonorum studium. Sic locum hunc exponit Gilbertus Serm. 30. in Cantica. *Aspectus*, inquit, *aspectum prouocat, ideo tuo illum tenta vulnerare prospectu, oculi tui semper ad Dominum, vt amoris tui nutibus capiatur, illaqueetur criniculis.* Non tamen dicit, in oculis, & criniculis, quasi in pluribus, sed quasi in vno, mox subiungens: *Oculus eius vnus est, si purus est: vnus est, si ad plura non est: vnus est, si quodammodò simplificatus, & strictus, & directus in vnum est, non fissus, non diffusus, non sparsus in multa. Oculus tuus vnus est, si intendis, & intueris semper in vnum, & in illum vnum.* Consentit huic expositioni D. Anselmus, citata verba: *vulnerasti cor meum*, ita exponens: *quia oculi in te vniuntur conspiciendo.* Quò spectat illa Tertulliani in lib. de pallio excusatio, quòd Jureconsultus cùm esset, reiectâ tamen togâ, pallioq; suscepto, vt forensi tumultu, ac sæcularibus negotijs se penitùs abdicauerit, & strictius atq; angustius vitæ genus capessens, vni animæ saluti graniter operam impenderet, illud pronuntians: *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio aduigilo, nulla vestra praoccupo, nulla prætoria obseruo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, causas non elatro, non iudico, non milito, non regno, secessi de populo: imo vnicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, ne curem.* Palam faciens, vni animæ negotio, velut creditori, cui ipse vix soluendo esset, debitorem se fuisse, reliqua omnia, nullum in ipsum ius habuisse, vt ea curare deberet.

Germanus tamen & literalis illorum verborum, (*Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa mea in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Sensus hic esse videtur. Quasi diceret cœlestis sponsus: non opus est tibi rebus pretiosissimis, quibus me à corde saucio teneas, sed vno tantum oculorum coniectu, vno ex capillis tuis, qui à capite inuolitat collo tuo, sic cor meum percutis, vt mihi auferre, & tibi tanquàm rem propriam vendicare videaris. Hinc LXX. legunt: *Abstulisti à nobis cor nostrum.* Expositio Tugurina: *Vendicasti tibi cor meum, soror mea.* alij *excoriasti me.* Sanctus verò Ambrosius Epistola 11. *Corde nos cepisti soror mea sponsa, corde nos cepisti ab vno ex oculis tuis, & in vno crine colli tui.* Vbi S. Doctor, vocem istam *cor*, non pro sponsi, sed pro sponsæ corde accipit, indicare volens, quòd sponsus teneri se dicat vnico capillo sponsæ, ex corde & animo oblato;

S. Anselm.

LXX.

Tugurina.

S. Ambro.

Gilbertus.

nec aliunde niſi corde capi. Nil melius: qui enim cor ſuum purum Deo offert, ſe totum offert, nihil ſibi reſeruans, & ideò dignus eſſe videtur, vt totum quoq; cor Dei in ſe transferat. Hæc eſt aurea magni Auguſtini ſententia, Serm. 3. de natali domini: *Sunt*, inquit, *multi, qui vouent, alius oleum, alius ceram, ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius vt carnes non comedat, non eſt votum iſtud optimum, & perfectum, adhuc melius volo. Non diligit Deus, neq; ſpeciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuum; ſed hoc, quòd te bodiè redemit, ipſum offer, hoc eſt, animam tuam. Et ſi interroges me, quomodò animam meam, quam habet ipſe in poteſtate, offeram? & ego reſpondebo tibi; moribus ſanctis, cogitationibus caſtis, operibus fructuoſis, auertendo à malo, & conuertendo ad bonum.* Quia ergo S. Catharina, totum cor ſuum immaculatum Deo obtulerat, mundum & terrena omnia abdicans, ideo etiam totum cor Dei in ſe abſtulit.

S. Auguſt.

Quare cùm hiſce turbulentiſſimis temporibus, per mutuas diſcordias, & inteſtina bella, lampades noſtræ, id eſt regni opulentæ prouinciæ, quæ antea toti mundo, operibus, potentiâ, & concordiâ lucebant, iam penitùs extingui incipiant. Dùm omnia in contemptum peſſum eant, confuſio principatum tenet, agri ſteriles & inculti manent, panis pauperum abſumptus, miſerabilem colonis interitum minitatur. Triplex hoc oleum, prudentiæ, obedientiæ, & vnguentorum, id eſt, bonorum operum, poſtulemus à Deo per interceſſionem B. Catharinæ, quæ cùm cor Dei in manibus ſuis habeat, nihil eſt, quod impetrare non poſſit, & ſic illâ patrocinante, reluceſcent iterùm lampades noſtræ, ad laudem Dei, Eccleſiæ, & patriæ incrementum, hoſtium verò terrorem, Amẽ.

DIE SANCTORVM APOSTOLORVM PHILIPPI & IACOBI,

CONCIO PRIMA.

Ego ſum via veritas & vita. *Ioannis 4.*

Chriſto præeunte, homini Dei mandata ſeruanti, non eſt arduum ad cœleſtem gloriam peruenire.

INſatiabili quodam affectu, quilibet mortalium in vitam & veritatem propendet. Auditores. Sed viam rarus homo inuenit, quaſiuerò veritas & vita facilior ſit homini; quàm via ſalutis cognitu. Et reuera ſic ſe res habet: Etenim Deum optimum maximum eſſe vitam æternam, immutabilem, intelligibilem & intelligentem, ſapientem & ſapientes facientem, etiam ſæculi huius Philoſophi, lumine naturali & ſubtiliſſimo ingenij acumine ſolertiſſimè inueſtigauerunt. Eundem quoque ſupremum rerum omnium opificem, eſſe veritatem fixam, ſtabilem, & indeclinabilem, vbi rerum omnium creaturarum rationes eminentiſſimo modo continentur, viderunt: licet de longinquo, quia in fumo tenebrarum infidelitatis, & in errore probroſi gentiliſmi poſiti: ſed quâ viâ ad eam, tàm magnam & ineffabilem

atq;

atq; beatificam possessionem perue-
niendum esset, non inuenerunt. Et
vnde obsecro mundi sapientibus, tan-
ta tamq; sublimis scientia infusa erat,
vt increatam illam veritatem & vi-
tam, sine principio & fine durantem,
atque omnia viuificantem, in media
idololatrarum impietate, cognosce-
rent? Nunquid Deus ad quemquam
eorum locutus est? Nunquid legem
acceperunt, sicut filij Israël per Moy-
sen? minimè: vnde ergo cognouе-
runt veritatem à fide orthodoxâ alie-
ni? Respondet Apostolus ad Roma-
nos: *Reuelatur ira Dei de cœlo super
omnem impietatem, & iniustitiam homi-
num, qui veritatem in iniquitate detì
nent, & ostendit, quia quod notum est
Dei manifestum ex illis.* quasi diceret
Apostolus; Deus quibus nec legem
dedit, nec palam locutus est, illis se-
ipsum manifestauit, inspirando, vt
per ea quæ facta sunt, illum agnosce-
rent: vt docet Apostolus ibidem.
Inuisibilia eius, inquit, *per ea quæ facta
sunt, intellecta conspiciuntur.* Quasi di-
ceret: frustra se excusat gentilis, fru-
stra barbarus, frustra Ethnicus, quòd
Deum non cognouerit. Interroga
enim vel ipsum mundi ornatum, cœli
fulgorem, dispositionem siderum, so-
lem diei oblectamentum, lunam no-
ctis solatium; interroga inquam vel
ipsam terrã fructificantem, herbis, li-
gnis, animalibus plenam, hominibus
refertam. Interroga mare quantis
& qualibus natalibus plenum? Inter-
roga aëra quantis volatilibus viget.
Interroga omnia in hoc orbe sublu-
nari, siue etiam in cœlo existentia?
Nonne vnanimi voce tibi respondе-
bunt, *Deus nos fecit.* Magna igitur ho-
minum erat felicitas, dùm in notì-
tiam eorum veritas & vita, scilicet;
Deus ipse in notitiam veniret eo-
rum. Verùm tuma melancholia ani-
mos illorum ex altera parte preme-
bat, quòd viam ad beatam illam, æter-
næ veritatis & vitæ possessionem per-
ducentem, inuenire non possent. Id-
circo ne aut desperatione frangatur
mens fidelium sæpiùs quæritantium,
quo itinere in cælum eundum sit;
aut certè superbia ventiletur, præ-
sumendo tàm longinquum iter sibi
non esse arduum, Christus nobis ho-
diè fausto pede præit, & viam perfe-
ctam salutis monerare promittit,
quam nos eius vestigia sequendo,
considerabimus.

Non est mirum, quòd nobiles
illi gentium Philosophi, qui vltra hu-
manæ sortis conditionem sui ingenij
capacitate euolare videbantur, viam
salutis non agnouerint; cùm etiam
non pauci Christianorum, quibus
amicum cœli lumen vberiùs affulsit
ab hac semitâ passim aberrent. Facilè
enim homo aut in sinistrum, aut in
dextrum latus declinat, quando di-
uisum iter ingreditur. Diuisa prorsùs
est via ad æternitatem; nam vna
angustissima, quæ ducit ad vitam; al-
tera latissima, quæ trahit ad perdi-
tionem, vt præclarè cecinit Mantua-
nus illo suo celebri Epigrammate.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem.
Difficilemq; aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem præbet sessis, in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata: sed vltima meta
Præcipitat captos, volutq́ue per ardua saxa.

De qua re eleganter differit La-
ctantius Firmianus lib. 6. diuinarum
institutionum cap. 4. *Via*, inquit, *per-
ditionis sic est composita in aspectu, vt pla-
na & patens, omni genere florum atq;
fructuum delectabilis esse videatur; via
verò illa cœlestis difficilis, & diuisa pro-
posita est, vel spinis horrentibus aspera,
vel saxis exstantibus impedita, vt cum
summo labore ac pedum tractu, cumq;
magna, cadendi solicitudine sit per illam cui-
libet gradiendum.* Quod non minus
eleganter comprobat D. Hierony-
mus, & D. Paulinus Episcopus No-
lanus, in Epistola 14. ad Celantiam
de hac duplici via in eum modum
scribens. *Vide*, inquit, *quanta inter
has vias separatio sit, quantumq; discri-
men. Illa ad mortem; hac tendit ad vi-
tam: illa celebratur & teritur à multis;
hæc vix inuenitur à paucis: illa vitijs per
consuetudinem, quasi decliuior ac mollior,
& velut quibusdam amana floribus volu-
ptatum, facilè ad se rapit commeantium
multitudinem; hæc verò insueto calle vir-
tutum tristior, atq; horridior, ab his tan-
tùm*

Laurentius Firmianus.

D. Paulus. S. Hieron.

tùm eligitur, quibus non tàm delectatio itineris cordi est; quàm vtilitas mansionis. Cæterùm laboriosam hanc salutis viam, via illa Ionatæ, qui inter medios hostium cuneos vnico armigero comitatus ascendebat, repræsentasse videtur ad vnguẽ, interprete Carthusiano. *Per illas*, inquit, *tortuositates & difficultates itineris, figurabatur, quàm arctà sit via ad salutem.* Viæ illius per quàm Ionatas ascendebat, incoṁoditatem ex tribus colligit Sacra pagina. Primùm ex arduitate: Ardua namq; erat, quia tendebat per scopulos adeò præruptos, vt non ambulando, sed vix reptando vincerentur. Deinde, quia erat nimiùm arcta: vtrinq; enim prominentibus rupibus inclusa, vix duos tantùm viros, Ionatam & eius armigerum, idque vnum post alterum reptantes capiebat. Tertiò, quia erat summè aspera: Nam acuminatis scrupulis tanquàm nouaculis constrata, & dentatis angulis tanquàm falcibus circumsepta, non solùm innitentium pedes, sed etiam quodlibet fulcimentum apprehendentium manus cruentabat. Sic planè via salutis triplici hac difficultate redditur humanis viribus inaccessa. Ardua inprimis est teste Clemente Alexandrino lib. 4. Stromatum, sub initium. *Sudor*, inquit, *ante virtutem est positus, via longa est atq; acliuis ad ipsam.* Quasi diceret: Salutis via adeò acliuis est, vt à nemine percurri queat, nisi priùs terrenarum affectionum sarcina deponatur. Quod etiam cœlestis sponsa innuit Cantic. 4. inquiens: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Vbi per capillos, rerum cœlestium amatores significat, eosq; non cum gregibus ouium aut agnorum, sed caprarum comparat, quæ rupibus assuetæ, neque in imas valles desiliunt, neq; in aquosis pascuis oberrant; sed ardua atque acliuia loca perpetuò capessunt, vt quò altiùs ascendunt, eò magis sibi quiescere videantur; vt scilicet etiam illi qui ad cœlestia aspirant, neq; ad ima peccatorum, neq; ad aquata libidinum declinent: sed semper in altissimis Dei contemplationibus mentem suam defigant. sic locum istum exponit D. Ambrosius Ser. 16. in Psal. 118. *Vides*, inquit, *quòd in altis grex iste pascitur, vbi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum? vbi alijs periculum, ibi gregis huius alimentum? ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. spectantur à pastoribus suis, dumosâ de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, vbi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant? ideò elegit eas Spiritus Sanctus, quibus cœtum venerabilis Ecclesiæ compararet.* Non ergo ampliùs in humilibus peccatorum vallibus consistendũ est illis, sed in arduos montes perfectionis ociùs euolandum, qui viam salutis ingredi cupiunt. Quis enim ab hoc ascensu, quantumuis difficili excusabitur? cùm imbecillimum quemque allocutus Propheta Isaiæ 46. Numer. 9. dicat. *Super montem excelsum ascende, tu qui Euangelizas Sion.* Quis te ab hac ardua salutis viâ excusabit? cùm ascensum illius per se difficilem ita Christus Dominus suo exemplo emolliuerit, vt laboriosius non sit illum, corripere quàm domum incolere iuxta illud Prophetæ Amos 9. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam.* Quasi diceret: qui pandit iter in cœlum, re quidem ipsa arduum & accliue; suo tamen exemplo ita facile ac planum, vt non ascensio, sed mansio videatur: Quod expendens Tertullianus lib. 5. contra Marcion. cap. 10. *Scitò*, inquit, *ascensum illum exinde complanatum vestigijs Domini, & introitum exinde reseratum viribus Christi; nec vllam moram, aut quæstionem Christianis in limine occursuram; qui non dignosci habeant illos, sed agnosci: nec interrogari, sed admitti.* Vbi perpendat obsecro æternæ felicitatis appetens Christianus, quantum vtilitatis habeat via ardua salutis, vt qui illam fuerit emensus, sine mora statim in patriam admittatur.

Non sine mysterio Christus Dominus, cùm Euangelicam doctrinam traditurus esset, ascendit in montem

Matthæi 5.

1. Reg. 14.

Carthusia.

Via ad salutem ardua arcta, & aspera.

Clemens Alexandr.

Cantic. 4.

Cur salutẽ quærentes ad capras comparantur.

S. Ambros.

Isaiæ 40.

Amos 6.

Tertullia.

Matthæi 5. vt scilicet ostenderet, quòd in altitudine spiritualium virtutum consistere debeat, tàm is, qui docet iustitiam Dei, vt Auctor Imperfectus hom. 9. innuit. *Qui docet*, inquit, *verborum suorum sit ipse exemplum, vt magis opere doceat; quàm sermone. Qui enim ambulat per conuallia vitæ terrenæ, & loquitur altos sermones, non alterum instruit; sed seipsum castigat. Nemo enim potest in valle stare, & de monte loqui: si in terra est animus tuus, vt quid de cœlo loqueris? si autem de cœlo loqueris, in cœlo consiste.* Debet & is, qui iustitiam Dei audit, in alta æternæ beatitatis cacumina tota mente eniti: vt eleganter Auctor Imperfectus hom. 9. instruit. *Qui*, inquit, *audit iustitiam Dei, ideo, debet in altitudine bonorum operum consistere; quia discipulus imitator esse debet Magistri, si autem in peccatis viuas, & audias iustitiæ verba: iudicium tibi non salutem acquiris; audis enim ne excusationem habeas; si facere iustitiam non vis, vt quid prædicatorem iustitiæ audis? vt quid Doctorem appellas, cuius non vis esse discipulus?* Arduitas fortassè itineris te auocat? verùm salutis æternæ suauitas ad tàm arduum negotium satis te allicere potest. Sed deterret adhuc non vnius animum ab ingressu viæ salutis, quia nimiùm arcta est; homo autem liberiùs & licentiùs per latas vias spatiatur; quàm per arctas semitas graditur. Quod animaduertens Christus Dominus, illud consilium fideli suo populo proponit, Matt. 10. *Estote prudentes sicut serpentes.* Serpens enim (vt docet Isidorus Pelusiota libro 1. Epistolarum, Epistola 26.) arte ac versutiâ vetustatem exuit, in arcta quadam & angusta rima sese comprimens, ac senium deponens. Vult igitur Saluator noster, nos quoque per arctam viam, & afflictionem, veterem hominem exuere, ac pro eo nouum induere, qui ad eius imaginem renouatur. Arcta igitur iustorum semita est, quia inter vitæ istius temporaneæ pericula angustissimè intercurrit; via autem impiorum latissima, quia nullis terminis inclusa; sed super omnia deliciarum fata prataque amplissimè dilatatur, & quemadmodùm nautæ in mari nullis vijs circumscribuntur, sed toto Oceano quasi vnicâ viâ liberè spatiantur, sic planè impij huius mundi, nullas habent vias perfectionis, nullas iustitiæ semitas ingrediuntur, sed per omnia vitiorum genera impunè vagantur, iuxta illud Sapien. 2. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sed spatiari ad libitum humanæ cupiditatis, non est ad æternitatem currere: angustum enim cæli ostium, angustam pariter semitam postulat, vt ipsemet Christus Dominus docuit Matt. 7. *Intrate*, inquit, *per angustam portam*: quod & ipse Salomon 3. Regum 6. ingeniosè expressit, quando in ipso oraculi ingressu fecit ostiola de lignis oliuarum; ibidem Num. 31. At cur non potiùs ostia ingentia & bipatentia, quæ augustissimi illius templi magnitudini responderent. Non alia certè de causa; nisi vt indicaret angustissimum fore aditum ad salutem. Nam & in amplissimo illo templo, cœlestis patriæ hieroglyphico, quod vidit ac descripsit Ezechiel cap. 41. *Erant*, inquit Sacer textus, *duo ostia, & in duobus ostijs, ex vtraq; parte, erant bina ostiola, quæ in se inuicem plicabantur.* Per quod Deus in illa visione Prophetæ significare voluit, neminem ad cœlestem patriam admittendum, nisi priùs deposito fastu, se ad huius ostioli angustias accommodauerit.

Timeant ergo qui Iunonij in morem alitis, plumati & ansati, chlamydatiq; incedunt; vel potiùs in morem pauonum pompaticè gradiuntur. timeant inquam, ne huius cælestis portæ angustijs excludantur. Quod S. Chrysostomus hom. 22. in Genesim expendens, diuitem multis opibus tumentem, & minimè Deum timentem seueriissimè in hunc modum deterret. *Quæ*, inquit, *vtilitas hinc tibi homo? cùm non multò post, cùm febriculâ quapiam corripieris, anima subitò euolans, nudum & vacuum te faciet? immò*

Auctor Imperfectus.

Idem.

Matt. 10.

Serpens veterem pellem exuit.

Matt. 7.

3. Reg. 6.

Ezech. 41.

S. Chryso.

immò virtute quidem nudatum, veſtitum autem iniuſtitiâ, rapinis, auaritiâ, gemitibus, eiulatibus, lachrymis orphanorum, inſidijs, dolis. Quomodo poteris grandes prementeſq; illas ſarcinas peccatorum ferens, per anguſtam hanc portam intrare? Demùm via ſalutis eſt ſummè aſpera: quia partim cœnoſa, iuxta illud Abacuc 3. num. 15. *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* hanc viam Chriſtus Dominus, vt feliciter præiret ſuis fidelibus, ingreſſus erat tempore paſſionis ſuæ Pſalmo 68. num. 3. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Partim eſt ſaxoſa Iob 5. num. 23. *Cum lapidibus regionum pactum tuum.* Cuius lapideæ viæ typus præceſſit in Saule 1. Reg. 24. num. 3. vt enim ibi Saul Dauidem inueſtigabat, gradiendo ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ erant; ita planè Chriſtum Dominum nonniſi per rupes, & ſaxa atq; confragoſa loca omnis amaritudinis & tribulationis quærere oportet. partim demùm via ſalutis eſt ſpinoſa, iuxta illud Spiritus Sancti Cantic. 2. num. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*; in quem locum D. Bernardus Serm. 48. in Canticis ita diſcurrit. *Donec*, inquit, *in carne eſt anima, inter ſpinas profectò verſatur, & neceſſe eſt patiatur inquietudines tentationum, tribulationum aculeos. ſpina enim culpa eſt? ſpina pœna eſt? ſpina falſus frater eſt:* Vide inquit D. Bernardus, quomodò cautè ambules inter ſpinas. Plenus enim mundus eſt ſpinis; in terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt. Verſari in his, & minimè lædi, diuinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Sed quia duplices ſunt ſpinæ, aliæ quidem vitiorum, aliæ verò tormentorum, ideò euulſis ex animo ſcelerum ſpinis, in ſpinis tormentorum omnium huius ſæculi, aliquantum eſt immorandum.

Habac. 3. Pſal. 68. Iob 5. Cantic. 2. S. Bernard.

Exodi 27. rat, columnas tabernaculi factas fuiſſe ex lignis ſethim, ſeu vt vertit Diuus Hieronymus ex lignis ſpinarum, per quas columnas Venerabilis Beda libro 2. de tabernaculo cap. 5. homines Chriſtianos intelligit, qui quantumuis ſcelerum ſpinas ex animo euellant; tormentorum tamen ſpinas ſibi infigunt, vt pariter cum Chriſto, qui etiam ſpinis coronatus erat, vacent à culpis; pœnis tamen compungantur. En quanta difficultas viæ, quâ ad patriam incedendum eſt. homines quos prædeſtinauit Deus, antequàm accedant ad ſeruitutem Dei, fruuntur in hoc ſæculo tanquàm delicioſa libertate, velut vuæ aut oliuæ prudentes in ſuis frutetis; ſed accedens quiſque ad ſeruitutem Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat? contribulabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc ſæculo pereat; ſed vt in apothecas defluat. Verùm, ne concidite animo Catholici, licet via ſalutis adeò ſit dura, arcta, & aſpera, non erit illam difficillimum tenere mediam, inter ſiniſtram deſperationis, & dextram præſumptionis. Cùm ipſemet Chriſtus Dominus ſeipſum nobis hodiè hanc viam eſſe præbeat. *Ego ſum*, inquit, *via, veritas, & vita.* Ioan. 4. Ioan. 4. Quaſi diceret: qua vis ire homo, *ego ſum via?* Quò vis ire, *ego ſum veritas.* vbi vis permanere, *ego ſum vita?* via ad ſalutem vera eſt Chriſtus, in qua quamdiu quiſque mortalium ambulat, ſecurus eſt, quia Chriſto præſente nullus illi hoſtis nocere poteſt. Verùm iuxta hanc viam innumera oboriuntur pericula, quia ſi vel digitum à Chriſto receſſeris, laqueos diaboli non effugies. Quod conſiderans Sapiens Prouer. 4. num. 27. Sic per hanc viam currentes admonet: *Ne declines ad dextram, neq; ad ſiniſtram.* Quaſi diceret: neq; virtutibus, quæ ſunt, infleris; neq; peccatis, quæ ſunt, ad ſiniſtram ſubijciâre. Nam dicit iuſtus Iob c. 23. num. 9. *Si ad ſiniſtram iero, non apprehendam eum*, ſcilicet Deum, *Si me vertam ad dextram, non videbo illum.* Quid ſit autem declinare ad dextram, aut ad ſiniſtram, explicat D. Gregorius lib. 16. Moralium cap. 15. *Ad ſiniſtram*, inquit, *ire, eſt peccatorum delectationibus conſentire; quia Deum apprehen-*

Beda. Prouer. 4. Iob 23. S. Gregor.

prehendere non valet, qui adhuc in dele-
ctatione peccati per sinistram iacet. In-
dextram verò procul dubio vertitur, qui
de virtutibus eleuatur. Sed Deum vide-
re non valet, qui priuata letitia de bonis
actibus gaudet, quia in eo cordis oculum
tumor elationis premit.

Sed viam nobis hodiè Christus proponit, scilicet seipsum humilem, vt ambulemus in humili, si ad excelsum peruenire desideramus: qui enim humilem IESVM non aspernatur, in excelso fortissimus permanebit. Quemadmodùm docet D. Augustinus tract. 45. in Ioannem. *Humilis*, inquit, *via est Christus Dominus, qui graditur per hanc viam, oportet humilem esse, vt sano corpore possit ad terminum peruenire.* Et quæ obsecro alia causa humilitatis Christi, nisi infirmitas nostra? venit ille humilis in mundum, docens humilitatem, quâ redeamus: quia superbia nos redire non sinebat. Superbia enim fecerat recedere exaltatum humanum cor aduersùs Deum, & negligens in ipsa sanitate præcepta diuina, decidit anima in infirmitatem. ideò discat nunc audire infirma, quem contempsit fortis. Audiat, vt surgat; quem spreuit, vt caderet, audiat tandem experimento edocta, quod præcepto noluit obtinere. Docuit iam satis mentem humanam miseria sua, quid mali sit à Deo fornicari. Recedere enim ab illo simplici & singulari bono, in istas momentaneas mundi voluptates, in amorem sæculi corruptionemq; terrenam, fornicari est à Deo. Amor enim mundi adulterat animam; amor autem Dei castificat illam; quæ quamdiu de corruptione sæculi non erubuerit, ad amplexus illos æternitatis castos redire minimè concupiscit, sed oblita quodammodò Dei & sui ipsius, iustificat iniquitates suas, & superbit in petulantia, in luxuria, in honoribus, in potestatibus, in diuitijs, in potentia vanitatis. Verùm vbi Christum agnoscit viam esse salutis, protinùs confunditur in sua impietate, displicet sibi, confitetur fœditatem, desiderat

S. Augustin.

A pulchritudinem, & quæ ibat in omne vitiorum genus effusa, contrita dolore pœnitentiæ, & castæ verecundiæ pudore confusa, redit ad Deum.

O felicem viæ istius transitum! quæ omnes per seipsam currentes ex hostium insidijs eripit, atq; ad portum securitatis traduxit? iuxta illam Prophetæ obsecrationem. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Quasi diceret: licet despicis ea quæ hominis sunt, scilicet peccata; ne tamen hominem B ipsum, quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti, odio habeas, sed excita in corde eius confusionem; vt tandem miser homo redeat ad se, & quæ temerè ac malitiosè cõmisit, erubescat: ad te verò quem dereliquit factorem suum, redeat. Clamat iam ille qui factus est via. *Intrate*, inquit, *per angustam portam.* Matt. 7. Matt. 7. Conatur ingredi homo, sed impedit tumor, vt ergo detumescat homo, accipiat humilitatis medicamentum, bibat contra tumorem, po- C culum amarum, sed salubre: scilicet poculum humilitatis. Non sibi magnus tumidus homo videatur, sed detumescat, vt apud Deum magnus sit, vt de sua salute certus sit, vt in virtutibus solidus sit. Non desideret mundi vana & caduca, non de pompa rerum labentium corruptibiliumq; glorietur, sed audiat Christum dicentem: *Ego sum via.* Ioan. 14. Quid Ioan. 14. hoc est? disputat nimirum Deus cum homine. Tumidus homo quærit, quâ intrabo? Respondet Christus. *Ego* D *sum via per me intra*, quid ergo iam quæris Christiane, quâ redeas? quò redeas? quâ intres? cùm tibi omnia facturus sit Deus. leue tibi mandatum præscribitur. Humilis esto, & intrabis per humilem IESVM ad æternitatem. Et licet te iniquitas vndiq; premat, ne tamen desperatione frangaris, quia priùs à Deo amatus es, antequàm reperiretur in te, quod amari dignum esset. Et quæ causa, quòd Christus priùs amauerit impium, antequàm illum suo sanguine redimeret, & gratiâ sanctificaret?

Christus priùs amauit peccatorem antequàm illum redemit.

ſcilicet ideò, vt per hanc Dei dilectionem dignus fieret homo, qui amaretur. quemadmodùm docet Apoſtolus Roman. 5. *Chriſtus*, inquit, *pro impijs mortuus eſt.* Ergone impius dignus erat, pro quo Dei Filius vitam ſuam poneret, aut cruciatus omnes pateretur, aut ſanguinem profunderet? Minimè ſanè; ſed merebatur damnari. Vt quid igitur tantum beneficium impio præſtiterit Deus, vt pro impijs moreretur? ſcilicet vt homo agnoſcat, quòd ſi tantum bonum impio homini præſtiterit Deus, pio & bono maiora longè ſit præſtiturus. Quod ſi auaritiâ omnia vis poſſidere, noli per auaritiam, ſed per pietatem id quærere; ſi enim ita quæſieris, poſſidebis. Timebis enim eum, per quem facta ſunt omnia, & cum ipſo omnia poſſidebis. vt docet Apoſtolus Roman. 8. *Qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quomodò cum illo non omnia etiam nobis donauit? Ecce habes auare omnia! Omnia quæ amas vt non impedianis, cum Chriſto contemne, & ipſum toto affectu tene, in quo poſſis omnia poſſidere. Poteritne iam ampliùs ægrotare genus humanum, ſi hanc ſalutis viam ſcilicet Chriſtum Dominum intrauerit? Iam humilis Deus eſt, vt quid adhuc ſuperbus homo manet. Iam Chriſtus via factus eſt? quare tamen recuſat homo, per hanc viam intrare? Fortaſsè ideò, quia hæc via aſpera & ardua: verùm ſi iuxta doctrinam Euangelicam, non eſt impoſſibile camelum per foramen acus tranſire, quomodò difficilè erit homini per anguſtam portam cœlum intrare.

Rom. 5.

Rom. 8.

Clamat ad vos Catholici hodiè Magiſter Angelorum, clamat verbum Dei, quo rationales omnes mentes ſine defectu paſcuntur, Panis verus, cibus reficiens, at integer permanens, clamat, inquiens: *diſcite à me.* Erigite hic aures Eccleſiæ filij ſanctæ? a magno enim artifice, magnum aliquid audituri ſumus; diſcite inquit à me non formare creaturam, quæ per me facta eſt; non diuidere mare & aridam; non creare volatilia, animalia terrena, aut natantia in profundo aquarum: non ponere in cœlo ſidera, diſtinguere diem & noctem, ſeparare lucem à tenebris; quia hæc ſoli Deo competunt. non denique miracula patrare, quæ quibuſdam Deus, & non omnibus contulit; ſed *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde;* hæc eſt vera prædeſtinatorum medicina. Quid enim prodeſt, ſi miracula faciat homo, & ſit ſuperbus; non verò corde humilis, nonne deputabitur in numero eorum, qui venturi ſunt in fine mundi, & dicturi: *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus tamen reſponſurus eſt Deus, *Non noui vos, recedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Ejicere enim dæmonia, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituere, gratia gratis data eſt, quæ hominem non ſanctificat, nec perfectum eſſe oſtendit, ſed plerumque pro placito Dei, etiam indignis & infidelibus tribuitur. Sed illud potiſſimùm in via ſalutis, à Chriſto diſcere debemus, vt mites, & humiles animo fiamus; hoc eſt; vt perfecta Dei charitas in ſimplicitate cordis noſtri vigeat, non vanæ elationis aut præſumptionis tumor. Multa quidem ſibi vſurpant homines, vnde ſe iactare poſſint. Alij ex oris venuſtate, atq; ſermonis & linguæ fluidâ & iucundâ dictione, ſed non eſt mortalis facundiâ tantæ æſtimationis, vt ſe aliquis de illa efferat; quemadmodum docet Apoſtolus. Matt. 11. *Si linguis*, inquit, *hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum vt æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens.* Ecce quid ſublimius munere linguarum adeò diuerſarum? & tamen æramento & cymbalo tinnienti confertur; ſi non adſit charitas Dei. Alij gloriantur, quòd abſtruſa ſcientiarum arcana penetrauerint, ſacrorum voluminum occultiſſima ænigmata intellexerint, Prophetarum vaticinia

Gratia gratis data poteſt impio tribui.

Matt. 11.

per-

perlustrarint ? Quibus tamen Apostolus respondet ibidem, *Si sciam*, inquit, *omnia sacramenta, si habeam,* Ibidem. *omnem prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum.* Ecce quid magnificentius, quid excellentius hac prærogatiuâ ? quæ tamen ab Apostolo sine diuino amore nullius momenti reputatur esse. triumphant denique cæteri de suis eleemosynis, quas largissimè in manus pauperum sæpiùs deponunt. Verùm & his respondet Apostolus. *Si distribuero* Ibidem. *omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Ecce quid perfectius iam cogitari potest, quàm pauperum egestati succurrere, & egentium inopiam subleuare ? & tamen neq; hæc perfectio magna est, sine dilectione Dei. Posset quidem hic iustè admirari homo, quomodò per eleemosynas perfectus homo non fiat, quandoquidem diuiti ad obtinendam perfectionem hoc solùm imperauerat Dominus Matt. 19. *Si*, inquit, *vis perfectus esse, vade, ven-* Matt. 19. *de omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quasi ex eo perfectum fieri Dominus ostenderet, quòd omnia sua pauperibus erogauerit. Verùm non sufficit apud Deum, omnia sua pauperibus erogare, nisi ipsum etiam Deum sequatur homo ; propterea loquens Deus diuiti adiecit ; *Vende omnia, & da pauperibus, & veni sequere me.* Sequi Deum nihil aliud est, quàm imitari eius humilitatem, & mansuetudinẽ : ideo enim viam seipsum esse dicit, vt quemadmodùm viator in itinere totus est ad viæ, per quam ambulat, obseruationem ; ita vt quilibet fidelium ad Christi perfectiones, & virtutes imbibendas totus componatur.

Sed sciscitabitur aliquis, vnde æternus Dei Patris Filius, proclamat Christianis se viam esse ? qui cùm ab æterno semper fuerit, nonne gentibus etiam erat via ? verùm indubitatum quidem est, Christum semper fuisse, sed viam salutis nonnisi tunc extitisse, cùm pro nobis homo fieri dignaretur. Nam quemadmodùm A via recta, ducit hominem ad assecutionem termini, ita Christi humanitas, vnumquemq; fidelem ducit ad cognitionem termini beatitudinis, scilicet ipsius Dei : cùm omnia superna mysteria, non aliter nobis quàm per hominem Iesvm manifestata sint, vnde cùm Dei Filius ante incarnationem ignotus esset, via esse non poterat ; sed postquàm per carnis assumptionem, seipsum mundo manifestauit, protinùs etiam via ad salutem esse cæpit, simulq; vita ad B patriam suam tendentes viuificans. Mirabile quidpiam refert scriptura Isaiæ 6. num. 7. quòd Seraphim qui stabat coram Deo, calculum forcipe tulerit de altari, & miserit in os Isaiæ dicens : *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur.* Vbi istius calculi, seu potiùs carbonis nomine, (vt legunt septuaginta,) intelligit Helias Cretensis in oratione 1. Nazianzeni, sacrosanctum Christi corpus. vt enim carbo ab igne correptus, sic incenditur, C vt totus esse ignis videatur ; ita Christi corpus verbo diuino hypostaticè vnitum, sic excellit, vt diuinum appelletur. Si igitur ille calculus solo tactu Prophetam expurgauit, spiritaliq; vitâ ac gratiâ repleuit, quantò id vberiùs præstabit Christi corpus ? cui Deus (inquit Helias Cretensis) diuinitatis dotes per hypostaticam vnionem impertiuit, ita vt sanet, & vitam afferat, & purget ; quoniam rerum omnium effectoris, & viuifici verbi corpus proprium exstitit. Fate- D tur hoc Ieremias Thren. 4. num. 20. vbi spiritu oris nostri Christum Dominum sic alloquitur : *In vmbra tua* Thren. 4. *viuemus in gentibus*, quem locum Diuus Ambrosius Serm. 19. in Psal. 118. sic exponit. *Vmbra*, inquit, *tua, caro* S. Ambro. *fuit, quæ nostrarum refrigerauit cupiditatum fomitem, quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ diuersarumq; passionum incendia temperauit.* Si vita est Christus non tantùm viuificans, verùm etiam nutriens, & in æternum saginans fidelium mentes, quis ad il-

lum obsecro non festinabit? quis ad hanc vitam, quæ non mortalitatis, sed æternitatis pabula subministrat, non accurret? in hac enim vita carpis nouum florem, qui nouum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo est splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est, dominici sanguinem corporis. vt docet Diuus Ambrosius Serm. 14. in Psalm. 118. Est deniq; Christus Dominus, veritas, hominem qui illum sequitur, à mendacijs immunem, à periurijs segregatum, à blasphemijs alienum esse faciens, eumq; tantùm in diuinis præceptis instruens, cælestibus arcanis erudiens, & veritatem æternam totis viribus sequendam illi suadens.

Quare si ad hanc vnicam viam, Dei scilicet Filium, in carne humana triumphantem, currebant Prophetæ, festinabant Patriarchæ, properabant Apostoli, turmatim confluebant Martyres, & cætera Ecclesiæ Catholicæ sanctitatis ornamenta. Accedite & vos hodiè ad illum, quia via est, quæ ducit ad patriam: quia vita est, quæ emortuos in peccatis viuificat, desperantes ad spem viuam erigit, pœnitentibus animi solatium affert, & quoscunq; sub vmbrâ mortis languescere videt, eos ad lucis aspectum, virtutis amplexum, gratiæ ac spiritualis vitæ amplexus erigit. Accedite ad illum, quia veritas est, quæ odij aut inuidiæ melancholiâ laborantes charitate implet, & de mundi falsitatibus atq; mendacijs ereptos, scelera propria agnoscere, pœnitentiam maturare, & soli Deo fortiùs adhærere facit. Tuam ergo iam semitam ingredimur ô vera credentium vita, vt per tuorum mandatorum stadia currentes, terminum æternitatis, qui est beatitudo interminata, assequamur, Amen.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

In domo Patris mei mansiones multæ. *Ioan.* 14.

Mansiones in domo Patris æterni multæ, sunt beatificæ iustorum visiones, impares accidentaliter, in quibus potissimùm homo septem modis crescere potest.

A Primis statim suis incunabulis homo arctissimam cùm Deo amicitiam inire desiderauit, eamq; vinculo consanguinitatis veluti fœdere æternum duraturo stabilire omnimodè enituit, vt sic & Deus homo, & homo vicissim Deus fieret. Hoc B omnis virtutis & veritatis Magister ipsemet Christus palam docuit. Ioannis 17. *Hæc est*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & Filium tuum Iesum Christum.* Immò & ipse Deus hanc amicitiam ab initio creationis mundi pollicitus est, teste Diuo Augustino lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 30. *Præmium*, inquit, *virtutis erit ipse qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo nihil potest esse maius, promisit.* Cuius promissi hodierna die fit executio, dùm ad hanc amicitiam Deus hominem admittit, & benignè suscipit C Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos sed amicos.* Duobus autem modis ad hanc Dei amicitiam patet aditus, scilicet; per fidem, & per sapientiam. Per fidem iuxta illud Iacobi 2. *Credidit Abraham Deo, & amicus Dei appellatus est.* Quemadmodùm enim, vt docet Aristoteles, intellectus intelligendo fit omnia, id est; efformat in se species rerum omnium; ita, cùm fides Dei sit etiam cognitio obscura, homo credens in Deum, hoc D est; agnoscens, ipsum Deum in se efformat, atque Deus ipse quodam modo efficitur. Patet accessus ad hanc amicitiam Dei & per sapientiam, ex illo Sapien. 7. *Omnia potest diuina sapientia, & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert: amicos Dei & Prophetas constituit.* Neminem quippè diligit Deus, nisi eum, qui in sapientia inhabitat, cùm verus amor notitiam amantium se omninò requirat: ignoti enim vt nulla cupido, sic nulla complacentia, nullus amor esse potest.

Ioan. 17.

D. Augusti.

Ioan. 11.

Duplex accessus ad Dei amicitiam.

Iacobi 2.

Aristoteles

Sapien. 7.

test. O felix amicitia! quæ hominem ab omnibus mundi operibus immunem facit, diuinæ consortem naturæ reddit 2. Petri 4. *Iustorum enim anima in manu Dei sunt.* Sapien. 3. & Psal. 36 *Cùm ceciderit iustus non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* O quanta securitas amicorum Dei! quos Deus in manu sua portat; quos in sinu diuino gestat, Psal. 36. *Quid times hominem homo in visceribus Dei posite:* te enim in visceribus suis gerit Deus, vt docet Apostolus, *Testis est*, inquit, *mihi Deus, quomodò cupiam vos in visceribus Iesu Christi.* Et reuera meritò sunt in visceribus IESV Christi, qui Christum in suis visceribus habent. Matt. 16. *Manete in me & ego in vobis.* Et tamen ad hanc suam amicitiam, neq; iam per fidem potest Deus quenquam trahere, quia hæc magna ex parte in cordibus hominum euanuit. Neque per sapientiam, quotus enim quisq; hisce temporibus eam amplectitur, dùm stultorum plena sint omnia. Idcirco tertiam adhuc viam patefacit Deus homini, trahens illum ad se elegantiâ structuræ nouæ illius Ierusalem, palatiorum cœlestium splendore, mansionum amplitudine & multitudine. *In domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ.* De qua mansione cœlesti, eiusq; multiplicitate & diuersitate sermonem meum instituam.

2 Petri 4. Sapien. 3. Psal. 36. Matt. 16. Ioan. 14.

Mansiones istas in domo Patris æterni, esse ipsas visiones beatificas iustorum, docet D. Ambrosius libro de bono mortis cap. 12. exhortans fideles, vt ad illa superna receptacula, intrepidè & prompto animo pergant. *Ibimus*, inquit, *ad eos, qui recumbunt in regno Dei, cum Abraham, Isaac, & Iacob. Ibimus eò, vbi paradisus est iucunditatis, vbi Adam, qui incidit in latrones, nescit iam vulnera sua flere, vbi & latro ipse regni cælestis consortio gratulatur, vbi nulla nubes, nulla tonitrua, nulla coruscationes, nulla ventorum procella, neq; tenebræ, neq; vesper, neq; æstas, neq; hyems, vices variabunt temporum. Non frigus, non grando, non pluuia, non solis istius erit vsus, aut luna, neq; stellarum globi, sed sola Dei fulgebit claritas. Dominus enim erit lux omnium, & illud lumen verum, quod illuminat omnem hominem, fulgebit omnibus.* Quia tamen claræ illæ Dei visiones in beatitudine pares non sunt, idcirco vocantur multæ, vt insinuat D. Augustinus illis verbis. *Videbimus te Domine, & tantò vnusquisq; perspicaciùs, quantò hic puriùs vixit.* Hic maledictus Iouinianus errorem suum deponat, qui veterum Stoicorum sententiam secutus, existimantium virtutes omnes esse pares, & vitia paria, asserere ausus est, iustos quoq; in sua beatitudine pares esse. Cùm eius dementiam euidenti Scripturæ sacræ testimonio Regius vates conuincat Psal. 83. *Benedictionem*, inquit, *dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Quem locum Sanctus Gregorius hom. 15. in Ezechielem sic exponit: *Non mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa vnaquæq; virtus, quasi quibusdam gradibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa producitur.* Hinc Lucæ 17. Apostoli postulabant à Deo augeri sibi fidem. *Adauge*, inquiunt, *nobis fidem.* Ex quo loco S. Hieronymus mouet argumentum in Iouinianum lectione 2. *Quare*, inquit, *dicunt Apostoli, adauge nobis fidem?* Si omnium vna mensura est: ideo scilicet; vt perfectiùs credentes, plus sibi apud Deum mereri possint. His etiam argumentis conuellitur Lutherus, docens, posse quidem hominem crescere in fide, spe, & charitate, per has tamen virtutes neminem iustificari.

Manſiones multæ, ſunt viſiones beatificæ iuſtorum.

S. Ambro.

S. Augusti.

Refutatur error Iouiniani.

Psal. 83.

S. Gregor.

Lucæ 17.

S. Hieron.

Error Lutheri.

Sed mirum est, quomodò visiones beatorum impares esse possunt, cùm Deus eandem omnibus persoluat mercedem, scilicet; denarium. Matt. 20. *Et nouissimi & primi, acceperunt singulos denarios.* Vt proinde inter operarios cœlestis vineæ grauis quondam exorta fuerit controuersia; hi enim, qui à crepusculo diei laborauerunt, arbitrati se plus accepturos, videntesq; se æquali denario donatos, cum indignatione murmurârunt aduersùs Patremfamilias. Mat. 20

Matt. 20.

Hi, in-

Ibidem. *Hi*, inquiunt, *vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Vbi ex ſententia S Irænei, Origenes, Gregorius. D. Irenæi lib. 4. cap. 7. Origenis tractatu 20. in Matt. Gregorij hom. 19. in Euangelia, &c. dies per horas diuiſus, denotat totum tempus à prima mundi origine, vſq; ad finem & conſummationem eius; ſerò *finale*, quo Paterfamilias vocat operarios ad recipiendam mercedem, denotat extremum iudicium; quemadmodùm enim veſperi cuilibet operario ſua perſoluitur merces; ita in extrema iudicij die, cuilibet Deus reddet pœnam aut præmium, quam in corpore geſſit. Inſtat tamen D. Chryſoſthomus, quomodò illi primi operarij murmurabant, cùm nacti fuerint florentiſſima illa mundi tempora, vixerintq; aurea illâ ætate, ſummè proſperâ, felici & abundanti. Si enim tot tantiſq; delicijs, & voluptatibus gauiſi fuerunt, quomodò tantoperè ſuos labores extollere & magnificare auſi ſunt? quomodò querula voce aſſerunt, ſuos ſucceſſores reſpectu ſui, nullam paſſos fuiſſe laborisdefatigationem? Cum tamen hi vixerint dubio procul tempore maximè ærumnoſo, miſeriarum & calamitatum perplexo. Reſpondet aureus Chryſoſthomus homil. 34. in Matt. S. Chryſo. *Tunc ergo*, inquit, *mundus in iuuentute conſtitutus omnibus bonis proſperabatur, & felix erat; nunc autem mundus ſeneſcens, omnibus aduerſitatibus premitur, & ideo concupiſcibilis non eſt. Qui ergo tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate iuſtitiam ſeruabant, quia ipſa felicitas mundanarum rerum, ſatis impedimentum eſt animæ ad iuſtitiam faciendam.* In primæuo itaq; mundi flore, inter opes & delicias poſiti mortales magis patiebantur; quàm in moderno calamitoſo ſæculo, tot miſerijs & infortunijs obnoxio. Nam multò crudelius eſt bellum, quod proſperitas infert homini; quam omnes aduerſitatis inſultus. Proinde nobilior multoq; excellentior fuit virtus, primorum mundi incolarum; quàm ſucceſſorum, ſeu poſterorum: Quia A hi infortunata & laborioſa, illi verò proſpera & felicia nacti fuerunt tempora.

Denarius Catholici mei, quem ſinguli, pro veſtris in Chriſti vinea laboribus accepturi eſtis, non ſignificat æqualitatem gloriæ & excellentiæ, verùm æternitatis. Ac proinde omnibus quidem datur idem denarius: quia Sancti omnes in æternum regnabunt, licet non omnes eâdem eminentiâ. Inſuper idem denarius datur omnibus: quia omnium beatorum Deum videntium idem eſt obiectum formale, ſcilicet; Dei eſſentia, perſonæ, attributa, & actus liberi: beneficio cuius omnes quidem ſunt pares in beatitudine ſubſtantialiter: quia tamen non eadem intenſio charitatis in omnibus, quoad pluralitatem obiectorum ſecundariorum, ideo ſunt diſpares accidentaliter. vt docet Scriptura ſacra 1. Corint. 15. *Alia*, inquit, *claritas eſt ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum.* Et Ioannis 14. *Stella differt à ſtella in claritate.* Denarius ſignificauit æqualitatem æternitatis, non gloriæ. 1. Cor. 15. Ioan. 13.

Porro iſta inæqualitas viſionum, prouenit ab inæqualitate luminis; huius verò inæqualitas, ab inæqualitate meritorum. Quod deducitur ex Prouerb. 4. *Iuſtorum*, inquit, *ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit, vſq; ad perfectam diem.* Vbi Sapientiſſimus Salomon volens nobis viam iuſti, quaſi viuis coloribus depingere, quam omnes, quicunque rapido curſu in cœleſtem Ieruſalem tendimus, ſequi debemus, metaphoram deſumpſit ab eo, quod in cœlo peragitur, in via ſolis & curſu, quem ab ortu ſuo in oriente, quouſq; peruenit, ſuper noſtrum horizontem, zenith capitis noſtri deſignans, proſequitur. Matutino quippe tempore Sol in oriente exoritur cælum exornans, terram illuſtrans, & totum âêrem amænis verſicoloribus veſtiens, qui oculis noſtris tanta venuſtate obuerſantur, vt tanquàm tapetia luce variegata eſſe videantur. Pergit autem Sol curſum ſuum proſequens, & de gradu ad gradum, de domo ad domum conſcendit, donec in ipſa cœli Prou. 4.

cœli medietate sese constituat, diemque cum ea plenitudine ac perfectione lucis, quam habere debet, afferat. Talis est iudicio Salomonis via iusti, qui instar pulcherrimi Solis in mundo oritur, vt eum claritatis suæ radijs illustret, tenebras dissipet, ac vanitatem vincat, consilio Apostoli sese conformans, qui Sanctos luminaria mundi appellat. Philippen. 2. *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Philipp. 2. Gressus ergo suos per hanc viam, ita prosequitur & continuat iustus, vt ne ad punctum quidem eos retroferat, in quo cardo eius iustitiæ consistit: quin potiùs continuò proficiat, & vltra in melius semper progrediatur, donec ad summitatem perfectionis, ad consortium beatorum in cœlesti felicitate pertingat.

Hoc suadet insignis illa allegoria, quam scriptura sacra refert de Abraham Patriarcha. Gen. 12. *Perrexit*, inquit, *Abraham vadens, & vltra progrediens ad meridiem.* Gen. 12. Quid nostrâ referebat, vt hanc Abrahami progressionem ad meridiem ita consultò Sacra Hist. enarraret? Respondet doctissimus Ruper. Abb. in hunc locum: *Meridies*, inquit, *significat perfectionem: bene ergo progredi dicitur ad meridiem, qui ab hac aurora fidei sua vltra vadens, & progrediens de virtute in virtutem, sine dubio ad plenum & perfectum peruenit perfectionis diem.* Rupertus. Quasi diceret: meridies luce nimirum plenissima, & altissimo loco existente, symbolum est perfectionis; Abraham verò, figura hominis fidelis, cùm itaq; de eo dicitur, quòd meridiem versùs proficisceretur significatur iustum & verum Christianum in via virtutis non subsistere, donec ad diem gloriæ, vbi semper est meridies, dies sine nocte, claritas sine obscuritate, lux nullis tenebris intermixta, pertingat. Et hoc est, quod dicit Salomon; *Procedit & crescit vsq; ad perfectum diem.* Prou. 4. hoc est; nunquam subsistit neq; quiescit iustus, sed semper vlterius progreditur, hodiè vnã, cras alteram virtutẽ acquirit; hodiè vnum meritorium gradum attingit, altero verò die gressum vlteriùs figit, donec ad vltimum terminum, qui est cœli dies, & ingressum Ierusalem visionis pacis pertingat. An non palam hoc ipsum Deus monstrauit, Moysen Exodi 24. alloquens: *Accede ad me in montem.* Exodi 24. Res prodigio similis: vtiq; iam tunc Moyses conscenderat montem, Scriptura sacra paulò ante id referente: *Ascenderunt q; Moyses & Aaron.* Respondet S. Seuerinus: quia non satis erat Moysi ascendere in montem, nisi quoq; ad ipsum etiam Deum ascendisset. S. Seuerin. Quo exemplo instruere Deus voluit vnumquemque, quòd quilibet Christianus, cui salus æterna cordi est, debeat continuò progredi, & de virtute in virtutem proficisci, in omnibus prudenter & circumspectè agere, domare monstra peccatorum, difficultates in arduis virtutibus conquirendis superare, calcare mundi fastum, carnem aduersus spiritum pugnantem varijs mortificationibus & ieiunijs vincere, de frequentissimis & astutissimis dæmonum insultibus triumphare, quousque perueniat ad montem Sion, vbi diuinâ præsentiâ perfruatur.

His passibus incedere voluit hodiernus Apostolus, qui per septem virtutes in Dei amicitia creuit; Primò per obedientiam; quia statim vocantem Christum secutus est, Ioannis 1. *In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, dicit ei Iesus sequere me, & statim secutus est eum.* Ioan. 1. Vndè meritò potuit dicere de se illud Isaiæ 50. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsùm non abij.* Isaiæ 50. Miser autem homo, qui toties per bonas vocatus inspirationes, vocantem respuit, Iob 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.* Iob 24. O magna obedientiæ præstantia, quæ non tantùm suos amatores sanctificat. Quis enim profanior populo Persarum & Medorum extitit vnquàm; & tamen quia hi Deo paruerunt, sanctificati appellantur Isaiæ 13. *Ego*, inquit, *Dominus mandaui sanctificatis meis.* Isaiæ 13.

meis. hoc est; vt exponit Glossa In-
Glossa Interlin. terlinealis. *Persis & Medis obedientibus mihi.* Sed etiam ad claram Dei visionem hominem perducit, iuxta illud
Hebr. 12. Hebr. 12. *Sequimini sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* id est; obedientiam. Ast non mirum; cùm nullum sit genus seruitutis, quod obedientia pro Deo obeundum non suadeat. Alij quidem alijs in rebus suum Deo obsequium præstant: quidam si honorifica; alij si quæstuosa; nonnulli si iucunda imperentur. Qui autem veram Dei seruitutem profitetur, non ad imperata respicit, sed ad imperantem: & quidquid iniungitur, dummodò à Deo iniungatur promptissimus exequitur: nec attendit in quo gradu seruiat, sed cui seruiat; gloriosis muneribus, an abiectis addicatur: inter intimos consiliarios, an inter vilia mancipia numeretur.

Creuit secundò, per prædicationem: quia, primus aduentum veri Messiæ annuntiauit. Ioan. 1. *Inuenit*
Ioan. 1. *Philippus Natanàël, & dicit ei, quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Qui id audiens, non solùm statim reiecit, sed etiam, vt rem risu dignam contempsit. *A Nazareth*, inquit, *potest aliquid boni esse?* ibidem n. 46. Quasi diceret: Absit vt à Nazareth tam vili humiliq; Galilææ oppido bonum aliquid prodire censeamus, nedum supremum, quale est Messias. Ignorabat enim Natanàël Christũ in Bethlehem natum, sicut & cæteri Iudæi, Philippus tamen Natanàëlem iam non verbis, sed ipsius Christi patientiæ exemplo conuincere studens, ad ipsum Christum inuisendum eum inuitauit. *Veni*, inquit, *& vide.* Quem
Ibidem. vbi Deus aspexit: *Ecce*, inquit, *verus Israëlita, in quo dolus non est.* ibidem n. 48. Protinus verò Nathanàël, quasi nouo illo encomio turbatus, interrogauit Christum. *Vnde me nosti?* Cui Christus: *Priusquàm te Philippus vocaret, cum esses sub ficu vidi te.* Quibus auditis Natanàël, continuò fide plenus, hinc collegit, & quasi per formalem consequentiam intulit, Christum esse Dei Filium exclamans: *Rabbi tues Filius Dei, tu es Rex Israël.* Et quænam obsecro fuit ista ficus, sub qua Christus videns Natanàëlem, tàm misericorditer cum illo egit? An certè putatis ficulneam hanc esse aliam, nisi vmbram peccati, quâ mens humana excæcatur. Cùm id apertissimè conuincat Authoritas D. Augustini tract. 7. in Ioannem. *In origine*
S. August. inquit, *humani generis, Adam & Euæ cùm peccassent, de foliis ficulneis succinctoria sibi fecerunt, folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. Erat autem Nathanàël sub arbore fici, tanquàm sub vmbra mortis.* Sed quia de illo miseriarum statu nemo potuit liberare filios Adæ, nisi incarnatus Dei Filius, ideo postquàm eum vidit Dominus, statim lumen salutis recepit. Meritò itaq; nunc S. Philippus, tanta Dei amicitiâ fruitur in cœlis, qui claritate plenus, dona gratiæ & fidei hominibus in terris communicauit.

Creuit tertiò per fidelem Christi bonorum dispensationem; nam eius fuit procurator. Ioan. 6. *Cùm*
Ioan. 6. *subleuasset oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venisset ad eum, dixit ad Philippum: vnde ememus panes, vt manducent hi?* At cur hunc potiùs; quàm quemuis alium Apostolorum interrogauit Christus? Causam forsan putaret aliquis, quòd Auctore D. Cyrillo Alexandrino lib. 3. in Ioannem cap. 13. Philippus paulò rudior, hebetiorq; cæteris fuit, proinde vt consulendo rudiorem, maius nobis relinqueret suæ humilitatis exemplum, efficaciusq; nobis persuaderet, vt etiam rudiores & imperitiores consultum adiremus. Fateor rem ita se habere, verùm ibi vlteriùs pergens Cyrillus, aliam assignat causam: *Quia,*
S. Cyrillus. inquit, *libenter Philippus discebat, quærebatq; sapiùs.* Quasi diceret: Quia Philippus Christum Dominum consulebat, ideo à Christo quoq; Domino consulebatur. Qui enim interrogando bonum se discipulum præstiterit, bonus docendo Magister efficietur. O verè fidelis dispensator,

quem

quem Dominus constituit super familiam suam, vt det illi in tempore tritici mensuram.

Creuit quartò, & per mediationem inter homines & IESVM Ioannis 12. *Erant autem quidam gentiles ex* Ioan. 14. *his, qui ascenderant vt adorarent in die festo: Hi ergo accesserunt ad Philippum & rogabant eum dicentes, Domine volumus Iesum videre: venit Philippus & dixit Andreæ: Andreas rursùs & Philippus dixerunt Iesu.* Proinde agnouerunt Philippum esse, quasi primarium Christi cubicularium, in summo apud omnes amore positum: & quia optimè nouerant non aliter ad Principes patere accessum, nisi per primarium conclauis custodem, ideo ad Principem IESVM per Philippum sibi volebant aditum conciliare. Si ergo tantus fuit mediator in terris, quantus sperari debet in cœlis.

Creuit quintò, per summam æternæ felicitatis æmulationem: cùm enim cæteri Apostoli visione Filij Dei, & promissione Spiritus Sancti contenti essent, Philippus ex feruore charitatis etiam paternam visionem petere ausus est. Ioan. 14. *Domine* Ibidem, 14 *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Et quid tantum in eo effecit ausum? certè charitatis diuinæ feruor. Quid magni ausus gustum auxit? profectò summa diuinæ amicitiæ cupiditas: quia non erat contentus corporali Christi visione ad tempus frui, nisi etiam in illa beatorum sede, ad claram trium in vnitate diuinæ naturæ personarum, atq; omnium attributorum visionem & fruitionem admitteretur. Quid gustus desiderium incitauit? equidem maxima æternæ cum Christo familiaritatis cupido.

Creuit sextò, per Christi familiaritatem, quâ fretus, cæteris Apostolis non audentibus petere, solus excellentissimũ donum petijt, scilicet; paternæ visionis gaudium. Quodsi magnum fuit in Ioanne familiaritatis indicium, quòd sibi proditorem monstrari postularet; Ioan. 13. *Innuit* Ioan. 13. *ergo huic Simon Petrus, & dixit: quis est de quo loquitur.* quia ipse petere non audebat. Hic autem cum recubuisset super pectus IESV dixit ei: *Domine quis est?* An non maioris fiduciæ & familiaritatis signum in Philippo videmus, cùm aduentum Christi secundum, & finem mundi inuestigare auderet. Matt. 24. *Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus* Matt. 24. *tui, & consummationis seculi.* Magna fuit audacia in Moyse Exodi 33. quòd petierit sibi diuinam reuelari gloriam; *Ostende mihi*, inquit, *gloriam* Exodi 33. *tuam.* Cui Deus respondit: *Non videbit me homo, & viuet.* At maior confidentia Philippi, cui Christus petenti nulla secreta negauit. Ioan. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem* Ioan. 14. *meum.* id est, aut in via per fidem, aut in patria per claram visionem.

Creuit deniq; per Martyrij gloriam, in quo Christo fuit similis; cùm enim Hieropolim Phrygiæ venisset, pro Christi nomine cruci affixus, lapidibusq; obrutus est. Quare si gloria est sequi Dominum, nos etiam vitia nostra hodiernum imitati Apostolum, crucifigamus: vt inter illos numeremur, de quibus Apostolus Galat. 5. *Qui*, ait, *Christi* Galat. 5. *sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Progrediamur ad illam visionem cum D. Apostolo, de qua S. Bernardus. *O quanta claritas, quanta suauitas, quanta iucunditas* S. Bernard. *erit in illa visione. quando Deum facie ad faciem videbimus, qui est lux illuminatorum, requies exercitatorum, patria redeuntium, vita viuentium.* Aspiremus ad videndum corpus Christi gloriosum, de quo S. Bernardus: *Plenum prorsùs omnis suauitatis dulcedine, videre hominem hominis conditorem, quæ cor hominis totum replet, & satiat.* Tendamus ad cœlestes illas mansiones, vbi claritas inextinguibilis, Apocal. 21. *Ciuitas illa non eget sole neq; lunâ, vbi puritas omnimoda.* Et Apoc. 22. Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquid commune.* Ibid. 22. Et Psal. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam*, hæc enim Psal. 100. coinquinat hominem. Vbi loci latitudo immensa: Baruch. 4. *O Israël* Baruch 4. *quàm magna est domus Dei, & ingens lo-*

eus. Pergamus ad illam societatem, à qua prouenit triplex gaudium. Primum ex multitudine, Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Alterum ex nobilitate: in illa namq; societate erit B. Virgo, Angeli, & omnes Sancti, qui omnes, reges meritò dicuntur: quia Christus Sapien. 28. dicitur veniſſe in regalibus ſedibus. Tertium ex vnitate charitatiua: quia vt ait D. Bernardus. *Vna erit omnium lingua, iubilatio indefeſſa, vnus affectus, & aeternus amor.* Et comprobat D. Gregorius: *Propter magnam*, inquit, *charitatem, hereditas illa omnibus vna eſt, & ſingulis tota.* Aſcendamus ad illum gloriæ ſplendorem, vbi triplex conſolatio prouenit; Primò, à corporis glorificatione. Matt. 13. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in conſpectu Dei.* Secundò, à libertate: *Vbi enim volabit Spiritus, ibi protinus & corpus erit.* Tertiò, à ſumma requie: Bernardus. *Erit eis requies à laboribus, ſecuritas à ſolicitudinibus, pax ab hoſtibus.*

Apoc. 7. — S. Bernard. — S. Gregor. — Matt. 13.

DIE INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS,

CONCIO PRIMA.

Niſi quis denuò renatus fuerit, non poteſt videre regnum Dei. *Ioan. 3.*

Homo per veram pœnitentiam, & crucem ſanctam, in gratiam ſaluatoris renaſcitur.

DIfficilem & prosùs inſcrutabilem, in præſenti Euangelio, Saluator noſter proponit nobis hodiè quæſtionẽ, quòd nos iteratò naſci oporteat. Si vtiq; requireret in nobis renouationem, vt depoſito ſenili languore, homo ad iuuenilem ætatem redeat, non mirarer: quia & brutis animantibus, natura hanc felicitatem conceſſit. Aquila enim ſenio confecta, veteres plumas eijciendo, & roſtrum comeſtionem impediens, ad petram frangendo, inuenili agilitate & vigore refloreſcit. Serpens per anguſta rupium foramina, eminentia loca petens, reiuueneſcit. Ceruus ſerpentes ſuo halitu de ſubterraneis ſpeecubus extrahens, & eoſdem deglutiens, ad iuuenilem celeritatem reuertitur. Neq; etiam homini beneficium hoc denegatum eſt. Nam ſi corpus hominum aſpexerimus, in hoc complures iuueniliter refloruiſſe comperiemus.

[Animalia quæ reiuueneſcunt.

B. Delrius enim lib. 2. Diſquiſ. Magic. q. 23. refert, ſenem quendam Tarentinum, iam centenarium, anno 1531. amiſſis rugis, canitie, & ſqualore ſenili, beneficio artis refloruiſſe in iuuenem, & quinquaginta poſt annis ſuperuixiſſe, vt teſtatur Torqueda. Maſſerius lib. 11. hiſt. Indicæ recenſet, viro cuidam nobili, annorum quibus vixit trecentorum quadraginta ſpatio, ter iuuentæ florem exaruiſſe. Quia non repugnat naturalia quædam remedia inueniri tantæ efficaciæ, quibus humidum radicale reſtaurari, natiua illa nimia ſenectutis ariditas temperari, corrupto ſuccus melior ſuffici, cæteraque deperdita, & ad hanc commutationem requiſita, ſuppleri ad tempus poſſint. Si verò animam hominis reſpiciamus, & in hac renouatio poſſibilis eſt; quin imò Chriſtus illam requirit; *Renouamini in nouitate ſenſus veſtri.* Quaſi diceret: depoſita praua viuendi

Delrius. — Torqueda. Maſſerius. — Qualis renouatio ab homine requiritur.

viuendi consuetudine, vestros pristinos reformate mores, & in præceptis Domini iustè & sanctè ambulate. Sed quòd requirat iteratam hominis generationem, prorsùs captum hominum excedit: si enim diuina omnipotentia, quæ respicit omne possibile; & tamen mundum hunc, quem semel condidit, absq; eo, quòd corrumpatur, ampliùs producere non potest. Creauit semel animam hominis, quàm, nisi añihiletur, ampliùs creare non potest: quia hæc non esset vera creatio, sed tantùm noua conseruatio eiusdem rei. Ad hoc enim, vt aliquid dicatur verè produci, aut creari, debet supponi antea non fuisse. Cùm ergò homo semel natus existat in mundo, quî fieri potest, vt iterùm renascatur, sine præuia sui corruptione? siquidem vnius generatio, est alterius corruptio. Sed non miremini: quia homo ex duplici parte diuersæ rationis constat, scilicet ex corpore & spiritu, seu anima rationali, solumque corpus per generationem producatur, anima verò ab ipso Deo per creationem infunditur. Ideò, quoniam homo ex corpore & anima spirituali totaliter constituitur, non sufficit illi vnica generatio, sed bis eum nasci oportet. Sic censet Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 42. *Cùm*, inquit, *non simplex, sed compositus, ex corpore sensibili, & anima intellectuali homo sit, duplici quodam ad generationem indiget modo, qui duplicitate sua, ad vtrumq; possit accommodari.* Cuius rationem affert Tertull. libro de Bapt. cap. 27. quia dùm homo nascitur in peccato originali, statim & corpus, & anima reatum contrahunt, ergò necesse est, vt iterùm homo tàm secundùm corpus; quàm secundùm animam renascatur ad gratiam Dei. *Quanquàm*, ait, *delicta, non caro, sed spiritus contrahat, tamen vtrumq; inter se communicat: spiritus ob imperium, caro ob ministerium, vnde caro in aquis, & spiritus emundatur per Spiritum Sanctum.* Ideò itaq; Christus nos iteratò renasci vult, vt nos ad suam gratiam, ar-

Res semel producta, sine præuia sui corruptione iteratò produci non potest.

Quare homo renasci debet.

Cyrillus Alexandr.

Tertullia.

A ctam amicitiam, & fraternam consanguinitatem attrahat, vt testatur Apostolus 1. Corint. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis, in societatem filij eius, Iesu Christi Domini nostri.* Quod non nisi per baptismum, & sanctam crucem perfici hodiè ostendam. 1. Cor. 1.

Principale aduentus Christi motiuum est, salus nostra: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ioan. 10. Quod comprobat S. Ioannes cap. 3. *Non enim misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum.* Atqui homo, cùm in peccato concipiatur, & nascatur, non potest salutem æternam consequi, nisi emundatus ab illo, *nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum* Igitur remedio opus habebat, quo à delicto suo liberaretur; hoc autem remedium, inprimis est baptismus, qui eam ob causam sacramentum regenerationis vocatur. Ita expressè determinat Clemens Romanus Epistola 8. *Quid*, ait, *confert baptismus ad cultum Dei? Primò quidem, quia quod Deo placuit, impletur. Secundò, quia regeneratio ex aquis, & Deo renato, fragilitas prioris natiuitatis amputatur, & ita demùm peruenitur ad salutem.* Cui consonat illud Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quod ipsum ratio manifesta suadet; quia vt homo saluetur, debet vniri Deo, iuxta illud Ioan. 15. *Rogo pro eis pater, vt sint vnum, sicut & nos.* Præterea, debet fieri similis Christo, sic enim proclamat Apostolus: *Tunc similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Sed non aliter homo vnitur Deo, nisi per baptismum, vt docet S. Irenæus lib. 3. cap. 19. *Corpora*, inquit, *nostra per lauacrum, quod est ad incorruptionem, vnitatem acceperunt; anima autem per spiritum.* Non aliter quoque homo Christo fit similis, nisi per sacramentum baptismi, vt testatur Apostolus 1. Petri 3. *Et vos nunc similis forma saluos facit baptisma.* Nam per hoc Sacramentum, homo arctam cum Christo consanguinitatem contrahit, de

Clemens Romanus.

Ezech. 36.

Ioan. 15.

Homo per baptismũ vnitur Deo, & similis fit.

S. Irenæus.

1. Petri 3.

qua gloriatur D. Paulus Hebr. 2. in-
Hebr. 2. quiens: *ipsius enim & genus sumus.* Imò per baptismum homo, quodammodò in ipsum Christum transformatur. Galat. 3. *Quicunq; enim baptizati estis, Christum induistis.*
Ad Gal. 3.

Christus cur à Ioanne baptizatus.

Atq; hæc erat potissima causa, cur Christus à S. Ioanne baptizari voluit Matt. 3. *Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Vt frater noster, & omnimodè nobis similis fieret Hebr. 2. *Vnde debuit per omnia fratribus similari.* Vt sic, nullum remaneret consanguinitatis genus, quod nobiscum non contraheret. Ad quod probandum, assumo fundamentũ ex S. Nazianzeno, qui oratione in S. Baptisma, tres hominis natiuitates obseruat, vnam naturalem, secundùm corpus; alteram baptismalem secundùm gratiam, tertiam resurrectionis secundùm resuscitationem corporis, & animæ eidem vnionem. Dicit ergò, quòd sicut naturalem hominis natiuitatem, Christus sanctificauit per suam quoq; natiuitatem in corpore, sicq; frater noster secundùm carnem factus est; similiter natiuitatem resurrectionis, per suam glorioſam resurrectionem sanctificauit; ita quoque per suum baptismum, nostram baptismalem natiuitatem sanctificare voluit, vt sic noster iterũm efficeretur Spiritualis frater, cùm ex baptismo affinitas spiritualis consurgat. Quemadmodùm præclarè discurrit Gregoriũs Nazian. *Triplex*, inquit, *natiuitatis genus, Orthodoxa fides agnoscit: primum corporum, alterum baptismi, tertium resurrectionis: horum primum nocturnum, & seruum est, libidinisq; obnoxium.*

Matt. 3.

Hebr. 2.

Triplex hominis natiuitas.

Gregrius. Nazianz.

Egregiè sanè; primam natiuitatem nostram, vocat nocturnam, seruam, libidinosam; nocturnam, quatenus per honestatem, ac verecundiam propriam, eius tempus nox est; seruam verò, quatenus libidini seruit, volens, nolens: quia, vt optimè subdit Nicetas: *Sæpè voluptatis amore matrimonium contrahi solet.* At verò secundam natiuitatem nostram, per quam regeneramur ad cœlestem illam hereditatem, vocat diurnam idem S. Nazianz. quia tenebras noctis, id est; peccati à nobis depellit: *Alterum*, inquit, *diurnum, & liberum, profligandarumq; animi perturbationum vim habens, omne illud à natiuitate contractum velamen rescindens, & ad supernam vitam nos reuocans.* Diurna profectò natiuitas, propter excellentiam baptismi, eiusq; splendorem, ac puritatem, quatenus ad omnem castimoniam hominem inclinat. Neq; solùm libera, sed etiam continens in se vim, animi perturbationes effugandi, superfluaque rascindendi. Propter quod extitit eius figura in veteri lege, vt ingeniosè argumentatur Nicetas, sic loquens: *Quia sicut ipse superfluam membri genitalis partem abscindebat, ad eundem modum, baptismus superfluam minimeq; necessariam voluptatem obtruncat, rescindens omne illud à natiuitate carnali contractum velamen, hoc est; perturbatos animi motus, ac caliginem ab eo effusam, animæ oculum nubis instar obducentem, peccatum resecans, & nos ab infidelibus secernens, atq; ad supernam vitam, & Angelicam conuersationem, qua genus nostrum excidit, nos reuocans.* Ergò optimè concludit hodiernum Euangelium, neminem saluari posse, sine regeneratione spirituali: *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.*

Nazianz.

Nicetas.

Ioan. 3.

Prima hominis natiuitas cur nocturna vocetur.

Nicetas.

Sed dicet forsan quispiam, vtiq; iam sumus baptizati, proinde frustra nobis imponitur lex regenerationis per baptismum. Fateor hominem semel baptisatum, ampliùs baptizari non posse, cùm Sacramentum hoc in prima sui susceptione, imprimat characterem indelebilem. Sed alium longè à nobis, in gremium Ecclesiæ Catholicæ semel introductis baptismum, requirit hodiè Saluator noster, scilicet baptismum pænitentiæ, vt pro cõmissis delictis, quibus mortui sumus gratiæ Dei, pænitentiam agendo, iterùm renascamur, & offenso patri reconciliemur. Ad hunc baptismum pænitentiæ, incitat vnumquemq;

quemq; noſtrum Apoſtolus Matt. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Hoc eſt, vt exponit Laurentius de Aponte, quia verbum incarnatum eſt, *quia Chriſtus crucifixus, ideò pœnitentiam agere debemus.* En tota ratio agendi pœnitentiam, incarnatio Dei, & crux ſancta, in quâ Saluator noſter pependit.

Matt. 3.

Lauren de Aponte.

Equidem Catholici mei, pro tanto beneficio, quia Deus incarnatus pro nobis in cruce pendere dignatus eſt, omnis pœnitentia, non quomodolibet, ſed magna, ſed ingens, agenda eſt. Hanc ob cauſam, S. Ioann. temporibus Saluatoris noſtri, non ſolùm prædicauit pœnitentiam, ſed baptiſmum pœnitentiæ Marci 1. *Fuit Ioannes prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.* Vbi S. Ioannes baptiſmum pœnitentiæ, non qualemcunq; pœnitentiam inhibebat peccatoribus, ſed magnam & condignam. Proinde non ſolùm exigebat lachrymas, ſed mare, ſed profluuium lachrymarum, ita vt in illo peccatores ſubmergerentur, atq; vt ſic loquar, natarent. Duo tantùm peccata Dauid commiſerat, adulterium ſcilicet, & homicidium, at qualis eius pœnitentia, quis illam crederet, niſi ipſe enarraret Pſal. 6. *Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum; lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Vah! ponderate ſingula verba: *laboraui* inquit: vbi ex vi gemituum, ita ſe dicit laboraſſe, vt ad conſummationem, & virium defectionem deuenerit. Sic locum hunc exponit Vatablus, inquiens: *defatigatus ſum in gemitu meo.* At, quid ex hac defatigatione? equidem in tantum doluiſſe, vt præ dolore ſit infirmatus. Quaſi diceret, ſic dolui, ſic gemui, vt præ dolore viribus deficientibus infirmatus, in lectum incidens, ad mortem vſq; deueni. Vah quantus dolor, quantus gemitus, ob duo peccata, licet Deus nondum fuerit incarnatus.

Marci 1.

Pſal. 6.

Vatablus.

Cæterùm, ſi infirmus, ſi in lecto cubans, nunquid plorare deſtitit, aut pœnitentiam agere? nil minus: non dimiſit, ſed auxit rigorem. *Lauabo*, inquit, *per ſingulas noctes.* Quaſi diceret: non vnâ horâ, ſed tota nocte; nec vna ſolùm nocte, ſed per ſingulas, ſtratum rigabat, vt exponit S. Chryſoſthomus to. 2. Concione 1. de Lazaro: *Neq; ita faciebat per vnam noctem, vt altera deſiſteret; nec ſic per duas tresue, vt interim deficeret, verùm ſingulis noctibus id faciebat.* Et cur obſecro per ſingulas noctes, nonne meliùs fuiſſet, interdiu ad aliorum exemplar? ſanè, ſi poſſet: at quia Rex, in millibus interdiu occupatus, quando à negotijs feriari licuit, tempus illud, quod quieti dandum erat, ipſe ex pœnitentiæ affectu dabat dolori, dabat lachrymis. Vt agnoſcamus, quòd dùm verus animus adeſt pœnitentiam agendi, nunquàm deficiat tempus. Hæc eſt mens D. Chryſoſthomi ſupra citati. *Quoniam*, inquit, *interdiu varia ſollicitudines, curæq; Principum, Ducum, gentium, populorum, militum, bellorum, pacis, ciuium, ac domeſticorum negotiorum, eorum quæ procul, eorum quæ propè, diſtrahebant & auocabant hominem. Quod otij cæteri conſumunt ſomno, ille in confeſſione, ac lachrymis impendebat.* Pende occupationes, pende impedimenta, & miraberis, quando pœnitentiæ tempus aderat.

Pſal. 6.

S. Chryſo.

Idem.

Quid de lachrymis eius loquar? Nunquid vna ex oculis eius profluxit, an certè mare illarum? equidem mare; ſic, vt eo ſtratum veluti nauigium nataret. Hinc Pagninus pro *lauabo*, legit, *natare faciam.* Et Vatablus, *fluctuare faciam tota nocte lectum meum.* En quàm verè pœnitentia Dauidis fuit baptiſmus, quia vt docet Petrus Chryſologus, Serm. 107. *Lachryma peccata baptizant.* Nam ſicut per baptiſmum ex peccatore fit homo ſanctus, ſic per lachrymas peccata, virtutes, & quæ priùs materia erant indignationis, fiunt poſtea miſericordiæ. Erubeſcite hic delicati nimiùm Catholici: Sanctus Rex, propter duo ſolùm peccata, ita ſtrictam egit pœnitentiam, ex ſolo amore venturi Meſſiæ; vos autem cùm innu-

Pagninus.

Vatablus.

Chryſolg.

innumeris grauemini delictis, sæpenumerò ad effugiendam pœnitentiam, putatis vobis leuem, & multoties imaginariam sufficere pœnitentiam, nec flere, nec ieiunare, nec vllas mortificationes facere volentes. Nunquid tali modo peccata deploranda sunt? semper pœnitentia continuò agenda, & vita ob hoc solum desideranda est.

Fertur libro 3. de vitis patrum, n. 162. propè mortem Sisoi Abbati apparuisse Apostolos, & Sanctos Prophetas, quibus cum loquentem illum audientes discipuli, percontabantur, cum quibus loqueretur. Respondit ille, cùm Sanctis Apostolis, & Prophetis, qui ad animam meam leuandam accesserunt: *Quibus supplico*, ait, *vt paululum pro pœnitentia agenda sustineant.* Cùmque dicerent discipuli, ipsum pœnitentiâ iam non indigere: respondit? *in veritate adhuc non incœpi.* Et meritò: licet enim homo sit magnæ perfectionis, licet summi apud Deum meriti, vrget tamen illum magna ratio, ad continuè agendam pœnitentiam; quia Deus incarnatus: quia Christus in cruce passus. Quid non deberet Christianus homo agere, hoc considerans. Videns Moyses, quòd rubus arderet, & non comburetur, audacter accedebat: *Vadam, & videbo hanc visionem magnam, quare non comburatur rubus.* Exodi 3. Quid autem Deus? *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis.* Hoc est, vt exponit Bernardus: *morticinium mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde.* Et quid obsecro causæ, quòd propter leues affectiones, Moysi non fuerit concessum, accedere ad rubum ardentem? Hæc vnica quia rubus ardens, Christum spinis coronatum, & in cruce doloribus adustum figurabat. Ita exponit S. Gregorius: *Per succensum*, inquit, *rubum, Moysen alloquens, quid aliud ostenditur, nisi quòd ex illo populo exiret, qui in igne deitatis, carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas susciperet.*

En tota ratio pœnitentiæ: quia pro nobis Deus homo factus, spinis confixus, cruci appensus est. Vah! quale iudicium Christianis relinquitur, incarnationem, & Christi crucifixionem credentibus; & tamen peccare non desinentibus. *Surgent Niniuitæ* (ait Apostolus Matthæi 11.) *in iudicio, cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquàm Ionas hic.* At, quomodò condemnabunt? Respondet S. Hieronymus to. 9. in hunc Matt. locum, *comparationis exemplo, non sententia testate.* Surget antesignanus verè pœnitentium, Rex Dauid, & arguet nostram desidiam, qui post commissum peccatum, à lachrymis nunquàm sibi temperare potuit Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Pagninus vertit: *riui descenderunt ab oculis meis.* Statimq; rationem tanti oculorum ploratus subiungit: quia inquit *non custodierunt legem tuam.* At, quomodò non custodierunt? sanè: quia oculi, peccati fuerunt illi instrumenta; ideò congruum erat, vt etiam oculi in lachrymas soluerentur. Iuxta illud Apostoli Rom. 6. *Sicut enim exhibuistis membra vestra, seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem, ita & nunc, exhibete membra vestra, seruire iustitiæ ad sanctificationem.*

En vobis Catholici, qui post agnitionem veritatis, peccare non erubescitis, solida veræ pœnitentiæ ratio, ab Apostolo præscribitur. Si enim oculi peccârunt, plorent oculi: quemadmodùm discurrit S. Laurentius Nouarienſis Episcopus to. 2. Bibliot. Patrum, Serm. de pœnitentia. *Cecidisti*, inquit, *per oculum, contaminauit te aspectu suo, abluat te aqua sua: induxit te in laqueum, eruat te de laqueo: habet enim in se magnum lachrymarum auxilium, & hoc modo eruendus est oculus, sic abscindenda est manus, vel noxia membra, iuxta Dei præceptum.* At, quomodò hoc fieri potest? eadem prorsùs efficacitate, eadem intentione. Profundè peccasti, profundè pœnitentiam agas. Sic suadet Isaias cap. 31. *Conuertimini, sicut in profundum recesserat is filij Israël.* Quasi dicat,

Exodi 3.

S. Bernard.

Rubus ardens quid figurabat.

S. Gregor.

Matt. 11.

S. Hieron.

Psal. 118.

Pagninus.

Rom. 6.

Laurentius Nouarien.

Isaiæ 31.

ret, receſſiſtis dato conſilio, magna efficacitate, profundè, datâ operâ, ſummâ malitiâ. Ita nunc non ſuperficialiter, ac tenuè, ſed cum pari & condigna pœnitentia, ad Deum conuertimini.

Quod certè in moderna Chriſtianorum pœnitentia, iurè mirari poſſumus. Peccant profundè, attentè, omni conatu, totis viribus, & ſolùm ſuperficie tenus pœnitentiam agunt. *Quæ mala ſunt*, inquit Procopius, *altè cogitant; quæ verò Dei, ſuperficie tenus inquirunt, & meditantur.* Procopius. Non ſic agenda eſt pœnitentia, ſed ad peccati exigentiam, ad malitiæ pondus, ad inſtar Dauidis, qui ſicut profundè altoq; conſilio peccauerat; ita profundè pœnitentiam egit, lachrymis lectum ſuum rigando, ſic vt in illis nataret, immò ſubmergeretur: cùm per eas, non ſolùm linteamina, & culcitram madefaceret; ſed etiam veſtes ſtragulas. Vnde Vatablus illa verba, *lectum meum*, vertit; *culcitram, & veſtes ſtragulas.* Vnde non ſolùm natabat lectus, ſed etiam ſubmergebatur, ipſas veſtes ſtragulas ſuperantibus lachrymis.

Quid aliud hodiè de cruce ſancta proponit nobis Saluator noſter, niſi vt nos ad humilem pœnitentiam inflammet: *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.* Ioan. 1. Quaſi diceret: ego per baptiſmum frater veſter factus ſum. *Primogenitus inter multos fratres.* Licet enim Chriſtus non primò ante alios homines natus ſit; eſt tamen primogenitus inter fratres: quia vt reſpondet Gregor. Nazianz. *Regenerationem eam, & adoptionem, quæ baptiſmo comparatur, auſpicatus eſt: primus enim per aquam & Spiritum Sanctum, baptizatus eſt: eoq; nomine primogenitus factus inter multos fratres, qui videlicet per baptiſmum à Deo adoptati ſunt, ab eoq; poteſtatem acceperunt, vt filij Dei fiant.* Gregorius Nazianz. Baptizatus eſt inquam Chriſtus, non paſſiuè, ſed actiuè, quatenus baptizatus Ioannis baptiſmate, auctor fuit baptiſmi Spiritus Sancti, & ſic factus eſt nobis primogenitus, & cognatus, quatenus per contactum ſanctificando aquas, & baptiſmi Sacramentum inſtituendo, quo nos efficimur Filij Dei adoptione, ex baptiſmo noſter primogenitus frater factus eſt. Necdum ſatis: ſed ardet nunc totus in ſpinis, in cruce, ardet inquam noſtram regenerationem deſiderans.

Igitur ne tanti beneficij ingrati exiſtamus, Saluatori noſtro, qui tempore paſſionis ſuæ, latroni, centurioni, & alijs eum crucifigentibus, cor contritum per crucem ſanctam inſpirauerat, vt percutientes pectora ſua reuerterentur, debitas perſoluendo gratias, poſtulemus; vt quemadmodùm per crucem ſanctam nos ad regenerationem baptiſmi vocauit; ita per eandem crucem ſanctam, ad baptiſmum pœnitentiæ inflamet. Nam vt docet Tertullianus cap. 15. de baptiſmo. *Hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit, vt qui in ſanguine eius crederent, aquâ lauarentur: & qui aquâ lauiſſent, ſanguine potarent.* Tertullia. Proinde regeneremur de morte peccati in gratiam Saluatoris, vt profundam condignè agamus pœnitentiã, quia Deus incarnatus eſt: quia Chriſtus in cruce paſſus, & ſic videbimus regnum Dei.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Tu es Magiſter in Iſràél, & hæc ignoras. *Ioan. 3.*

Myſterium crucis Chriſti abſconditum, ſine illuminatione diuina cognoſci non poteſt.

NOn tàm acerbum erat Redemptori noſtro, quòd eum imperitum vulgus Iudæorum, ſecum palàm conuerſantem, non cognouerit fuiſſe Chriſtum, & Dei Filium: quia cùm ignorarent myſteria Scripturæ, facilè eos à peccato ignorantia potuit excuſare. Vnde eos excuſat Sanctus Petrus: *Scio*, inquit, *quia per ignorantiam feciſtis.* Non tàm graue,

quòd à Gentilibus cruci affigeretur, quia cùm isti legis scientiam non haberent, excusabiles à peccato videbantur, teste ipsomet Christo Lucæ 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quæ verba Venerabilis Beda sic exponit: *Pro illis*, inquit, *rogat, qui nescierunt, quid facerent: zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam.* Quàm, dùm à Principibus Sacerdotum, Scribis & Pharisæis ad mortem crucis postularetur, *tolle, tolle, crucifige eum*: quia isti sufficienter cognouerant Christum, & Messiam in lege promissum, cùm viderent illi quadrare omnia Prophetarum vaticinia, omnia promissa, quæ erant in lege de venturo Messia. Et licet mysterium diuinitatis eius ignorarent; hoc tamen minimè eos excusat, cùm viderent signa, & prodigia, quæ nemo alius, nisi Deus verusq; Messias facere poterat. Et ideò peccatum eorum fuit grauissimum, tum ex genere peccati, tum ex malitia voluntatis, cum illum, qui erat Deus & homo, crucifixissent, ex odio oppositò charitati virtutum maximæ, vt inquit ipsemet Christus inquiens: *Nunc autem viderunt me, & oderunt me. & ideò excusationem non habent de peccato suo.* Ioan. 15. Cur autem Iudæi non ad aliam mortem, nisi ad mortem crucis Christum postulauerint, respondet S. Thomas 3.p q.46 art.4. quia ex debito congruentiæ, Christus in cruce mori debuit. Primùm ideo, quia sicut primus homo, per lignum peccauit, ita congruebat, vt Christus per lignum expiaret peccatum, sic canit Sancta mater Ecclesia: *Vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur.* Secundò, propter maiorem perfectionem: quia Christi crux habuit omnem omnis virtutis perfectionem, vt docet S. Anselmus: *erat*, ait, *in cruce latitudo charitatis, longitudo æternitatis, sublimitas omnipotentiæ, profunditas inscrutabilis sapientiæ.* Tandem, vt Christus consummaret omnes figuras testamenti, vti erat altare ligneum, virga Moysis, serpens æneus, quæ Christi crucem figurabant. Sed hoc maximè stupendum, quòd adhuc hisce temporibus, magna pars mundi, crucem Christi ignoret: in illa enim Iudæi scandalizantur; gentiles stulteseunt, hæretici opprobrium sumunt, teste S. Paulo: *Prædicamus vobis Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam.* Cuius ego ignorantiæ causas hodiè aperiam.

Quòd plurimi, etiam altioribus literis & scientijs exculti, ignorent in sancta Christi cruce, nostram salutem consistere, causam fundamentalem reperio, quòd mysterium crucis humanis sensibus sit absconditum, proinde viribus naturæ minimè valeat cognosci. Veritatem istam colligo ex ipsiusmet Christi verbis Ioan. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Vbi S. Doctores concorditer tenent, ideò necessariam fuisse Spiritus Sancti missionem, vt de Christo cum Apostolis testificaretur, eò, quòd Christi testificatio fuerit difficillima, quia laboriosa, & ærumnis plena, iuxta illud D. Pauli 2. Corint. 2. *Supra modum grauati sumus, super virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere.* Ergò opus erat Spiritu Sancto, qui Apostolos in maximis periculis confortaret, & in afflictionibus consolaretur, vt fatetur ipsemet S. Paulus citatus. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* id est, Spiritus, qui per Christum consolatur nos.

Ex omnibus tamen difficillima erat Mysteriorum Christi prædicatio, ob crucis scandalum: cui enim facilè suaderi posset, ipsum, quem viderat crucifixum, simul esse Deum. Et ob hoc S. Paulo magnus timor & tremor euenerat 1. Cor. 2. *Et ego, cùm venissem ad vos fratres, non in sublimitate sermonis, & sapientiæ, annuntiaui vobis testimonium Christi.* Cuius rationem hanc assignat: *Non enim iudicaui, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum,*

Luc. 23.
Beda.
Ioan. 19.
Ioan. 15.
Cur Iudæi ad mortem Christum postularint.
S. Anselm.
A
B
C
D
Ioan. 15.
Necessitas missionis Spiritus Sancti.
2. Cor. 2.
Ibidem.
1. Cor. 2.
Ibidem.

stum, & hunc crucifixum : & ideò in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos. Non aliam ergò ob causam, S. Paulus in tanto timore erat, nisi quia quod ipse prædicabat, ita abscónditum à sensibus, & humana æstimatione fuit, vt vix in animum alicuius cadere posset, scilicet Deum esse crucifixum. Ita statim subiungit Apostolus. *Sapientiam*, inquit, *loquimur, non huius sæculi, neq; Principum huius mundi, qui destruuntur, sed loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo Principum huius sæculi cognouit, sicut scriptum est. Quod oculus non vidit, neq; auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.*

Ibidem.

Non sufficiebat ergò humana sapientia, ad cognoscendum crucis Christi mysterium : quia nullus homo vnquàm cogitare poterat, Deum propter homines crucifixum; & ideò hic altissimus Dei modus, quo humanam salutem operatus est, scandalum erat hominibus, adeoq; absconditus, vt nisi ipse diuinissimus Spiritus id enuclearet, & crucem sanctam, pretium esse nostræ redemptionis, proinde omni veneratione adorandam reuelasset, nusquàm id mundus credidisset. Hoc fatetur S. Paulus, qui agnoscens tantam difficultatem, in cognoscenda cruce sancta, prædicationem eius, ab illis verbis inchoauit : *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & veritatis.* 2. Cor. 10. Palam faciens, ad hoc, vt homines crederent, Christum crucifixum esse Deum, opus fuisse illuminatione Spiritus Sancti. Quod statim probat S. Paulus 2. Corint. 2 inquiens : *Nobis autem reuelauit Dominus, per spiritum suum.* Quasi diceret : si ex me inquiras, quomodò cùm homo essem, ea quæ Dei sunt, cognoui, scito, quòd non aliter, nisi per Spiritum Dei : *Nos autem*, inquit, *non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo data sunt nobis.*

2. Cor. 10.

2. Cor. 2.

Quidnam autem nobis Deus, in cruce sancta donauerit. Respondet S. Paulus, quòd diuitias inappretiabiles : sic enim habet Ephes. 3. *Mihi*, inquit, *Sanctorum omnium minimo, data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.* Quæ enim maiores diuitiæ nobis concedi poterant, quàm salus æterna, quam per crucem sanctam operatus est Redemptor noster, in illa redemptionem mundi reponens. O prodigium super omnia portenta ! Descendens de cœlis Dei Filius, carnem assumpsit, & mundum per hoc non redemit : natura humana vnita est cum diuina persona, & tamen ex hac ineffabili vnione, non est saluatus homo. At verò, vbi in cruce eleuatus est, restituta homini salus. Quid hoc est ? Dicam profectò, quòd plus Christo contulerit vnio crucis, quàm ipsamet personalis vnio diuina. Licet enim hypostatica vnio fecit eum Deum; nihilominus, vt esset, & deitatem non amitteret, hoc illi crux sancta contulit. Quod sic deduco.

Ephes. 3.

Crux sancta plus Christo contulit, quàm vnio hypostatica.

Fuit ab æterno efficax Dei voluntas, de suis prædestinatis, simulq; de medio redemptionis, videlicet eos per crucem saluandi, cùm ergo medium deducendi ad effectum, hanc efficacem Dei voluntatem, non aliud fuerit, nisi crux sancta, sine qua æterna, efficax, & infallibilis prædestinatio, finem intentum sortita non fuisset, iuxta illud Salomonis Sap. 10. *Sanauit iterum sapientia, per contemptibile lignum, iustum gubernans.* Vbi per lignum contemptibile, figurabatur crux sancta, Authore Origene hom. 2. in Genesim, S. Augustino lib. 6. de Catechizandis rudibus to. 4. Hieronymo lib. 1. aduersùs Iouinianum. Inde profectò factum est, vt Christus, quatenus Deus, suæ deitatis maximum testimonium à cruce sancta acceperit, & ex illa quodammodò auctus, & melioratus sit, dùm non quia Deus, sed quia crucifixus, à toto mundo recognoscitur, iuxta Prophetiam Hierem. 7. *Mittamus lignum in panem eius.* Vbi Origenes hom. 8. per panem, Christum, eiusq;

Sap. 10.

Hiere. 7.

doctrinæ seu gloriæ manifestationem intelligit; per lignum verò, crucem: sic inquiens: *Ego verò admirabile quiddam inferam, lignum missum in panem eius, panem fecit meliorem, antequàm enim lignum immitteretur in panem eius, quando tantummodò panis erat, & non erat lignum, in vniuersam terram non exierat sonus eius; posteaquàm verò assumpsit fortitudinem per lignum, tunc in vniuersum orbem passionis eius, dissem-inatus est sermo.* Origenes.

In quibus verbis, manifestè docet Origenes, panem, id est; Christum per lignum melioratum, & fortitudinem per illud assumpsisse, quo mediante, & ipse confirmatus, vt sic dicam Deus, & vt talis ab vniuerso mundo, per virtutem æstimatus crucis, ex quo maxima gloria & magnificentia crucis sanctæ refulget. Quòd probè sciens dæmon, ad probandum vtrum Christus esset Deus, pendenti in cruce suasit, vt de illa descenderet Matt. 27. *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Matt. 27. Quid est? vidit vtiq; multò maiora Christi miracula, quando mortuum cunabulis alligatum Lazarum, post quatriduum resuscitauit; quando Sol in eius passione obscuratus erat; quando petræ scissæ, impietatem mundi arguebant, & tamen eum pro Deo minimè habuit. At verò ex sola descensione de cruce, & credulitatem, & adorationem illi per suos ministros promittebat, subiungens: *& credimus ei.* Ibidem. Causa est, quia sciebat optimè Christi honorem, eiusq; diuinitatis stabilitatem contra ipsum ex cruce pendere; & ideò tanquàm vltimum, & efficacissimum signum attentabat, descensionem de cruce. Ita respondet S. Chrysosthomus de cruce & latrone homilia: *ideò*, inquit, *de cruce non descendit, quia Filius Dei est, nam ideò venit, vt pro nobis crucifigeretur.* S. Chryso.

En vobis altissimam crucis sanctæ gloriam, signum diuinitatis Christi, non conceptio de Spiritu Sancto extitit: non ex Virgine matre prodigiosa clauso vtero natiuitas: non tot miraculorum insignia: sed crux sanctissima firmans, ac veluti eius sigillans diuinitatem: dùm in ea penderet, dum ab ea descendere recusaret, quasi cum illa vnitus Deus, disiunctus deitatem amitteret. Ac ne dubitetis crucem sanctam, Christi diuinitatis vnicum infallibile signum esse, veritatem hanc sufficienter ex eo conijcere potestis, quòd sola crux Christum verum Dei Filium, à falsis & fictis dijs discernat. Ita protestatur ipsemet Christus Matt. 24. *Videte*, inquit, *ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent.* Matt. 24. At quomodò fieri potest, vt falsi Christi, electum Dei populum, sub immediata Dei protectione existentem, seducere valeant? Respondet ipsemet Christus ibidem: *quia dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur etiam, si fieri potest, electi.* Ibidem.

Obstupescite! affirmat Christus ante mundi consummationem, venturum Antichristum, cum virtute multa & maiestate, facturumq; miracula similia Christo. Si enim Christus sanitatem præbuit infirmis, sanabit & Antichristus: Christus mortuos suscitauit, suscitabit & ille apparenter. Christus pedibus super mare ambulauit, calcabit vndas & Antichristus. Angeli trementes, ascendentes & descendentes, Christo in terris nato ministrabant, ante vilissimum pariter Antichristum, dæmones in forma Angelorum trementes apparebunt. Immò, addit S. Ephrem tract. de consummatione mundi, & Antichristo, quia plura & maiora signa faciet, quàm Christus; licet falsa & apparentia. S. Ephrem. Et tamen Christus præcipit, vt tot tantaq; miracula videntes homines, non credant illum esse Christum: *Si ergo*, inquit, *dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Matt. 24. Durus equidem sermo, dura tentatio, grauissimum experimentum, vt Antichristus faciat mira, & mirabilia, quæ supra omnem videantur naturam, & tamen vt homo talia oculis vi-

lis videns, manibus tangens, non credat.

Quid obsecro deerit tunc, ad plenam & perfectam probationem, quominùs Antichristus, credatur verus Christus? hoc vnicum: quia non veniet cum signo crucis, quo verus à falso discernitur Christus. Signum enim aduentus veri Christi, erit crux sancta, ante illum præcedens Matt. 27. *Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, & videbunt filium hominis, venientem in nubibus cœli, cum virtute multa. & maiestate.* Ideò ergò Antichristus, non debet credi verus Christus, quia ei deficiet crux, quæ sola magis est potens, ad verum Christum declarandum; quàm omnia simul illa signa, quæ faciet Antichristus. Sic docet S. Chrisosth. *Crucem, inquit, solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit in cœlum.* Statimq; rationem reddit, vt inquit esset veri sui aduentus signum, & ne diabolus illam falsò posset suscipere.

Ibidem 27.

S Chryso.

Inueniſtis ergò hodiè in cruce sancta gratiam, cum D. Paulo, vt eam libenter prædiceris, & sufferatis: inueniſtis illuminationem Spiritus Sancti, vt agnoscatis, hoc signum esse veri Christi, & veræ filiationis diuinæ. Proinde vt vos Christus pro suis filijs agnoscat, signum crucis cordi vestro imprimite, cùm D. Ambrosio Serm. 51. concludendo: *Habentes Dominum Iesum, qui nos passione sua liberauit, in ipsum aspiciamus semper, & de ipsius signo speremus, nostris vulneribus medicinam.*

S. Ambro.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Sicut exaltauit Moyses serpentem, ita exaltari filium hominis oportuit.

Crux sancta in singulare munimentum ac medicamentum fidelium erecta est.

Diuina Sapientia, adeò vtilem humano generi crucis memoriam esse iudicauit, vt etiam totam hanc vniuersi machinam, ab eius figura construere decreuerit: sicque omnia in crucis formam condidit, vt vel ipsa condita; vel eorum operationes, crucem cunctis mortalibus semper præoculis sistant. Et ne quispiam meum hoc inuentum esse arbitretur, res authoritate Sanctorum Patrum, & probatissimorum Ecclesiæ Doctorum clara fiet. Sistit se istius veritatis acerrimum defensorem D. Ambrosius to. 3. Serm. 56. *Cœlum, inquit, ipsum, huius signi figura dispositum est; nam quatuor partibus, hoc est; Oriente & Occidente, Meridie & Septemtrione distinguitur, quatuor quasi crucis angulis continetur.* Comprobat D. Gregorius Nyssenus, oratione 1. de Resurrectione. Vbi vniuersam mundi molem, figuram crucis gerere tali modo deducit. *Cœlum, inquit, inspice, & partes infimas animo complectere, extremosq; ac summos Orbis terminos cogitatione comprehende, atq; considera, quanam potentia tanquam vniuersitatis vinculum, hæc omnia vinciat, videbisq; sponte suâ in ea diuina potentiæ contemplatione, crucis figuram exprimi, à superis in infera, ab extremis ad extrema protensam atq; descriptam.* Subscribit huic sententiæ Regius vates Psal. 138. *Quò ibo, inquit, à spiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, & tu illic es.* Quasi diceret: quocunq; me verto, vbiq; crucis trophæum reperio. In cœlo crux recreat Beatos, in inferno cruciat maledictos, diluculo, id est; ad solis ortum terret peccatores, mergentes in profundâ abyssо à naufragio liberat. Teste etiam Cœlio Rodigio lib. 10. c. 8. Philone libro de Cherubin, Marsilio Ficino de triplici vita lib. 4. c. 18. Stellas in octauo orbe sitas, in modum crucis formatas esse, immò & omnes, constat. Astrologi in polo Antartico, quatuor fulgentissimas stellas collocant, speciem crucis præseferentes, quas nautæ cruciferum

A

B

S. Ambro.

Gregorius Nyssenus.

C

Psal. 138.

D

Cœlius Rodigius.

Philo.

Marsilius Ficinus.

appellare consueuerunt. Diuus in-
S. Hieron. super Hieronymus in cap. 11. Marci, ipsum hominem in formam crucis à Deo formatum esse probat. Quod clarè ostendit Iustinus Martyr Apo-
Iustinus Martyr. log. 2. *Humana*, inquit, *figura, non aliare à belluis differt; quàm quòd & recta sit, & manuum extensionem habet, & in facie à fronte protensum nasum, quod non aliud demonstrat, quàm signum crucis.* Deniq; D. Ambrosius to. 3. Serm. 56. & Origenes, non tantùm
S. Ambro. in rebus naturalibus, sed etiam in artificiatis, crucis imaginem repræsentari tradunt. Quòd disertè his verbis expressit Iustinus Martyr Apo-
Iustinus Martyr. log. 2. *Considerate*, ait, *omnia, quæ in mundo sunt, an sine hoc signo crucis gubernentur, aut possint præbere sui vsum.* Quodsi Deus, initio statim mundi, crucis memoriam in oculis hominum ponere studuit, certè Christus Dominus, gloriosæ crucis suæ trophæum, non tantum in memoriam, sed in singulare quoq; munimentum, & medicamentum, in Ecclesia sancta erexit: de quo præsentem sermonem instituam.

Triplicem potissimum causam reperiunt Doctores, propter quam Christus Dominus, ignominiosam crucis mortem elegerit: Primam affert S. Thomas 3. p. q. 46. art. 4. Vt scilicet hoc suo exemplo, Christus fortem redderet hominem, ad contemptum mortis. Quod his verbis declarat: *Sapientia*, inquit, *Dei,*
S. Thomas *hominem ad exemplum, quo rectè viueremus suscepit: pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda, non metuere: sunt autem homines, qui quamuis mortem ipsam non timeant; mortis tamen genus horrescunt. Vt ergò nullum genus mortis rectè viuenti homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius, & formidabilius.* Nihil verò magis homines, quàm crucis supplicium execrabantur, vt manifesto documento comprobat Scalier. Is refert,
Scalier. quòd cùm Romæ pestiferæ cuiusdam vertiginis morbus grassaretur, cre-

A scerետq; in dies, & hominum corpora magis inficeret, ita vt plurimi in phrenesim acti, proprijs manibus sibi lethalia vulnera inflixerint. Tunc Senatus Romanus tanto malo multa remedia frustra applicans, vnum tandem efficacissimum inuenit antidotum. Legibus cautum faciens, ne quis in posterum manus sibi violentas inferre ausus esset, alioqui ignominiam crucis in conspectu omnium subiturum decernens, qui secùs faceret, & legis illius vigorem transgre-
B deretur, quæ promulgata turpitudinis & ignominiæ pœna, tantum omnibus incusserat timorem, vt nemo sibi ampliùs mortem violentam intulerit. Sic planè, cùm omnes fermè nationes abhorrerent crucis mortem, tanquàm horrendum quoddam, & solis destinatum latronibus supplicium. Christus Dominus crucis mortem liberè subijt, vt ad crucem ferendam quemlibet mortalium alliceret. Et vbi antea opprobrium reputabatur, ibi honorem; vbi igno-
C minia, ibi gloriam; vbi confusio, ibi famam immortalem quærendam esse ostenderet.

Alteram rationem tradit Sanctus Athanasius de Passione Domini. Qui censet Christum Dominum consultò crucis mortem idcircò elegisse, vt scilicet; in aëre moreretur. *Sublima-*
S. Athan. *tus*, inquit, *aërem purgauit ab omni diabolica infestatione.* Et certè magno nititur fundamento hic Athanasij discursus. Nam Christus Dominus, speciali ratione omnia iam elementa
D sanctificauerat. Terram quidem, per triginta & plures annos pedibus illam calcans. Sanctificauerat aquas Iordanis, ingrediens eas, vt à Ioanne baptizaretur. Ignem pariter sanctificauerat, cùm Spiritum Sanctum, in specie ignis descendentem, in Apostolos mitteret. Solus tantummodò aër nondum sanctificatus restabat, propter cuius sanctificationem, ignominiosam crucis mortem Christus Dominus elegit. Quemadmodùm docet D. Chrysostomus Serm. de Passione Domini. *In excelso,* S. Chryso. inquit,

inquit, *ligno & non sub tecto passus est, vt etiam ipsius aëris natura mundaretur.* Mori deinde voluit Christus Dominus in cruce, in ipso aëre, vt significaret, seipsum mediatorem esse, inter Deum & hominem, quemadmodùm aër medius est, inter cœlum & terram. Ostenderetq; quòd sicut aër, inter omnia elementa communis est: licet enim homines sibi approprient, certas terræ, ignis, & aquæ portiones nemo tamen aërem sibi appropriare audet, & dicere, hic est meus aër. Ita planè passio Christi, Domini, & mors, cõmunis sit omnibus nationibus.

Tertiam causam affert S. Euangelista, Christum crucis mortem ideò elegisse, vt facilùs vnumquemq; hominum ad se traheret, iuxta illud Ioan. 11. Jo. 11. *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me.* Traxit equidem Christus Dominus in cruce pendens ad se omnia, diuinâ virtute, quæ illi inerat. Fatetur hoc S. Chrysost. Ser. 8. de Passione. S. Chryso. *Traxisti,* inquit, *Domine omnia ad te, & cùm expandisses totà die manum tuam, ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitenda maiestatis tuæ sensum, totus mundus accepit.* Traxisti Domine omnia ad te, cùm in execrationẽ Iudaici sceleris, vnam protulerunt elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus cœli, & conuerso in noctem die, terra quoq; motibus quateretur insolitis, vniuersaq; creatura impiorum se vsui negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem; prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium, verteretur. Traxisti omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo, obumbratis significationibus tegebatur, id pleno apertoq; sacramento, vniuersarum vbiq; deuotio nationum celebraret.

Verùm, si dubij adhuc hæretis Catholici, quænam sint ista omnia, quæ Christus Dominus traxit ad se, perpendite iam singula. Traxit nobis A Christus Dominus in cruce, exaltatus Patrem æternum, illum grauissimo furore percitum placans, & summè offensum humano generi, æternæ societatis fœdere reconcilians. Traxit Angelos, desolatas eorum ruinas per crucis trophæum restaurans. Traxit peccatores ad cõmissi sceleris agnitionem, & pœnitentiæ maturationem eos inclinans, vt docet Euangelista Lucæ 23. *Reuertebantur percutientes pectora sua.* Luc. 23. Quis tunc obsecro obcæcatæ illi nationi, populo ad la- B nienam parato, efferatis carnificibus, ad dilacerandum Christi corpus; resolutissimè confluentibus, quis inquam illis tunc, quòd peruersè agerent, inspirauit; quòd Filium Dei dishonorarent, ostendit; quod æternæ damnationis suppliciũ mererentur, cordi eorum suggessit: vt à furore ad lachrymas, à carnificina ad cõmiserationem, à cæde vnigeniti, innocenter patratâ, ad veram pœnitentiam & contritionem redirent? Crux sancta hanc inauditam præstitit mali- C gnantium mutationem, & conuersionem ad Deum. Nam si acus magnete delibuta ferrum potenter ad se trahit: quomodò crux sancta, tempore crudelissimæ passionis, Dei sanguine non aspersa, sed planè immersa, ferrea peccantium corda, ad se trahere non debuit. Traxit Saluator noster, in hac salutiferâ arbore moriens, antiquos illos Patres, & in sinu Abrahæ recumbentes, de subterraneis tenebris, in amæna paradisi prata eduxit, vbi post diuturnum tædium delicatè respirarent. Quæ D omnia quàm verissimè sanctæ cruci attribuantur, audiamus D. Leonem Papam Serm. 8. paulo post medium, in hæc verba prorumpentem. *Exaltatum Iesum ad se traxisse omnia, non solùm nostræ substantiæ passione, sed etiam totius mundi commutatione monstratum est; pendente enim in patibulo creatore, vniuersa creatura ingemuit, & crucis clauos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui, & terram traxit, & cœlum, hoc petras rupit, monumenta aperuit,* S. Leo.

ruit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Sed, quid mirum? debebat hoc testimonium suo mundus auctori, vt creatura in occasu conditoris sui, vellet vniuersa finiri. Sed patientia Dei seruat rebus atque temporibus suum ordinem, nosq; in illum potiùs vocat affectum, vt eorum salutem petamus, quorum crimina horremus. Cùm ergò Christus Dominus crucis mortem elegerit, vt nos omnes per illam ad se felicissimè traheret, indignum erat, vt tàm beata arbor, cuius brachijs sæculi pependit pretium, periret; aut certè in profundissimo terræ defossâ, diuturna obliuione in animis hominum sepulta maneret. Verùm, quemadmodùm & absconditos in terræ visceribus thesauros, accensa sæpiùs & fumans pinguedo monstrat: quem ignem naturalistæ fatuum vocant, quia fugientes insequitur, & insequentes se fugit. Sic planè crucem sanctam, profundissimè defossam, euidentissima miracula B. Helenæ Romanorum Imperatrici monstrârunt. Quia scilicet placuit victori Christo, vt crucem sanctam, nobile sui triumphi trophæum, in munimentum & medicamentum, sanctæ Ecclesiæ deuotæ Christianitati adorandum erigeret. Si enim munimentũ quæris in sacrosancta Christi Domini cruce, habes illud manifestum ex D. Athanasio, qui dicit. *Christum Dominum ideò sublimatum fuisse in cruce, vt àerem à diabolicâ infestatione purgaret.* Non enim in orbe terrarum vlla fuit possessio, quam sibi dæmon arroganter non vsurpauerit.

Terram ille tanquàm propriam sedem occupauerat: *Circuiui*, inquit, *terram & perambulaui eam.* quasi terram circumeundo & perambulando, tanquàm solenni iuris celebritate, eius possessionem vsurparet. Sed inde à Christo Domino per crucis passionem pulsus, atq; fugatus est. dùm eius omnia præsidia expugnata, in cruce sancta corruerunt, teste Origene hom. 8. in Iosue. *Visibiliter*, inquit, *Filius Dei in carne crucifixus est; inuisibiliter verò ea in cruce, diabolus cum Principatibus & potestatibus affixus est.* Quasi diceret: Christus Dominus crucifixus est, vt ex cruce intraret in gloriam suam; diabolus verò in cruce contritus est, vt in gehennam exularet. Sic quoq; locum hunc exponit S. Basil. hom. 21 de humilitate. *Diabolus*, inquit, *in eo crucifixus est, quem se crucifixurum, & in eo mortuus. quem morte se extincturum sperauerat.* Similiter S. Leo Serm. de Passione Domini docet: *Claui*, inquit, *Christi perpetuis diabolum fixêre vulneribus, & Sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum.* Victum iam æternis temporibus diabolum, per crucem Iesv Christi, proclamat Sapiens, Prouerb. 22. *Ciuitatem*, inquit, *fortium ascendit Sapiens, destruxitq; locum fiducia eius.* In quem locum Solinus to. 1. Bibliothecæ secundæ editionis scribens sic dicit: *Ciuitatem Scriptura sacra appellat mundum, fortes dæmones.* Mundus ergò iste, quondam ciuitas fortium erat, C quia idolorum cultibus deditus, dæmonibus seruiebat; & fiduciam vitæ habebat in cultu eorum, qui non sunt dij, sed opera manuum hominum. Quis ergò est ille Sapiens, qui hanc ciuitatem fortium ascendit? ille nimirum Filius Virginis, Dei virtus, & Dei sapientia; qui tunc ciuitatem hanc ascendit, quando natus in carne visibiliter mundo apparuit. Ipse ergò cùm sanctam crucem ascenderet, destruxit robur fiduciæ eius, quia subuertit de mundo cultum dæ- D monum, in quibus tanquàm in dijs confidebant gentiles. Itaq; nullum fuit in vniuersa terra adeò munitum diaboli præsidium, quod Christi Domini crux solo nõ æquauerit. Testis est luculentissimus huius veritatis, Angelus ille Zachariæ 4. qui resistentem Christo crucifixo, cum probro alloquitur: *Quis tu*, inquit, *mons magne, coram Zorobabele in planum.* Quasi diceret (vt exponit Cyrillus Alexandrinus) *qua tua est ò Sathan fortitudo, si cum fortitudine crucis Christi Domini comparetur? Quamuis tibi mons*

Olym po

Ignis fatuus quis.

S. Athan.

Ioh 1.

Origenes.

S. Basilius.

S. Leo.

Prou. 22.

Solinus.

Zachar. 4.

Cyrillus Alexandr. *Olympo altior videaris ; tamen coram Christi Domini cruce, vallis inferno depressior efficieris.*

Non erat securum mare : quoniam & ibi piraticam prædationem dæmon exercebat, qui cùm videret Christum Dominum, à mari tanquàm verum Principem recognosci, Matt. 8. iuxta illud Matt. 8. num. 22. *Mare & venti obediunt ei.* Furens inuidiâ, & in blasphemias erumpens, illud Pœtæ infrenduit.

Non illi imperium pelagi sæuiq; tridentis,
Sed mihi sorte datum.

Sed frustra furit infernalis bellua, quia solo nomine IESV, & sacrosanctæ crucis signo, omnis eius debellatur potestas. Quemadmodùm Psal. 37. docet Regius vates Psal. 37. *Tu*, inquit, *confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconis in aquis.* Quasi diceret : non iam in aquis illis Mare rubrum cur sic dictum. maris rubri, ex subiectis rubescentibus corallijs; sed in aquis baptismatis, ex pretioso Christi Domini sanguine purpurascentibus, confregisti cœli & terræ triumphator IESV, trophæo crucis sanctæ dæmonem, & omnem illi ademisti potestatem.

Insuper àëris possessionem sibi vsurpauerat diabolus, propter quod illum Apostolus 2. Ephes. n. 2. vocat. Ephes. 2. *Principem potestatis àëris huius.* ideò scilicet; quòd ex àëre veluti, ex quodam propugnaculo suo, in terram iacula sua dirigeret, sua tormenta disploderet, suas deniq; vires effunderet. Iniquus sanè àëris possessor, quem sui nominis ferali quadam vmbrâ, sic obscurabat, vt totus in tenebras mutaretur. Vt proinde dicat Ephes. 5. Apostolus Ephes. 5. n. 12. *Rectores tenebrarum harum.* Quid ergò amans humani generis Saluator ? vt iniquum possessorem deturbaret ex àëre, exaltatus est à terra, sublatus in crucem mortuus in àëre, vt ante scabellum hoc pedum eius, victus dæmon corrueret : iuxta illud Prophetæ : Habac. 3. *Egredietur diabolus ante pedes eius.* En superbus ille inferorum draco, qui idololatranti antea mundo tyrannicè dominabatur, à tribus iam A mundi elementis terrâ, aquâ, àëre, per crucem sanctam deturbatus est. Vnum illi tantùm supereſt, scilicet ignis gehennæ inextinguibilis. In hoc vno commorari permittitur, non exterminatur, vt in æternum crucietur. Et meritò : Illa enim tenebrosa aula, regi superbiæ debetur. Si enim ille vitulus conflatilis, quem Hebræi in deserto adorârunt, quia de igne egressus erat Exodi 31. n. 24. idcircò Exodi 31. in ignem iterum regressus est. Si vipera illa, quæ D. Pauli manum inua- B serat, quia de igne exilierat; statim quoque in ignem insilijt. Sic planè consentaneum erat, vt diabolus de igne infernali egressus, ad tentandum genus humanum, in ignem tandem cruce Christi relegaretur, æternùm cruciandus.

Quid ergo iam timeat humana infirmitas, quæ tantum crucis Christi munimentum habet, quo suum capitalem hostem, extremas videt in miserias præcipitatum. Læta iam in pace audiat Christianitas gratulabun- C dum Prophetam dicentem : *Celebra Iuda festiuitates tuas, quia non adijcit vltrà, vt pertranseat in te Belial : vniuersus interijt.* Nahum 1. Si enim diabolus maiori audaciâ, quàm potentiâ, tentare pergat, facilè erit, vt solo crucis signo propulsetur. Quemadmodùm docet D. Chrysostomus. *Si in illum*, inquit, *diuinas incantationes canere noueris, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis cantationes spirituales, ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, cum ipsius crucis potentia.* S. Chryso. Cuiusmodi incantatio, non solùm draconem à spo- D lijs abigit, atq; in ignem conijcit; sed etiam vulneribus quoq; medetur. Felicia certè incantamenta, quæ & munimenti vim obtinent, ne vulneremur; & medicamenti, ne si vulnerari contingat, percamus. Et quod magis fortasse mirabêre, non tantùm sancti, & iusti homines, sed etiam summi peccatores, crucis sanctæ signo armati, diabolo sunt terrori. Quod manifesto exemplo confirmat D. Gregorius Nazianz. orat. 3. n. 54. vbi refert de Juliano Apostata, qui

à mago ductus ad nocturnum dæmonum conuentum, subitò horrore perculsus, *Ad crucem*, inquit Nazian. *Vetusq; remedium confugit, hacq; se aduersùs terrores consignauit.* & statim addit S. Doctor: *Valuit*, inquit, *signaculum, cessere dæmones, pulsi sunt timores.* O quanta infirmitas dæmonum? qui etiam ab ignauis militibus, sed benè armatis superantur; & quamuis interdùm volentibus imperent, & non belligerantibus insultent; nolentibus tamen cedunt, & imperium detrectantibus succumbunt.

Nazianz.

Habet & S. Ecclesia munimentum singulare, de sancta cruce, quâ protecta; & cùm petitur bello, pace fruitur: & cùm ei omnes ponant insidias, in summa securitate, maximam capit voluptatem, atq; inter medios etiam hostes, & tyrannos, & persecutores efflorescit, cùm à nemine violetur, aut de sua securitate deijciatur. Hoc firmum Ecclesiæ sanctæ præsidium, in cruce Christi Domini ponendum esse, diuino Spiritu prædixerat Regius vates Psal. 147. n. 13. *Confortauit*, inquit, *seras portarum tuarum.* hoc est; (vt exponit D. Chrysosth.) Ecclesiam suam Deus muniuit validiùs; quàm quondam Hierosolymam, non vectibus & portis, sed cruce sanctâ circumseptam. Quare sicut Iudæam olim ille lapis adiutorij, tanquàm murus, de Philistinis defendebat: ita Ecclesiam sanctam, veneranda Christi Domini crux, contra oppugnatores suos, strenuè protegit, & tuetur. Hoc de Christo suam protegente Ecclesiam, canit Propheta inquiens *Et erit iste pax, Assyrius cùm venerit in terram nostram, & quando conculcauerit in domibus nostris.* hoc est; quando venerit diabolus, siue quicunq; alius tyrannus, & Ecclesiam sanctam magnis persecutionibus oppresserit, atq; vexauerit, ipse Christus Dominus, erit ei pax, qui pugnantem tuebitur, & vincentem in pace conseruabit. Habent & regna Christiana suum in Christi cruce præsidium. Nam sicut

Psal. 146.

S. Chryso.

Michææ 5.

A Gedeon trecentis tantùm militibus stipatus, infinitos & innumeros Madianitas debellauit, literam Tau, quæ figuram crucis gerebat, in vexillis gestans. Ita Christus Dominus, per inermes Apostolos, armatos fidei hostes profligauit, & hucusque omnes Christianitati aduersantes barbaros fortiter expugnat. Quemadmodùm Tertullianus libro 3. Carm. contra Marcionem decantat.

Hoc etenim signo prædonum strauit aceruos.
Congressus populo Christi sine milite multo.

Tertullia.

B Vnde meritò illud elogium sanctæ cruci apponit Andreas Archiepiscopus Cretensis hom. de exaltatione Sanctæ Crucis. *Crux*, inquit, *est spes Christianorum, seruatrix desperatorum, portus eorum, qui tempestate iactantur, custos in nocte, in die turris, in tenebris deductrix, protectrix viduarum, tutrix orphanorum, honor magistratuum, potentia Regum, belli ducum victoria, Sacerdotum gloria, Virginum cohabitatrix.*

Andreas Cretensis.

Elogia sanctæ crucis.

Verùm non solùm in præsidium, C sed etiam in medicamentum simul crux sancta Ecclesiæ Catholicæ data est. Sic docet D. Athanasius Ser. 5. in Parasceue: *Misertus est*, inquit, *ipse Deus, remedium ad tollendum errorem intulit, crucem videlicet proferens, diuinæ notitiæ instrumentum, omni naturâ potentius: siquidem efficax non fuit cœlum, ad impietatem corrigendam: erubescebat quidem Sol, sed homines detinere non poterat, quominus illum adorarent. Terra corporibus medicamenta suppeditans, ægrotanti animæ remedium ferre ne-* D *quibat. Mare quoq; verecundabatur, cùm diuinos honores, ab hominibus simili errore detentis, immeritò sibi offerri videret. Ita miseri homines cæcutientes, fouebant creaturam, & quotquot in promptu erant, adorantes; interea Deum ipsum inuenire non poterant: vel vniuersa prædicationis natura, ad eius vnius doctrinam, ac notitiam, homines adducere non valuit. Sed quod non potuit cœlum, potuit crux: quem Sol non docuit, crucis fulgor ingens reuelauit: lignumq; illud, quod vile habebatur, cùm esset iam plantatum, ex impietate ad pietatem transferens, quæ excoluit*

S. Athana.

coluit orbem terrarum: lignum, quod erat damnationis instrumentum, damnatis hominibus, libertatis fructum produxit.

Parumnè adhuc vobis videtur, tantum in Christi cruce remedium contineri? vbi est certissima medicina infirmorum, vitiorum expulsio, datio sanitatis, vita mortuorum, pietatis præscriptio, blasphemiæ obstructio. Paucis multa? adsunt omnia ad salutem consequendam necessaria. Nonnè hæc sancta crux, Christi Domini, fuit Cathedra sapientissimi Dauidis, ex qua tantus Propheta mundo insensato, Theologicas fidei, spei, & charitatis materias legit, atq; aliarum virtutum salutifera moralia documenta, cunctis mortalibus tradidit? Nonne crux sancta fuit virga Jonathæ, quâ mel comparauit, cùm per crucis mortem, Christus Dominus, & corporis, & nominis gloriam obtinuerit? Ac tandem silentio hîc non præteribo lignum illud in paradiso positum: quod crucis figuram gessisse, docuit S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. Nam quemadmodùm illud, positum erat in medio paradisi; ita Christi crux in medio orbis terræ collocata fuit, iuxta illud Dauidis Psal. 73. *Operatus est salutem in medio terræ.* Et quemadmodùm in paradiso ante peccatum, non ampliùs vixissent homines; quàm duraret lignum vitæ, cuius fructu reparatus fuisset natiuus vigor, vt docet Angelicus Doctor 1. p. q. 97. ar. 4. Ita quoque in paradiso Ecclesiæ Catholicæ, populus Christianus, in fide & charitate minimè permaneret, nisi sanctæ crucis virtute fulciretur. Quod apertissimè videtur insinuare Isaias cap. 65. vbi dicit in persona ipsius Dei: *Secundùm dies ligni, erunt dies populi mei.* Quos dies S. Augustinus lib. 2. de Ciuit. cap. 26. ad duratio-nem S. Ecclesiæ refert. Et id ipsum disertissimè comprobat S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. inquiens: *Dies & tempus huius viuifici ligni* (scilicet Sanctæ Crucis) *erunt dies Ecclesiæ, & populi Christiani, qui sine cruce viuere, & stare non posset.* Vt ergò tàm salubrè medicamentum, de cruce Christi, & Ecclesia sancta, & fideles omnes percipiant, virtute diuinâ illam inungi oportuit, per ipsam Christi Domini, in suis brachijs appensionem, vt docet hodiernum Euangelium: *Sicut*, inquit, *Moyses eleuauit serpentem in deserto; ita eleuari oportuit Filium Dei.* Quæ verba Seuerinus Episcopus, sapienter perpendens, subtilem satis discursum mouet. *Nonnè*, inquit, *credibilius erat, si dixisset Moyses filijs Israëlitis in deserto, si quis vestrum morsus fuerit, cœlum suspiciat, aut tabernaculum Dei, & salutem assequetur? verùm his ille positis habitis, serpentem tantùm, qui imaginem crucis gerebat, statuit.* Cur autem fecerit hoc Moyses, qui antea populo seuerè prohibuerat, ne facerent sibi sculptile, neq; conflatile, neq; similitudinem vllam earum rerum, quæ sunt in cœlo sursùm, aut in terra deorsùm. Dic nobis obsecro seueriſſime legislator, & subtilissimè diuinæ voluntatis interpres, quid est? quod alijs vetas, id ipse facis? quod præcipis euerti, id ipse constituis? qui conflatum vitulum comminuisti, serpentem ipse ex ære conficis. At ille respondet: illa inquit prohibui, quo materiam impietatis exciderem, & ab idolorum cultu populum abducerem. Nunc autem serpentem vtiliter conflo, vt eiusmodi experimento exercitatus populus, crucis imaginem, & seruatorem in ipsa pendentem prænoscat. Sed mirabitur non nemo, quâ ratione serpens ille eleuatus, Christum in cruce pendentem repræsentare potuit? cùm ille à principio statim homini exitium attulerit, hic verò salutem: ille in errorem induxerit, hic deitatem demonstrauerit. Quod adeò permouit D. Gregorium Nazianzenum, vt putauerit columbrum illum æneum, non extitisse Christi typum, sed antitypum potiùs, in eoq; duntaxat Christum adumbrasse putat, quòd sicut serpens, in ligno fuerat eleuatus; ita etiam Christus in cruce. Cui sententiæ vi-

Crux sancta fuit Cathedra Dauidis,

S. Damasc.

Psal. 37.

S. Thomas

Isaiæ 65.

S. Auguſt.

S. Damasc.

Seuerinus Episcopus,

S. Gregor.

S. Maxim. deo patrocinari D. Maximum. Nam vt refert Theophones ex sententia illius: *Suspensus*, inquit, *serpens, erat mortis symbolum, cuius auctor & procurator serpens fuerat; at signum in quo eleuatus est, crucem denotabat; aspectus autem illorum, qui percussi sunt, fidelium confessio est.* Verùm alij Sancti Patres, in illo serpente, Christum fuisse præsignatum vnanimiter docent, idque rationibus manifestissimis conuincunt. Inprimis D. Ambro. de Spiritu Sancto lib. 3. cap. 6. in eo ostendit figuram Christi, in colubro eleuato præcessisse, quòd quemadmodùm ille videbatur coluber; cùm tamen re ipsâ, coluber non esset; ita Christus Dominus in cruce, videbatur esse peccator, qui tamen erat innocentissimus, & ab omni labe peccati prorsùs alienus. Quod his verbis exponit S. Ambrosius. *Non verus, sed æneus suspensus est serpens: quia in virtute quidem corporis, sed sine virtute peccati, suscepit Deus speciem peccatoris, vt per lubricum infirmitatis humanæ similitudo, serpentem depositis exuuijs, veri destrueret serpentis astutiam, & calliditatem.*

Theophones

S. Ambro.

Ecce igitur medicamentum sacratissimæ Christi crucis, adumbratum habetis in serpente, à Moyse eleuato. Serpens ille venenosissimarum quarumuis aspidum morsus sanabat; crux sancta etiam dæmonis ipsius infectionem mortiferam sanat, atq; ab omni lethali morbo, hominem ad sanitatem mentis reuocat. Serpens ille, per solum aspectum medebatur vulneratis; crux sancta efficacior, quia etiam lumine oculorum priuatis, salutiferum ad omnia præbet remedium. Amplectimini ergò crucem sanctam, agnoscite in illa gloriam triumphantis Christi, agnoscite singulare vestrum præsidium, & medicamentum. Atq; ceu vnicum Regis Regum IESV Christi trophęum, supplices adorando, postulate ab eo, qui vobis hoc dulce lignum proposuit, vt vos in pace per crucem sanctam, tanquàm per munimentum inexpugnabile conseruet: & si quis A animam lethalis morbus possedit, ad vitam reuocet, & in gratia sanctificante augeat.

EODEM DIE CONCIO QVARTA.

Adeamus ad thronum gloriæ eius, vt misericordiam consequamur.

Crux sancta est thronus gloriæ Christi: nauis salutis & misericordiæ: fons redemptionis atq; gratiæ.

INgeniosa Pòetarum cõmenta ferunt Vlyssem, turbulenti maris fluctibus & procellis, huc atq; illuc decennio agitatum, postquàm illum nauigij cursus in ea detulisset loca, vbi Sirenarum cantus, dulci varietate resonans, nauigantes adeò blandâ modulatione mulcebat, vt non tàm spectaculum voluptatis caperent; B quàm naufragium salutis incurrerent. Suauis etenim illa cantilenæ oblectatio, ita in admirationem rapiebat, & penè attonitos reddebat auscultantium animos; vt quisquis audisset vocis illius sonitum, quasi quadam captus illecebrâ, non iam tenderet ad eum, quem inquirebat portum, sed festinanter pergeret ad exitium, quod nolebat. Quo cognito Vlysses, vt suauitatis illius declinaret periculum, & dulce, sed perniciosum vitaret naufragium, dicitur in- C sertâ cerâ auribus sociorum, seipsum ad arborem nauigij religasse, quo & illi carerent perniciosâ auditus illecebrâ, & se de periculo nauigij prosperior cursus, in securum deferret portum. Non absimile quid nauiganti mundo inter fluctuantes mortalitatis tenebras accidisse video. Aberrabat orbis longo interuallo, inter suaues voluptatum concupiscentias, quæ noxijs blandimentis conscientiam captæ mentis effæminant. Detinebatur pernicioso sæculi lasciuientis auditu, & cursum melioris vitæ

defle-

deflectebat in scopulos libidinis, atq; incontinentiæ Charybdes: diuque oberrans, naufragus ad portum paradisi, de quo primus homo exierat, redire non valuit. Sed nouo Vlysse Christo Iesv opus erat, qui religatus arbori, de tanto mundum eriperet naufragio. Ex quo enim Christus Dominus religatus est in cruce, ex eo nos mundi illecebrosa crimina; velut clausâ aure transire cæpimus. Crucis siquidem arbor, non solùm religatum sibi victorem, & triumphatorem potentiæ repræsentat, sed omnes etiam fideles, tanquàm veros cœlestis illius Vlyssis socios, virtutis suæ vmbrâ custodit, & post multos errores in patriam omnes redire facit, atq; inter blanda & periculosa naufragia præsentis sæculi incolumes seruat. Hanc ego hodie arborem crucis sanctæ, ostendam esse thronum gloriæ Christi, & nauem misericordiæ, atq; gratiæ, in qua errabundum genus mortale, à morte æternitatis seruari, & in beatitudinis portum transmeare potest.

Ignominiam & gloriam, per omnia inter se dissidere, nemo inficiatur, sed omnes consentiunt. Quid enim commune habet infamia cum fama, turpitudo cum honore, dedecus cum gloria, abiectio cum celsitudine? adeò, vt horum extremorum, scilicet ignominiæ in gloriam conuersio, impossibilis planè videatur. Crucem olim turpè, & abiectum supplicij genus extitisse, comprobauit Cathedræ Romanæ oraculum, oratione pro Rabirio inquiens: *Nomen ipsum crucis, absit non modo à corpore ciuium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, & auribus.* Hinc pleroq; sæculo illustres, vt infames rederentur, ob facinora ab ipsis patrata, suspendio perijsse Historiarum volumina attestantur. Refert enim Ouidius Achæum Lydiæ Regem cruci traditum, & Artageten Regis Persarum præfectum, à Xantipone Athenienſium duce captum, mortem crucis subijsse, dùm eorum Rempublicam prædaretur. Hinc Apuleius crucem vocat damnatam: Seneca infelix lignum; Epistola 201. Tacitus seruile supplicium. Lactantius supplicium homine libero indignum. Quamobrem teste Scaligero, cùm Romani honoris cupidissimi, iniuriam aliquam passi fuissent, quam tamen nulla ratione vindicare possent, illam à se propulsare arbitrabantur, seipsos interficiendo; à qua infamia, cùm nullatenùs paterentur dimoueri, illud efficacissimum remedium excogitatum fuit, legibusq; publicis cautum, vt quicunq; se interfeciſſet, cadauer eius, in crucem ignominiosè ageretur. Cuius sanè ignominiosæ condemnationis timore, ita omnes perterriti fuêre, vt nemo esset, qui violentas sibi manus imponere turpissimum non iudicaret. Nec profana, sed etiam sacra volumina, crucis infamiam potentiùs exaggerant. Nam Iosue diuini honoris acerrimus zelotes, *Regem Hai propter idololatriam suspendit in cruce, vsq; ad vesperam* Iosue 8. Gabaonitæ pariter, filios septem Saul crucifixerunt in Gabaa, in pœnam violati fœderis à Saul. Vnde infame crucis supplicij perpendendo Sapiens, impietatis arguit Iudæos, quòd vocem illam contra Christum eleuârint: *Morte turpissimâ*, (hoc est crucis) *condemnemus eum.*

Et ecce iam crux illa, in qua tantus omnium contemptus extiterat, vt maledictam eam vocitarent, in tantam hodiè mundo erigitur adorationem, vt totus eam orbis sanctificet. Discessit omne probrum à pulcherrimo hoc ligno, in quo Christus Dominus pependerat. Versum est mortis dedecus, in vitæ splendorem; supplicij ignominia, in maiestatis gloriam commutata: vt non immeritò dixerit Propheta Ezech. 17. *Dominus humiliauit lignum sublime, & exaltauit lignum humile.* Quasi diceret Propheta inquit Glossa: Illud lignum crucis, quod tempore mortis Christi, humile & abiectum erat, post resurrectionis triumphum, exaltatum est, & omnis eius ignomi-

Seneca. Tacitus. Lactantius.

Crux ad abolendã ignominiã apud Romanos decreta.

Iosue 8.

Sapien. 1.

Ezech. 17.

Cicero.

Rex Lydiæ cruci traditus.

Apuleius.

niæ obſcuritas, in fulgentiſſimum gloriæ ſplendorem commutata. Vnde non iam ampliùs crux arbor infelix dicitur, *ſed arbor decora & fulgida, ornata Regis purpurâ.* Non iam maledictum crucis lignum habetur, ſed beatum omni ex parte, *cuius brachijs ſæcli pependit pretium.* Non iam abiectionem & contemptum ſuſtinet crux Chriſti, ſed primatum inter omnia mundi ligna, & Eccleſiæ ornamenta tenet. Quod perpendens S. Andreas Apoſtolus inquit; *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti.* Confirmat D. Auguſtinus Serm. 36. *Cùm*, inquit, *ſub antiquis ſcelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur: quia crux honorata eſt. Finita eſt in pœna, manet in gloria: à locis ſupplicijs fecit tranſitum, ad frontes Imperatorum; quodſi tantum honorem dedit pœnis ſuis, quid quæſo ſeruat fidelibus ſuis:* Corroborat vlterius S. Chryſoſtho. homil. quod Chriſtus ſit Deus inquiens: *In purpuris crux, in diadematibus crux, in precibus crux, in armis crux, in menſa ſacra crux, & in toto orbe crux, & ſuper ſolem fulget crux.*

Præfigurabat hanc crucis ſanctæ gloriam, apud Ægyptios, litera illa Sacerdotis, quæ crucis figuram præferebat, quàm ipſi colebant ex eo, quòd ſecundùm peritos hieroglyphicarum notarum, vitam venturam ſignificaret, teſte Rufino lib. 2. cap. 2. Hinc apud eoſdem referente Cœlio Rodigio, crucis figura omnium perfectiſſima, cœli & ſiderum Domina, & mirabilium effectrix habebatur. Non ne quæſo crux ſancta, quam mundus feliciter in monte Caluariæ adinuenit, altioribus digna eſt encomijs? Mortem illa Chriſto attulit, ſed quia vitam omnium ſibi affixam tenuit, vitam quoq; fidelibus confert, & futuram beatitudinem ſperantibus prænuntiat. Hæc eſt cœli & ſiderum Domina; quia ab immortali ſidere adornata. Hæc eſt mirabilium effectrix: quid enim tàm prodigioſum, quàm redemptionis opus, & ſalutis reparatio? quæ omnia in cruce ſancta parata ſunt.

Meritò proinde S. Paulus dicit: *adeamus ad thronum gloriæ eius.* Thronus profectò iſte, crux ſancta eſt, tantæ gloriæ, vt ante eum viginti quatuor illi Seniores mitterent coronas ſuas. Vnde S. Leo Serm. 2. de paſſione explicans illa Chriſti Domini verba. *Hodie mecum eris in paradiſo.* inquit: *Promiſſio iſta non tàm de ligno crucis; quàm de throno editur poteſtatis.* Hunc thronum æternæ Chriſti gloriæ, præparauit cœleſtis Pater, per Prophetam ipſemet loquens: *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & figam illum in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ domus Patris tui.* Clauis officium obtinet crux ſancta, tum ideò, quòd illa primùm imperſcrutabilia ſacrorum voluminum arcana, humano intellectui reſeraverit, teſte Apoſtolo Lucæ 24. *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.* Tum certè ideò crux ſancta clauis vices obit; quia hæc ſola Regni cœleſtis portas verè pœnitentibus patefecit, annuente Chryſoſth. to. 2. hom. de diuite Lazaro. *Crux Chriſti clauis paradiſi eſt, crux Chriſti aperuit nobis paradiſum.* Et profectò, cùm primus homo ligneâ ſerâ occluſerit paradiſum terreſtrem, ligneam quoq; decebat eſſe clauem, quæ eundem nobis reſeraret. Addit inſuper Propheta, *& erit ſolium gloriæ Domini, Chriſti ſui.* Reges à ſolijs ſuum inchoant principatum. Chriſto pariter crux ſancta erat thronus, à quo regnare cæpit in cœlo, & in terra. *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno.* Perſtringit hic argutus Tertullianus obcœcatam Iudæorum ſtultitiam, explicatione, eloquentiâ, & pietate plenâ, quòd tàm euidenti prophetiæ oraculo, veritatem agnoſcere nequeant: *Age nunc*, inquit, *ſi legiſti penes Dauid, Dominus regnauit à ligno: expecto quid intelligas, niſi fortè lignarium aliquem Regem ſignificari Iudæorum, & non Chriſtum, qui exinde à paſſione ligni, ſuperatâ morte regnauit.* Comprobat diſcurſum Tertulliani Iſaias cap. 9. *Quis*, inquit, *omnino regum, inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite*

A
B
C
D

S. Auguſt.
S. Chryſo.
Figura Crucis.
Rufinus.
Cœlius Rodigius.
Apoc. 4.
S. Leo.
Iſaiæ 22.
Lucæ 24.
S. Chryſo.
Pſal. 95.
Tertullia.
Iſaiæ 9.

pite diadema, aut manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? Sed ſolus nouus Rex, nouorum auorum Chriſtus IESVS, nouæ gloriæ & poteſtatem, & ſublimitatem ſuam humero extulit; crucem ſcilicet, vt ſecundùm ſuperiorem prophetiam regnaret à ligno Dominus. Vt docet Salomon inquiens: *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Prou. 20. Thronum profectò iudicij, crucem ſanctam eſſe, quis inficiabitur? hoc enim ſignum præcedet, cùm Dominus ad iudicandum venerit. Credi- B derim proinde ego, Chriſtum Dominum in ſolio crucis conſidentem, intuitu ſuo omnes dæmonis inſidias diſſipaſſe. Quod non obſcurè inſinuat rectus Iob. *In oculis eius quaſi hamo capiet eum.* Iob 40. Scilicet; omnes dæmonis fraudes & dolos, hamo crucis irretiet. Quemadmodùm explicat D. Athanaſius: experientiâ enim compertum eſt, fontium aquas, quantò profundiùs in ſubterraneos meatus deſcenderint, tantò altiùs poſtea ebullire. Crucem ſanctam, fontem C limpidiſſimum appellauit S. Leo Sermone 8. de Paſſione vbi dicit: *Crux tua fons eſt omnium benedictionum, omniũ cauſa gratiarum, in qua datur credentibus virtus de infirmitate, gloria de opprobrijs, vita de morte.* S. Leo. Hic certè viuis ſcaturiens aquis fons, profundiſſimè antea in terræ viſcera defoſſus, ſed ebullientem gloriæ virtutem, anguſtæ ſubterraneæ vmbræ, capere non valentes, in apertum totius mundi ſpectaculum, & ſalutarem viſum aſſurrexiſſe permiſerunt.

Thronos regales è lignis palmarum conſtruebat olim antiquitas, forſan ideò, quòd palma victoriæ ſymbolum, & inſigne apud varias nationes extiterit. Siquidem arbor hæc, illud peculiare habet, vt quantò maius pondus ad eam deprimendam illi ſuperimponitur, tantò fortiùs nitatur contra, ad erigendum ſe. Vnde à grauitate ponderis nunquàm ſuperatur, ſed ipſa potiùs ponderis grauitatem mirabiliter vincit. E palmari ligno thronum Chriſti gloriæ, crucem ſanctam conſtructam fuiſſe, apertè ipſemet cœleſtis ſponſus declarat: *Aſcendam,* inquit, *in palmam, & apprehendam fructum eius.* Cantic. 7. Et quando obſecro hanc palmam conſcendit, niſi cùm ſanctam crucem ſuis humeris amplecteretur.

Refert Nicephorus lib. 2. cap. 1. in eodem loco, vbi Chriſti Domini crux profundiſſimè, ex inuidia Iudæorum defoſſa erat, ad abolendam penitùs crucis Chriſti memoriam, ſimulachrum veneris collocatum fuiſſe ab idolorum cultoribus. Vt ſcilicet illo graui pondere ſuperimpoſito, Chriſti gloriæ thronus ex animis mortalium, prorsùs exſtirparetur. Verùm innata palmæ virtus, in gloriosa Chriſti cruce exiſtens, adeò enituit, vt grauis illius ſarcinæ ponderi ſibi ſuperimpoſito, nec cederet, nec ſuccumberet; quin imò etiam defoſſa, maiorem conatum exhibens, in ſublime ſe erexit, & vincens ſuperimpoſiti oneris grauitatem, in altiſſimum locum conſcendit. Conſcendit hoc regale ſolium, ad nobilium pectora, quæ honoris cauſa, rubeâ D. Iacobi, & Calatrauæ, albâ Diui Ioannis, viridi Alcantaræ, cruce magis illuſtrantur, & nobilitantur: licet alioquin ipſos generis nobilitate conſpicuos mundus agnouerit. Conſcendit è profundiſſimo terræ ſinu, crux ſacroſancta, non ſolùm ad illuſtrium pectora virorum, ſed etiam ad Principum vexilla, ad clariſſima magnatum ſtemmata, quibus infinitas propemodùm hoſtium turmas, D crucis ſigno in eis ſculpto, aut exarato, glorioſiſſimè profligarunt. Conſcendit thronus iſte ad nauigantium proras, ad arcium & turrium cacumina, ad regia diademata, ad Imperatorum coronas, ad Pontificum tiaras. Quod D. Chryſoſt. hom. de cruce, aurea prorsùs voce in hunc modum edixit: *Crucem,* inquit, *vbiq; celebrari, videlicet in domibus, in foro, in ſolitudine, in vijs, in montibus, in mari, in veſtibus, in margaritis, in bellis, & in pace cernimus.* S. Chryſo. Solium regale, vbi in publicum erigitur theatrum,

Palma materia throni.

Palma pondere non premitur.

Nicephor.

trum, Regem breui aduenturum prænuntiat. Crux sacrosancta, vbi patebit toti orbi in cœlo, vltimum Christi aduentum, omnibus præsignabit. quemadmodûm docet Sanctus Ephrem lib. de vera pœnitentia cap. 4. *Vbi*, inquit, *viderint omnes regium istud ac tremendum sceptrum reuelari, iam tunc agnoscent singuli, continuò ipsum quoq; Regem reuelandum, qui in illo clauis affixus est.* Ante thronum regium, exhibetur omnis reuerentia; ante solium Christi gloriæ, scilicet crucem sanctam, etiam procumbendum esse, docet Regius vates. *Adorate*, inquit, *scabellum pedem eius.* Hæc adoratio debetur throno Christi, quem refert, & cum quo habet vnitatem quandam, non in esse naturæ, sed in esse obiecti adorabilis, propter relationem signi.

§ Ephrem.

Adoratio cruci sanctæ vnde debetur.

Verùm inquiet fortasse blasphemus Hæreticus, crucis adorationem esse contra doctrinam Apostoli: Diuus enim Paulus expresse dicit: *Quorum finis interitus est, & gloria in confusione.* Sicut proinde ingratus esset filius, qui amaret, & coleret patibulum, in quo pater eius suspensus esset; ita profectò ingrati videntur, qui colunt crucem, in qua Christus Dominus, non modò crudelissimè cruciatus est; sed etiam necatus fuit. Verùm magna discrepantia: homines enim plerumq; propter sua scelera pœnas subeunt, ideoq; amens esset, qui patibula illorum adoraret, siquidem in illis, propter criminis enormitatem omnem gloriam amittunt. At verò Christus Dominus in cruce innocentissimus, pro nocentibus passus est. proinde si victores suos gladios auro vestiunt, & in perpetuam memoriam asseruant; quantò magis Christi Domini crux, quæ instrumentum nostræ salutis reparandæ erat, & per quam omnis potentia inferorum victa, culpaq; mortalium deleta exstitit, digna est, vt in sancta Ecclesia, omni adoretur veneratione, & velut trophæum Christi, in perpetuum ornamentum summo cultu asseruetur. Præsertim,

Philipp. 3.

quoniam crux sancta, pro temporali ignominia, æternam famam attulerit. teste Apostolo: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Philipp. 2.

Est insuper crux sacrosancta, nauis præclara, in qua quilibet mortalium, æternæ naufragium damnationis vitare potest. Cuius gubernaculum est, redemptio generis humani: remi, gratia & misericordia: malus sublimis, tot gentium, & grauissimorum peccatorum conuersio. anchora, spes firma, & fiducia in Deum: operimenta, specialis protectio fidelium. Velum, sanctitas piè & castè viuentium. Nauclerus, ipsamet incarnata sapientia, quæ crucem sanctam dirigit in corda humilium, & Deo obsequentium. In Agrippæ nummo nauis tridentali rostro, insignis victoriæ naualis præsagium erat. Profectò, crux Saluatoris nostri, triplici prærogatiuâ insignita, tanquàm tridentali rostro, fide, spe, charitate, victoriæ aduersùs malignos hostes, infallibile prognosticum est, Deo ipso Magno id quondam Constantino promittente. *In hoc signo vinces.* Nauis proprium est, grauissima pondera, quæ nullo humano artificio, alioquin ex vno loco in alium transferri possent, sustinere; sic planè crux sacrosancta, Christum Dominum sibi affixum sustinens, grauissima peccatorum nostrorum pondera portauit; in ea siquidem patiens Dei Filius, iniquitates omnium nostrum pertulit. Nauis asportare solet frumentum, ex vberrimis regionibus ad steriles, vt illarum abundantia, istarum inopiam suppleat. Crux Saluatoris nostri, *facta est, quasi nauis institoris, de longè portans panem suum.* quæ ex vberrimis cœlestis paradisi regnis, in sterilem atque infæcundam huius mundi plagam, detulit nobis inappretiabile illud frumentum; de quo dicit Apostolus: *Iste est panis qui de cœlo descendit.* vt illius immensâ abundantiâ,

Nummus Agrippæ.

Prou. 31.

Ioan. 6.

nostram

nostram egestatem suppleret. Ma- A gni pretij erat nauis illa Salomonis, 3. Reg. 10. quæ ex Ophir purissimum
3. Rég. 10. aurum deferebat, ad ornamentum templi Hierosolymitani. Quis obsecro pretium sacrosanctæ crucis adinueniet? cuius decore Ecclesia Catholica percolitur, & condecoratur: cuius valore inæstimabili, magna peccatorum debita soluuntur: cuius mirabili virtute, velut præsentissimo antidoto infirmi curantur, & corda fidelium lætificantur: cuius deniq; radianti splendore, militans B Ecclesia Christi, mitis fulgoribus coruscat. Quodsi, referente Henrico Schualen lib. 4. nauis apud veteres, fuit felicitatis hieroglyphicum, certè postquàm sacrosancta Christi Domini crux, diuino reperta instinctu, mundo apparuit, indubitatum, atq; certissimum nostræ salutis argumentum exstitit. Nam sicut olim nemo saluus euasit, tempore inundationis iræ Dei, quando omnem carnem fluctibus aquarum plasmator hominum inuoluit, nisi qui ad nauem Nóéticam, in modũ Arcæ fabricatam confugerat; ita planè nemo peccatorum, à diuinæ iracundiæ diluuio inundante liberari potest, nisi per crucis sanctæ mysterium. Cæteræ mundi naues, tempestatibus & procellis facilè expugnantur, belluarum ictibus offenduntur, teste Plinio de Hi-
Plinius; storia animalium, vbi refert serram maris, dorso suo cingere nauem, &
Pisces nauem destruentes. monocerontem marinum, acutissimo suo cornu illam perforare: similiter Echeneidi ingenti robore, nec D non & magnetis virtute nauis detinetur, ne iter suum peragat; Charybdis voraginum sorbetur haustibus, piratarum grauatur rapinis, atq; Sirenum cantibus crebrò naufragium subit. Sola crucis sacrosanctæ nauis, inter assiduò commotas mundi rebelliones stat tutissima, & inter fluctuantis mundi procellas nauigans, nec belluarum ictus, nec infidelium Syrtes, quidquam sibi nocere patitur, Christi præsentiâ munitissima. *Ne metuas arbor nobilis, & decora; quia fortunam Regũ Regum, & mundi salutem vehis.*

Aurea Regis Assueri virga, magnæ erat clementiæ signum, cùm nulli ad Regem accedere liceret, nisi priùs illius virgæ tactu, aditus sibi insinuaretur. Crucem profectò Christi optimè adumbrauit, cuius virtute, nisi priùs mortalium corda diuinitùs tangantur, ad Deum, prout saluti congruum est, nulla ratione conuerti possunt. En felicem misericordiæ nauem, in quâ ad portum æternitatis vehitur, quisquis in Deum, fide, spe, & charitate tendere vult. Vt non immeritò dixerit Chrysosth. homil. de cruce & latrone. *Crux est sustentatio inopum, spes desperatorum, nauigantium* S. Chryso. *gubernatrix, periclitantium portus, obsessorum murus, & lumen in tenebris sedentium.*

Virga Assueri signum clementiæ.

Tertiò demùm, crux sancta est fons gratiæ: nullus enim Deo reconciliari potest, nisi per crucem sanctam, nullus gratiam obtinere, nisi per crucis inuocationem. Inter alios celebres antiquitatis fontes, Castalium fontem in Phocide, ad radicem montis Parnassi, non procul à Delphis existentem, commemorant veteres. Qui adeò montem illum fæcundabat, vt aquarum eius virtute, myrti, rosæ, violæ, & alij odoriferi flosculi facilè excreuerint, quibus nõ nisi Deæ, Phæbi sorores, redimitæ incedebant. Crux Saluatoris nostri, est præstantior fons, dulcissimis aquis è latere Christi IESV profluentibus scaturiens. Hæc cruore illo inæstimabili, ita fidelium corda fæcundat, vt ex illis innumeri subitò erumpant flosculi. Hinc purpureæ martyrum rosæ, illinc candida virginum lilia: hinc odoriferæ confessorum violæ, illinc odoratissimi Doctorum narcissi prodeunt, quibus non iam Apollinei chori Nymphæ, sed sancta Christi militans Ecclesia coronatur, & empyreum cœlum redimitum splendet. Fons cùm ex alueo exundans prodit, non terram tantùm, quam rapido cursu pertransit, fæcundat; sed arbores etiam quandoq; diuellit, & ædificia dissoluit. Quærite hic causam Catholici, quid siluestres illas ar-

Fontis Castalij virtus.

bores, in gentilitatis solo plantatas, eradicauit? quid idolorum templa euertit? profectò fons ille delicatus, è Christi latere rapidissimo impetu erumpens, attestante id Propheta.

Isaiæ 39. *Cùm venerit*, inquit, *quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.* Quasi diceret: cùm sacrosanctæ crucis mysterium mundo apparuerit, & virtutem suam inceperit manifestare, tunc omnes peribunt errores, & gratiâ crucis sanctæ inebriati mortales, in pulcherrimos virtutum flores fœcundè refloresçent. O magna crucis sanctæ gratia! ô prodigiosa ligni Christi sanguine cruentati virtus! quid in animis mortalium patrare non poteris? *Crux* (inquit

S. Chryso. Chrysostomus de veneratione crucis) *noxia mortifera, venena exstinxit, morbos profligauit, tenebras expulit, & fines orbis terræ illuminauit. Cruce* (inquit S. Athanasius in quæst. ad An-

S. Athan. tioch. q. 168.) *conculcata est mors, & in exilium relegata maledictio: infernus cessit in prædam, peccatum est abolitum, plantata est salus, resurrectio est patefacta, vita orta, & idololatria dissoluta.* Præsentiebat hoc infensissimus humani generis hostis, quod procul dubio metuens, crucem sanctam in abditissimo loco recondi, inter latronum cruces commisceri, & per multos annos ignotam humi delitescere curauit. vt hac ratione idolorum cultus non impediretur, & sua damna sibi per sanctam crucem illata, resarciret. *Sed mentita est eius iniquitas*

Psal. 26. *sibi*, inquit Propheta. Quia viua arbor, virtutem suam inter mortuorum sepulchra continere non potuit, verùm admonita diuino Spiritu pijssima Helena, octogenaria in Hierosolymam pergens, & indicio vnius

S. Helena octogenaria crucem S. inuenit. Iudæi (qui postea ad fidem conuersus, Episcopus & Martyr factus est, vt refert Beda de loco crucis sanctæ) edocta, apertâ humo, & decusso

Beda. puluere, tres adinuenit cruces, ambigensq; quænam illarum vera Christi Domini crux esset, semimortuum

Rufinus. (vt sentit Rufinus lib. 1. cap. 7. & 8.) aut omninò mortuum (vt veriùs docet Sozomenus) afferri iussit. Quo allato, cùm vna de crucibus illis, & altera mortuo admoueretur, facilè earum ligna mors spreuit. At verò vbi tertia admota esset, Dominicam esse prodidit reuiuiscentis miraculum. Ecce fontem gratiæ crucem sanctam, quæ & mortuos, viuificat, & peccatores in spem salutis erigit. D. Ambr. addit, Helenam Sanctam, post repertum crucis thesaurum, clauos, quibus Christus cruci affixus erat, duos misisse ad filium Constantinum Magnum, Romanorum Imperatorem: vnum ad intexendum in diademate; alterum ad inserendum in fræno: illum ad decorem; hunc ad fortitudinem: Ne verò quispiam alienum à pietate iudicet, clauum tantæ venerationis fræno impositum esse, audiat S. Ambrosium oratione in funere Theodosij, hac de re loquentem. *Non insolentia*, inquit, *ista,* S. Ambro. *sed pietas est, quare super frænum clauus crucis ponitur, nisi vt Imperatorum insolentiam refrænaret, & omnibus illis, Sancto dicere Spiritu vidèretur: noli fieri sicut equus, & mulus; sed in chamo & fræno, maxillas eorum constringe.* Cor vestrum Catholici mei, adamas est, recta ratio frænum, quæ passiones animi atq; carnis constringere, & moderari debet. æquum est, vt particulam sacrosanctæ Christi crucis menti vestræ inseratis, vt vbi sensus viget, ibi & præsidium reperiatur. Reponite quoq; partem eius in cordibus vestris, vt cùm cor sit vitæ principium, ab hoc ligno vitæ, æternùm viuendi vigorem abundè recipiat.

Ecce iam ostendi vobis, crucem sanctam esse thronum gloriæ Christi, esse nauem salutis & misericordiæ: esse fontem redemptionis & gratiæ. Quòdsi in sacra Historia legimus, solenni olim pompâ apud Hebræos, celebratum fuisse festum, quando sacrum ignem inuenerunt, qui per multos annos latuerat in terra defossus, vbi in aquam crassam conuersus erat, denuò verò post inuentionem accensus, pristinam naturam induit. Magis æquum profectò est, vt ex inuen-

2. Machab.

tione

Crux Sancta 326. annis in terra latuit.

tione sacrosanctæ crucis, cuius gloria trecentis viginti sex annis sepulta, post inuentionem demùm toto orbe exaltari, & clarescere cæpit, vt inquam omni solemnitate inuentum hunc thesaurum, non quem Christus perdiderat, sed quo nos perditos acquisierat, veneremur. cum D. Paulo ad mutuam deuotionem nos inuicem exhortantes: *Adeamus ad thronum gloriæ Christi, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus.* Hebr. 4.

DIE S. STANISLAI,
CONCIO PRIMA.

Ego sum Pastor bonus. *Ioan. 10.*

Tunc constat Pastorem ab ipso Deo electum esse, quando sanctitate & bonitate alijs præstat.

AUrea adhuc fuêre sæcula, quandò ipse Deus Ecclesiæ suæ rectores, populo Principes, fidelibus pastores eligebat. Quia nihil rarius bono pastore: nihil magis periculosum pastorali officio. In hoc enim munere, & noctes insomnes ducere oportet, & vitam pro grege sibi commisso profundere. Quod optimè cognoscens Deus, ipsemet per Samuelem Prophetam suis Israêlitis Principem eligebat, vt palam loquitur sacer textus. *Cùmq; aspexisset Samuel Saulem, dixit Dominus ei: ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* Vt scilicet Saul memor, quòd ab ipso Deo, in tantum honoris fastigium euectus esset, cum maiori diligentia, prouinciam suam obiret, & populum suo regimini concreditum strenuè defenderet. Sed mysterium inscrutabile in altissimis Dei consilijs latet: quia plerumque, & is qui ab ipso Deo eligitur, alijs quidem vtilis, sibi verò pernicioſus esse solet. Ecce Saul ab ipso Deo in Regem Israêlitarum electus fuit, quem tamen S. Dionysius tradit populo quidem profuisse, sibi tamen obfuisse: & omnia mentis atq; corporis ornamenta, quæ à Domino in vtilitatem populi acceperat, proprium in damnum conuertisse. Qua de re eleganter S. Gregorius. *Etsi, inquit, pro futurâ nequitiâ repellendus erat à regno Saul; tamen habebat in se, donec regnaret, vnde populo sibi subdito prodesse potuisset.* Quod totum in Ecclesia sancta nunc fieri cernimus: vbi passim Deus non tantùm dignos, sed & indignos pastores subministrare solet, ex occultissimis suis rationibus. Quemadmodùm docet S. Gregorius, qui quadruplicem Prælatorum diuisionem ponit. Cùm inquit in sancta Ecclesia pastor eligitur, aliquandò Cordinatur pro se, & populo: aliquandò nec pro populo, nec pro se: aliquandò pro se, non pro populo: aliquandò demùm pro populo, non pro se. Pro se, & pro populo pastor eligitur tunc, quando electus, fidei instructor, electis subditis datur: quia vnde subditorum multitudo ad æternam patriam ducitur, inde bono pastori meritorum dona cumulantur. Nec pro se, nec pro populo pastor eligitur in Ecclesia tunc: quandò reproba plebs, reprobum pastorem habere permittitur; cùm sicut ille pessimè præest, sic illi obediunt, vt ad æterna bona nec ille qui præest, nec illi qui reguntur, peruenire mereantur. de quibus dicit Dominus; *Dabo eis Regem in furore meo.* Pro se, non verò pro populo tunc pastor datur; quando etsi subditos suos electus pastor conuertere ad Deum non possit, ipse tamen laboris sui æterna

1. Reg. 9 n. 17.

Quadruplex Prælatorum diuisio ex S. Gregor.

Osee 13. n. 11.

S. Gregor.

lucra non negligit. de quo ad Ezechielem Dominus dicit: *Mitto ego te ad filios Israël gentem apostatricem qua recessit à me.* Deniq; pro populo, & non pro se eligitur pastor: quando bonis subditis pastor tribuitur, qui bona habeat per quæ illis prosit, & sibi non prosit. de quo dicit Dominus apud Euangelistam. *Quæ dicunt,* inquit, *facite, quæ autem faciunt facere nolite.* Quasi diceret: quod vtile pro vobis acceperunt, ab eis quasi vestrum tollite; & in eis quasi suum dimittite, quod non habent ad lucrum vestrum, sed ad intentum suum. Ostendam igitur ego D. Stanislaum ab ipso Deo Ecclesiæ sanctæ pastorem fuisse electum & pro se, & pro populo.

Ezech. 2. n. 3.

Matt. 23. n. 3.

Disceptatio magna inter Doctores oritur, vndenam dignosci possit aliquem ab ipso Deo in pastorem Ecclesiæ sanctæ, & in rectorem atq; instructorem fidelium datum esse. respondentque veritatem hanc ex duplici capite coniectari debere. Primò, si pastor electus sit cæteris melior: nam cùm Principum Ecclesiæ electores, sub lethali culpa teneantur, non solùm dignum eligere, sed etiam digniorem: vt docet S. Tho. 2. 2dæ q. 63. art. 2. ad 3. & q. 185. art. 3. in corpore. Cuius sententiæ omnes Theologi vnanimiter subscribunt. A quâ perfectione passim aberrant Principes Ecclesiæ, dùm non quærunt eos qui possint plùs prodesse, & in Ecclesia erigere columnas; sed, quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti: vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. Et vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrârunt vt docet D. Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum: *Multi,* inquit, *eliguntur, non amore sui, sed alterius odio. In plerisq; suffragium meretur sola simplicitas, & alterius prudentia & calliditati quasi malitia opponitur. Interdum hoc & pontificum vitio accidit, qui non meliores, sed argutiores in Clerum allegunt, & simpliciores quosq; atq; innocentes inhabiles putant: vel affinibus & cognatis quasi terrenæ militiæ officia largiuntur, siue diuitum obediunt iussioni. Et quod grauissimum illis Clericatûs donant gradum, quorum obsequijs sunt deliniti.* Immò vt acriùs inuehitur D. Chrysosthomus lib. 3. de Sacerdotio. Neq; inquit immeritos solùm allegunt; verùm etiam idoneos eijciunt: quasi non æquè pestilens sit vtiles arcere, & inutiles intromittere. Sed tales electiones (dicit S. Chrysosthomus) nonnè millies Dei fulmen merentur? nonnè dignæ sunt, quæ gehennæ, non illius, quam nobis sacræ literæ cominantur, sed longè grauiori igne plectantur. Hinc D. Bernardus de consideratione ad Eugenium, hortatur eundem Pontificem ad optimos quosq; Ecclesiasticis muneribus præficiendos. *Viros,* inquit, *probatos oportet diligi, non probandos: & quidem tales, qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptijs Moysen, fornicantibus Phineen, idololatris Heliam, auaris Heliseum, mentientibus Petrum, blasphemantibus Paulum, negotiatoribus denique Christum.* Talem olim Principem Israëlitis elegerat Moyses, qui iam moribundus clamabat supplex ad Dominum. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc.* Cuius postulatis & votis annuens Deus, respondit illi: *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum.* Quare autem Domino Deo placuerit illa postulatio, respondet Origenes ho. 22. in Numer. quia non filium, non propinquum, non amicum in regimen assumi postulauit; sed totam electionem Deo commendauerat, certus à Deo non nisi optimum eligendum. Cùm ergò terreni Principes & Ecclesiæ sanctæ Præsides, rarò spectent in personis, diuinis muneribus præficiendis virtutes, sed tantùm externos fauores, idcirco quoties optimum pastorem in Ecclesia sancta quispiam conspicit, certus esse debet, quòd ab ipso Deo, tanto muneri electus sit deputatus.

S. Thomas

S. Hieron.

D. Chryso.

S. Bernard.

Num. 17. n. 19.

Ibidem n. 18.

Origenes.

Ex altero fundamento colligunt Doctores, Pastorem Ecclesiæ sanctæ, tunc

tunc ab ipſo Deo electum eſſe, quando cæteris omnibus ſanctitate præluceret. Nam vt docet S. Gregorius, *qui ſancta Eccleſiæ regimen ſuſcipit, diues eſſe debet, & ornatus affluentia donorum ſpiritualium ac plenitudine meritorum.* Quæ duo cùm in D. Staniſlao Regni noſtri Patrono mirificè effulſerint, quis non fatebitur illum ab ipſo Deo in regimen Eccleſiaſticum euectum fuiſſe? Fuit enim in illo bonitas incomparabilis: quia nihil mali in comiſſo ſibi grege graſſari paſſus eſt, ne ipſius quidem truculenti regis vitam in vitia effrænem, ferre valens, quin illum audacter corriperet, atq; ad meliorem viuendi normã reuocare conaretur. Fuit ſumma ſanctitas: cùm nemo etiam ſceleratiſſimorum eſſet, qui ad eius conſpectum non erubuiſſet, & melior fieri non vellet.

S. Gregor.

Optimum pariter & Sanctum paſtorem, pulchrè nobis deſcripſit Samuel Propheta. *Et ibat*, inquit, *per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & iudicabat Iſrãelem.* Et rursùs addit ſacer textus. *Reuertebaturq; in Ramatha: ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Iſrãelem, ædificauit etiam ibi altare Domino.* In quibus Scripturæ ſacræ locis Samuel, quem ſibi Deus ad regendos ſuos Iſrãelitas elegerat, optimo & ſancto paſtori præſcribit. Primum, vt commiſſas ſibi Eccleſias viſitet, proſpiciens num vbiq; omnia in Deum rectè agantur. Deinde, vt reliquũ tempus reſidendo in ſui muneris loco impendat. Nam Sacra pagina non alio fine Samulem ſanctum Prælatis Eccleſiæ proponit, niſi vt eum in omnibus imitentur: quemadmodùm inprimis Carthuſianus de Samuelis in hoc munere diligentiâ loquitur. *Sic omnino*, inquit, *ſi veri Epiſcopi & cæteri viſitatores eſſe volunt, omni tempore opportuno, & in iure determinato debent ſubditos ſuos viſitare, vitia extirpare, collapſa & deformata totis viribus reformare, bonos confirmare in bonis, & prouocare ad meliora, ac præcipua quæq; loca diligentiùs cuſtodire.* Et quemadmodùm addit Lyranus, Samuelem proprio labore & impensâ, per illas vrbes diſcurriſſe, vt ſubditis eſſet vtilis & non grauis. Sic planè moderni Eccleſiæ paſtores ex ſuo officio, tenentur viſitare commiſſa ſibi loca ſancta, non vt aliquid accipiant, quia hoc fit contra doctrinam Euangelicam, quæ dicit: *Gratis accepiſtis, gratis date:* Sed vt errantes inſtruant, & delinquentes cõerceant. Nam in viſitationibus aut grauare viſitatos expenſis, aut ſumere ab eis munuſcula, iure Eccleſiaſtico ſub pœna excommunicationis prohibetur. Inſuper addit Abulenſis, Samuelem prouinciam ſuam obire ſolitum fuiſſe, non ſolùm vt in priuatas perſonas inquireret; verùm etiam vt immediatos iudices in officio contineret: maximè verò vt religionis cultum ſartum tectumq; in ſuo populo conſeruaret. Ex hac Samuelis induſtria, facilè colectari poſſunt Eccleſiarum præſides, quantam vigilantiam non tantùm in paſcendo, ſed etiam in viſitando grege ſuo impendere debeant: nimis enim eos vrget exemplum Samuelis: nam ſi ille nullo præcepto poſitiuo obligatus in hanc curam ſuæ prouinciæ diligenter obeundæ, tàm ſedulus incumbebat. Quid Eccleſiaſtici paſtores ab ea cura elangueſcant, in quam tàm multis præceptis Pontificijs impelluntur? vt palam habetur in Concilio Toletano quarto cap. 35. & Concilio Bracharenſi ſecundo cap. 1. & Arelatenſi cap. 17. cap. *decernimus* cap. *Epiſcopum* cap. *placuit*, & nouiſſimè in Tridentino multis locis Seſſione 7. & Refor. cap. 3. vbi ſic habetur. *Patriarchæ, primates, & Epiſcopi, propriam diœceſim per ipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, ſaltem maiorem eius partem per ſuum generalem vicarium, aut viſitatorem; ita tamen vt toto biennio per ſe vel viſitatores ſuos compleatur viſitare non negligant.*

1. Reg. 16.

Ibidem n. 17.

Carthuſia.

Lyranus.

Matt. 10. n. 8.

Abulenſis.

In hoc officio & munere obeundo, non receſſit à Samuele D. Staniſlaus. Viſitabat enim ſæpiùs ouile ſuum, non tantùm vt videret, ſi rectè omnia agerentur, verùm etiam

vt pericula peccandi, quæ ex malorum consuetudine oriebantur, impediret. Visitabat pauperes, vt temporalibus eos iuuaret alimentis. visitabat & potentes, vt spiritualibus eos roboraret auxilijs. Idcirco meritò cum Regio vate dicere potuit illud. Psal. 100 n. 2. *Perambulabam*, inquit, *in innocentiâ cordis mei, in medio domus meæ, non proponebam ante oculos meos rem iniustam : facientes præuaricationes odiui.* Perambulabat sanè D. Stanislaus regum curias, & Principum aulas, non ambitionis aut fauoris captandi gratiâ, sed vt dementiam, Regis ad saniorem mentem, luxum ad abstinentiam, libidinem ad castam conuersationem, effusam voluptatem ad virtutum rigorem reuocaret. Non in aliquo domus suæ angulo recondito & inaccesso molliter cubans, ignauiter desidens, dormiens, stertens, & corporis voluptatibus indulgens; sed promptus ac prouidus, sui memor officij perambulabat, vt omnibus rectum viuendi exemplum præberet, & deprauatos aliorum mores corrigeret. Non vanas exercebat perambulationes, ad inanem apparatum: non venationibus vacabat ad incongruam voluptatem : sed innocentiâ cordis sui, ad omnes voluptatum pestes, vel procul ablegandas, vel penitùs extirpandas, dies & noctes insomnes ducebat. Et certè si diabolus 1. Petri 5. n. 8 hostis animæ, *circuit quærens quem deuoret*, cur pastores Ecclesiæ pari saltem, si non maiori vigilantiâ non discurrant, quæsituri quos saluent : cùm sint seueram *rationem pro salute* Hebr. 13. n. 17. *aliorum neglecta reddituri.* Quod si facerent, non tàm multæ passim animæ deperirent, quæ à dæmone tanquàm leone rugiente, & circumeunte miserè deuorantur. Hanc pastoribus Ecclesiæ instructionem dat Venerabilis Beda lib. 3. cap. 17. in caput secundum Esdræ. Doctorum inquit spiritualium est, sæpiùs nocte surgere, ac solerti indagine statum Sanctæ Ecclesiæ, quiescentibus cæteris inspicere; vt vigilanter inquirant, qualiter ea, quæ vitiorum bellis sordidata, siue deiecta sunt, castigando emendent, & erigant.

Beda.

In admirationem apud plerosq; venit, cur D. Ioannes ad septem Asiæ Episcopos scribens; appellauerit illos Angelos. *Angeli*, inquit, *sunt septem Ecclesiarum.* Apoc. 1. n. 20. Sed cessat hæc admiratio in D. Stanislao, quem meritò in pastorali Ecclesiæ munere collocatum, Angelum quispiam vocare potuit. Nam ad curandam hominum salutem, aurâ flammâque velocior huc & illuc rapiebatur. nec tantùm excubans in vtilitatem Ecclesiæ sanctæ, atq; fidelium, sed quocunque etiam oportuit, tanquàm Angelus velox peruolans, memor illius doctrinæ D. Pauli. *Pro Christo legatione* 1. Cor. 5. n. 20. *fungimur.* Quasi diceret : Quemadmodùm legatus non quiescit in patria, sed in alieno solo peregrinatur; ita & curatores animarum non otiantur inter patrias & domesticas delicias, sed in assiduâ vigilantiâ, animarum salutem sibi creditarum negotiantur.

Imitatus est Samuelem Prophetam D. Stanislaus, & in altero perfectionis gradu, scilicet; in residendo. Quæstio est inter Theologos non postrema, an residentia pastorum sit de iure diuino, nam de Ecclesiastico non est dubium. Quæ difficultas anteactis sæculis vix audita; tandem in Concilio Tridentino acerrimè disputata est : & Sessione 23. Decreto de Reformat. cap. 1. in partem affirmatiuam resoluta. Quod optimè fulcitur autoritate sacræ scripturæ, vbi Christus Dominus, summus ille Pastorum Princeps sic dicit. *Inhabitabo* 2. Cor. 6. n. 16. *in illis, & inambulabo.* Et deducitur facilè ratione euidenti. Primùm ex eo, quia Ecclesiæ sanctæ præsides dicuntur in Scripturâ sacrâ pastores; non tàm propter dignitatem, quam inter oues habent; aut certè vtilitatem, quam ex ouibus sortiuntur : quàm potiùs propter munus pascendi oues. Vt patet ex verbis Christi Domini, qui primatum Ecclesiæ Petro committere volens, non dixit, pastor esto : sed, *pasce oues meas.* ne scilicet Ioan. 21. n. 17. honor-

Concil. Trident.

honorem illi potiùs deferre, quàm laborem cõmittere videretur. Paſtor autem vt debitè munus ſuum obeat, præſens illi ſemper adeſſe debet: deinde quia paſtores in Scriptura ſacra non dicuntur Domini, ſed miniſtri, iuxta illud Apoſtoli. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Atqui miniſtri debent loco ſui miniſterij præſentes ſemper adeſſe, vt proprias miniſtrorum functiones exæquantur. Inſuper confirmatur ex illo Apoſtoli dicto: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quaſi diceret: ſemper inuigilate, nunquam recedentes à commiſſo vobis grege. Et reuera merito Deus Eccleſiæ ſanctæ præſides obligauit vt ſemper ſint præſentes ſuis ſubditis, quia ex eorum abſentia ſumma oboriuntur pericula. Quadraginta tantùm diebus abfuit Moyſes à populo Iſraëlitico, idq; non ad voluptatẽ propriam, ſed ad cõmunem vtilitatem; non ad regum curias ambulationis gratiâ digreſſus, ſed in monte familiariter cum Deo collocutus: non grege ſine cuſtode relicto; ſed optimo Vicario Aaroni impensè commendato. Et tamen quis neſcit quanta culparum, quanta pœnarum incommoda, ex hac abſentiâ in populum Iſraëliticum redundârint? peſſimâ idololatriæ lue in tot hominum millia graſſante, & meritâ vltione ob tàm atrox piaculum, in ſacrilegos deſæuiente. Samuel pariter tantùm ſeptem dies à Saule abfuit; & tamen tàm exigui temporis abſentia, ſatis fuit, vt populus à Saule; Saul à populo dilaberetur: populus quidem ignominioſam in fugam verſus: Saul verò deteſtandum ſacrilegium operatus. Ex quo totius regni iactura, & miſeranda totius populi calamitas ſubſecuta, ſatis oſtendit, quantùm malum ex breuiſſimâ paſtoris abſentiâ oriatur. Vt magnæ animarũ ruinæ eueniant, dùm paſtor neſcio quo turbine auectus, diu alibi peregrinatur. Quis demùm ignorat, in quanta damna ſpiritualia corruerit domus illius fœminæ extrancæ alienæ, cuius meminit paræmiaſtes, quæ pudore penitùs profligato, coniugale domicilium, in adulterinum proſtibulum cõmutabat, & innocentes iuuenes more aucupis in turpitudinis retia recludebat. Quæ tamen tantorum ſcelerum labes, non aliundè, tantæq; licentiæ occaſio, quàm ex abſentia paſtoris, ſcilicet viri ſui; orta erat. vt docet Sapiens. *Venite*, inquit, *inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec eluceſcat dies: non eſt enim vir in domo ſuâ, abijt viâ longiſſimâ.* Agnouit hoc optimè D. Staniſlaus regni noſtri Patronus, ideoq; præſens ſemper ipſe, & non per alios gregi ſuo inuigilabat, cultum diuinum propagans, bonos in virtutibus confortans, & malos ſeueriùs arguens, atq; dijudicans. Vt ſi admonitio charitatiua alicui prodeſſe non poſſet, cum ſaltem ſententia pœnæ Eccleſiaſticæ à vitio deterreret. Quia inciderat in talia tempora, ſicut olim Ioſephus, de quo refert Scriptura, quòd vrbem Sichimam incontinentiæ labe fœdatam, & turpitudinis lue corruptam; dùm eius Princeps Sichen libidinis facibus exarſit, & omnes oppidanos, vt ſuum in incendium, ligna quodam modo ac nutrimenta conijcerent; exorauit. Et tamen Iacobus morti vicinus, eam vrbem filio ſuo caſtiſſimo Ioſepho, velut partem præcipuam legauit. *Do tibi*, inquit, *partem vnam extra fratres tuos.* Eam ſcilicet ob cauſam, vt Ioſephus in ea præſens reſideret, & ſuæ caſtitatis exemplo ab omni turpitudinis cœno illam expiaret. Sic cùm tota Polonia nimiſim vitijs redundaret, & in ſuæ ſocietatem vitæ ſcelera omnes accerſerent, vt mergente in libidinis gurgite inſano Rege, cæteri omnes ad ima iniquitatis deſcenderent. Datus eſt tunc in paſtorem ab ipſo Deo Diuus Staniſlaus, qui & ſuâ ſanctitate comprimeret impios, & morum atque doctrinæ grauitate vniuerſa vitia purgaret. Et reuera reſpondit diuinis votis bonus hic paſtor: nam & ex deſpe-

1. Cor. 4. n. 1.

Actor 20. n. 28.

Prou. 7.

Exodi 32. n. 1.

1. Reg. 14. n. 18.

Gen. 34. n. 1.

Gen. 48. n. 22.

desperatissimo Rege, pœnitentem fecit: ex Polonia, quæ tunc innumeras vitiorum pestes gignebat, & nutriebat, domicilium virtutum formauit: ex scelerum voragine, pietatis domum; ex vitiorum sentinâ, castitatis viridarium; ex implacatâ adulterij charybdi, quietam religionis palæstram. Proindè profuit & sibi & populo sibi credito.

Quocirca ad illum hodiè vota nostra moueamus, vt ille tanquàm vigilantissimus Patronus, visitet nunc paternum hoc suum regnum, & præsens in Poloniæ gremio per specialem protectionem atq; patrocinium resideat; desperatos erigat, afflictos soletur, peccantes cœrceat, & bonos in virtutibus augeat, diuinam eis impetrando gratiam.

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Dicit Dominus, quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum. 1. *Reg.* 2. *num.* 30.

Deus eos solùm glorificat, à quibus ore, & corde sincerè glorificatur.

DEuinctos sibi reddere volens Deus hominum animos, & ad celeritatem sui obsequij permouere, præmium illis non solùm in futuro sæculo, sed etiam in præsenti proposuit. *Nemo est*, inquit, *qui reliquerit* Marci 10. n. 29. *domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc, in tempore hoc; in sæculo futuro vitam æternam.* Si enim hominibus de solo præmio futuri sæculi spes proponeretur, non ità fortasse festinarent ad diuinum obsequium, cùm ad futura, quæ longiùs absunt, non tàm alacres incendantur. Dùm autem præmio etiam præsentis sæculi alliciuntur, quo sperant sequàm citissimè fruituros, dubium non est, quin ad illud conse- A quendum velociùs rapiantur. Quemadmodùm docet S. Ambrosius l. 1. de Pœnitentia, cap. 16. *Omne*, inquit, *studium torpescit dilatione, & ideo* S. Ambro. *Dominus vt præsentium fructu cumularetur deuotio discipulorum, dixit: quoniam qui dimisisset omnia sua, & Deum secutus esset, centies tantum reciperet & hic & in futurum. Priùs hic promisit, vt fastidia dilationis auferret.* Nam si homines solùm futuri sæculi præmium sperarent, in præsenti desides cunctarentur: si tamen certam illius B statim consequendi spem haberent; moras omnes tollerent, & ad illud comparandum festinarent. Proposito igitur præmio in præsenti sæculo, ad currendum ocyus inflammantur. Verùm de qualitate istius præmij, quod Deus laborantibus in vitam æternam promisit, dubij adhuc Apostoli, interrogant Christum Dominum. *Ecce* inquiunt, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit* Matt. 19. *nobis.* Quasi dicerent: promisisti quidem Christe IESV, sequentibus C te præmium, quia non vis, vt vllius hominis in tuum honorem laborantis actus etiam minimus maneat irremuneratus; sed omne bonum opus proportionato præmio vis compensare. Nihilominus tamen quærimus ex te, quodnam istud præmium daturus es nobis. Quibus respondit Christus Dominus: *Quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum.* Ecce non aliud præmium suis sanctis pollicitus est Redemptor noster; quàm gloriam. Non illis offert aurum: D quia hoc generosus homo facilè repudiaret, cùm auri cupiditate sola plebeia fæx ducatur. Non offert terrenas possessiones: quia & has vilipenderet sapiens homo, qui scit nihil solidum & firmum esse in mundo, sed cuncta exiguæ durationi, veloci autem mutabilitati obnoxia. Non offert dignitates & honorum prærogatiuas: quia sexus fæmineus deterreretur, cùm se ad obeundos magistratus idoneum non agnoscat. Sed gloriam promittit; quia nemo est, qui hac non capiatur. Ducitur enim

enim quiſq; laudis ſtudio, teſte Romano Oratore. Quomodò ergo Chriſtus, Dominus pro fideli obſequio, ſuum famulum & Martyrem S. Staniſlaum glorificauerit, inſpiciemus.

Liberaliſſimum Deus remuneratorem ſe eſſe oſtendit, dùm ſuos glorificatores ſe etiam glorificaturum pollicetur. Non quidem eos, qui labijs ſuis glorificant Deum, cor autem eorum longè ab eo auerſum eſt. hoc eſt; qui dicunt, *Domine Domine*, ſed tamen iuxta placitum & voluntatem eius non faciunt. Qui auditores ſunt legis, non factores. Qui diligunt linguâ & verbo, non opere & veritate. Hi enim Deum non tàm glorificant, quàm potiùs ludificant: fallentes non modò ſemetipſos, ſed etiam Deum fallere volentes: quaſi ipsâ externâ ſpecie decipiatur, & non potiùs intima mentis penetralia ſcrutetur. Sed eum tantùm Deus glorificare vult, à quo etiam ipſe bonis actionibus internis; fidei ſcilicet, & charitatis glorificatur. Sic enim locum hunc, *glorificantes me glorificabo*, exponit Sanctus Auguſt. lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani, vbi locutus de hæreticis fidem abiurantibus, ſic dicit. *Quomodò clarificant Deum qui dicunt per orbem terrarum impleri non poſſe eius promiſſa: aut quomodò non ſpernunt Deum, qui baptiſmum eius incredibili temeritate exſufflant.* Additq; ſtatim de catholicis fidem profitentibus. *Quomodò*, inquit, *Catholici non clarificant Deum, qui promiſſa eius nullis hominum ſceleribus impediri poſſe confidunt. Qui Sacramenta eius tàm debitâ veneratione proſequuntur, vt ea ſi etiam ab indignis tractata fuerint, illis ſuâ peruerſitate damnatis, illa intemerata ſanctitate permanere demonſtrent.* Hos Deus glorificare vult, qui ſummo chatitatis ardore feruntur in eum. vt exponit Caſſianus collat. 24. cap. 19. dùm ita legit: *Diligentes me glorificabo.* Quaſi illi tantùm qui diligunt Deum, propriè Deum glorificare, & à Deo glorificandi cenſeantur.

Isaiæ 29. n. 13.
Luæ 6.
Rom. 2. n. 23.
1. Ioan. 3. n. 18.
Iacobi 1. n. 22.
S. Auguſt.
Caſſianus.

Verùm non ſolùm internis actibus fidei & charitatis; ſed externis etiam homo Deum glorificare debet. vt docent S. Hieronymus & D. Paulinus Epiſt. 14. ad Celantiam, oſtendens ſatis non eſſe glorificare Deum ore, ſed etiam opere. *Qualis*, inquit, *eſt illa confeſſio, qui ſic Deo credit, vt pro nihilo eius ducat imperium? Aut quomodò ex animo ac verè dicimus, Domine Domine: ſi eius quem Dominum confitemur, præcepta contemnimus.* Sic Heli ſummus Sacerdos veteris teſtamenti, quamuis Deo gloriam per ſacrificia reddere conaretur, quia tamen iniuriam malè operando inferebat, idcircò non glorificator, ſed contemptor Dei exſtitit. vt palam fatetur Scriptura. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrâël: loquens locutus ſum, vt domus tua & domus patris tui, miniſtraret in conſpectu meo vſq; in ſempiternum, nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc à me.* Ex quo loco S. Hieronymus inuehitur in eos, qui malè viuentes, & peruersè agentes, benè laudarè & glorificare Deum ſibi videntur. *Et nos*, inquit, *ſecuro ac bono animo ſumus, qui per ſingula quæq; præcepta inhonorantes Deum clementiſſimum ad iracundiam prouocamus, eiusq; imperium ſuperbiſſimè contemnendo, in tantæ maieſtatis imus ruinam.* Quid enim vnquàm tàm ſuperbum? quid verò tàm ingratum videri poteſt; quàm aduersùs eius viuere voluntatem, à quo ipſum viuere acceperis? quàm illius præcepta deſpicere, qui ideò aliquid imperat, vt cauſas habeat remunerandi. Neq; enim obſequij noſtri Deus indiget, ſed nos illius egemus obſequio. Vnde S. Chryſoſthomus in Pſal. 148. inquirens, quo pacto creaturæ, etiam quæ ratione & locutione non vtuntur, ad glorificandum Deum inuitentur. Vbi tres glorificandi Deum modos præſcribit. Vnum per tacitam quandam ſui coram Deo exhibitionem; quo pacto omnes creaturæ etiam ſenſûs & rationis expertes Deum glorificant. Alterum, per locutionem; qui modus hominibus tàm bonis, quàm malis conuenit.

S. Hieron. D. Paulin.
3. Reg. 1. n. 30.
S. Hieron.
S. Chryſo.

Tertium omnium excellentissimum, qui per vitam & rectè facta exercetur. Nam hominibus inquit non solùm loquentibus, sed etiam tacentibus, gloria Deo offertur. Cùm ergo Deus pollicetur glorificantes se, se quoq; eos glorificaturum, potissimùm intelligit viros sanctos, quorũ ratio viuendi honesta, quorum operatio sancta est. *Qui facit hæc*, inquit Hieronymus hom. 30. in Matt. *in gloriam Dei, ipse quoq; gloriam consequetur.* Vbi apertissimè eam tantùm glorificationem à Deo remunerendam ostendit, quæ per bona opera exercetur. Consentit huic opinioni Diuus Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Ioannem. *Glorificatur*, inquit, *in nobis & per nos Deus, cùm sordibus peccati abiectis, illustrem virtutibus vitam viuimus: hoc enim pacto ad gloriam Dei homines viuere dicuntur.* Sed quo pacto Deus eos glorificat, à quibus tàm internis fidei & charitatis actibus, quàm externis virtutum operibus glorificatur? Magno planè gloriæ ornamento.

S. Hieron.

Cyrillus Alexandr.

Inprimis enim Deus suos seruos glorificat in hoc sæculo, idq; vel gloria sacerdotali, quæ est ter maxima, & sola per antonomasiam gloria appellanda. Tali gloria Aaronem Deus glorificauerat in veteri testamento, vt dicit Scriptura. *Beatificauit illum in gloriâ, & circumcinxit eum zonâ gloriæ, & induit eum stolam gloriæ.* Vbi ornatus sacerdotalis ter gloria nominatur, vt ter maxima significetur. Vel certè latiùs accipiendo de quouis genere gloriæ, quo iusti decorantur à Deo. Vnde D. Hieronymus in Epistola 26. ad Pammachium referens hæc verba, *Glorificantes me glorificabo.* & inquirens quænam hic Sanctorum glorificatio intelligatur, præsensne an futura, sic dicit: *Alij*, inquit, *hoc intelligunt de futuro, quando mæror in gaudium vertetur, & transeunte mundo, Sanctorum corona non transit. Ego & in præsentiarum video Sanctorum promissa impleri.* Quod statim confirmat ipsius exemplo Pammachij, cui non solùm æternus honor seruabatur in patria, sed etiam temporalis defere-

Eccl. 45. n. 8 & 9.

S. Hieron.

A batur in exilio. Antequàm ait Christo totâ mente seruiret, notus erat in Senatu; sed multi alij habebant infulas proconsulares. Totus orbis huiuscemodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos. Præcedebat alios dignitate, sed & alios sequebatur. At nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur. Miratur orbis pauperem, quem hucusq; diuitem nesciebat. Non differuntur ergo longiùs diuina præmia, sed statim conferuntur: nec simplicia, sed multiplicata cumulantur. *Plus* (inquit Hieronymus) *accipimus, quàm dedimus: parua dimisimus, & grandia possidemus: complicato fænore Christi promissa redduntur.* Paulò aliter D. Ioannes Damascenus, hanc gloriam, quam Deus suis seruis confert, interpretatur. Quod scilicet Deus glorificet suos seruos, iam quidem in cœlum translatos, sed adhuc in terra per suas imagines habitantes, quas Deus vult in magno pretio haberi, & sub eis sanctos ipsos præcipuâ quadam veneratione celebrari. Quare Sanctus iste Doctor, orat. 1. de imaginibus, inuehitur acriter in eos hæreticos, qui admissis Christi imaginibus, Sanctorum imagines tollebant, planè ignari, sicut Christi imagines à Sanctis colebantur; ita à Christo effectum esse, vt Sanctorum imagines colerentur. *O hominum*, inquit, *absurditas: nonne animaduertitis vos planè Sanctorum inimicos confiteri? Nam si Christi imaginem admittentes, Sanctorum imagines repudiatis: constat vos non tàm illorum imaginibus; quàm honoribus aduersari. Quippè qui Christi tanquàm honorati imaginem facitis, Sanctorum autem vt vilium & abiectorum effigies respuitis, veritatem ipsam mendacem appellatis. Viuo enim ego dicit Dominus, hos, qui me honorant, honorabo.* Quasi diceret: Christus Dominus eodem honoris genere honorat, quo à suis honoratur. A suis autem adoratur sub imaginibus: ergo & suos adorandos sub imaginibus proponit. vt glorificantes se glorificet, & quam ab illis accepit

S. Hieron.

Damascē.

cepit gloriam, rependat. Inſanitis igitur ô hæretici! qui infidelem facitis Deum; & eos qui Deum glorificârunt, non creditis pari proportione à Deo glorificandos.

Coronat & glorificat Deus ſuos ſanctos & in futuro ſæculo, vt docet S. Ephrem in paræneſi 41. *Qualem putas*, inquit, *inuenies gloriam frater chariſſime, ſi amicum Regem gloriæ poſtea tibi vendicaueris. Nam ſicut hic ipſum honoras, talem ille tranſitum præbebit tibi: & quantùm ei hic inſeruis, tantùm & ipſe honorabit te ibi: ſcriptum eſt enim, glorificantes me, glorificabo.* Quamuis enim beneficia, quæ in hac vita ſeruis Dei conferuntur, magna ſint; tamen ſi in futuro ſeculo, nullum aliud meritum illis concederetur, planè exigua aut ferè nulla viderentur eſſe hæc beneficia. vt optimè docet S. Hieronymus. *Miſericordia*, inquit, *quæ in præſenti ſæculo tribuitur, ad comparationem æternæ vitæ, mendacium eſt.*

S. Ephrem

S. Hieron

Glorificauit magnus totius Poloniæ, ſed præcipuè iſtius vrbis Patronus D. Staniſlaus Deum, dùm in terris viueret; & internis fidei atque charitatis actibus. Quæ duo in corde eius ſuccenſa, gratiſſimum odorem vſque ad ſoiium diuinitatis inacceſſum efflabant. Glorificauit ore; quia dulcis diuinæ laudis reſonabat in eius labijs ſonus. Glorificauit opere: nam quemadmodùm Tiburtio Sancto pro Dei gloriâ, cùm ei tyrannus pauimentum ardentibus ſternere carbonibus iuſiſſet, incedere parùm fuit? cui crepantes prunæ, molle puluinar; erumpens flamma ignis, roſeus flos eſſe videbatur. Quid de D. Staniſlao dicemus? qui truculenti Regis furias, audaci pede calcauit: Deum glorificans & ſcelera regis arguens. Videbat in ſuam ceruicem parari gladios à Regis furore; ſed diuinus honor hos in ſericum balteum ipſi transformabat. Quia ergò tripliciter Deum glorificauit, dùm viueret, triplicem quoq; meruit à Deo glorificationem. Glorificauit eum Deus in hoc ſæculo,

D. Staniſlaus tripliciter à Deo glorificatus eſt.

A dùm poſt mortem ſepultis eius cineribus, maiorem ab omnibus honorem, quàm viuentibus etiam regibus exhiberi voluit. vt meritò illud Bonauenturæ Serm. 2. de vno Martyre in ordine 14. in laudem eius vſurpari poſſit. *Quia hic ſanctus Martyr Deum honoranit, ipſum Deus glorioſum effecit.* Qui vnquàm Reges, qui Principes, qui Barones, aut nobiles, ſic à mundo honorati ſunt, vt Martyr Staniſlaus: immò vt Martyris iſtius crura. Maior longè honor exhibetur S. Staniſlao, quàm ſuperbo quondam Alexandro, aut faſtuoſo apoſtatæ Juliano. Scribit Plutarchus Cleopatram Ægypti Reginam, tempore quodam, dùm cum Antonio Romanorum Imperatore relaxandi animi causâ, hamo captandis piſcibus vacaret, Antonium ſic allocutam fuiſſe. *Relinque Imperator calamum nobis conopeis & Pharijs Regibus: non enim hæc tua præda, ſed vrbes, littora, nationes?* D. Staniſlaus ab incarnato Dei Filio ad piſcationem vocatus fuit: Quoniam dixit ipſemet Chriſtus *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Verùm quia non ad captandos piſciculos, ſed ad captandos hominum animos fuit accerſitus, noluit diuina bonitas, vt diutiùs ad littora Iſtulæ fluuij hæreret. Sed & in hoc glorificare illum voluit, dùm ſacra eius oſſa, ex pulueribus deterſa, in vrbem transferenda inſpirauit. Vt palam fieret tanto Martyri, angustum eſſe, ad decurſum aquæ locum: ſed magnificam vrbem, & regni ſedem illum decere, qui pro Dei gloriâ, Regis furiæ ſe obiecit.

B

C

D

S. Bafan.

Plutarch.

Matt. 4.

Sed parua adhuc erat hæc glorificatio, pro magno Dei Martyre Diuo Staniſlao. Maiorem illi adhuc fecit Deus: quia illum conſtituit fidelem Sacerdotem, ad cuſtodiendam domum ſuam, velut alterum quondam Samuelem, de quo locutus eſt 1. Reg. 2. n. 35. *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.* Fidelis equidem Sacer-

1. Reg. 2.

dos fuit D. Staniſlaus, non tantùm à fide; quòd ſcilicet myſterijs reuelatis, libenter aſſentiretur, ſed etiam à fidelitate: quoniam fideliter exequebatur omnia, quæ Dei honorem attingebant. Fecit omnia iuxta cor & animam Dei; quia diuinæ voluntati promptus ad omnia parebat. Huic Deus ædificauit domum, ſepulchrum ſcilicet glorioſum, de quo ſupplicante ad Deum D. Staniſlao, omne periculum propulſatur à patria. Nam vt docet D. Chryſoſthomus, hom. 35. in Acta. *Vbi pedes Sanctorum ingrediuntur, nihil erit quod triſtet; Aſſueſce vt pauimenta domus tua à talibus calcentur pedibus, & non calcabit damon illic.* Et ſanè meritò: nam ſicut vbi fragrantia eſt, ibi non habet locum graueolentia: ita vbi ſanctum eſt vnguentum, ibi ſuffocatur dæmon.

S. Chryſo.

Verùm, nedùm ſatis videbatur diuinæ bonitati, hanc duplicem prærogatiuam glorificationis ſeruo ſuo D. Staniſlao attribuere. De maiori adhuc & eminentiori, in cœleſti ſuo conſiſtorio cogitare cæpit; vt quod maximum diuinitas haberet, id Sancto Martyri ſuo erogaret. Vnum tantùm quaſi eſſentiale habuit Deus, quo ab omni creatura diſcrepabat: ſcilicet; ſanctitatem ſummam. Vt docet Scriptura: *Non eſt*, inquit, *Sanctus, vt eſt Dominus: neq; enim eſt alius extra te.* Vbi Deus vt oſtendat, quanti à nobis facienda ſit ſanctitas; de nulla re magis, quàm de ſua ſanctitate gloriatur in Scriptura ſacra. vt docet S. Dionyſius Areopagita, de diuinis nominibus cap. 12. *Deus*, inquit, *per excellentem cuncta excellentiam Sanctus Sanctorum prædicatur.* Immò & Chriſtus Dominus nihil priùs orandum docuit, quàm vt Dei Patris nomen ſanctificaretur. *Sanctificetur*, inquit, *nomen tuum.* hoc eſt; ſanctum habeatur, & cognoſcatur. Vt planè videatur hæc eſſe prima Dei laus & benedictio, ſanctum ab omnibus recognoſci. Nam & hoc (inquit Tertullianus libro de orat. cap. 3.) *benedictionis vice fungitur.* Hinc cœleſtis ad Beatam Virginem legatus, *Quod*, inquit, *naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quaſi nullo alio ex nomine meliùs Chriſti diuinitatem, quàm ex ſanctitate declarare potuiſſet. vt rectè expendit S. Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus eſt. *Vt*, inquit, *ita ſimpliciter ſanctum, & abſq; additamento dixit: Credo quia non habuit, quid propriè digneq; nominaret, illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de puriſſimâ Virginis carne cum ſuâ animâ, vnico patri erat vniendum.* Quaſi hoc vno ſanctitatis nomine, diuinitatis excellentia aptiſſimè explicaretur. Agnouerunt hoc & ipſi dæmones; qui illuſtrius cognomentum, quo Chriſtum Dominum honorarent, inuenire non potuerunt, præter ſanctitatem. *Quid*, inquiunt, *nobis, & tibi Ieſu Nazarene; veniſti perdere nos, ſcio quis ſis, Sanctus Dei.* Et cur potiùs ſanctum, quàm Dominum aut Regem, aut ſapientem, aut omnipotentem nuncuparunt? Reſpondet Euthymius cum alijs: quia cùm vellent Chriſtum Dominum ſibi reddere beneuolum, ne forſan ab obſeſſo corpore expellerentur, præfationem maximè honorificam, adulantium more excogitare volebant. Nec aliam honorificentiorem potuerunt inuenire; quàm ſancti appellationem. Vnde tantùm valet apud Deum titulus ſanctitatis, vt titulo præferatur poteſtatis. Nam Chriſtus Dominus ſuæ poteſtatis inſigne, in extremis corporis & veſtimenti ſui partibus gerebat. Vt teſtatur S. Ioannes. *Habet*, inquit, *in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* At verò ſummus Sacerdos, qui Chriſti Domini typus erat, ſuæ ſanctitatis inſigne in fronte portabat, ex diuino edicto. *Facies*, inquit, *laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere calatoris, Sanctum Domino, ligabiſq; eam vitâ hyacintinâ, & erit ſuper tiaram, imminens fronti pontificis.* Immò idem Sacerdos, eminente ſuper tiaram diademate ſanctitatis, omnes terrenæ poteſtatis coronas, malo-

3. Reg. 1. n. 2.

Dionyſius Areopag.

Matt. 6. n. 9.

Tertullia.

Luc. 1. n. 35.

S. Bernard.

Marci 1. n. 24. & Luc. 4. n. 34.

Apoc. 19. n. 16.

Exodi 28. n. 35.

malogranatis adumbratas, & humanæ sapientiæ thesauros, tintinnabulis aureis expressos, ad pedes extremasq; fimbrias abijciebat. Vt palam faceret, quantùm caput pedibus, aureumq; diadema extremis fimbrijs antecellit, tantùm sanctitatis titulum, titulo potestatis præferendum esse. Imò quid dico? Non tantùm potestati, sed omnibus etiam terrenis opibus, nomen sanctitatis præcellit. Testis est luculentissimus huius rei Salomon, dùm sic loquitur de Aarone. *Investe, inquit, podere, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.* Vbi vides totam mundi opulentiam includi in poderem, hoc est; vestem talarem, ad pedes vsq; dejectam. At verò vnicam sanctitatem, aureo diademate cœlatam, supra caput eminere. Non habet ergo Deus maiorem titulum, quàm sanctitatis. *Quia non est sanctus, vt est Dominus.* Solus enim Dominus (interprete Beda) sanctus & immaculatus est, non solùm actu, sed etiam potentiâ. Quia nec habet, nec habere potest vllam culpam. Cæteri autem quamuis sint actu sancti, & immaculati, non tamen potentiâ. Quia licet peccatores non sint, peccabiles tamen sunt. Verùm quia fidelis coram Christo ambulauit Sacerdos B. Stanislaus; & hunc maximum sanctitatis titulum participatum illi communicauit: vt licet nullus sit extra Deum sanctus per naturam, ad participatam tamen procurandâ sanctitatem vnusquisq; inflammetur. Sanctum fecit Deus B. Stanislaum in splendore virtutum, quia fulget sicut Sol in conspectu Dei. Sanctum fecit in opere: quia potens fuit in miraculis, dùm adhuc superstes esset. Sed potentior post mortem, quia & præsentes ad suum tumulum solatur, & absentibus vbiq; inuocatus præstò adest.

Sap. 18. n. 24.

1. Reg. 2.

Ecce quanto fœnore à Deo glorificatur, qui dùm viuit, Deum glorificat. Profectò sola actio Deum in hac vita glorificandi, sufficiens nobis esse poterat corona, quâ meritum nostrum cumulatissimè remuneratum credere possemus. Vt egregiè discurrit S. Chrysosth. de laude Dei in to. 5. *Si nulla, inquit, alia esset nobis præmia, proposita merces; illud tamen vel maximè nobis ad gloriam valeret, si diutiùs in laudibus versari, non indigni haberemur: siquidem & qui Principum laudes eloquuntur, vel hoc vno, si nihil reliqui esset mercedis, quòd Principem magnificiant, satis videntur ornamenti assecuti.*

S. Chryso.

Citharistæ citarizandi præmium à Rege exigenti, fertur respondisse Rex, satis amplum retulisse citarizando. Aptiùs suis seruis præmium laborum suorum requirentibus, respondere posset Deus, meritum laudandi Deum, solâ hac laudatione satis superq; remuneratum. Sed non est Deus vt homo. Plus ille rependit, quàm homo mereatur. Atque vtinam hac amplissimâ Dei remuneratione quilibet alliciatur ad Deum glorificandum, & veram non alibi, quàm apud Deum gloriam quærendam. Si enim innumeros tâm viros, quâm fœminas celebrauit Antiquitas, quia pro humanâ gloriâ consequendâ, (vt ipsi sperabant) se ignes, feras, gladios, intrepidi coniecerunt. Quorum longam seriem euoluens Tertull. libro ad Martyres cap. 4. statim Christianos non leuiter perstringit. *Si, inquit, tantum terrena gloria licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, bestias, tormenta contemnent, sub præmio laudis humanæ. Possum dicere, modica sunt ista passiones, ad consecutionem gloriæ cælestis, & diuinæ mercedis. Tanti vitreum? quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso* Quas obsecro leges humanas aut diuinas ambitio non contemnit, vt tantùm optatis honoribus potiatur. Vnus Abimelech Filius Gedeonis, vt totius Israëlis imperium occuparet, *Occidit, inquit, textus fratres suos, septuaginta viros.* Quid crudelius? Et qui vnus erat ex matre concubinâ & ancillâ

Tertullia.

Iudic. 9. n. 5.

ancillâ generatus, vt patet ex ſcri-
Ibid. c. 8. n. 31. & ex c. 9. n. 18. pturæ teſtimonio, proindeq; viliſſimus & indigniſſimus imperio, is præ cæteris ad imperium euolauit. Abſa-
1. Reg. 15. lon naturæ immemor, vt imperium occuparet, parricidium machinari auſus eſt. Quod attonitus planè miratur S. Chryſoſth. in Pſal. 7. *Abſalon*,
S. Chryſo. inquit, *erat adeò crudelis & immitis, & bellua potiùs, quàm homo, vt ipſis natura inſultaret legibus. Nam etſi nolebat Dauidem reuereri vt patrem, ſaltem reuereri oportebat vt ſenem; quòd ſi eanos negligebat, certè vt benefactorem; quòd ſi nec ſic quidem, vt eum certè, qui nullam fecerat iniuriam. Sed amor principatus hanc omnem eiecit reuerentiam, & vt homo fera eſſet, effecit.* Neq; ſolùm filium in parentem, ſed etiam parentem in filium regnandi cupiditas armauit. Regem Aſſyriorum Sennacherib de Iudæâ in patriam redeuntem, & in templo adorantem, duo eius filij obtruncarunt. Sed quid mi-
4. Reg. 19. n. 37. rum viros in viros regnandi cupiditate incitari? cùm etiam fœminæ quæ mitioris ingenij eſſe ſolent, hac ſi ambitionis peſtilentiâ tangantur, furere ac ſæuire non dubitent in cognatos. Nam quæ fera vnquàm exſtitit truculentior; quàm Athalia. Quæ vt regnaret in Iſraël, nepotes
4. Reg. 11. n. 1. ſuos, filios Ochoziæ, & omne ſemen regium interfecit. Vipera vt ſuos partus in lucem edat, moritur. Athalia ſuos luce priuat, vt improbè dominetur: & quæ regiam purpuram hæreditario iure non habebat; ſuorum tincta ſanguine nepotum, purpuraſcere voluit, vt imperaret. Ecce quò traxit vna fallax mundi gloria tàm viros, quàm fœminas; vt omnes etiam leges, tàm humanas quàm diuinas percalcarent. O ſi cœleſtis gloria, quâ Chriſtus ſuos præmiat ſeruos, tot homines in ſui ſequelam trahere poſſet! plures Chriſtianitas in ſancta Eccleſia celebraret Chriſti Athletas, qui per ferrum & flammas, beſtias & tormenta, in Deum glorificandum ſe conijcerent. Sic magnus Patronus B. Staniſlaus, cœleſtis gloriæ laudabili ductus ambitione, per ferrum truculenti Regis tranſijt, vt à Rege Regum verâ præmiaretur gloriâ.

Glorificauit illum Deus vltimò, magnis meritis, vt quidquid velit pro gente ſuâ, apud Deum valeat impetrare. Tanti enim valet ſanctitatis titulus, vt Deus nihil ipſi audeat negare. Nam ſi Deus ipſe tunc maximè exoratur à peccatoribus, cùm nuncupatur ſanctus, atq; diuinus furor iam iam in hominum ſcelera effundendus, tunc præcipuè ſopitur, & deferueſcit, quandò hæc voce ſanctus lenitur & demulcetur. Teſtis eſt huius veritatis S. Damaſcenus, Damaſce. qui libro 3. de Fide cap. 10. refert. Cùm populus Conſtantinopoli ſupplicationes faceret, ſub Archiepiſcopo Proclo, ob ruinas neſcio quas diuinitùs toti vrbi intentatas: raptũ fuiſſe puerum è populo ad cœleſtem plagam, ibiq; didiciſſe Angelico quodam magiſterio, triſagium hymnum, *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis miſerere nobis.* Moxq; reddito puero, & quod edoctus fuerat annuntiante, omnem multitudinem cantaſſe hymnum illum, atq; hoc pacto illatas ruinas ſubitò reſediſſe. Si inquàm Deus cùm à peccatoribus, titulo ſanctitatis nominatur, facilè placari poteſt, quomodò placari non debet, cùm à ſanctis vt ſanctus adoratur? Felix es Cracouia, quæ tot Sanctorum Reliquijs, pulchriùs quàm adamantibus coronata fulges. Si enim in veteri lege, duo tantùm, Moyſes ſcilicet & Aaron; pro populo intercedentes Iſraëlitico, reſtiterunt iræ Dei, & quaſi ædificato muro eius indignationi terminum poſuerunt; (vt docet Symachus) quo- Symachus. modò pro te ſupplicantes Patroni tui, B. Staniſlaus, Cantius, Hyacinthus, cùm plures ſint, non opponent ſe Dei iracundiæ ſæuienti? Vaſtata eſt toties Cracouia à Tartaris, & fermè vniuerſa Polonia, & regnante Boleſlao pudico, vbi nouem faccos auribus Chriſtianorum abſciſſis impleuerant: & temporibus Leſci nigri; vbi viginti millia lectiſſimarum virgi-

virginum ad turpiſſimam proſtitutionem ſecum traxerunt. Sed vbi ad portam Ciuitatis Cracouienſis ventum eſſet, perterriti & penitùs confuſi barbari abierunt. Quid hoc effecit? profectò Sancti Patroni, qui in gremio iſtius vrbis quieſcunt. Verùm vt vobis Sanctorum patrocinia proſint, vt veſtri Patroni implorent veſtrorum veniam ſcelerum, vnum requiritur; vt vos quoque ipſi eorum poſtulationibus cooperemini. Et Samuel enim magnus Propheta Dei, non priùs miſericordiam populo Iſraëlitico impetrauit, quouſq; totus Iſraël in lachrymas fuiſſet fuſus, & ſua crimina per pœnitentiam expiaſſet. Vnde Deus ad Moyſen locutus eſt. *Quid clamas ad me, loquere filijs Iſraël vt proficiſcantur.* Quaſi diceret: quid orando defatigaris, vt tuus populus ab inſequentibus hoſtibus liberetur, ſi ille cunctando ac deſidendo hoſtium iniurijs ſe exponit. Fac vt ipſe expergiſcatur, & tunc primùm meum ſenties patrocinium. Profuit quondam Jobi oratio amicis ſuis, teſtante ipſomet Deo. *Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Et nihilominùs tamen eiuſdem oratio minimè Iudæis profutura dicitur. *Si fuerint tres viri iſti in mediò eius, Noë, Daniel, & Iob,* &c. *viuo ego dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt.* Ratio huius diſcriminis eſt, quia illi de ſuo peccato doluerant: hi verò in ſuo perſeuerabant. Deinde Moyſis oratio in monte Sinai, tenuit Deum, ne in populum iraſceretur. Et tamen tenere Deum non potuit Ieroſolymis, etiamſi ibi præſens adeſſet; iuxta illud. *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Cur ita? Quia populus in deſerto reſipuerat aliquantùm à ſuo peccato; Ieroſolymis verò in eodem magis induruerat. Licet ergo magni ſint apud Deum momenti Sanctorum preces; neceſſe eſt tamen vt etiam populus ipſe, qui Deum ſibi placatum reddere vult, ſuis quoq; operibus bonis, ad id ſe applicet. Glorificatum ergo vobis oſtendi magnum Patronum veſtrum D. Staniſlaum, quem Deus glorificauit miraculis: glorificauit ſanctitate; glorificauit meritis. Si ergo vultis eius patrocinium experiri, expergiſcimini tandem, & deuotionem erga Patronos veſtros, quæ iam in dies torpeſcit, reſuſcitate: diluite peccata per pœnitentiam. Et quemadmodùm Samuel, poſtquàm Saulem totius Iſraëlis Principem, vnxit in Regem, ad Rachelis eum tumulum remiſit. *Hoc*, inquit, *tibi erit ſignum, quia vnxit te Deus in Principem: cùm abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel.* Vbi remiſit illum ad ſepulchrum Rachelis, vt eum de ſepulchro reliquiæ ſanctæ illius fœminæ in perfectione ſolidarent. Habent enim hoc reliquiæ Sanctorum, vt de tumulo multum afferant patrocinium. Proinde & ego vos hodiè ad ſepulchrum D. Staniſlai remitto, vt eius patrocinium ardentibus votis imploretis, vt vobis tanquàm verus paſtor & patronus, atq; patricius, impetret peccatorum veniam, deuotionis feruorem, pacem deniq; & ſanctitatis gratiam.

Exodi 14. n. 15.

Iob 42. n. 8.

Ezech. 14. n. 14.

Exodi 32. n. 10.

Ierem. 15. n. 10.

1. Reg. 10. n. 1. & 2.

EODEM DIE *CONCIO TERTIA.*

Hic certans pro iuſtitia Regis non cedit furiæ.

Regum vitia, officialium auaritia, conſiliariorum imperitia, vel aſtutia, regna peſſundant, quibus bonus paſtor obuiare debet.

MIrabilem apibus natura indidit legem, vt niſi Rex earum priùs agmen præcedat, nullatenùs ab alueariibus diſcedere velint. Præcunte verò rege omnes ſequuntur, & inter amœnos flores conſidentes, dulcia mella colligunt. Communis eſt illis habitatio, communis volatus, communis deniq; & eadem actio. Et quod

quod fortaſsè nimiùm mirabêre; sub rege præside ducéque, munus ſuum promptè aggrediuntur, & vnanimiter peragunt. Rex apud illas non ſuffragijs conſtituitur: etenim imperitia populi, ſæpenumerò peſſimum omnium in magiſtratum aſſumit. Non ſorte poteſtatem adipiſcitur: cæca enim ſors, & diſcernendi neſcia, ad indignos quandoq; principatum defert. Non deniq; hæreditario & ſucceſſionis iure, ſceptra gubernat: quia tales plerumque, rudes & omnis expertes probitatis, ob luxum & aſſentatorum adulationes reddi ſolent. Sed à naturâ ipsâ Princeps omnium creatur: magnitudine, formâ, pulchritudine cunctis antecellens & manſuetudine. adeò vt licet aculeo præditus ſit, ſpiculoque armatus, nunquàm tamen irritatur ad vltionem: vt lege naturæ cautum eſſe oſtendat, tardos nimiùm Principes ad vindictam, pænamq; ſumendam eſſe oportere, qui maximas obtinent poteſtates. Cùm ego pariter hodiè, vos in ſummâ frequentia ad D. Staniſlai ſolemnitatẽ, quaſi ad florem martyrij eius odore fragrantem confluxiſſe video, quo id duce feceritis, ſumè admiror? Quis enim ingentem hunc æſtum excitauit? vt conferta populi turba, ex vrbis iſtius ampliſſimæ ædificijs, tanquàm ex apum aluearibus, hilariter egreſſa, ad Cracouienſis Baſilicæ decus, præclarumq; martyris ſtadium confluëret. Celebritas vt video Martyris, tantæ pietatis mouit affectum: vt veluti bombantes apes, vernantibus circumfuſæ floribus, præclara D. Staniſlai geſta auſcultare poſſetis. Quorum tanta laus eſt, vt faciliùs operibus cognoſci, quàm ſermonibus comprehendi queant. Siquidem de illo tantum conſcientia retinet, quantum oratio & narratio non præualet. Vt proinde geſta ipſius non verbis adornanda ſint, ſed perſtringenda ſententijs. Nec enim ea comere debemus ſermonibus, quæ videmus compta eſſe virtutibus. vt ſentire videtur Apoſtolus: *Regnum,* 2. Cor. 4.

A inquit, *Dei non in ſermone eſt, ſed in virtute.* Vt tamen & veſtræ expectationi, lætum aliquid afferam, & tanto Martyre haud indignum eloquar. Regem vobis monſtrabo, quem ſequi debetis, D. verò Staniſlaum florem amæniſſimum eſſe oſtendam, ex quo ſalutis mella colligatis, in tanti ſolennitati Patroni.

Regnis terrenis quatuor eſſe ſummè pernicioſa, & iuſtam Dei prouocantia vltionem, edixit viprudentiâ celeberrimus Gueuara, in-

B quiens: *Væ terræ, vbi Dominus vitioſus, officialis auarus, conſiliarius imperitus, aut aſtutus.* Væ ſanè terræ, vbi Dominus vitioſus, etenim ſi verum eſt Theologorum effatum; tantò maius & fædius haberi vitium, quantò excellentiori & altiori repugnat virtuti; quis non facilè aſſentietur? Deum quoq; maiori odio proſequi, & grauiùs punire illa peccata, quæ excellentior perſona (qualis eſt Rex in regno) impudenter committit. Si enim propter delictum primi hoC minis, eò, quòd caput eſſet totius generis mortalium, omnes inter mundi plagas, natos naſcentes, & naſcituros, æterno adiudicauit exilio: niſi iuſtitia & miſericordia in Chriſto nato, pacis oſculo reconciliatæ, ſummo hominum diſcrimini occurriſſent; ita certè non rarò, propter vitia Principis, totum regnum magnis plagis afficit Deus: populos & nationes debellat: Reges & Principes regnis ſpoliat, & tremendis grauat ſupplicijs. vt palam fatetur D Scriptura. *Cùm deleuerit gentes multas coram te, Hethæum, Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum & Porrhezæum, & Heuæum, & Iebuzæum: ſeptem gentes multò maioris momenti, quàm tues, & robuſtiores.* Addit Propheta: *Et dedit terram eorum, Hereditatem Iſraël ſeruo ſuo.* Quis innumerum Ægypti exercitum fluctibus maris obruit? Deus equidem propter ſcelera Pharaonis. Quid Regem Nabuchodonoſor à regali ſede, ſumâq; potentiâ, ad belluinum paſtum & conuictum deiecit? meherculè vitium

Gueuara.

Deut. 7.

Pſal. 135.

Exodi 14.

tium ſuperbiæ. Quod ipſemet pri- A velut caligo diffuſa occuparet. Spe-
ſtinæ tandem dignitati reſtitutus agnouit, inquiens: *Glorifico Regem cæ-*
Daniel. 4. *li, quia omnia opera eius vera: & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Quid Oziam fœdiſſimâ
2. Paralip. 26. & 4. Reg. 9. leprâ, & Joram inſanabili alui languore percuſſit, vt viſceribus paulatim effuſis, turpiſſimâ morte periret. Deus certè propter enormia illorum facinora. Agnouit hoc ipſum Antiochus ille tyrannus, qui inuiſibili plagâ à Deo acceptâ, & ſcaturientibus è corpore ſuo vermibus, cùm carnis B ſuæ vndiq; diffluentis, fœtorem ferre non poſſet, mœſtus exclamauit:
2. Mach. 9. *Iuſtum eſſe Deo ſubiici, & mortalem paria Deo non ſentire.* Vltorem ſuorum criminum expertus eſt Deum Leo IV. Imperator Iconomachus, qui cum coronam auream, pretioſiſſimo fulgentem carbunculo, ex S. Sophiæ altari ſuſtuliſſet, eamque per totam vrbem Conſtantinopolitanam, triumphantis more, capite proprio geſtaſſet, dignas ſacrilegij pœnas dedit. Naſcente ſubitò in capite eius vlcere C teterrimo, carbunculo dicto; cuius vehementi dolore in febrim primũ, deinde in furorem coniectus, paucos intra dies ſceleſtam efflauit animam. Væ proindè terræ, vbi Dominus vitioſus, cuius effrænata viuendi licentia Deo ſummè execrabilis. Indoluerat quondam nimiùm Polonia vitio Boleſlai Regis, cui cùm fœda libido in toto iam regno non ſufficeret, ad inaudita eum ſcelera rabies traxit. Trahebantur honeſtiſſimæ matronæ, cœſis eorum maritis, ad D publica adulteria & ſtupra. Abripiebantur ab vberibus infantes, & catuli lacte humano nutriendi admouebantur. Vaſtabantur nobilium domus: innocentium facultates diripiebantur: trahebantur per vicos honeſtiſſimæ fœminæ. Nulla tunc erat infantum commiſeratio, nulla ſtatuum reuerentia: ſed inſontes noxijs ac maleficis digna patiebantur, & tota confundebatur patria; cùm hac inauditâ rei nouitate tumultuaretur, & cuncta mœror ingens,

ctabat hanc dolendam cladem diuiniſſimus Præſul D. Staniſlaus, ideoq; non more veterum Prophetarum, ad vaſta deſerti, & hominibus inuia loca contendit: non inter ferarum antra habitaturus receſſit, more Heliæ Prophetæ. Qui cum Sidoniorum conſpiceret impietatem, in dies magis ac magis inualeſcentem, in montis Oreb ſpeluncam ſeceſſit, & ſeſe ab omni humana conuerſatione, vt Deum commodiùs quæreret, abdicauit. Verùm perpendens, quantum inſoleſcentis Principis vitium, toti regno detrimenti afferat. Cùm iam vniuerſa regis curia exceſſibus ſcateret, comitatus aulicus ſceleribus affluereret: tota deniq; aſſentatorum caterua, in omnem effrænata luem diſſolueretur. Tanquàm magnanimus Chriſti Athleta, non exhorruit truculentum tyrannum, ſed reſolutiſſimo adijt animo, blandè admonuit, obſecrauit, vt tandem illis deprauatis moribus & corruptelis finem imponeret. Ne quod grande malum ſibi, ſuiſque, & vniuerſæ Poloniæ accerſeret: ſeuerum iudicẽ Deum oſtendens, qui in tanta ſcelera grauiùs animaduerſurus eſſet. Cùm & ipſis gentilibus, inſoleſcente Principe, & excelſum atque regium animum belluinâ fœditate contaminante, nihil execrabilius eſſe potuerit. Quamobrem (licet fidei lumine deſtituti, vt refert Plinius) Regibus coronam imponebant floribus contextam; vt inde addiſcerent Principes, ſuæ dignitatis gloriam, honoris ſplendorem, & vniuerſam pompam, non ſecùs ac flores, marceſcere, & in ſtercus abire, atq; penitùs euaneſcere, niſi ſolis æuiterni lumine, & cœli rore crebriùs irrigati maneant.

Sed cùm dulce Paſtoris optimi antidotum, inueterato Principis malo minimè prodeſſet. Nam Principes etiam leuiſſimam increpationem ægrè ferunt: quia cùm ipſi ſint oculi Reipublicæ, non ſecùs ac oculi acrem confricationem moleſtè ſuſti-

nent, & minimâ quaq; paleæ læsione offenduntur; ita & ipsi exiguâ admonitione facilè exacerbantur. Perpendens nihilominùs Diuus Stanislaus, quàm facilè paruo Principum exemplo, ad similia peccata, quibus ipsi notantur, rapi soleant omnes subditi. Vt satis luculenter, vel vnius deprauatissimi Regis Jeroboam, Scriptura sacra exemplo comprobauit. qui cùm esset idolorum cultor, eius exemplo edocti subditi, idolis incensum adolere non dubitárunt. Vbi illud admiratione dignum est, quòd cùm plurimi eo tempore ad idolorum cultum conuerterentur, de nullo tamen illorum, nisi de solo rege Jeroboam conquestus est Deus; eâ solùm de causâ, quòd cùm ille Princeps esset, & suo exemplo alios ad idololatriam permouisset, ipsi meritò omnia subditorum peccata adscribi & imputari debebant. Pariter D. Stanislaus, cùm omnes Ecclesiæ Prælati silerent, veluti alter Ioannes Baptista, acriùs delinquentem regem adhortabatur. Rex inquit, caue, ne vt dignitate alios antecellis; ita crudelitate omnes homines, & vitæ turpitudine, ipsa etiam bruta animantia superes. ô beatam linguam! quæ sacrum hanc vocem emisisti. quam aër quidem excipiens, socer est factus, Angeli audientes plauserunt. Poteras tunc D. Stanislaë vocem zelantis Isaiæ meritò vsurpare. *Quomodò imber descendit de cælo, sic erit verbum meum.* Nam quemadmodùm pluuia, nebula, & grando, non morantur in aëre, dùm Principes prætergrediuntur viam, ne illos offendant: sed indiscriminatim super illos, & abiectissimos quosq; homines, pari impetu descendunt: nec magis purpuram, quàm saccum suspiciunt, sed in vtrumque æqualiter decidunt. Ita planè verbum diuinum, ab ore B. Stanislai defluens, indiscriminatim ad impium Regem, ad delinquentem magistratum, & ad reliquos quorumuis statuum homines, absque tremore & pauore dirigebatur. At vbi tantam

3. Reg. 12.

Isaiæ 1.

A obiurgationem Rex, superbiâ tumidus, & facibus libidinis accensus inaudiuit, audaciam diuinissimi Præsulis, ac loquendi libertatem minimè ferens, furore percitus, virus suæ feritatis in animæ suæ medicum effundere, manumq; Deo & Ecclesiæ inimicam, occultis dolis armare cæpit: modum considerans, quo aut innocentem fictâ calumniâ confunderet, aut certè mortem inferre posset. Obijcitur nouum crimen Præsuli, eum villæ cuiusdam iniquum possesB sorem esse. Sed cùm iustus & omnipotens Deus, fidelis serui sui dignitatem, in ludibrium exponi haud passus, inaudito reuiuiscentis, & post trieñium è sepulchro surgentis mortui spectaculo, falsitatem subordinati criminis confunderet: in amentiam planè versus truculentus Princeps, ne in sacris quidem ædibus intentatum quicquam reliquit, præconcepto furori morem gerens. Audit diuinis vacantem mysterijs sanctissimum præsulem, armat ferro laC tus, & nouum scelus in templo Dei patraturus festinat, cùm vitijs eius plena iam esset tota patria. Præmittit è comitatu satellites, qui raptum inde sibi educant Præsulem. Sed non licuit tanti sceleris authorem primum fieri, nisi improbum Regem: & cùm ira tempus præueniret, ingreditur furibundus, nec sacra Dei mysteria veneratus, sacrificantem Præsulem lethaliter ferit. Funditur innocentissimus sanguis, per rupes, per saxa, per pauimenta. ConsperD guntur cruore altaria & parietes. Effunditur in scabella, & totius corporis membra dissecta, sparguntur in piscinas, & diuersa extra templum loca. O pulchrum sacrificium! stupenda oblatio! admirandum holocaustum. Ecquis vnquàm duas simul obtulit Deo hostias, aut victimas? solus certè D. Stanislaus, dùm immensum cæli & terræ Dominum, in altari sacrificans consecraret, & seipsum per cruentum sanguinem, atq; diras tyranni manus, in acceptabilem Deo voueret hostiam. adeò vt licet sacrâ

martyrij

martyrij morte dormierit, vox tamen eius semper viuit & clamat; Pastores Ecclesiæ, quomodò non silere, cùm Dei honor prostituitur, sed etiam grauissimorum vitia Heroum increpare & cóercere debeant.

Mirabile est, quod refert Sacra scriptura, quandò Cain occidit innocentem Abelem, quòd sanguis eius clamauerit ad Deum. *Vox*, inquit, *fratris tui clamat ad me de terra.* Cùm tamen nulla sanguini vox inesse possit. Verùm clamare dicitur ibi sanguis, qui innocenter effusus erat; id est: interpellare Dominum, non prosecutione eloquij, sed indignatione commissi: ac reatum suum non tàm verborum accusare sermonibus; quàm conscientiæ ipsius criminatione constringere. Sic planè clamauit sanguis innocens fratrum, nepotumq́; Polonorum Regis Popieli, quos fictione morbi inuitatos, propinato veneno fraudulenter occiderat. Siquidem breuì post dilaniatus à muribus, vnâ cum vxore suâ, non tantùm vitæ & thori sociâ, sed eiusdem quoq́ue sceleris consorte. Clamabat sanguis è terrâ ad Deum Ludimillæ sanctissimæ fæminæ, atq́; plurimorum Sacerdotum, quorum sanguine contaminata Drahomira Vratislai Ducis Bohemiæ vxor, dehiscente terrâ, vna cùm curru, quo vehebatur, absorpta est. In cuius facti perpetuam memoriam, apud Bohemos, iuxta Ciuitatem Pragensem, visenda adhuc exstant monumenta. Clamauit demùm è terrâ sanguis innocentissimus D. Stanislai, Episcopi Cracouiensis, vltionem de impio Rege Boleslao, cuius dirâ manu interemptus erat, postulans. Nec impunè abijt tanti facinoris culpa; siquidem exiguo post interuallo, à Polonis regno eiectus Boleslaus, & mox furore correptus, dùm per siluas vagus erraret, à canibus discerptus esse fertur, à Dubranio Hist. Bohem. Verùm & nunc clamat è cœlo, in æternitate iam conseruatus sanguis, sanctissimi Præsulis Diui Stanislai ad nos, dùm diuinum honorem frigidiùs in ecclesijs tractari; Principum curias luxu & voluptatibus immergi; Heroum aulas libidinibus turpiter vacare; totum deniq́ue Poloniæ regnum, grauissimis laborare vitijs agnoscit. Clamat inquam, vt tandem aliquandò ab improbitate ad virtutes; à vitijs ad sanctimoniam; à peccatis ad Dei obsequia; ab excessibus ad æquitatem; ab impiâ demùm viuendi consuetudine, ad Dei timorem & integritatis conscientiam redeamus. Sed prô dolor! improbum Regem Boleslaum (quem sequi nefas est) pessima subsequuntur hucusq́ue consilia, & pessimam viuendi licentiam, ab illo in vniuersis Prussiæ & Poloniæ finibus, impudenter per integrum fermè septennium radicatam, retinent; corporis non animæ commodum spectantes. Non est his temporibus vllus in aulis Imperatorum, qui instar D. Ioannis Baptistæ, delinquentem increpet Herodem. *Non licet tibi vxorem fratris tui habere.* Non est in curijs Regum tàm seuerus iustitiæ zelator, qui voluptates arguat, & diruta templa, sacra Dei profanata, diuina omnia per sum̃um scelus & impietatem abrogata, vindicanda aut defendenda saltem consulat, exemplo D. Stanislai motus. Nec est in omni hominum frequentiâ, qui veritatem falsitati opponat, more Christi Domini, qui clamabat, cùm aliquid indecorum videret. Et certè cùm peccata quædam adeò iam limites verecundiæ transcendant, vt morum corruptela ad summum malitiæ plerumq́; excrescat. Super hæc clamare oportet & vociferari, & cœlum quasi manibus apprehendere velle; prout olim moris erat Prophetis, qui contra enormia scelera excandescentes, ad res ipsas inanimes suum sermonem conuertebant. Vt palam loquitur Sacer textus: *Audite*, inquit, *cœli quæ loquor, & auribus percipe terra.* Semeias quoq́ue peccata populi grauiter arguens, altare in hunc modum allocutus est. *Altare altare hæc dicit Dominus.* quorum verborum tanta fuit efficacia, vt altare disrum-

Gen. 4.

De morte Boleslai Regis opinio Dubranij.

Lucæ 8.

Isaiæ 1.

1. Reg. 13.

disrumperetur. *Altare quoq; scissum est,* addit scriptura. Iste erat anteactis temporibus zelus seruorum Dei, vt nihil fieri paterentur, quod Dei offensiuum esset. Verùm sicut lima limando hebetatur, horologium alios dirigendo, continuis rotarum volutationibus rumpitur, lyrâ dulcem sonorum concentum auditoribus emittente, fides eius atteruntur. Ita sanè his temporibus accidit, vt omnes aliorum quidem vitia reprehendant, ipsi verò in alia grauiora prolabantur; & dùm aliorum mores componere tentant, ipsi ab inordinatis suis actionibus nunquàm desistant, & cùm ante peccata, frænum Christi doctrinæ positum videant; sibi nihilominùs ad licentiosè viuendum habenas laxant. Quasi iam alia lex, alia præcepta, alius Deus in orbem successerint, post sacrosancta illa maiorum nostrorum & rigidè obseruata tempora. Hoc autem inde euenit, quia seruus æquè ac Dominus, subditus pariter ac præpositus, libertate gaudere vult, & pro suo quisq; placito viuere. Sed væ terræ vbi subditus seditiosus, nec superioribus parere vult legibus. Cùm tamen dicat S. Basilius seruis competere, vt cum omni animi promptitudine obediant Dominis suis secundùm carnem, in ijs, quibus mandato Dei nihil derogatur. Quod comprobat Apostolus inquiens. *Serui obedite ijs, qui secundùm carnem Domini sunt, cum timore ac tremore, in simplicitate cordis vestri.* Et militibus non licere, vt quenquam concutiant, aut calumnijs afficiant. Nam cùm Christum interrogarent milites, & nos quid faciemus? respondit eis. Neminem concutiatis, nec quenquàm calumniemini, & contenti estote stipendijs vestris. Et subditos Principibus obedire necessum esse: quia illi non sunt timori bonis, sed malis. Dicit enim Apostolus: *Vis non timere potestatem? fac quod bonum est, & habebis laudem ex ea; si verò quod malum est feceris, time: non enim frustra gladium gestat, est enim minister Dei, vltrix ad iram ei, qui quod malum est, facit.*

Ephes. 6.

Rom. 13.

Et quid est prô Deum immortalem, quòd crescentibus in dies hominum vitijs, nec politica, nec Ecclesiastica iurisdictio occurrat. Causam suggerit sapiens. *Eijce de concilio pestilentem, & exibit cum eo omnis contentio.* Vbi Salomon perpendens, quamobrem & in cætu sancto Dei, plurimi interierint, respondet: ideo, quia inter eos erat auarus Ananias, qui cunctis contemptu pecuniæ lucrum vitæ requirentibus; ipse potiùs lucrum pecuniæ mercabatur, quàm salutis: & dùm pretij speraret compendium, & suæ & multorum animæ inferebat detrimentum. Hæc est causa, cur modo in pessum omnia eunt, quia auaritia excæcauit oculos omnium, vt non tàm salutem animarum, quàm temporalium bonorum vtilitatem plurimi quærant, & diuinum honorem minimi faciant, dicente Apostolo. *Radix autem omnium malorum est cupiditas, quàm quidam appetentes errauerunt à fide.* Nam qui pecuniam appetit, fidem perdit. Qui aurum redigit, gratiam prodigit. Et vbi auaritiæ cæcitas irrepserit, subitò regnorum confusionem, & Religionis errorem inducit. Quia licet cæca sit auaritia, diuersis tamen fraudum occulta ingenijs, nec videt, quæ diuinitatis sunt; sed cogitat, quæ cupiditatis. Væ proinde terræ vbi officialis auarus. Non decet hæc cæca Dea functionem Sacerdotalem, cùm profana sit. Horum enim quæstus excellentior esse debet, dùm lucrum non pecuniarum, sed animarum quærunt. Magna certè hæc est negotiatio, vbi redemptio constat, non annuntiatione pretij, sed annuntiatione præcepti. Cùm præceptum Christi, talentum quoddam sit pretiosum, quo salus comparatur, quo vita redimitur. Et magna est redemptio, cùm & pretium datur, & pecunia non videtur. Non decet hæc cæca Dea, etiam homines Christianos, licet seculares: quia Iudaismi impium zelum retinet. Præstat enim, si quid amici causâ facere vis, vt aut operam neges, si lucrum

Prou. 22.

1. Tim. 6.

sperasi

ſperas : aut liberaliter eroges, ſine A ſpe remunerandi, ſi quid facturus es. Quòd ſi opponis, te non habere modum viuendi alium, niſi aut muneribus, aut lucro victites. Reſpice quæſo formicam : hæc neq; rogans, neq; mutuò accipiens, poteſt commodè nutriri. Et apes ſimiliter proprij nutrimenti reliquias, Regibus etiam condonant; quibus nec manus, nec artes natura dedit. Tu autem homo cùm ſis induſtrium animal, quomodò ad vitæ vſum, ſine iniuſtis extorſionibus, viam reperire neſcis?

Vltimum deniq; malum, quod regna terrena in grauiſſimis demergit ſceleribus, eſt conſiliarius imperitus. Nam conſilia mala ſæpè ducunt ad interitum. Talia ſecutus eſt Rex Boleſlaus : complacuit illi aſſentatorum adulatio, quorum tota in fraudibus vita poſita eſt. Complacuit effeminatorum conuerſatio : quorum in ſolis libidinibus tota voluntas poſita eſt. ideoq; in ſuma crimina diffuſus, ſibi in perniciem viam ſtrauit. Hinc D. Ambr. lib. 2. offic. S. Ambro. cap. 17. Conſiliarium talem eſſe vult, vt ſeipſum formam alijs præbeat, ad exemplum bonorum operum; in doctrina, in integritate, in grauitate. Vt ſit eius ſermo ſalubris atq; irreprehenſibilis, conſilium vtile, vita honeſta, ſententia decora. Talis erat Sanctiſſimus Præſul B. Staniſlaus, qui ſana dabat conſilia Regibus, & optima magiſteria Sacerdotibus, ſeipſum præbens omnibus formam ad imitandum. Ideò & humiliari ſciebat, D ſicut & Ioſeph, qui ſummo ortus Patriarcharum genere, non dedignabatur degenerem ſeruitutem, ſed omnibus ſe exhibebat obſequijs. Diuus pariter Staniſlaus, illuſtri loco de Pruſſorum familiâ ortus, Epiſcopus Cracouienſis, Regni Senator, ad tribunal iniq; euocatus, venire non erubuit, & ſuis precibus ſuſcitatum è ſepulchro Petrouinum adducens & inquiens : *Ecce palã apparui inimicis meis, & ijs qui calumniati ſunt me nimis.* Quibus ſanè verbis oſtendit, ſe in eum locum veniſſe non coactum, ſed vltrò ſe ad certamen exhibuiſſe. Saluatoris exemplum ſecutus, qui cùm per atram noctem minimè videretur, ſe tamen Iudæis manifeſtauit. Factum certè humilitatis inſigne, & ſanctitatis præclarum : quod in ſui admirationem omnium animos rapuit, & Regem ſummâ confuſione, horridus reſuſcitati defuncti conſpectus perterruit. Ecce quàm verè dixit Gueuara, væ genti, vbi Dominus vitioſus, ſubditus ſeditioſus, officialis auarus, conſiliarius imperitus. Sed B quia per improbum Regem Boleſlaum perdidit famam Polonia. Regem vobis iam oſtendam, quem ſequi, & florem, in quo perditam colligere famam poſſitis. Rex hominum & Angelorum vnicus eſt Chriſtus Iesvs : hunc certè ſequi debetis. Si enim apes, quæ non ſequuntur & imitantur Regis exemplum, citò admodùm pœnitet temeritatis ſuæ, propterea quòd poſt ictum intereant. Homines pariter Chriſtiani, vt primùm Chriſtum derelinquunt, ſubitò peccati veneno inficiuntur. Non C grauat vos Rex veſter multis ſtatutis : ſed vnicùm tantùm ſeruari vult edictum, nemini vnquàm pro malo reddere malum, ſed malum vincere ſuperareq; bono. Apes vos decet eſſe Catholici mei : hæ nemini prorsùs officiunt, nec alienos fructus demolientes, fauos exſtruunt ſuos, atque componunt. Etenim ceram quidem è floribus apertè pedibus colligunt, mel autem; ſcilicet, roreum humorem, inſperſum floribus ore bibunt, atq; attractum in fauorum ſinus immittunt, & recondunt. Hinc ſapiens in Prouerbijs, laudat induſtriam apis, quòd eius labores tàm Reges, quàm priuati homines, ob valetudinem edunt. Laudat ſapientiam, nam adeò exacta miraq; arte Apothecas mellis conſtruunt, atque figunt; vt ipſarum adeo minutarum inter ſeſe vinculi denſitio, vniuerſo ſit operi munimentum & fortitudo. Quæq; earum adhæret alteri cellulæ, perbreui ſeiuncta ſimul copulataq; ſepto.

Deinde aliæ ſuper alias accumulantur hæ fiſtulæ, in altumq; editur opus perinde vt ædes præcelſæ, ſecundâ tertiâq; prædítæ contiguatione. Flores in quibus mella ſalutis, duce Chriſto præeunte colligere poſſitis, habetis D. Staniſlaum, & eius virtutes. Ex illo diſcite zelum religionis, charitatem erga proximos, fidei propugnationem, humilitatis exemplum, ſanctitatis ſpeciem, virtutum deniq; omnium prototypon. Hæc ſunt mella animam nutrientia, hæc fercula ſalutis & antidota peccati.

Et quia D. Staniſlaus ac Beatiſſimus Martyr, huius vrbis Præſul erat, æquum eſt, vt noſtræ mentis affectus ad eum potiſſimùm dirigatur, quod profectò ad verum & domeſticum nobis facit ornamentum. Nam licet & externa poma iucunda quoq; ſunt, modò ſapore delectent; longè tamen gratiora guſtui propria, quàm peregrina: cùm & gloriam quandam nobis conferre videantur. Delectemini proinde veſtro Martyre & Patrono, vt eius ſuffragijs, & hic ab omnibus eripi periculis, & in æternitatis ſede, tanquàm propriæ oues, cum ſuo paſtore, locari mereamini.

EODEM DIE
CONCIO QVARTA.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ. *Pſal. 67.*

Deus in Sanctis ideo mirabilis; quia ſuam gloriam per eorum opera propagat.

IN hoc ipſo in lege gratiæ mirabiliter Deus in Sanctis ſuis egiſſe videtur, quòd in primitiua Eccleſia mors eorum lachrymis & planctu cohoneſtaretur. Ibi enim vehementer mortuum Iacob defleuit Ioſeph: Ibi Moyſis obitum Iudæi haud parùm plan- A xerunt: ibi Samuelem tota plebs multis lacrymis ornauit. Nunc verò in reſtaurata in nobis per Chriſtum Eccleſiâ, morientibus ſanctis non illachrymatur, ſed congaudet & exultat deuota fidelium multitudo. Quia triſtium poſt crucem Domini immutata eſt natura: adeò vt non iam ampliùs, Sanctorum obitus lamentationibus proſequamur, ſed tripudijs diuinis coram ipſorum ſepulchris, veluti choreas ducimus. Quia mors iuſtorum ſomnus quidam B eſt iucundus, immò migratio ad vitam meliorem. Ecce mirabilis Deus in Sanctis ſuis, in Eccleſia Chriſti: antea enim etiam Prophetæ mortem fugiebant, nunc verò Martyres exultant, dùm trucidantur. Quia deſiderium felicioris vitæ, iugulationis dolorem extinguit in ipſis, & emortuos reddit. Non reſpiciunt in Chriſti Eccleſiâ Martyres pericula, ſed ad coronas gloriæ celeriùs feſtinant. Non horrent plagas; ſed præmia numerant. Non vident latrones infernè C flagellantes, ſed Angelos ſupernè lætis omnibus acclamantes imaginantur. Non ſpectant corporis cruciatus, ſed æternitatis dulcedinem. Hoc ipſum ſanè hodiè forti & ſtrenuo Martyri Dei, atq; vrbis iſtius paſtori vigilantiſſimo, D. Staniſlao vſu venit. Inſonuit hodiè bellica Martyris tuba, & armatos pietatis milites ad ſui triumphum collegit. Vtq; reſolutus Athleta D. Staniſlaus, ſuo Duci Chriſto iam propiùs adhæreat, in D felicisſimam illam beatarum mentium transfertur conuerſationem. In cuius ſolemnitatis applauſu contemplabimur, quàm mirabilis Deus in Sancto Staniſlao apparuit.

Quidquid Deus per ſuos Sanctos admiratione dignum agit, quicquid virtutis & gratiæ, quicquid ſublimium donorum in eis recondit, quæ poſtmodùm memoriæ omnium patefacere ſolet, totum id duplici fine operatur. Primò quidem ad gloriam ſuam ptopagandam; deinde in fidelium confirmationem & inſtructionē. Hoc duplici modo in B. Staniſlao mirabili s

rabilis Deus apparuit. Nam quicquid gratiarum & admirabilium operum in hoc martyre effulſit : id primò ad fidei propagationem, in plebe adhuc infirmâ & rudi ordinatum eſt. Ferunt nonnulli vnicum populo eſſe ad virtutem, optimum Principis exemplum : ad huius enim normam omnes facilè componuntur. Et quis obſecro magis ad pietatem atq; Dei cultum, ad virtutem & religionem, frigeſcentem in Dei charitate populum, facilius permouere potuit ? quàm boni paſtoris D. Staniſlai exemplum. Præibat ille ſolus toti clero, deuotione; antecellebat plebi humilitate; ſuperabat omnes miro ſanctitatis ſplendore; vt proinde meritò verificetur de illo Euangeliſtæ dictũ : Ioan 5. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Cuius ſplendore non pauci à libidine ad caſtitatem; à peruerſa viuendi conſuetudine, ad pietatem trahebantur. Nec mirum : Qui enim ab infantia offeruntur Deo per parentum pia vota, ſpecialem ſolent conſequi benedictionem, cœleſtemque gratiam præ alijs nanciſcuntur, per varietates ætatum eos manu ducentem & protegentem. Quoniam pergrata eſt Deo talis oblatio. Gratiſſimum fuit cœlo, quòd S. Aletha mater D. Bernardi, mox vt ipſum partu edidit, manibus proprijs Deo obtulerit. Acceptum fuit Deo, quòd S. Eleaſarium, eâ horâ, quâ, peperit mater, cum feruenti deuotione, & gratiarum actione obtulerit dicens : *Gratias tibi ago Domine Deus, pro hoc filio gratiâ tua mihi donato, rogoq; vt eum tibi ſeruum accipias, & tuæ benedictionis gratiam largiaris. Quod ſi tu noſti eum fore diuinæ voluntati tuæ rebellem, vbi ſacro baptiſmate erit candidatus, ſine morâ eum tolle : ſatiùs enim eſt eum innocentem, & nullis proprijs auctum meritis, tecum viuere, & mundo mori; quàm in hac mortali vitâ te offendere.* Quæ oblatio cum tanto pietatis feruore facta, ita gratiſſima Deo exſtitit, vt Eleazarium adhuc infantem, plenum ſanctitatis voluerit eſſe Deus. Hac etiam de cauſa B. Staniſlaum, A gloriæ ſuæ propugnatorem voluit Deus habere, quòd adhuc ante eius natiuitatem, parentes eum Deo obtulerint, in ſua ſterilitate ad auctorem vitæ confugientes, & ſe tali pacto obligantes, vt quicquid illis naſceretur, illud ſtatim diuino cultui conſecrarent. Placuit hæc oblatio Altiſſimo : nam natum breuî poſt Staniſlaum elegit, vt eum accenderet tanquàm lucernam ardentem, in Eccleſia ſancta. Quocirca non permiſit Deus, vt diutiùs hæreret ſub B modio ſæculi, præclaræ indolis dotibus præditus Staniſlaus. Sed in Eccleſia Chriſti, tanquàm in domus ſuæ lucido candelabro conſtituit eũ paſtorem, vt in paſcua æternitatis gregem Chriſti traduceret ſuâ vigilantiâ. Ex illo enim ſtatim tempore, quo ſacris initiatus, Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis, prædicatorem verbi diuini agere cæpit, ſubitò cæperunt in eo ſplendeſcere dona gratiæ diuinæ, & omnium oculos in ſe conuertere. Agnoſcebatur tunc in C ipſo mira modeſtia, humilitas profunda, contemptus ſeculi reſolutus, puritas vitæ Angelica, verborum gratia, cum caritatis ſplendore confæderata.

Neſcio quid cauſæ, quòd Scriptura ſacra S. Ioannem Eliæ comparet, oſtendendo quòd Ioannes ſpiritum Eliæ habuerit; cùm tamen certum ſit, vnumquemq; vnum habere ſpiritum, nec in duobus eandem animam poſſe exiſtere. Sed propter ſimilitudinem (vt video) ope- D rum, Scriptura vtriq; eundem ſpiritum attribuit. Quia non ſolùm Ioannes amictum pelliceum, Eliæ ſimilem induerat, ſed etiam duram ac ſolitariam vitam ſectatus fuit, ſimilemq; zelum habuit docendo populum, & filios Iſraël ad Deum conuertendo. Similem quoq; libertatem ſpiritus; dùm hic arguit Herodem, ille Achab Regem : dùm vterq; feminam patitur aduerſam : hic Herodiadem; ille Ieſabellem. Sed non aberraret quiſquis D. Staniſlaum, Eliæ & Ioannis ſpiritum habuiſſe aſſereret. Lucæ 1.

fereret. Et huic enim similis animus, A
similis zelus, similis spiritus fuit. Vitia illi seueriùs in populo arguebant: & hic pariter optimus Pastor, nullam fæditatem in grege Christi pati voluit. Reges illi pro sceleribus corripiebant: Principem & iste grauiùs pro turpi consuetudine viuendi increpauit. vtrique illorum Prophetarum insidiabatur femina: D. pariter Stanislao, mulier septem capitum, libido scilicet nefanda, in Rege pessimo radicata, insidias struxit. Diuo Ioanni propter Herodiadem caput B
amputatum est. B. Stanislai corpus, propter indomitam Regis libidinem in frusta ad altare Christi dissectum, vt sic duplicem simul victimam Deo persolueret, & in corpore Christi, & in corpore proprio. Sed quia mirabilis est Deus in Sanctis suis, & in D. Stanislao mirabilis esse voluit, dùm singula corporis eius membra ita prodigiosè adunauit, quasi nusquàm tyranni gladio diuisa essent. Ideoq; quem tyrannus crudeliter trucidauit, veluti facilem prædam ac C
venationem nactus, postea tamen insuperabilem sensit. Et cuius tanquàm insana ac delira loquentem, pias risit admonitiones, eundem interfectum, ceu Angelicâ virtute strenuum magis exhorruit.

Propagauit certè non mediocriter Dei gloriam diuinissimus Stanislaus suo cruento martyrio: quia ex illo primùm tempore melior in Deum, pietatemque, Christianorum animus esse cæpit; qui tamen iam iterùm immutatus & refrigeratus ma- D
net. Propagauit Dei honorem: quia in eminentissimo Episcopatus officio ita progrediebatur, quasi *lux crescens ad perfectum diem.* Nam omnem vitam suam in Dei certâ cognitione versari voluit, ad quàm assequendam, per sacrarum scripturarum assiduam meditationem, orationes, atq; ieiunia tendebat. Nec alium, quàm Deum ipsum magistrum habere voluit: vt verum præseferret Pontificem, cuius proprium arcana Dei scrutari, & responsa in difficillimis à Deo

Prou. 4.

postulare. Hoc fecit B. Stanislaus: dùm enim impij Principis effrænis animus, in vitia insolentiùs rueret, monitaq; optimi Pastoris contemneret, consilium non alibi quæsiuit, nisi apud Deum pijssimus Antistes. Sed & ibi mirabilis Deus in Sancto suo Martyre apparuit, dùm triennem iam defunctum Petrouinum, ad pedi Pontificij contactum resuscitauit. Vt saltem illo miraculo dementia regis comprimeretur, malitiaq; populi ad pristinas rediret virtutes. Ecce quomodò Dei gloriam propagauit Diuus Stanislaus. Tunc primùm enim peruersitas iudicum didicit, quomodò iustitia propter Principum fauorem non sit violanda. Tunc agnouit fidelis populus, quomodò Deus in Sanctis suis sit honorandus. Tunc didicerunt mundi Principes, quomodò Ecclesiæ Pastoribus sit obediendum.

In quæstionem apud pleroſq; venit illa disceptatio, quidnã sit maius, sacerdotalisne an regia dignitas, & vter alteri imperare atque parere debeat? Sacerdosne regi, an Rex Sacerdoti. Et licet mundana arrogantia, quæ etiam in Deum ipsum suum fastum iactare solet, tantum sibi ausit arrogare, vt Christi Sacerdotes contemnat, illisq; præesse velit. Nihilominus tamen in rei veritate, dignitas sacerdotalis tanta est, vt regiam superet, Angelicam transcendat, & soli diuinæ comparetur eminentiæ. Hoc Deus in principio creationis mundi innuere voluit, quando: *Fecit duo luminaria, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Vbi D. Antonius 3. p. tit. 19. cap. 1. §. 14. per luminare maius, mysticè intelligit Sacerdotem, qui regit animos: per luminare verò minus, scilicet lunam, quæ præest nocti, intelligit Regem; qui corporibus tantùm dominatur. Vt inquit, quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Nam quantùm lunæ præstat sol, & magnitudine, & altitudine, & pulchritu-

Gen. 1.

S. Anton.

chritudine, & agendi efficacitate; tantùm Pontifex antecedit Regem. Ac proindè non Regibus Sacerdotes, ſed Reges Sacerdotibus parere debent. Immò quoties hæc obedientia læditur, grauiſſima Dei prouocatur indignatio. Non obediebat Saul Dei Prophetæ & Sacerdoti Samueli, idcirco abiecit eum Deus, & regno ſpoliauit. Eccur etiam toties regnum Poloniæ Deus grauiſſimis plagis afficere ſolet? certè propter inobedientiam; quia Paſtorum ipſius auctoritas contemnitur, ſpernuntur admonitiones, & Deus ipſe ad magnam indignationem prouocatur.

1. Reg. 13.

Mirabilis adhuc fuit Deus in B. Staniſlao per conſtantiam, quam ille in martyrio ſubeundo præbuit. Mirum profectò & rarum eſt tantæ dignitatis virum, infracto & inuicto animo à dementiſſimo rege iniuriam pati voluiſſe, vt ſcilicet ſuâ morte, ſcelera in regno grauiſſima exſtirparet, & gloriam Dei propagaret. Meritò nunc Eccleſia ſancta gloriari poteſt in ſeruis Dei: habet enim reſolutos athletas non modò florentis ætatis, Laurentios, Sebaſtianos, Vincentios; ſed etiam prouectioris ætatis multos, ad diuini nominis confeſſionem acerrimos zelatores. Meritò præ alijs regnis triumphare poteſt inclytum Poloniæ regnum ex ſuis Paſtoribus, qui gloriam Dei & Chriſti nomen vigilantiùs propagarunt. Habet in hoc regno Albertos hæreſim extirpantes: habet Hyacinthos religionem promouentes: habet Staniſlaos vitia eradicantes. Huius enim ſingularis Patroni præclarè geſta, non ſolùm Deus ad gloriam ſuam propagandam ordinauit, ſed etiam ad fidelium confirmationem & inſtructionem. Neque enim aliam ob cauſam, Deus in Eccleſiâ ſuâ Sanctos Martyres honorari voluit. niſi vt eorum meritis placatus, noſtræ inopiæ citiùs ſuccurrat. Etenim innata eſt pijſſimis Patronis virtus, pro ſuo regno & patriâ aſſiduò Deum orare: immò etiam ipſoſmet præſentes plerumq; nobis opitulari. Eluxit hæc pietas in D. Staniſlao erga regnum Poloniæ. Nam teſte Cromero l. 16. pag. 270. Conſpirauerat vniuerſa Germania authoribus Crucigeris in exitium Polonorum, omneſque Pomeranorum duces, in ſuorum conſanguineorum & primogenitorum perniciem deuoti, armis & exercitu aderant in ſubſidium hoſtibus. ibi cæſo magna ex parte Polono milite, multi inſignes viri capti fuêre, caſtra opulenta direpta, iamq; penitùs in deſperationem actis Polonis, apparuit in aëre pontificali habitu D. Staniſlaus, noſtros dimicantes confirmans, hoſtibus verò terrorem incutiens. Atque eâ nocte, quâ prælium imminebat, in cœlo circa lunam hoc oſtento, felicem prælij euentum & victoriam portendebat. Depugnaſſe ibi videbatur monachus cum Rege aliquandiu, victuſq; tandem & cœlo deturbatus cadere, quo portento crucigerorum cædes repræſentabatur. Ad confirmationem proindè noſtri, D. Staniſlaum Martyrem voluit eſſe Deus: ſed ſimul etiam ad inſtructionem, vt pijſſimi huius Paſtoris ſanctitatem, & omnes alias virtutes imitemur.

Cormerus

Quare cùm tàm mirabilis Deus ſit in Sanctis ſuis, vt gloriam ſuam per opera eorum propagare voluerit, laudemus & nos hodiè omnipotentis maieſtatem, cuius tàm admirabilis virtus in D. Staniſlao eluxit; & poſtulemus, vt quem ille ſuæ gloriæ propagatorem habere voluit, noſtrum etiam interceſſorem apud ſe, & defenſorem in terris habere velit: ex quo honor & gloria eius maieſtati cedat.

EODEM DIE

CONCIO QVINTA.

Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum. *Hebr. 5.*

Deus per bonos Paſtores, populum ad gloriam æternam ducit.

Cùm Deus ſit creator rerum omnium, qui excelſa ſuâ dexterâ conſtituit hæc omnia, quæ ſub ſole tenuiſſimâ oculi pupillâ ſpectari poſſunt; vt docet Apoſtolus: *Per quem facta ſunt omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ioan. 1. Præfixo homini vltimo termino, videlicet; gloriâ æternâ, non aliter voluit traducere hominem ad æternam beatitudinem, quàm per aſſumptum Pontificem. Quemadmodùm docet S. Auguſtinus lib. 10. confeſſionum cap. 42. S. Aug. *Mediator*, inquit, *inter Deum & homines oportebat vt haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus.* Et profectò ſic Deum humanam ſalutem ordinaſſe, vel ipſa naturalis ratio conuincit. Ferunt enim Philoſophi vnâ cum Ariſtotele lib. 1. de Generatione tex. 51. Quòd omne agens in tantùm agat, in quantùm intendit aſſimilare ſibi paſſum. Et hominum proinde quiſpiam, ſi rectè vult operari propter finem vltimum, ſi adhuc mediatorem ſuum, Deum Hominem, diſſimilem ſibi videt eſſe, ratione diuinitatis, tamdiu agere debet per opera meritoria in Chriſtum, donec ipſi per aſſiduam imitationem aſſimiletur in corpore glorificato. Impius tamen Luterus cum Caluino, vt hominem à cæleſti beatitate deterreant, iuſtorum opera negant eſſe vitæ æternæ meritoria, fundati in illo Apoſtoli: Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Confirmant ex altero Scripturæ oraculo, vbi dicit Propheta: Daniel. 9. *Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras, ſed in miſerationibus tuis magnis.* Similiter Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus.* Et quò res illuſtrior fiat, Sanctos etiam Patres in ſuum euocant ſubſidium, præſertim verò D. Baſilium, qui in S. Baſilius. Pſal. 114. dicit: *Manet ſempiterna requies illos, qui in hac vita decertauerunt, non ob eorum merita factorum, ſed ex Dei gratiâ.* Sed verum quidem eſt, quòd iuſtificatio noſtra ſoli Deo tribuatur, quia fundatur in gratiâ, quæ homini, vt principium meriti, quod cadere non poteſt ſub meritum, datur. Meritoria autem opera debent fieri ex gratiâ, & in gratiâ. Cæterùm quia homo exiſtens in gratia, liberè aliquid in laudem Dei operatur, eiuſmodi operibus vitam æternam meretur. Cùm Deus hoc ipſum promiſerit per Prophetam: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.* Pſal. 14. Et Apoſtolus idem inculcat: *Momentaneum & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Atqui non operatur phyſicè, ergo moraliter, proindè meritoriè: allicendo diuinam voluntatem vt vitam æternam nobis velit. Conſentiunt Theologi huic veritati, docentes vnanimiter, ſtatum hominis modernum, eſſe per gratiam Chriſti eleuatum, proinde omnia opera ſupernaturalia, ex gratiâ & in gratiâ facta, digna eſſe præmio æterno; dignitate proportionis, quę eſt medij ad finem, non autem iuſtitiæ. Confirmat Concilium Arauſicanum cap. 18. Debetur inquit merces bonis operibus ſi fiunt. Sed gratia quæ antecedenter facit, vt fiant, non debetur, igitur opera ex gratia & in gratia facta ſunt vitæ æternæ, tanquàm ſibi debitæ meritoria. Denique Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 16. in eandem ſententiam inclinat, inquiens: *Domini tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Concil. Trident. Ac proinde cùm Deus populum Chriſtianum velit eſſe ſecùm in gloriâ, ſemper eum per medium ducit ad hunc finem. Quamobrem oſtendam D. Staniſlaum eſſe verum mediatorem inter nos & Deum.

Cùm ſit vnanimis Philoſophorum ſententia, finem haberi non poſſe ſine medijs: idcircò & homo ex ordinatione Dei, non aliter finem æternæ gloriæ aſſequi poteſt, niſi per media, quæ tria Deus expoſuit homini

mini ex mente D. Bernardi Serm. 10. *Tria fecit omnipotens illa maiestas mirabiliter singularia : coniuncta enim tunc sunt ad inuicem Deus & homo : mater & virgo : fides & cor hominum.* Vbi inprimis medium, per quod homo ad vitam transeat, ostendit esse Christum. Hunc enim esse principalem mediatorem, docet S. Paulus. *Vnus*, inquit, *mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus.* Mediator, quia in vtraq; natura subsistens, genus humanum Patri reconciliauit. Vndè Sanctus Augustinus de Agone Christi cap. 11. dicit. *Etsi displicet auaris, quòd Christus aureum corpus non habuit ; impudicis, quòd ex fœmina natus sit : superbis, quòd contumelias passus ; vt sua vitia defendant : tamen non fuit conuenientior modus, per quem salui fieremus, & ad immortalitatem adduceremur ; quàm vt Christus moreretur : & quod erat manens in se, à nobis, & pro nobis assumeret, quod non erat.* Mediator est, quia excedens extrema, scilicet; diabolum & peccatum superauit. Quod summè conueniens fuit diuinæ bonitati, vt docet S. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 18. *Pertinebat*, inquit, *ad diuinam iustitiam, vt per eandem naturam rationalem superaretur diabolus, quam se gloriabatur superasse.*

S. Bernard.

2. ad Timoth.

S. August.

S. August.

Secundò, Virgo sanctissima est mediatrix : quia Dei & hominum aduocata : quia porta orientalis, per quam iusti intrant : quia & à peccato immunis ; & tamen per præseruationem redempta. Mediatrix est MARIA, quia omnia pericula, velut turris Dauidica, à nobis, ceu ab extremis remouet.

Tertiò, medium est fides & cor hominum : quia per fidem accedimus ad Deum, dùm in corde sapientiam eius conseruamus. Sed egò vltra hæc, quartum mundi medium inuenio, te magne Diuorum Stanislàé, cuius mediante sanctitate cœlum fulget, cuius miraculis mundus in suis erroribus illustratur, cuius patrocinio Regnum Polonum in suo flore conseruatur. Dupliciter Doctores populum Dei in hoc mundo gubernari docent : politicè, & Ecclesiasticè. Si considerauerimus gubernationem politicam & temporalem, quæ spectat ad vitam tranquillè transigendam. Quis angustam Poloniam periculoso illo tempore, quo Osmanus Turcarum Imperator, cum ingenti exercitu, ad eandem penitùs delendam venerat. Quis inquam illam ex vltimo iam planè discrimine eripuit ? nisi D. Stanislaus, eiusque singulare patrocinium, cùm Sigismundus III. Polonorum Rex, conciliatis regni Patronis, fortitudinem è cœlo peteret. Quis còegit crudelem illum tyrannum, cum sexaginta militum millia desideraret cæsa, ex acie cum summâ ignominiâ cedere ? clypeus hic fortissimus regni nostri D. Stanislaus.

Quatuor præcipuos refert Angelos Propheta, quorum vnus Persiæ præsidebat, alter Græciæ, tertius populo Dei, & quartus captiuis in Perside. Tu ô magne Diuorum Stanislàé, tuâ animi constantiâ meruisti hoc apud Deum, vt qui castitate & sanctimoniâ Angelos supergressus es, præses populo Sarmatico fieres. Si enim ibi Daniel narrat, populo Dei fortissimum Angelorum Michàélem præfuisse, dùm sub tyrannicâ hostium manu duriùs attereretur. Sic planè Polonia circumstantibus vndiq; periculis oppressa, non potuit maiorem & fortiorem Patronum D. Stanislao apud Deum impetrare. Quòd si secundum gubernationis modum inspexerimus, scilicet ; Ecclesiasticum & salutiferum regimen, quod pertinet ad viuendum, prout oportet ad salutem. Quis non agnoscet magni istius Patroni exemplo, omnes ad Dei cultum commoueri ? Et licet plerumque fragilitas humana à Deo declinet, nihilominùs tamen D. Stanislaus suis precibus iram Dei cohibet, ne vindictam acceleret, verùm vt frigescente furore ad conniuendum peccatoribus propendeat. Refert historia sacra populum illum Isràéliticum, moram faciente Moyse descendendi de monte, ex auro opere fusorio

Dan. 10.

Exodi 32.

fusorio feciſſe ſibi vitulum conflatilem, dixiſſeque. *Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Surgentes igitur mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas illi deaſtro. Quâ de cauſa iratus Dominus dixit ad Moyſen; Vade, deſcende, peccauit populus tuus. Receſſerunt citò de viâ, quam oſtendi eis, feceruntq; ſibi vitulum conflatilem, atq; immolantes ei hoſtias dixerunt: *Iſti ſunt dij tui Iſraël, qui eduxerunt te de terrâ Ægypti.* Et eccè mox, cùm Moyſes orat pro populo, Dominus iterùm dicit: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam.* Audiens hæc vir ille ſanctus, eò magis adhuc prolapſi in turpem idololatriam populi apud Deum partes egit. *Quieſcat*, inquit, *ira tua ſuper nequitia populi tui.* Quærunt hic Doctores cauſam, cur Deus Moyſen, ab illa oratione, promiſſione temporalis boni abducere voluerit; cùm faciliùs eum ad id permouiſſet, ſi illud immane ſcelus populi ſui, tanquàm duci proprio exprobraſſet. Reſpondet Oleaſter ſatis acutè, quòd ille facto, toti mundo teſtatum eſſe voluerit, quàm præclarus paſtor eſſet Moyſes, qui cæteris benè regendi exemplum de ſe præbere poſſet. *Ducem*, inquit, *ſuum ſummè tentare voluit, an pro priuato bono ſineret commune perire.* Si enim ſpe amplioris imperij iuiſſet Moyſes in ſententiam Dei, bonum Paſtorem ſe non probaſſet. Quid hic de teipſo loquar, ô S. Staniſlàe. Eduxerat iam Deus populum ſuum de ſeruitute Ægypti, dùm Boleſlaus Audax ſeptem fermè annis in Ruſſiâ & Vngariâ militans, rediret. Sed mox immemor tanti Dei beneficij totum ſeſe ad ſtupra & incæſtus contulit: ad cuius exemplum, omnis ferè mulierum & iuuenum multitudo compoſita, in paria ſcelera abiit. Moyſes inquit Sacra pagina arguebat populum. *Peccaſtis peccatum maximum, aſcendam ad Dominum ſi quomodò quieuero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* Tu magne Diuorũ Staniſlàe, non verebaris in omnem effrænatam libidinem grauiùs animaduertere, blandè admonere, orare, & obſecrare Deum, vt peſſimis illis moribus & corruptelis finem ſtatuere vellet, ne quod grande & immedicabile malum impius Monarcha, ſibi ſuiſque, & vniuerſæ Poloniæ acceſſeret. Sed cùm nihil proficere poſſet, conſcendit montem, ſcalam Domini, vt ibi dùm pro peccante Rege, & in omne ſcelus abeunte populo deprecabatur, diuinam iuſtitiam & iracundiam, ab vltione retardaret: inſtar Moyſis ad Dei altare orans: obſecro Domine, peccauit quidem populus iſte peccatum maximum, ſed aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro hoc, quem ſcripſiſti.

Docent Theologi hominem obligari ex charitate vitam corporalem poſtponere bonis ſpiritualibus proximi, ſi proximus aliunde iuuari non poſſit. Quemadmodùm docet Apoſtolus: *Hoc eſt*, inquit, *præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Et rurſum: *per hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille animam ſuam poſuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus ponere animas.* Vbi S. Auguſtinus & Doctores Eccleſiæ, per proximum intelligunt non tantùm priuatum hominem; ſed etiam cõmunitatem ſeu Rempublicam. O quantùm te vere mediator inter Deum & homines D. Staniſlàe vrgebat charitas iſta, qui vltrò etiam vitam profundere volebas, dùm modo Regem & totum hoc regnum à maximis flagitijs auerteres. Magna eſt quæſtio inter Theologos vtrum habitus charitatis poſſit dari æquè intenſus in aliquo viatore, ſicut in bèato. Et aſſerit D. Thomas opuſc. 61. cap. 17. Rationem affert, quia multi ſunt beati in cœlo, qui non habent intenſiorem charitatem; quàm quæ illis data fuit in baptiſmo: Multi autem ſunt viatores, qui charitatem in baptiſmo acceptam auxerunt, vel ſuſcipiendo alia Sacramenta, vel exercendo actus meritorios, vel martyrium ſubeundo. Nec obſtat illud

Oleaſter 32.

Exodi 32.

Ioan. 14.

1. Ioan. 3.

Chriſti

Christi Domini pronuntiatum de Ioanne. *Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Quia ibi comparatio fit non sanctitatis precisè; sed sanctitatis status veteris, & nouæ legis: quasi diceret Christus. Ex vi status euangelici, iudicio cœlesti minimus in sanctitate, maior est Ioanne Baptista, scilicet; ex vi status synagogæ. Siquidem hæc sanctitas externa est, illa verò interna; quæ etiã minimo maior, est maximâ. Sic doctissimus Maldonatus locùm hunc exponit. D. pariter Staniſlaus tantùm creuit in charitate, vt cùm ageretur de salute Regis, & totius regni, mori potiùs voluerit, quàm tanta scelera permittere grassari. Vt meritò dicere possit cum Moyse: *Obediui voci Domini Dei mei, & feci omnia sicut præcepisti mihi* At qualem pro tàm accurato obsequendi studio mercedem petijt. *Respice* inquit, *de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Israël, & terræ quam dedisti nobis.* Non sibi mercedem postulauit, sed toti regno.

Matt. 11. Maldonatus. Dent. 26.

Fuit igitur Beatus Staniſlaus mediator verus inter homines & Deum: quia suâ sanctitate homines, potissimùm ad vnionem cùm Deo ducebat, imitatus Christum in charitate profundâ. Christus enim moribundus desiderans salutem humanam, dixit: *transeat à me calix iste.* Non quasi mori recusaret, cùm fundere sanguinem suum sponte in remissionem peccatorum promiserit. Verùm vt sentit S. Hilarius can. 31. *Transeat à me calix*, ac si dixisset: Quomodo à me bibitur, ita ab eis bibatur, sine spei differentiâ, sine metu mortis. Quod autem addit! *non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, idem est, quasi diceret: vellem eos non pati ne fortè in passione diffidant, sed vt coherediratis suæ gloriam sine passionis difficultate mereantur. Talis fuit D. Staniſlaus, qui videns regem furibundum, & ad sacrilegum facinus paratum, mori non recusauit, appetens vt hæc sua mors, non in pænam sed in salutem animæ illius & suorum subditorum cessisset. Fuit mediator; quia particeps diuinarum Christi virtutum. Magna Dei virtus eluxit in Elisæo, cùm viduæ Sunamitidi mortuum resuscitasset filium. Sed maior D. Staniſlai, cùm ad purgandam sibi à Rege obiectam calumniam, Petrouinum post tres annos è mortuis suscitauit. Fuit mediator, quia miraculis eius Polonia fermè tota ad Dei cultum incitata est.

Hilarius.

Quòd si per proportionata media facile est finem assequi, quantò faciliùs erit & nobis tanti mediatoris exemplo, & temporalem vitam in tranquillitate, & spiritualem in virtutibus transigendo, finem illum æternæ gloriæ adire. Et si Mosayca Synagoga, tuta semper fuit sub patrocinio Michaelis Archangeli *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël Princeps noster, scilicet Hebræorum.* Et tuo adiuta patrocinio D. Staniſlaè Ecclesia Dei, non dubitat se in summâ securitate & Dei obsequio regnaturam.

Daniel. 10.

DIE ASCENSIONIS DOMINI,

CONCIO PRIMA.

Assumptus est in cœlum: *Marci. 16.*

Christum Dominum in corpore glorificato verè cœlos ascendisse, & consedisse ad dextram Patris ostenditur.

INualuit consuetudo apud optimos quosq; principes, vt illi bonũ regimen, & suæ Reipublicæ vtilitatem procurantes, vniuersos regnorũ suorum terminos personaliter visitent, subditos agnoscant, sacrosanctis legibus & sancitis statum regni sui confirment, cunctisq; necessitatibus consulant. Quo feliciter peracto, ad amæniorem, & omnibus vndequaq; propugnaculis benè munitam ciuitatem, vbi tutiùs habitare possint, redire consueuerunt. Æternus Dei filius, mundi totius Princeps vigilantissimus constitutus, ab hac laudabili consuetudine minimè recedere voluit. Cuius regnum quoniam in tres partes & prouincias diuisum est, iuxta doctrinam D. Pauli, cælestem nimirùm, terrestrem, & infernalem. *In nomine Iesu omne genu flectitur, cælestium terrestriũ & inferorum.* Philipp. 2. Idcircò Deus, hominis formam assumens, triplicem hanc regni sui prouinciam voluit lustrare, visitationem suam à terrâ primùm inchoans. Visitauit terrã quando incarnatus de Spiritu sancto, delicias suas reputauit esse cum filijs hominum. *Visitauit nos oriens ex alto.* Lucæ. 1. Vbi leges sacrosanctas, quia ad salutem æternam dirigentes, condidit: iura sua populo omnem obedientiam in sacramentorum susceptione iuranti, custodienda & inuiolatè seruanda tradidit: tyrannides omnes è medio sustulit, & nefarium dæmonẽ, communem generis humani hostem, è terrenis sedibus eiecit, expulit, prostrauit, testante Sacra scriptura. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Ioan. 12. Hac visitatione triginta trium annorum curriculo expedita, alterî prouinciæ visitandæ, scilicet; limbo inferorum incubuit. Vt palam habetur in symbolo Apostolorum: *Descendit ad inferos.* Vbi tenebrosos carceres lucis suæ radio illustrauit, detentas in molestâ captiuitate, tot sanctorum Patrum & Patriarcharum legiones in libertatem eduxit; dæmones verò suo rebelles imperio, arctioribus vinculis & compedibus constrinxit. Postquàm igitur suæ Reipublicæ sublunaris negotia composuit; Petrum in Ecclesiæ sanctæ vicarium, Apostolos in terrarum omniũ Episcopos, & cæteros quosq; fidos Athletas, nouis peditum militiæ suæ copijs præfecit, quemadmodùm in sacro fatetur euangelio: *Ecce ego mitto vos.* Lucæ. 10. His tandem omnibus feliciter gestis, ad tertiam regni sui prouinciam, nimirum; amplissimam illam empireæ sedis ciuitatem inquadrum positam, nobilissimâ pompæ triumphalis gloriâ stipatus, progreditur hodiè, dicente sancto Euangelio: *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris virtutis Dei.* Marci. 16. Cuius glorioſæ ascensionis veritatem & causas contemplabimur.

Turpissimè circa gloriosam Christi Domini ascensionem, hallucinasse quosdam Hæreticorũ, recenset lumen Ecclesiæ catholicæ D. Augustinus, cap. 23. de agone Christi, Augustin. asserentium Christum Dominum non reuera, sed fictè ac metaphoricè in cælum ascendisse. Peruersæ huius opinionis argumentum desumebant ex scripturâ sacrâ malè intellectâ. Potissimùm verò ex illo Euangelistæ: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* Ioan. 3.

de cœlo. Ex quo loco sic argumentantur. Verbum diuinum in tantùm in terram descendit, in quantùm sub humanæ naturæ abiectione, magnitudinem suam potentiamq; occultauit; absq; tamen cum carne, hypostaticâ vllâ vnione. Proindeq; inquiunt verbum illud æternum in tantùm in cœlum ascendisse, in quantùm terreno orbi, gloriam & maiestatem suam in Christo ostentauit. Cæterùm non agnoscunt Christum Dominum, secundùm suam humanitatem verè in cœlum ascendisse, propter Euangeli-
Ioan. 3. stæ verba, qui clarissimè dicit. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Cùm ergo Christi humanitas non descenderit de cœlo, sequitur eandem secundùm veram & realem exi-
B stentiam, minimè in cœlum ascendisse. Verùm huic impudenti blasphemiæ occurrit manifesta Scripturæ sa-
Actor. 1. cræ authoritas, inquiens: Et ferebatur in cœlum. Vbi non de diuinitate Verbi æterni loquitur S. Lucas: nam hoc cùm sit inconprehensibile, quomodò & à quo ferri potuit? sed de
C ipsa Christi humanitate sermonem instituit, quæ ab vnito sibi verbo diuino, ferebatur spectantibus omnibus, per aëris regiones in cœlum. Quod vnanimiter confitentur Patres
Concilium Nicænum. in Concilio Nicæno congregati. Quod etiam euidenter regius vates
Psal. 115. prædixit: *Parauit*, inquit, *in cœlo sedem suam.* Vbi apertissimè propheta præsupponebat, Christum verè in carne suâ in cœlum fore ascensurum, vt illius loci corporalem possessionem occuparet. Neq; huic tam manifestæ
D veritati, quicquam refragantur verba illa Apostoli; *Nemo ascendit in cœ-*
Ioan. 3. *lum, nisi qui descendit de cœlo*: Vt prudenter animaduertit Theodoretus
Theodor. in cap. 4. ad Ephesios: *quia non alius descendit, & alius ascendit, sed idem Christus: quamuis aliter descendit, & aliter*
Augustin. *ascendit.* Comprobat D. Augustinus in commentario eiusdem loci: *Ascendere*, inquit, *est persona, non natura, nisi inquantùm est in persona.* Cùm & ipsi philosophi doceant, *actiones esse suppositorum.* Eadem ergo Persona Christi Domini descendit de cœlo, & eadem iterùm ascendit in cœlum, licet diuerso modo. Quia descendit quidem sine corpore; ascendit verò corpore induta. Et reuera veram hanc atq; realem Christi ascensionem, luculentissimis verbis ipsemet Deus testatus est, cùm inter grauissimos suos sermones, quibus ad omnipotentiam & excellentiam suã, hominisq; vilitatem & exiguitatem declarandam, sanctum Iob allocutus, illud singulare addiderit. *Si habes bra-* Iob 40.
chium sicut Deus, aut simili voce tonas, circumda tibi decorem, & in sublime erige, & esto glorioſus, & speciosis induere vestibus, disperde superbos, & omnem arrogantem humilia, & ego confitebor, quòd possit te saluare dextera tua. Quem locum S. Hieronymus super cap. 40. S. Hieron.
Iob. exponit de gloria, de maiestate diuinitatis, atq; de potentia, quæ superbum illum Luciferum eiusq; sequaces castigauit. Quandò ipse se tàm micantem, tàm splendidum atq; fortem videns, fortitudinis suæ periculum facere voluit. Sed diuini potentiâ brachij ita fortiter percussus est, vt in profundissimam inferni abyssum depulsus, nunquàm ab hoc dolendo casu resurgere valeat, teste D. Bernardo in Serm. 1. de Aduentu. Bernardus
Et continuò, inquit, *sideribus cunctis clariùs micantem aterna caligine obumbrauit.* Verùm D. Gregorius ille magnus lib. 32. Moralium. cap. 56. Per forte ac potens illud Dei brachium, & per diuinam illam vocem, intelligit Dei Filium, per quem omnia fecit Pa-
Ioan. 1. ter, teste Euangelistâ: *Omnia per ipsũ facta sunt.* Per quem altissima mysteria & inscrutabilia sua arcana, rationalibus creaturis reuelauit. iuxta illud: *Quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Deus ergo seruum suum Iob alloquendo, ostendere illi voluit, quòd nullum brachium tàm potens sit, sicut Dei filius, qui mortem ipsã, mortali humanitate assumpta debellauit. Quòd nullius potestas sit tanta, sicut Dei filij, qui ipsa diuinitate suo corpori vnità operante, de sepulchro seipsum excitauit; & omnibus mor-

bus mortalium corporibus surgendi potestatem atq; virtutem simul contulit. Quòd nulla gloria sit tanta, quæ Christi resurgentis gloriam possit æquare. Quòd nulla sit tantæ maiestatis vox, sicut vox Christi, quæ diuinitatem redolens, orbi vniuerso doctrinam salutarẽ intonuit. Quòd deniq; nullius tanta sit fortitudo, sicut Christi Domini, qui hodiè virtute propria à terrenis ad cœlestia sese erigit, & dextram Patris occupat.

Quòd ergo de veâ & reali Christi Ascensione Deus ad Iob locutus fuerit, comprobat admiranda illa B. Apoc. 10. Ioannis visio. Vbi S. Ioannes ait se vidisse Angelum quendam nube amictum, & in capite illius iridem, cuius forma & facies, vt sol, pedes verò, tanquàm columnæ ignis lucebant: In manu istius Angeli fuit liber apertus; tenebat autem pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram ponebat; & tàm magnâ voce clamabat, vt & tonitrua loquerentur. Insuper addit D. Ioannes, Angelum illum leuasse manum suam ad cœlum, & iurasse per viuentem & regnantem in sæcula, in terrâ & in mari, venturum tempus, quo consummaretur & finiretur mysterium Dei. Ecce vobis catholici adumbratam triumphantis Christi veram & realem in cœlum ascensionem. Quid enim quæso Angelus ille nube amictus præseferebat? nisi diuinum illud verbum, huiusce nostræ carnis nube circumdatum. Quid splendor ille instar solis, è vultu Angeli dimanans significabat? nisi Christi diuinitatis splendorem: de quo Hebr. 1. dicit Apostolus. *Qui cùm sit splendor gloriæ.* Quid pedes sicut columnæ igneæ? nisi maximam Christi agilitatem, quâ se & nos, ad cœlestis domicilij regna perducit, denotant. Quid positio pedum, vnius super mare, alterius super terram? nisi supremam Christi potestatem: quâ non modò per vniuersos cœlorum orbes, sed etiã per maris terrarumq; sola vltima pollet; exprimitur. iuxta Matt. 28. illud Apostoli: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & interrâ.* Quid porrò tonitrua, quæ ad loquelam illius Angeli commoueri cæperunt, denotare putabimus? quàm, omnia cœlorum corpora, Christi diuino & humano, subiecta esse imperio. Et tàm potentissimos quosq; mundi Principes, atq; opulentissimos regnorum monarchas; quàm nefarios illos inferorum Spiritus, Christi audientes vocem contremiscere, & expauescere. Liber in manibus Angeli apertus, denotabat absconditum illud sacræ Incarnationis sacramentum, à solo Christo mundo manifestatum. Quippè cùm Christus Dominus esset agnus immaculatus, solus septem signacula libri, arcani scilicet verbi incarnati à seculo absconditi meruit reserare. Vox sonora quam ille Angelus ediderat, vocem Euangelij sancti portendebat, quam Christus Dominus suis discipulis enixè commendauit, inquiens: *Prædicate Euangelium* Marci. 16. *omni creaturæ.* Deniq; eleuatio brachij in altum, & clamantis Angeli, quòd consumaretur mysterium Dei; figurabat gloriam immensam Christi in altum ascendentis. Quoniam hac die consummatum est mysterium salutis humanæ, quando ipsemet Dei filius, humanitatem assumptam collocauit in throno diuinitatis, dicente Euangelista: *Sedet à dextris Dei.*

Sed acce iterùm noua consurgit difficultas. Quomodò Christus à dextris virtutis Dei possit sedere? Quoniam misso hoc, quòd Dei tanquàm purissimi spiritûs, nulla possit esse manus, nec dextra, nec sinistra; tametsi tamen concederetur, neutiquam dextra Filio concedenda esset: cùm apud omnes Catholicos indubitatum sit, Spiritum sanctum eiusdem esse dignitatis & maiestatis cum æterno Filio. Proinde nullatenùs honoratior locus dari posset Filio; quàm Spiritui sancto. Deinde cùm pateræternus aliarum personarum sit fons & origo, atq; hac quasi speciali prærogatiuâ, cæteris personis diuinis superemineat, quæ ab illo originem ducunt: tunc ratione istius præeminentiæ,

nentiæ, dextra nec Filio, nec Spiritui ſancto, ſed Patri eſſet tribuenda. Difficultate huius euidentiſſimæ ratiocinationis multi Doctores ſuperati, auſi ſunt aſſerere, ſiniſtram dextrâ, digniorem eſſe. Quod comprobant ex eo, quòd (vt S. Thomas in Epiſtolam ad Galatas, Lectione. 1. Auctor eſt) in antiquis illis, D. Petri & Pauli Apoſtolorum imaginibus, Diuus Petrus ad ſiniſtram, Paulus verò ad dextram collocentur. Quæ conſuetudo ad hæc vſq; tempora viget in Eccleſia Dei, vt quiſq; videre poteſt in bullis ſummorum Pontificum. Sanctus autem Petrus, cùm eſſet Princeps Eccleſiæ & omnium Apoſtolorum, dubio procul, primarium locũ obtinere debuit. Ex quo fundamento aſſerunt, Patrem æternum in gloriosâ Aſcenſionis die, licet Chriſtum Dominum in dexterâ ſuâ collocauerit; non tamen illi digniorem conceſſiſſe locum, ſed tamen proximum ſibi : ipſum verò ſiniſtram tenuiſſe, vt dignitate & auctoritate excellentiorem. Verùm hæc ſententia vulgi tantùm aures demulcens, nihil probabilitatis videtur habere. Fundamentũ enim illius, dextram ſcilicet antiquitùs ſiniſtrâ fuiſſe inferiorem dignitate; & debile admodùm & falſum cenſet S. Hieronymus in cap. 9. ad Epheſios, & S. Ambroſius Serm. 61. contrarium enim nobis euidenter ex Scripturâ ſacrâ demonſtratur. Nam in Geneſi legimus, dùm Ioſeph Patriarcha ad Patris ſui dextram, filium ſuum Manaſſen collocaſſet, Sanctus ſenex Ephraim illi præferre volens, manus commutauit : & dextram ſuper Ephraim, ſiniſtram ſuper Manaſſen impoſuit. Quo ſignificabat Ephraim fore eminentiorem Manaſſe, propter dextræ manus ſibi impoſitionem. Præterea, Chriſtus Dominus proteſtatur ſe in conſummatione ſeculi, prædeſtinatos ad dextram, reprobos verò ad ſiniſtram poſiturum. Quo euidenter oſtendit, dextram multò digniorem eſſe ſiniſtrâ. Neq; ſane vrget argumentum de imaginibus Apoſtolorum, in contrarium allatum. Nam reſpondet S. Thomas in Epiſtolam ad Galatas, quòd quoniam in ſacris literis per ſiniſtram præſens vita, per dextram verò cœleſtis ſignificatur. Ideò quoniam S. Petrus, à Chriſto in hac mortali vita exiſtente ; D. verò Paulus poſt Aſcenſionem & reſidentiam in cœlo vocati fuerunt, hac ratione moti fideles, Sanctum Petrum ad ſiniſtram, Paulum ad dextram collocârunt. Vt palam fiat, neminem hac mortali vitâ contentum eſſe debere, niſi ad cœleſtem aſpiret. Iam verò doctiſſimus Ioannes Maldonatus cap. 37. de imaginibus, rationem congruentiſſimam huius facti aſſignat, autumans id effectum fuiſſe, ad maiorem D. Petri humilitatem demonſtrandam, qui cùm ab ipſo Dei filio, omnibus eſſet antepoſitus; inferiorem tamen locum ſibi elegit, ſucceſſoribus ſuis exemplum relinquens, capiendi pro illorum inſigni humillimum illum titulum. *Seruus ſeruorum Dei.* Verùm miſſa hac explo-ratione tanquàm magis curioſa, quàm vera. Locum hunc ſcripturæ : *Sedet à dextris Dei.* S. Athanaſius oratione 2. contra Arianos. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 2. Chryſoſt. homil. 12. ad Hebr. exponunt de Chriſto in quantùm Deus eſt, ita vt per dextram diuinam eius maieſtatẽ, & cum æterno patre æqualitatem intelligant. iuxta illud Apoſtoli : *Qui non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo.* Fundatur hæc periphraſis ſufficienter in D. Paulo, qui ex eo probat Chriſtum Deum eſſe : *Quia ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.* In eandem ſententiam conueniunt Cyrillus Alex. lib. 12. theſauri ſui, c. 7. & Theodoretus in c. 1. ad Hebr. Qui Chriſtum à dextris Dei ſedere aiunt, in quantum hominem, cui æternus Pater, tantũ honoris, tantumq; maieſtatis attribuit, vt propter vniuerſale dominium ei in omnes creaturas conceſsũ, in proprio ſuæ maieſtatis throno illum collocauerit, & cultu latriæ coli atq; adorari humanitatem eius, perinde atq; diuinitatem præceperit.

S. Thomas. A B C D S. Thomas. S. Athan. Damaſce. Chryſoſth. S. Hieron. S. Ambro. Gen. 48. Philipp. 2. Hebr. 1. Cyrillus Alexandr. Theodor.

Verum obijciet forsan quispiã, Christum hæc omnia ante suam in cœlum ascensionem habuisse. Proindè dùm sancta Ecclesia confitetur illum in die ascensionis ad dextram Dei Patris sedisse, diuersum aliquid & prorsùs nouum exprimere voluit. Nodum istius difficultatis facilè dissoluo, minimè inficias eundo, Christum Dominum habuisse quidem hæc omnia, antequàm cœlos conscenderet; cæterùm ea mundo fuisse ignota, vt fatetur ipsemet Dei filius, qui ante suam ascensionem postulat à Patre, inquiens: *Nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quàm habui, priusquàm mundus esset, apud te.* Quasi diceret: manifesta me hominibus tibi esse æqualem, & Deum verum de Deo verò. Quoniam ergo in glorioſa illâ triumphantis Ascensionis die, Christus Dominus imperij & regni sui possessionem vltimatè apprehendit, quatenus homo est, ibiq; excellentissimum inter omnes locum, atq; supremam, cùm summa auctoritate obtinuit sedem, & toti mundo tanquàm verus Deus manifestatus est: meritò ad dextram Patris consedisse dicitur.

Joan. 18.

Quo autem in cœlo, & in qua eius parte consedit triumphans redemptor noster, ardua ad resoluendum quæstio. Nam impij Seleuciani, hæreticæ prauitatis sectatores (vt testis est D. August. lib. de hæresi c. 57.) asserebant verbum diuinum in die Ascensionis, assumptam humanitatem deposuisse, eamq; in splendenti solis globo collocasse, nixi illo Dauidis oraculo: *In sole posuit tabernaculum suum.* Propter quod Manichæi (teste Augustino) solem adorabant, tanquàm locum quændam sacrum, in quo Christi corpus depositum conquiesceret. Hunc errorem Serapion Episcopus (referente Sixto Senensi 5. Annot. 160.) Origeni, attribuit: quasi & ille tenuerit Christum in die Ascensionis constitisse in sole, nec vltra illum fuisse progressum. Verùm Pampilius martyr in quadam Apologiâ suâ testatur, non modò Origenem in hunc errorem non incidisse, quin potiùs eundem euidenter refutasse, in explanatione illorum verborum: *In sole posuit tabernaculum suum.* Vbi solem & tabernaculum allegoricè exponit, nimirùm per tabernaculum intelligens glorioſum Christi corpus, quòd animæ Christi beatæ, velut tabernaculum & domicilium est; atq; hoc corpus glorioſum, ait Christum posuisse in sole, hoc est; in Persona diuina, quam nomine solis intelligit. Et certè non fuit Origenes immemor doctrinæ Diui Pauli, asserentis: *Ascendit super omnes cœlos.* Quomodò ergò asserens Christum in sole tabernaculum suum posuisse, solem literaliter potuit accipere, quoniam compertum est, vltra solem alios adhuc cœlos existere. Asserit ergo Alexandér Alensis 3. p. q. 23. Christum intra cœlum empyreum sedem suam locasse. Probatq; ex eo fundamento, quia Christus in cœlo corporaliter existens videt omnes Sanctos, & à beatis ibidem corporaliter existentibus videtur. Visio autem fieri nequit, sine speciebus visibilibus, quæ ab obiecto ad potentiam attingere minimè possunt, nisi per diaphanum aliquod corpus pertranseant. Quod cùm vltra vltimum cælum non reperiatur, necesse est concedere Christum intra illud consedisse.

Pſal. 18. Origenes. Epheſ. 4. Alexandr. Alenſis.

Sed hæc ratio Alensis parùm roboris habet. Quoniam sicut per cœlum, ita & per ipsum corpus Christi, aut cuiusuis alterius beati, propter eximiam eorum claritatem, species visibiles diffundi & facilè multiplicari possunt, vsq; ad potentiam visiuam. Veritatem itaque concludit Doctor Angelicus 3. p. q. 57. art. 3. ad 2. asserens totum Christi corpus extrâ vltimam cœlorum sphæram existere. ita quòd pedum plantis, conuexam cœli empyrei superficiem attingat. Cui consonat doctrina D. Pauli, qui de Christo dicit: *Excelsior cœlis factus.* Comprobat Regius vates inquiens. *Ascendisti in altum.* Græci autē interpretes vertunt: *ascendisti in fastigium.*

S. Thomas. Hebr. 7. Pſal. 67.

Ad

Ad quam verò cœli partem fixerit thronum suum Christus, non vsquequaq; compertum est. Aliqui putant ad orientem, iuxta illam Dauidis prophetiam: *Psallite Domino qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.* Psal. 67. Verùm huic asserto opponitur statim contraria doctrina eiusdem vatis, vlteriùs in eodem loquentis Psalmo: *Qui ascendit super occasum Dominus nomen illi.* Ibidem. Verisimile tamen videtur, Christum in medio conuexæ cœli empyrei superficiei thronum posuisse. Nam misso hoc, quòd locus ille medius omnium sit dignissimus. Si Solem omnium Planetarum Principem in medio existere, compertum est; quomodò Christus Dominus, qui est Sol iustitiæ, cœlestem illam Hierusalem illuminans, & in cuius aspectu velut in centro quodam omnes beati conquiescunt, in medio cœlorum thronum gloriæ suæ non debuit locasse. Nam ibi Christus Dominus thronum suum ponere debuit, vbi rebellis Lucifer suum temerè præsumpserat ponere. Locus autem is fuit Aquilo, iuxta illud Scripturæ. *In cœlum ascendam, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis.* Isaiæ 14. Cùm igitur Aquilo medium cœli teneat, in ipso sedem Christi positam esse, censendum est; quod diuino afflatus spiritu, pridem antea prædixerat optimè Rex & Propheta Dauid. *Latera* Psal. 47. inquit, *Aquilonis ciuitas regis magni.* Habet ergo Christus Dominus thronum suum in latere Aquilonis. Sed num in isto throno stet, num certè sedeat, controuersum est. D. Paulus contendit Christum Dominum sedere, dùm inquit: *qui consedere nos fecit in cœlestibus cum Christo.* Ephes. 2. Et luculenter hodiernum Euangelium id ipsum corroborat. *Sedet*, inquit, *ad dexteram Dei.* Marci 16. Verùm nemo ex Sanctis Patribus de corporali Christi consessu loca ista intelligit; sed de gloriæ eius dignitate atq; excellentia supremæ potestatis. Et reuera magnum in Scriptura sacra fundamentum habet hæc veritas, scilicet Christum Dominum super cœlum empyreum stare. Stantem enim illum vidit B. Stephanus: *Video*, inquit, *cœlos apertos & Iesum stantem à dextris Dei.* Actor. 7. Vbi S. Chrysostomus hom. 16. in Acta Apostolorum; licet verbum hoc, *stantem*: optimè possit accipi pro eodem, quod; *existentem.* Nam in tali acceptione verbo isto vsus est Christus, inquiens: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*: hoc est; de hîc existentibus. Matt. 16. Tamen præfatus Doctor, cum plurimis alijs Græcis Patribus, verbum illud *stantem*, pro in pedibus consistentem ad literam exponunt, ex eo fundamento; quia glorioso corporis perfectioni magis congruit, erectum & stantem esse, quàm sedentem. Sessio enim corporibus tantùm fatigatis necessaria, vt cùm defessa sunt, sedendo conquiescant. Cùm ergo glorioſum Christi corpus, omnis lassitudinis sit incapax, stare potiùs illum; quàm sedere congruentia euincit. S. Chryso.

Cæterùm ego vtrumq; Christo Domino attribuendum esse puto. Stat enim, quoties nos ad illum iustificati assurgimus. Nam hæc principalis Christi Domini in cœlum ascendentis fuit intentio, vt nos de terrestribus ad cœlestia erigat. Quemadmodùm docet Scriptura sacra: *Ascendit*, inquit, *pandens iter ante eos, & transibit Rex eorum coram illis.* Michææ 2. Neque enim satis erat, quòd Christus Dominus de limbis tenebrosis eduxisset captiuos; nisi eisdem suâ virtute, cœlum à quinq; millibus annorum clausum reseraret. Ad vrsam maiorem, (quæ stella cœli est alijs fulgentior) quâ, errantes in mari de nocte, disponunt patriæ suæ situm; subduxerat quidam lemma: DVCIT IDEM DEDVCITQVE. Christo Domino in glorioſa eius Ascensione, hoc ipsum quilibet Christianorum subscribere posset. Is enim errantes in nocte peccati, ducit feliciter ad lumen gratiæ, & peregrinantibus inter periculosos mundi anfractus, ad veram æternitatis patriam iter monstrat. Sed nedùm satis? etiam idem deducit vsq; ad thronum gloriæ suæ.

Proinde ſtat homini miſero ſæpiùs dextram porrigendo, & peregrinanti velut indiuiduus comes aſſiſtendo vbique. Verùm ſi impius homo Deo neglecto, peccatis indulgeat, Chriſtus Dominus tanquàm indignabundus, & irâ ſuccenſus ſedet, talem hominem ceu fœdum & vile quoddam animal reſpicere nolens. Quia poſt glorioſam aſcenſionem ad Chriſtum in cœlo reſidentem, non carnalibus, non immundis, ſed caſtis tantùm, & mente prorsùs diuinis, aditus conceditur, vt docuit ipſemet Chriſtus, inquiens ad mulierem: *Noli me tangere, nondùm enim aſcendi ad Patrem meum.* Quaſi diceret: Magdalenam alloquens. Quæ antea peccatrix & carnalis ad me accedebas, pedes vngendo, dùm adhuc in carne mortali conuerſarer: vbi in gloriosâ humanitate cœlos conſcendam, non accedes ad me per ſenſum carnis, ſed in animo priùs benè iuſtificata; & tunc primùm tanges me poſtulatis & ſupplicationibus pijs. Nam quemadmodùm dùm amicus ab amico aliquid petit, & illum tangit, ille tactus neſcio quid energiæ infert, vt amicum facilius ad concedendum permoueat. Quod quidam conſiderans, petenti & tangenti amico appoſuit: *Tangentem vro.* volens ſignificare, quòd dùm petis aliquid à quopiam ad pedes prouolutus, ille tactus non ſecus illum cogit; quàm ignis vrens. Sic planè cùm pœnitens homo petit orando Dominum IESVM, & humiliter in terram proſtratus dicit: Audi Domine indignum peccatorem. Meritò illi opponi poteſt: TANGENTEM VRO: tangit enim Chriſtum potenter, vt Chriſtus ab illa petitione, quaſi igne miſericordiæ incaleſcens, protinus ad annuendum votis illius moueatur.

Habetis igitur Catholici glorioſam Chriſti aſcenſionem, qui in eminentiſſimo diuinitatis throno aſſumptam humanitatem collocauit, vt palam faciat, ſe genus humanum vltra angelicam dignitatem attollere velle. Veneremini igitur feſtiuitatem hanc, quæ eo potiſſimùm fine inſtituta eſt, vt cognoſcat quiſpiam eundem Chriſtum, ſecundùm veram humanitatem conſcendiſſe, qui de virgine natus erat. Ad illum proindè dirigite veſtros animos, vt vobis dextram ſalutarem porrigat, & ex his mortalitatis anguſtijs ad thronum æternæ gloriæ ſubleuet, vbi ipſe ſine fine, cum gloria Dei Patris & vnitate Spiritus Sancti regnaturus eſt

---

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Aſſumptus eſt IESVS in cœlum, & ſedet à dextris Dei. *Marci vltimo.*

Deſcribitur Chriſti aſcendentis triumphus.

IN more ſemper erat quibuſlibet omnium ætatum militiæ præfectis, potentiſſimis ducibus, belli gerendi peritiſſimis Principibus, Regibus magnanimis, atq; inuictis imperatoribus; quò faciliùs ſua geſta & præclara quæque facinora, diuturnæ poſterorum memoriæ commendarent, ſuos clypeos & arma, gentilitio ſplendori inſerere: & in publicis triumphis, inſcriptionibus nouis inſignire. Quæ tanquàm linguæ ac præcones, eorum virtutis, ſtrenuitatis, atq; animi fortitudinis interpretes, illorum heroica facta, futuris annuntiarent ſeculis. Quæ alioqui labilis memoria temporum, aut vetuſtas facilè conſumere poſſet. Vndè Semiramis Aſſyriorum Regina, fœminarum omnium illius temporis clariſſima, quò melius fama eius ad immortalitatem pertingere poſſet, paternis ſtemmatibus, columbam & gladium inſculpta eſſe voluit. Columbâ ſignificare volens, ſe tanquàm Deam ab Aſſyrijs, in columbæ figurâ adorandam; gladio autem potentiam portendebat, atque fortitudinem armorum, quâ pollebat; tùm ad reliquas orbis terrarum nationes ſuo ſubijciendas imperio: tùm

tùm ad regiæ maieſtatis ſuæ legibus obſequendùm, rebelles facilè flectendos. Ægyptij pariter triumphis onuſti & palmis, ad ſua ſtemmata ferociſſimis quibuſdam vtebantur draconibus; quibus feritatem ſuam, ſerpentinâ crudeliorem vindicandi ſe de ſuis inimicis denotarent. Taceo hîc Gallorum arma antiquitùs è tribus bufonibus conſiſtentia, ac demùm in tria candidiſſima lilia conuerſa. Non commemoro Perſarum pharethram & ſagittas, regales Romanorum aquilas, medias Ottomanorum lunas: in quibus nimiùm triumphare videbatur antiquitas. Cùm cæca illa gentilitas, nullas adinuentionibus ſuis res, tantâ admiratione dignas, tantaq; prodigia atque portenta effinxerit: quanta de triumphantis Chriſti myſterio catholica veritas prædicat. Nam ſi magnam laudem mereri videtur Mirmecides, quòd quadrigas eburneas vniùs muſcæ alis tegeret. Si famâ poſterorum celebratur, qui nauem cum totâ ſupellectile, cum remis & anchoris, exiguâ apis pennâ incluſit. Si inter faſtos æternitatis relatus habetur, qui currum ſolis, cum habenis equorum laxatis, cum miſerabili Phàëtontis lapſu, & lacteâ cœlorum viâ aduſtis inſpersâ cineribus, in vnius annuli palâ efformauit. Maioribus profectò dignus eſſet encomijs, qui glorioſum Chriſti aſcendentis triumphum, anguſto humanæ eloquentiæ calamo circumſcribere poſſet. Quem admirari par eſt potiùs & venerari, quàm imbecillâ naſcentis inter mortales facundiæ linguâ obſcurare, nedùm attingere. Quia tamen in communi creaturarum omnium triumpho, lætitiâ non geſtire difficile eſt, & ſilere prorsùs impoſſibilè: ideò aſcendentem vobis hodiè in cœlum deſcribam Ducem, triumphalem eius quadrigam eloquar, comitatumq; & dona clargita recenſebo.

Inter celeberrima cognomina & clariſſima epitheta, quibus Pater æternus Filium ſuum vnigenitum humanâ carne indutum cohoneſtauit, illud antecellere videtur, quo illum ducem nominauit. *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſràël.* Michæ 5. Et apud Danielem: *Ecce dedi eum gentibus ducem & præceptorem.* Daniel. 9.

Tres potiſſimùm conditiones in optimo duce requiruntur, vt ſuo muneri omni ex parte ſatis faciat. Prima, vt in arduis rebus & grauioribus cum hoſte congreſſibus, ipſe primus ante omnes in hoſtem ruat, & belli diſcrimina non formidet. Qualis erat Julius Cæſar, qui volens militum animos inflammare, ad expugnandos fortiter inimicos, his eos allocutus eſt verbis, vt ſcribit Lucanus lib. 9. Pharſaliæ.

Ad magnum virtutis opus, ſummoſq; labores
Primus arenas
Ingrediar, primuſq; gradus in puluere ponam.

Hanc boni ducis conditionem ad vnguem Chriſtum Dominum expleuiſſe, teſtantur luculenter ſacri Euangeliſtæ. Cùm enim iam ad bellum cum immaniſſimo hoſte in monte Caluariæ ineundum cum diſcipulis pergeret; ipſemet Chriſtus tanquàm dux militiæ præibat ante omnes. vt dicit Sacer textus. *Erant autem in via aſcendentes Hieroſolymam, & præcedebat illos Ieſus.* Marci 10. Quam certè magnanimam Chriſti generoſitatem, pulchrè figurabat Dux ille Abimelech in Sacrâ ſcripturâ, qui in præſentiâ ſuorum militum, virgam arboris præcidens, & humero ſuo imponens, dixit eis, *Quod me videtis facere, citò facite.* Quo viſo milites, ſinguli confeſtim, ſingula ligna præciderunt, & proprijs humeris impoſuêre. Chriſtus Dominus pariter, optimi ducis functus officio, vt ſuos fideles in veſtigiorum ſuorum imitationem alliceret; primus lignum crucis humero ſuo imponens, ſuis ſectatoribus dixit: *Si quis vult venire poſt me abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Matt. 16. Altera in optimo duce deſideratur conditio, vt magni æſtimet cuiuſlibet militis vitam & ſalutem: hac enim ratione omnium animos in ſe facilè conuertet, dùm milites intelligent, ducem de eorum vitâ ſollicitam curum

ram gerere. Et hæc certè Christo Domino minimè defuit, qui tantam incolumitatis suorum militum, & indemnitatis eorum curam gessit; vt cùm præuideret hostes tanquàm rabidos canes in eos irruere velle, excellentiæ diuinæ, quâ vigebat, potestate vtens, eis dixerit. *Si ergo me quæritis sinite hos abire.* Magna equidem sollicitudo Christi; perire potiùs maluit ipsemet, quàm vel vnum suorum comitum perdere: Patrem æternum pro eorum salute conseruandâ obnixè postulans: *Pater sancte, conserua eosdem nomine tuo, quos dedisti mihi.* Demùm tertia boni ducis conditio est, singulare studium & sollicitudo, vt dispersi milites congregentur, infirmorum militum vulnera curentur, & victoriæ spolia inter eos diuidantur. Quis hæc omnia in solertissimo duce nostro Christo Iesv non videt. Dispersi erant Apostoli tempore acerbæ eius passionis; eos tamen Christus post suam resurrectionem feliciter in vnum congregauit: referente id Propheta in persona eius: *Visitabo*, inquit, *oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nebulæ & caliginis.* hoc est; passionis tempore, infectæ erant lethali cicatrice mortalium animæ. Sed & lethi malignitatem & morbi, id est; vitiorum infectionem, suâ triumphali ascensione sustulit. *Captiuam duxit captiuitatem* inquit Apostolus: quasi diceret; peccantium animos è seruitute miserâ, in caram libertatem; è tenebrosis carceribus, in publicam lucem; è compedibus & catenis, in æterni cum Deo fœderis & societatis vnionem transtulit. Quod considerans Regius vates, Christum tanquàm optimum ducem, in triumphi gloriam & splendorem euocat: *Synagoga*, inquit, *populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere.* Quasi diceret: ascende in cœlum victor Christe Iesv propter vtramq; Synagogam, & amantium te, & odientium: sed diuerso fine. Nam propter credentium & amantium Synagogam, in altum regredere, vt eis ab alto mittas Spiritum Sanctum: quemadmodùm promisisti: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eũ ad vos.* Verùm etiam in altum regredere, propter Synagogam persequentium te, vt inde iudicium vltionis in eos exerceas. Et profecto tot victoris de morte & inferno debellato, relatis, onustum Christum, decebat in triumphalem æterni Patris redire dexteram.

Si enim Pœtæ finxerunt antiquissimum illum Dædalum, de homicidio iniustè accusatum, è fortissimâ arce, muris vndiq; circumuallatâ, alarum suarum ministerio prouolasse in aërem, & ad polorum axem conscendisse. Si Perseum Iouis filium, peremptâ Medusâ serpente, cuius aspectus homines in lapides conuertebat; in argumentum tàm celebris & insignis victoriæ, ab hoc infimo mundi hemisphærio, ad cœlos transferri meruisse. Si Bellerophontẽ Glauci Regis Ephyræ filium, post deiectum ferocissimum Himæræ monstrum, & apertum vngulâ Pegasi admirabilem illum Hypocrenes fontem, ad cœlestium consortia, glorioſum & triumphantem pariter fuisse delatum. Quantò magis decuit Christum Dominum, qui, non vt fictus Dædalus, sed tanquam verus omnipotentis Dei Filius, non modò innocenter accusatus, verùm etiam turpissimè condemnatus erat ad crucis mortem. Qui, non iam venenosum aliquem serpentem, (vt Perseus) sed dæmonem ipsum, ferociſſimumq; draconem, mortem videlicet; prostrauit: in præmium tàm illustris, tàmq; insignis victoriæ, glorioſum atq; triumphantem ad altissimos diuini domicilij recessus, decuit inquam remeasse. Qui non iam fabuloso aliquo Pegaso, sed glorioſi corporis sui immortalis equo subnixus, feroci illâ belluâ (mundum intelligo) debellatâ, aperuit documentis suæ doctrinæ, præclarum illum diuinæ sapientiæ fontem: vbi non musæ Pœtis cognitæ, sed Christianæ animæ com-

Ioan. 18.

Ephes. 4.

Psal. 7.

Ioan. 16.

mæ commorantur, cum ingenti cœ- A mortalium animos nutrit & educat.
lestium omnium iubilo atq; applausu. Scilicet; Christum & Spiritum Sanctum. Quod sapienter edixisse videtur Propheta, inquiens. *Ego lactabo eam.* Quasi diceret: ego vbera mea lactanda exhibebo animæ fideli, vnum, per intellectum, quod est sapientia incarnata: alterum, per voluntatem meam profluens, quod est Spiritus Sanctus. Ac proinde quia iam mundus de primo vbere, (scilicet incarnato Dei Filio) satis abundè gustauit redemptionem, & sacro B doctrinæ eius lacte abundè pastus est. Ideò iam in triumphantis Ascensionis die, illud nobis occultat & subtrahit; vt alterum vber, videlicet; Spiritum Sanctum, qui iam proximè venturus est, nobis detegat lactandum, atq; diuiuæ eius dulcedinis & solatij lac sugendum proponat. Non igitur vt terræ aliquid adimat, sed vt potiùs eam suis beneficijs pleniùs impinguet, & suam compleat victoriam, in cœlum regreditur Christus.

Oseæ 2.

Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Rectè pariter non nemo argumentabitur: Sic Deus odit mundum, vt filium suum vnigenitum auferat ab eo. Nam si Indiæ omnia auri atq; argenti pondera, inde exportata auferantur, quàm inops, quàm pauper, quàm deniq; omnibus destituta remaneret Hispania. Si mare omnium aquarũ, fluminum, fontium scaturientium, ac insigniorum fluminum ex eo profluentium restitutionem postularet; quàm sicca, quàm infæcunda subitò C appareret terra. Si deniq; cœlum ipsum suum occultaret solem, & splendidissimum fulgurantis aurei sideris iubar, nostro aspectui subtraheret. quàm obscurum, quàm miserum, quàm lugubrem hunc orbem redderet. At nonne magis proficuus & necessarius est Ecclesiæ catholicæ Christus Dominus; quàm aurum & argentum Hispaniæ, quàm aqua vniuerso orbi; quàm Sol toti mundo. Si igitur illum nobis aufert Pater æternus, consequens est, vt in summâ D rerum omnium egestate, in sterilitate assiduâ, in perpetuis deniq; tenebris versemur. Sed ne in suspicionem abeat opinantium imbecillitas: certum est, Patrem æternum ita nobiscum procedere in gloriosâ Christi ascensione, sicut nutrix cum tenero infante, cui, postquàm satis ex altero vberum exsuxerit, illud abscondit; alterum ei detegens, vt paruulus infans amborum vberum beneficio potiatur. Deus pariter immensus duo præstantissima habet vbera, quibus

Inter cæteras enim Principum res generosè & gloriosè gestas, ea sanè vel maxima est, victorias inceptas strenuè prosequi, nec ab illarum incæpto, vllatenùs desistere, quousq; sua victricia insignia, in altissimæ turris vertice, vbi hostis sua defixerat, collocauerint. Omnium maximus atq; antiquissimus Christi hostium fuit Lucifer, teste Saerâ paginâ. *Ille,* inquit, *à principio homicida erat.* Quasi diceret in personâ Christi. Ille à principio quo me cognouit, semper me sibi infensum habuit, & inexstinguibili siti sanguinem meum ebibendi, ardentissimeq; mihi vitam adimendi, desiderio semper æstuabat. Et quia truculentus hic hostis in empyreo orbe, cœlorum omnium eminentissimo, signa vexillaq; sua erexerat, super astra cœli & in lateribus Aquilonis sedem suam locare satagens: ideo Christus Dominus truculentum istum tyrannum, tàm insigni victoriâ persequi voluit, vt à molestâ illius infestatione non priùs desisterit; quousq; vexilla & insignia sua in eodem loco, ad quem Lucifer

Ioan. 8.

ascen-

aſcendere ſuperbè tentauerat, glorioſiùs extuliſſet, & in eo triumphans conſederet. vt docet Sanctus
Marci. vlt. Euangeliſta. *Aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris virtutis Dei.* Sed vlteriùs ad triumphalem Chriſti quadrigam procedamus.

Progreditur iam triumphans Chriſtus, nobiliſſimâ pompæ triumphalis gloriâ ſtipatus. Progreditur inquam non in curru Pharaonis, quo vectus Ioſeph triumphauit. Non in Rhedâ Gedeonis: ſed in nobiliori eſſedo, ſcilicet; in nube lucidâ: quemadmodùm dicit Sacer textus:
Ibidem. *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Quæ adeò lucida erat, vt Sanctus Ambroſius dixerit. *Nec enim poterat obſcura eſſe, vel tenebroſa, quia ſcriptum*
Ambroſius Serm. 61. *eſt; & tenebræ eam non comprehenderunt: tenebræ enim lucem geſtare non poterant.* Vbi Caietanus ſuper caput 1.
Caietanus. Actorum, aſſerit nubem illam non fuiſſe veram, ſed quoſdam micantes radios, è glorioſo Chriſti triumphantis corpore exeuntes. Nihilominus
Abulenſis. tamen Abulenſis, & communis Doctorum opinio, veram fuiſſe nubem concludit. Quod facilè deducitur ex
Actor. 1. illis Angeli verbis. *Sic veniet quemadmodùm vidiſtis eum.* Ac proinde cùm in ſecundo aduentu Chriſtus Dominus venturus ſit in nube verâ, quemadmodùm ipſemet prædixit, inquiens: *Videbunt Filium hominis in nu-*
Ibidem. *bibus cœli.* Conſentaneum quoque Chriſtum Dominum in verâ nube aſcendiſſe in cœlum, quæ non tantùm ſub eius pedibus erat, ſcabelli loco; (vt aliqui opinantur) verùm à vertice vſq; ad plantas vndiq; ipſum circumdabat, vt innuit Tertullianus
Tertullia. aſſerens de Aſcenſione. *Circumfuſa*, inquit, *nube in cœlum raptus eſt.*

Ferunt Sacræ literæ, quòd poſtquàm Moyſes omnem ornatum, quem Deus ei mandauerat, in templo poſuiſſet, nubes quædam è cœlo delapſa tabernaculum operuerit. *Poſt-*
Exodi 40. *quam* (ait Sacer textus) *perfecta ſunt omnia, nubes cooperuit tabernaculum.* Sic planè Chriſto Domino hodiè euenit, qui poſtquàm omnia Eccleſiæ A ſuæ neceſſaria copioſiſſimè prouidit, doctrinam Euangelicam diuulgauit, Sacramenta inſtituit, Epiſcopos creauit, infeſtiſſimos hoſtes relegauit: vbi iam planè omnibus comparatis, tandem deſcendit nubes quædam cælitùs delapſa, quæ ſacratiſſimi illius corporis tabernaculum operuit. Et certè decebat, vt cùm ſacratiſſimum Chriſti corpus eſſet tabernaculum, non operâ hominum factum; ſed omnipotentis Dei manibus, ſcilicet; Spiritus Sancti, fabricatum. teſte
B Sacrâ paginâ: *Sanctuarium tuum, quod* Exodi 15. *formauerunt manus tuæ.* Quem locum Origenes de Chriſti corpore interpretatur, vt inquit quadriga ipſius Origenes hom. 16. triumphalis foret, non humanâ induſtriâ conſtructa; ſed virtute Dei è nubibus formata. O admirandus certe triumphus! ſtupenda ſplendoris maieſtas! vbi totus apparatus, è propriâ conficitur gloriâ: vbi triumphalis currus ex depuratâ nebularum materiâ à terrena craſſitie, conficitur: & non auro radiat, ſed
C fulgore cœleſti; non ebore ſplendet, ſed radio ſubtili. Hac puto de cauſâ Eccleſia ſancta, ſolam Chriſti Aſcenſionem inter omnia eius myſteria, diebus Rogationum admirabilem decantat. adeò, vt licet Chriſti Incarnatio admirabile eſſet opus, vbi duæ in vno ſuppoſito copulantur naturæ. Licet fuerit res prodigioſa, auctorem vitæ in ligno crucis emori: Licet portento ſimile apparuerit, hominem propriæ virtutis viribus reſurgere! ſolum nihilominùs Aſcen-
D ſionis myſterium, admirabile vocauit Sancta Eccleſia: *Per admirabilem*, inquiens, *aſcenſionem tuam.* Quia tunc primùm mundus in omnimodam raptus eſt admirationem, quando vltimum Chriſti gloriæ complementum in triumpho aſcenſionis conſpexit. Quamdiu enim Chriſtum inter homines commorantem vidit; tamdiu initia eius iudicabat: quæ non tanti ſolent eſſe ponderis; quàm ipſa conſummatio, aut finis coronatus. Hinc facilè quiſpiam mortalium diſcere poteſt, non eſſe rem adeò admirabilem,

lem, & diuino conspectui super omnia gratissimam, rectè viuendi iter instituere; quàm in finem vsq; perseuerare. quemadmodùm docet Apostolus, inquiens: *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Ac proinde laudabile quidem opus faciunt homines, qui semel atq; iterum iniquitatum laqueis soluuntur, qui cum verâ compunctione animi, de peccatis confitentur: tunc enim rectè viuendi initium sumunt. Verùm si vsq; in finem strenuè perseuerent, atq; constanter, sine aliquâ mortalium peccatorum noxâ, vsq; ad extremum vitæ spiritum perdurent, hoc opus, hic labor: hoc rarum, hoc admirabile: hoc apud Deum in summo pretio, summaq; æstimatione habetur.

Matt. 10. & 24.

Duas hîc Doctores assignant causas, propter quas Christus Dominus in nube ascenderit. Primò, vt se ostenderet singularem esse protectorem hominum, quos per nubem semper tuetur. Ita sentire videtur S. Ambrosius Serm. 61. *Semper*, inquit, *Deus per iniurias perducit ad requiem, protegit nubis vmbraculo, sicut filios Israël liberatos de Ægypto nubis cœlum protexit, & vt post multum laborem in terram promissionis induceret, expandit nubem in protectionem eorum.* Beda tamen & Theophylactus, censent Christum in sua Ascensione ideo nube vsum fuisse, vt se nobis demonstraret verum esse Deum, siquidem nubes semper habitæ sunt pro loco proprio atq; domicilio Dei, ideoq; in illis apparere consueuerat, & loqui Prophetis. In nube enim Deus apparuit Moysi, vt dicit Sacer textus. *Et descendit Deus per nubem & locutus est ad eum.* In nube conueniebat Aaronem. *Ecce gloria Domini apparuit in nube.* In nube manifestauit se super propitiatorium. *In nube apparebat super oraculum.* Hic est proinde currus eius triumphalis, hic thronus maiestati eius debitus, quo superat omnes triumphantium mundi Principum pompas, vt decantat Regius vates. *Quis in nubibus æquabitur Domino.* Constituit se hodiè ducem nostrum Christus, vt liberum faciat aditum ad cæleste gloriam, & æternæ beatitudinis portas in diem vsq; ascensionis obseratas, omnibus pandat.

S. Ambro.

Num. 15.

Leuit. 16.

Isaiæ 91.

Psal. 88.

Mirabile quidpiam recensent Naturalistæ de Grypho, cuius speciem tàm portentosam esse dicunt, vt pedibus agno, pectore ac humeris leoni, facie verò aquilæ similis sit. Egregium certè Christi Symbolum, & quasi viua eius effigies, ad amussim illum repræsentans. Fuit enim Christus Dominus in natiuitate ac passione sua agno similis, quia vt dicit Propheta: *Tanquàm ouis ad occisionem ductus est*, & sicut *agnus coram tondente se obmutuit.* Exstitit in resurrectione suâ, forti ac generoso leoni similis: *Vicit leo de tribu Iuda.* In ascensione verò apparuit instar regalis aquilæ: nam quemadmodùm aquila pullis suis se ducem exhibet, ad docendum eos & volare, & terræ clima atq; temperiem, aliaq; sibi conducibilia inuestigare. Ita planè Christus in triumphante suæ ascensionis die, tanquàm Princeps quædam aquila, regali suo volatu, nos ad æternam beatitudinem ducit, instituit, & excitat. vt omnem ingenij nostri aciem ad volandum in cœlum conferamus. Ad illas profectò æternas cœlestiũ mansiones omnia nostra desideria, omnia studia aspirare debent. Sed necdùm satis est, desiderium habere ascendendi in cœlum, nisi etiam huic desiderio opera nostra correspondeant. Triumphans enim cœli porta, non aperitur in peccatorum fæcibus permanenti, & voluptatum cæno sese immergenti. Verum si cum Christo triumphante ad æthera conscendere desideras, peccatorum sarcinam deponas, necessum est. Nisi enim veteris prauitatis pennas antiquas euulseris, fieri minimè potest, vt tibi nouæ ad volandum in cœlos pennæ renascantur. D. Isidorus Aquilam eius esse ingenij docet, vt solo naturæ edocta instinctu, pullos suos è nido ad sublimiùs volandum, non priùs euocet, donec veteres plumas, putri-

Isaiæ 53.

Apoc. 5.

Isidorus.

doſq; pilos exuerint. Eadem fermè ratione vobis omnibus perſuaſum eſſe velim, Chriſtum paris cum ingeniosâ aquilâ conditionis eſſe, vt ad cœleſtium mentium conſortia neminem admittat, niſi prius corruptos antiquæ turpitudinis pilos, vetereſq; ſuæ vanitatis plumas, atque effrænis licentiæ & nimiæ liberalitatis pennas præſciderit. Quod doctè innuit Sanctus Hieronymus Paulæ & Euſtachio ſcribens. *Aula*, inquit, *cœleſtis non ſuſcipit, niſi Sanctos, ſimplices, & iuſtos.* S. Hieron. Hæ ſunt conditiones, hæ qualitates, hæc requiſita, ad æternæ beatitudinis gloriam conſequendam neceſſaria: cogitationum ſanctitas, verborum ſinceritas, & operum (quæ cum lege Dei conſentanea ſunt) iuſtitia. Et noſtra obſecro ſanctitas atq; animi puritas, qualis eſt nunc? talis certè, vt vixdùm peruerſa cogitatio mentem pulſet, eidem ſubitò illicitus voluntatis conſenſus acquieſcat. Qualis eſt verborum noſtrorum ſinceritas? certè non alia; niſi vt alterum bifrontem Ianum, amicum publicè, inimicum priuatim; foris laudatorem, domi maledicum, exprimamus. Qualia ſunt opera noſtra, perpendamus diligentiùs? ea profectò: non orationi vacare, non inopi ſubuenire, non caſtitatem ſectari; ſed in ſummâ libertate atq; diſſolutione, in nimiâ morum licentiâ vitam trahere, & ſummis periculis æternam ſalutem exponere.

Deſunt igitur nobis plurimæ conditiones, vt valeamus cum triumphante Chriſto feliciter aſcendere; quia non ponderamus verba Magni Doctoris, S. Hieronymi: *Aula cœleſtis non ſuſcipit, niſi Sanctos, niſi ſimplices, niſi iuſtos.* Idem qui ſupra. Sed in hodierno triumpho, tolle Chriſte IESV tantam obſtinatæ mentis noſtræ peruerſitatem: illuceſcat tua clementia, & pijſſima viſcera pateant, vt eum nobis peccatoribus non aliter te hodiè geras, quàm regia Aquila cum ſuis pullis. Quæ teſte Ariſtotele, Plinio, & Ælianò, de variâ hiſtoriâ, cùm videt pullos ſuos quaſi nido affixos, ſponte ſuâ egredi nolle, roſtro eos pungens, inde per vim expellit, atq; ad volandum cogit. Vtinam pariter & Chriſtus de noſtrâ ſalute nimiùm ſollicitus, cùm videt nos de peccatorum tenebris ſurgere nolle: cùm cernit deprauatæ peccantium menti, nec antidota ſuauiſſima diuinarum inſpirationum, nec recta confeſſorum conſilia, nec viuas prædicantium voces, quidquam prodeſſe. Vt inquam nos è mortifero prauitatum nido, cui tenaciter adhæremus, roſtro ſuæ gratiæ, tanquàm magnanimus triumphator expellat. Cui vt faciliùs rebellis noſtra voluntas obſecundet, iam triumphantis comitatum circumſpiciamus.

Ælianus. Plinius. Ariſtoteles

Magnus profectò Chriſti aſcendentis triumphus, ſumma maieſtas, ſtupendus apparatus, admirabilis pompa. adeò, vt ſi ab illo opes & munera deſideres: Quid illo opulentius? Amaltheæ cornu omni copiâ refertum geſtat, cuius fæcunditate vaſtiſſimum cœli & terræ ambitum replet. Si ornatum deſideras; Sole fulgentior eſt? Si aulicorum comitatum quæris? celeberrimo illum gloria & potentia ſtipant ſplendore. Si ſpectantium multitudinem cupis videre? vniuerſæ in occurſum eius effunduntur creatutæ, iuxta Prophetæ vaticinium: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus domini, in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Iſaiæ 2. Adeò; vt ſi omnia Chriſti opera, attentâ mentis acie perluſtrauerimus, in omnibus ijs tantùm diuinitatis eius vmbram; in ſolâ Aſcenſione ſplendidiſſimos triumphantis eius gloriæ radios, cognoſcemus. Magna erat illius gloriæ oſtentatio, cùm ei in præſepio recens nato, & frigoris aſperitate trementi, Angeli è cœlo deſcendentes miniſtrarent, quin & bruta animantia. Magna fuit potentia, cùm fugiens in Ægyptum, omnia idola deſtrueret, & dæmonum elingues redderet linguas. Verùm ſigna hæc atq; portenta inaudita, vmbra quædam fuêre, diuinitatem

tem eius obtegens. In ipſa primùm triumphantis Aſcenſionis die, ita lucidos ſuæ gloriæ emiſit radios; vt tota hæc rerum vniuerſitas, creatorem ſuum ac Dominum, illum agnoſceret. Tunc enim homines, è monte Oliueti, tanquàm æterni Patris Filium, illum adorârunt. Tunc âër, lucem & ſerenitatem ſuam induit: cœleſtia corpora nouis ſplendoribus coruſcare cœperunt: Angeli ſuâ laudum hymnorumque harmoniâ obuiam proceſſerunt. Omnes denique creaturæ, vnanimiter hodierno die Chriſtum vt Deum veneratæ ſunt: & ipſe Pater æternus, illum eſſe ſuum naturalem Filium palam faſſus eſt.

Plutarch⁹. Tradunt Plutarchus & Tranquillus, neminem Romanorum triumphi gloriâ potiri valuiſſe; niſi, qui quinq; millia hominum in bello occidiſſet. Hinc Iulius Cæſar, noluit triumphans, vrbis portam ingredi, antequam quinq; illas inſignes obtinuiſſet victorias. Primam Gallicam, ſecundam Alexandrinam, tertiam Ponticam, quartam Africanam, quintam Hiſpalenſem. Chriſtus Dominus pariter, triumphans cœli portas ingredi noluit, quouſq; de quinque infeſtiſſimis hoſtibus victor euaſiſſet. ſcilicet; de dæmone, mundo, peccato, morte, & populo Hebræo

Iſidorus. D. etiam Iſidorus refert, quòd triumphus apud Romanos celebrari non potuerit, abſq; totius ſenatus conſenſu & vnanimi ſuffragio. Chriſti aſcendentis triumpho, non ſolum conſenſit Senatus Angelorum omniũ concordi ſuffragio, ſed illum quantùm potuit, auxit; & ſplendidiorem reddidit, omnibus victoriam triumphantis inclamantibus. Addit vltra

Iſidorus. D. Iſidorus, apud Romanos moris fuiſſe, triumphantem purpurâ indutum, coronâ laureâ redimitum, & manu ſceptrum, cuius vertici aquila inſidebat, geſtantem incedere, & tandem in curru triumphali, vſque ad Jouis capitolium duci. Vbi inſignis orator eloquentiſſimam orationem, multis encomijs triumphantem, ad cælum vſq; efferens, declamabat. In Chriſti aſcendentis triumpho, quis hæc ad amuſſim fieri non videt. Primò etenim verbum diuinum carnis purpurâ indutum aſcendit, cui Angeli acclamant: *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum.* Procedit fulgentiſſimâ coronâ redimitum: *Gloriâ & honore coronaſti eum.* Geſtat in manu gloriosâ imperij ſceptrum; ad cuius erectionem cœlum & terra ſtupefacta cadunt. Stipat currum eius triumphalem innumera cœlicolarum caterua, teſte Regio vate. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium.* Adſunt ad magnificam oſtentationis pompam captiui, quos ſecum ducit, vt fatetur Doctor gentium D. Paulus, inquiens: *captiuam duxit captiuitatem.* Sed non more aliorum triumphantium ſeruituti addicendam; verum in libertatem dandam. Quia nouus triumphator Chriſtus, non venit captiuare & opprimere: ſed liberare, redimere, & conſolari. Ac tandem ad capitolium non fabuloſi Pœtarum Iouis, ſed ad ipſam æterni Patris dextram conſcendit. vbi adeſt non vnus Orator, ſed tot diſertiſſimi & eloquentiſſimi Philologi, quot ſunt ſpiritus Angelici, qui triumphantem ſummis encomijs laudant, acclamantes illud S. Ioannis. *Qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium.* Deniq; Romanis olim conſuetudo erat, vt peracto triumpho, his qui interfuerant, dona largirentur triumphatores: Chriſtus quoq; Dominus, confecto ſuæ aſcenſionis triumpho, elargitur hodie toti mundo inæſtimabilia munera: *Dedit dona hominibus.* Elargitur fidem, vt iam illo in cœlos abeunte, quem corporis oculis non cernimus, firmiorem eius fidem habeamus. Docet enim D. Hilarius hom. de Aſcenſione: quòd Chriſti diſcipuli, dùm continuam ſocietatem cum Chriſto peragerent, illiuſq; & conſuetudinis & familiaritatis conſortio fruerentur, modicæ fidei ſemper exſtitiſſent: illo verò iam abſente, non modo diuinorum myſteriorum indefeſſi præcones, ac ſacroſanctæ fidei magiſtri,

Iſaiæ 63.

Pſal. 8.

Pſal. 67.

Apoc. 9.

Epheſ. 4.

ſtri, ſed Catholicæ Religionis columnæ adeò ſolidæ exſtiterunt, vt tyrannorum rabiem, inuictâ animi fortitudine, Chriſtum confitendo, tulerint. Sic planè vniuerſa fidelium multitudo hæſitaſſet in fide, ſi præſentem ſemper haberet Chriſtum. Quemadmodùm luna quò remotiùs à ſole recedit, eò plus luminis participat. Non abſimili ratione Eccleſia Sancta, quò longiùs à ſe videt Chriſtum aſcendere, eo firmiùs in eius fide radicatur. Elargitur Chriſtus in hoc ſuæ aſcenſionis triumpho ſpem, quòd eius adiuuante gratiâ in cœlos ſimus conſcenſuri. vt docet S. Leo Serm. 1. de Aſcenſione. *Chriſti*, inquit, *aſcenſio noſtra prouectio eſt; & quò proceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis: hodiè enim non ſolùm paradiſi poſſeſſiones, ſed etiam cœlorum ſuperna in Chriſto penetrauimus.* Quod comprobat D. Auguſtinus in Soliloq. 15. inquiens: *vbi portio mea regnat, ibi me glorioſum agnoſco. vbi ſanguis meus dominatur, ibi me dominari ſentio: & quamuis peccator ſum, de hac communi gratiâ non diffido.* Quaſi diceret: Cùm præmium hoc Chriſto capiti noſtro tribuitur, omnibus corporis membris adeò cõmune eſt, vt illius triumpho non imerito dicamur nos triumphare: illius coronâ, coronari: illius deniq; gloriâ glorificari. Elargitur charitatem: quia cùm ſit theſaurus omnium fidelium, illuc noſtrum euocat deſiderium & amorem, vbi ipſe reſidet.

S. Leo.

S. Auguſt.

Oſtendi igitur vobis triumphantem ducem Chriſtum Iesvm. Oſtendi quadrigam eius triumphalem, nubem lucidam. Oſtendi comitatum, gloriam & pompam, & omnes totius mundi creaturas. Oſtendi dona, fidem, ſpem, charitatem, nobis erogata. Ecquis igitur erit, qui non ſummâ in hoc triumpho geſtiat lætitiâ: qui non omni dilectionis ſuccendatur amore. Si enim duo illi Lacedæmonij Chilus & Ephodius, cùm viderent quatuor ſuos filios, laureis coronis redimitos, ob victoriam in Olympicis ludis reportatam, tanto correpti fuêre gaudio, vt animam exhalarint. Et vos hodiè Chriſtum non è ludis Olympicis, ſed è monte Caluariæ, cum victoriâ veſtræ ſalutis partâ, aſcendentem in æterni Patris dextram, adeò ſolenni lætitiæ pompâ proſequimini, vt æternùm cum illo poſſitis tripudiare.

EODEM DIE CONCIO TERTIA.

Sedet à dexteram virtutis Dei.

Chriſtum ad dexteram Patris ſedere, eſt eiuſdem maieſtatis, æqualis gloriæ, ac honoris eſſe cum Patre.

TAnta erat Chriſti Domini, pro æterni Patris gloriâ ſolicitudo, vt non quæ ſua erant, ſed quæ Patris, omni ſtudio quærere voluerit. *Ego non quæro gloriam meam, ſed eius, qui miſit me.* Hinc fundens preces ad Patrem pro diſcipulis, dicebet Ioan. 17. *Sanctifica eos in veritate*, in quibus verbis rogabat, vt in ipſo Chriſto, qui veritas eſt, ſanctificarentur. quemadmodùm exponunt omnes Sancti Patres, & ideò ſtatim ſubiunxit. *Sermo tuus veritas eſt.* Quæ verba Venerabilis Beda ita exponit: *Quid aliud dixit, quàm ego veritas ſum? Græcum quippè Euangelium λόγος habet, quod etiam ibi legitur, vbi dictum eſt. In principio erat verbum. Vnde & hic poni poteſt, & in quibuſdam codicibus poſitum eſt, verbum tuum veritas eſt.* Sed obſtupeſcite, nouum dicendi modum, *Sermo tuus veritas eſt.* Nonne potiùs conueniebat dicere: *Ego ſum veritas.* Ita quidem videtur eſſe, verùm hoc non adeò ad guſtum Chriſti accedebat, Patris gloriam atq; honorem in ſingulis voculis indeſinenter conſiderantis, & ſtudioſè quærentis. Maluit itaq; Chriſtus dicere, *Sermo tuus veritas eſt*: quaſi apertè innueret, ſum quidem ego veritas, in qua homines ſanctificari oporteat, ſed quidquid ſum, à te ſum, & tibi id adſcribendum

Ioan. 17.

Beda.

dum censeo, vt tu ea de causa laude afficiaris. Considerate quoque Patrem, ijsdem passibus, non quæ sua, sed quæ filij, similiter curantem. Et enim quemadmodùm Filius doctrinam suam, non suam, sed Patris esse dicebat. Ioan. 7. *Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me.* eò quòd Patris verbum, & sapientia ipse esset; ita Pater hominibus, ipsumet Christum, vt summum Doctorem audire præcepit, Matt. 17. *Ipsum audite.* Cur obsecro ipsum potiùs audiendum præscribis Domine, & non te, cùm sit filius tuus, & verbum tuum? ne miremini: potiùs enim Pater volebat considerari Christum reapsè sapientiam summam esse; quàm quòd ex se esset, & ideò ipsum, non se, audiri mandauit. Vicem ergo non semel, sed semper, indesinenter rependens Pater, *quærebat gloriam Christi, in quolibet susceptientium illum.* Vt docet Origenes in Catena S. Thomæ ad cap. 6. Ioan. nec priùs destitit, donec triumphantem Christum ad dexteram suam collocaret. Cuius pulchram rationem reddit S. Ambro. lib. 3. de Fide cap. 7. affirmans, vidisse Patrem futuram Hæreticorum superstitionem, qui vt ipsiusmet Patris diuinitatem efferrent, Filij dignitatem, iniustè deprimebant. Ac proinde, quò magis illi pro Patre decertantes, ius Filij diminuabant, eò ipsemet Pater, quasi iuri suo cedens, vrbaniùs & honorificentiùs cum filio agere voluit. Ita censet D. Ambrosius citatus. *Semper*, inquit, *ad dexteram Filius sedet; nunquid melior Filius Patre? non hoc dicimus, sed charitas Dei honorat, humana iniquitas derogat, sciuit Pater ferendas esse de Filio quæstiones, præbuit nobis, quod sequeremur pietatis exemplum, ne filio derogemus.* Ecce Patris cum Filio, Filij cum Patre de gloria, & honore alteri personæ deferendo, mutuam concertationem, vt hinc intelligamus, id proprium veræ diuinæq; magnitudinis esse, non se supra alium efferre, sed proprio potiùs iuri cedendo, alium magis ac magis honorare.

Matt. 17. — S. Ambro.

Propter quod teste Theophylacto, hanc diuinarum personarum concordiam, claritatem appellabat Christus Ioan. 17. inquiens: *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum.* Theophylactus exponit: *gloriam concordiæ dedi eis, scilicet, vt sint vnum; ista enim maior gloria est, quàm ea, qua signorum. Nam sicut & Deum admiramur, quia non est seditio, neq; pugna in natura eius, & maxima ista gloria est, ita & illi, à concordia dico fiant clari.* Considerabimus itaq; quid sit, Christum ad dexteram Patris sedere.

Ioan. 17. — Theophyl.

Torsit multorum capita, quid sit hæc Patris dextera, ad quam Christus in glorioſa sua ascensione dicitur consedisse. Arriani enim per dexteram Patris intelligunt ipsam eius diuinitatem, & ideò negant Christum esse verum Deum, quoniam non nisi post ascensionem, ad dexteram Dei sedisse dicitur; cùm tamen personæ diuinæ repugnet non semper sedere à dextris Dei; iam enim eo ipso Deus non esset. Sed errant grauiter: sessio enim ad dexteram Patris, non est ipsamet diuinitas, sed honor diuinitati debitus. Et ideò si loquamur de persona Christi diuina secundùm se, indubitatum est, eam semper fuisse apud Deum, & ad dexteram Dei, non solùm ante resurrectionem, & ascensionem, sed etiam ab æterno, iuxta illud Ioan. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Cuius sufficientissima ratio habetur, quia personæ diuinæ, cùm sint naturâ vnum, sunt à se inseparabiles, vnaq; in alia, & apud aliam dicitur esse. At verò si de persona Christi ratione naturæ humanæ hoc intelligatur, fateri debemus, Christum nonnisi post suum in cœlos ascensum, sedisse ad dexteram Dei, siquidem in cœlo, vbi dextera Dei indicatur, non ante suum in cœlum ascensum fuerat. Fuit nihilominùs in terra semper dignissimus, vt ad dexteram Dei, si vellet, sederet, tanquàm verus Deus, & verus Dei Filius.

Sessio ad dexteram Patris quid sit. — Ioan. 1.

Per dexteram itaq; Patris, significatur

ficatur eadem cum ipso dignitas & honor, æqualisq; maiestatis ac principatûs Christus cum Patre esse. Hæc est mens D. Basilij lib. 1. aduersus Eunomium inquientis : *Praterea si Dei,* S. Basilius. *vt nos quidem credimus, dignitatis nomen est, à dextris determinata Filio Patris sedes, quid aliud, quàm dignitatis æqualitatem significat.* Idem censet S. Athanasius orat. 7. contra Arianos. S. Athan. *Et ad dexteram sedens, non ad sinistram sedentem Patrem habet; sed ideo hoc dictum, vt quod dextrum ac magnificum est, ac Patri adscribitur, hoc ipsum quod & Filius habeat.* Comprobat hanc veritatem S. Ambrosius ad Hebr. 1. loquens : S. Ambro. *Confessus enim nihil demonstrat aliud, nisi honoris æqualitatem : Si enim minorationem vellet ostendere, nunquàm diceret, ad dexteram, sed potiùs ad sinistram eum sedere.* Quod magis adhuc declarat Serm. 60. *Nec*, ait, *mirum, si vnius sedis offertur. Filio confessus à Patre, qui vnius est substantiæ, & naturæ cum Patre. Cur autem ad dexteram Filius esse dicatur, mouet aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo diuinitatis est; tamen ideò ad dexteram sedet Filius, non quò præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur.* Quod palam innuere voluit Deus Psal. 109. Filium alloquens : *Sede* Psal. 109. *à dextris meis.* Quæ verba S. Remigius apud S. Thomam in Catena sic exponit. *Quod dicitur sede à dextris* S. Remigi. *meis, non intelligendum est, quòd Deus corporeus sit, vt dexteram, aut sinistram habeat; sed à dextris Dei sedere est, in honore & æqualitate paternæ dignitatis manere.* Subscribit demùm S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 2. *Per pater-* S. Damasc. *næ*, inquit, *dexteræ vocabulum, nihil aliud significamus, quàm diuinitatis honorem atq; gloriam, in qua cum Dei Filius, vt Deus eiusdemq; cum Patre substantiæ, ante sæcula esset, ad extremum incarnatus, corporeusq; modò considet, in eandem nimirum gloriã adscitã ipsius carne, vna etenim eademq; cũ sua carne adoratione ab omnibus rebus conditis adoratur.*

Et profectò, Christo Domino talis gloria, & sessio ad dextram Patris, non solùm vt Deo, sed etiam vt homini debebatur ex iustitia. Nam licet inter Deum & hominem ptopriè & in rigore non reperiatur iustitia, propterea, quòd per iustitiam vnus fiat debitor alteriùs. Deus autem non potest effici debitor creaturæ, neq; illi obligari, siquidem debitor, in quantum debitor, est inferior creditore; Deus autem est supra omnia. Deinde, quia debitor non persoluens debitum, facit iniuriam creditori; Deus autem nulli potest facere iniuriam, etiamsi omnes beatos repelleret à sua beatitudine, cùm omnia sint sub potestate & possessione eius. Insuper quia Deus est Dominus totius vniuersi, proindè nullâ creaturâ indiget, nihilq; ab ea potest recipere, quod cedat in vtilitatem ipsius. Vt fatetur Apostolus Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus.* Quod ingeniosè tetigit Aristoteles 6. & 8. Ethic. cap. 14. affirmans, parentes, non dici propriè debitores filijs, quia quidquid est filius, est ipsius Patris. ergo multò magis Deus, non potest dici debitor creaturæ, alias non haberet plenum & liberum totius mundi dominium. Nihilominùs tamen inter Deum & creaturam, datur aliqua ratio iustitiæ, si consideremus illud æquale, quod pertinet ad iustitiam, non quatenùs est æquale in rigore, sed quatenus est æquale possibile, vel proportionabile. Licet enim creatura non possit reddere Deo æquale rigorosum; benè tamen potest reddere æquale proportionale, sibique possibile secundùm paruitatem nostræ potentiæ, in quantum videlicet creatura retribuit Deo, quod potest iuxta suam paruitatem. Nam quemadmodùm Deus, reddit creaturis, secundùm excellentiã suæ potentiæ abundantiùs, quàm petimus, aut intelligimus; ita creaturæ reddunt Deo, quod est illis possibile, & proportionale. Hinc in malis attenditur iustitia cõmutatiua, inter Deum & creaturam in hoc, quòd quia creatura peccat contra Deum tantum vel tantum ex sua malitia,

Iustitia cur inter Deum & creaturam propriè non detur.

Lucæ 17.

Parentes non sunt debitores filijs.

Deus malis secundùm iustitiam commutatiuã retribuit.

litia, ita punitur à Deo, non præcisè secundùm quantitatem culpæ: posset enim Deus magis & magis punire, sed secundùm eius voluntatem, & secundùm condecentiam diuinæ bonitatis ac prouidentiæ. Sicut quippè decet in bonis, quòd ex parte Dei sit excessus, ex parte verò creatuæ defectus, hoc est, vt Deus præmiet abundantiùs, quàm nos mereamur. Ita in punitione malorum decet, vt sicut ex parte creaturæ est excessus in peccando, sic ex parte Dei, sit defectus in puniendo, iuxta communem Theologorum sententiam, asserentium, quòd Deus præmiet vltra condignum, & puniat citra condignum.

Ex hoc fundamento deduco, gloriam sessionis ad dexteram Patris, Christo etiam vt homini ex iustitia fuisse debitam. Nam dicit Psalmista Psal. 61. *Deus reddet vnicuiq; secundùm opera sua.* Cùm autem Christus laborauerit plusquàm omnes, debuit illi dari gloria & sedes, super omnes Angelos, & super omnes homines. Præterea, quia ratio & iustitia Dei hoc postulat, vt qui se humiliat, exaltetur; cùm autem Christus se prorsùs infra omnes creaturas humiliauerit, oportebat vt etiam sublimaretur supra omnes creaturas, hoc est, vt ad summam gloriam diuinitati debitam eleuaretur, quod sessione eius ad dexteram Patris sufficienter exprimitur. Sessio enim ad dexteram Dei, diuinitatis Christi euidentissimum habetur argumentum: quoniam par Deo minimè esse potest, qui Deus non est. Quippè omne, quod Deus non est, infra Deum est, proinde impar Deo. Cùm ergo Christus sedeat ad dexteram Dei, non tanquàm post Deum primus, vt impiè blasphemant Arriani; sed tanquàm æqualis Deo, & ab ipso potestate ac maiestate nihilo differèns, vt docet Scriptura sacra ad Philip. 2. *Dominus Iesus Christus in gloria Dei Patris.* Philipp 2 Quæ verba S. Thomas in commentar. huius loci explicans, dicit: Non dixisse Paulum, in simili gloria, sed absolutè in gloria: quia Christi ac Patris, vna & eadem est gloria atq; maiestas. Sic enim expressè docet Scriptura sacra Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Philipp. 2. Quod de æqualitate absoluta omninò intelligendum esse docet D. Paulus Hebr. 1. illis verbis: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis.* Hebr. 1. indicans manifestè, non solùm de facto, nullum Angelum sedisse ad dexteram Dei, sed neq; sedere potuisse, cùm ista sessio ratione æqualis cum Deo diuinitatis, soli Christo conueniat; nulli autem Angelorum æqualem esse Deo in diuinitate conuenire potest.

Et licet Ariani contendant, posse si Deus velit, hominem vel Angelum, diuinum honorem sibi vendicare, etsi naturâ non sit Deus; id tamen blasphemum esse, & illi mandato Dei: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, summè repugnare, nemo est qui non videat. Quoniam sicut sola natura diuina Deum verum facit; ita sola cultum diuinum meretur: Zelosè hanc veritatem propugnant Gaudentius, & Sanctus Ambrôsius, Christi diuinitatem & consubstantialitatem cum patre, ex eo maximè deducentes, quòd Christo diuinum honorem exhibendum præcepit Deus. Philip. 2. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu flectatur omne genu.* Philipp. 2. Super quæ verba citati Patres ita discurrunt. *Consideremus nunc dicta, & sic aduertamus vim locutionis. Certè nomen, quod super omne nomen est, Dei nomen est. Sed si per naturam non constat hoc nomen, non est super omne nomen: appellatiuum enim nomen in solo vocabulo est, non in nobilitate naturæ, & adoptiuo Deo non flectit creatura genu, sed vero, non concreaturæ. Et quomodò fieri potest, vt homo sit in gloria Dei Patris? Etiamsi adoptiuus Deus sit homo, in gloria Dei Patris non potest esse: nam ei hoc competit, qui natus est de Deo. In gloria enim Dei Patris esse, nihil differre à Deo est, vt vna gloria sit Patris & Filij per communem substantiam, & virtutem, est enim* Gaudentius S. Ambro.

hac

hæc vnitas naturæ. En manifestam veritatem, quòd nulli creaturæ, quantumlibet eminenti, & à Deo sublimatæ, diuinus honor exhiberi queat. Cùm ergo Christus eodem honore, quo Deus Pater adoretur, quis non fatebitur eum esse naturâ Deum. Hinc illa vox Christi ad Patrem. *Pater clarifica me eâ gloriâ, quàm habui apud temetipsum, priusquàm mundus fieret.* hoc est, vt gloriam diuinitatis, quam apud Deum Patrem Filius Deus semper habuerat, cum tota natiuitatis corporeæ substantia posset, deret.

Consedit igitur hodiè ad dexteram Patris Christus, vt videlicet in toto orbe terrarum de eo prædicetur, quòd sit verus Dei Filius, Patri in natura æqualis: quia teste Diuo Ambrosio. *In gloria Dei Patris esse, nihil differre à Deo est, vt vna gloria sit Patris, & Filij per communem substantiam, & virtutem.* Verùm tota hæc gloria, quam diuina natura semper habuit, in assumptam humanitatem, ad dexteram Patris collocatam, deriuata est. Causam assignat S. Leo Serm. 8. de Epiphania Domini. *Vt quem venerabantur in cunis humiliter iacentem, ipsum sine differentia, adorent, cum Patre regnantem.* Hoc sensu intelligendus est S. Hilarius in Psal. 68. verba illa: *Dominus Iesus est in gloria Dei Patris*, ita exponens: *id est, susceptus homo, in naturam diuinitatis acceptus, & à Patre mundo manifestatus, quòd sit eiusdem throni & regni, æquo gradu particeps.* Hinc meritò post resurrectionem suam ad Apostolos dicebat. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Matt. 28. Vbi si inquiras, cur id datum sibi affirmet Redemptor noster, quod ab ipso separari nunquàm potuit, cùm ei hæc potestas ab æterno innata esset. Respondet S. Paschasius, eam potestatem, quatenùs homo erat, Christum accepisse, quam vt Deus ipse semper habebat, vt sic in vtraq; natura Christus vnus Deus agnosceretur. *Quia in duabus naturis vnus est Christus, in humanitate scilicet ac Deitate, vnaq; persona in Trinitate Deitatis. Et quia Christus vna persona est, secundùm humanitatem ait, data est mihi omnis potestas; secundùm verò diuinitatem, in qua æqualis est Patri, dicit: Tua omnia mea sunt, sicut & mea, tua sunt. Ac per hoc Christus in vtraq; natura, vnus Deus, vnus omnipotens.* Quia dùm per connexionem mutuam, & caro verbum Dei gerit, & Filius Dei fragilitatem carnis assumit, cum sponsa carne ascendens illuc, vnde sine carne descenderat, recipit iam claritatem illam, quàm dùm ante mundi constitutionem habuisse ostenditur, Deus manifestissimè comprobatur. Cùm non solùm, quoad diuinitatem, sed etiam quoad humanitatem, ad dexteram Patris sedere dicitur.

Neq; obstat, sessionem ad dexteram Patris, soli diuinitati Christi tribui à Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 14. in fine, Cyrillo Alexandr. lib. 1. in Ioan. cap. 22. S. Athanasio orat. 2. contra Arian. S. Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 6. Ergo ista sessio ad dexteram Patris, non refunditur in humanitatem Christi. Respondetur enim consequentiam nullo fundamento niti; quia sessio ad dexteram propriè loquendo, conuenit supposito. Proindè ipsamet dignitas, seu primaria sessionis ad dexteram significatio, quæ est gloriæ, maiestatis, omnipotentiæ, & diuinitatis æqualitas, non competit Christo, nisi propter diuinam naturam, & suppositum Iesv Dei ac hominis. At verò honor iste ac dignitas, & sessio ad dexteram secundùm metaphoram accepta, congruentissimè Christo secundùm humanam naturam tribuitur. Quemadmodùm resurrectio, & ascensio, ratione humanitatis eidem competit. Et in hoc sensu sessionem ad dexteram Patris, Christo vt homini tribuit Origenes tract. 12. in cap. 20. Matth. Chrysostth. hom. 3. in Epistolam ad Ephes. Ambro. lib. 2. de Fide cap. 4. & Theodoretus in Epistolam ad Hebr. 1. qui dicit: *Illud autem, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, humanè*

Idem qui supra.

S. Leo.

S. Hilarius

Matt. 28.

Paschasius

S. Cyrillus.

S. Athan.

S. Basilius.

Theodor.

manè dictum est : cùm enim esset altissimus, seipsum humiliauit, & cùm Deus esset, homo factus est. Non cùm esset humilis, in altum euectus est, neq; cùm esset homo, Deus factus est, sed vt Deus quidem, erat vniuersorum Dominus, vt homo autem accepit gloriam, quam habuit vt Deus. Comprobat hoc ipsum Diuus Ambro. in eandem Epistolam scribens, vbi verba illa, *ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis*, ita exponit. *Victori Filio & per Sanctam Incarnationem totius mundi triumphatori, post resurrectionis gloriam honorabilis confessus paterna maiestatis offertur, vt per hunc situm, susceptæ humanitatis gloria declaretur.* S. Ambro.

Gloriam itaq; supremam Christus in sua humanitate ad dexteram Patris eleuatus, quam suis operibus in redemptionem generis humani factis promeruit, hodiè recepit, hoc est, diuinitatis honorem, vt eodem cultu, qui summo Deo debetur, omnis creatura eum adoret. Proindè & nos eum Dominum vniuersorum, ac Patri æqualem agnoscendo, sedentem à dextera throni maiestatis in cœlis, cultu latriæ humiliter veneremur, eius clementiam, ac discordiarum pacificationem in regno nostro postulando. Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis.

EODEM DIE CONCIO QVARTA.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.

Christus se benignum credentibus; incredulis verò seuerum exhibet.

POstquàm D. Paulus trecenta & quinquaginta milliaria germanica in circuitum, & propè quadringenta in longum peragrasset, hoc est, eas oras, quæ in septemtrionali sunt plaga, & ad meridiem vergunt, adisset; in illisq; impleuisset Euangelium Christi, hoc est, vberrimum prædicationis retulisset fructum, multiplicatâ per orbem Ecclesiâ sanctâ. Roman. 14. *Ita vt ab Hierusalem per circuitum vsq; ad Illyricum expleuerim Euangelium Christi.* Rom. 14. Dicebat sibi iam locũ non fuisse in remotissimis illis locis: *Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus; cupiditatem autem habens veniendi ad vos.* Dicebat inquam se locum non habuisse in illis terris: quia iam sufficienter per illum disseminatum fuit Euangelium : iamvbiq; erant Christiani, Episcopi, Presbyteri, quorum curâ ac operâ, & fideles conseruarentur, & gentes conuerterentur. Christus pariter postquàm repleuisset terram suâ præsentiâ, & gloriâ, iuxta illud Apostoli Isaiæ 6. *Plena est omnis terra gloria eius;* Isaiæ 6. postquàm instituisset Apostolos, quorum curâ & prædicatione sufficienter mundus in fidei mysterijs instrueretur, statim à die triumphalis suæ resurrectionis, locum sibi in terris ampliùs non esse videns, terra quippè mutationi & vicissitudini continuæ obnoxia, tanti Principis capax non erat, ideò tanquàm supremus Monarcha & legislator, cœlum conscendit, vtpotè impassibile & splendidum, ac suo corpori glorioso maximè proportionatum. Et quia optimi legislatoris proprium est, præmium & pœnam proponere suis subditis, vt illis amorem pariter & timorem incutiat, vt si non amore legem seruare velint, saltem formidine pœnæ id faciant. Quod ipse Deus in veteri testamento sufficienter docuit, qui vt sererum omnium Dominum, ac supremum legislatorem ostenderet, vniuersis hominum filijs præmium pariter ac pœnam simul comminatus est. Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Exodi 20. Et Deutor. 4. ac Isaiæ 1. *Si volueritis me, bona terræ comedetis, si non, gladius deuorabit vos.* Ideò Christus Dominus, vt se pariter verum Deum, ac

ſupremum legiſlatorem oſtenderet, A proindè æquali. Verùm, ſi rem intimiùs ſcrutari voluerimus, allatam Scripturam, minimè doctrinæ Euangelicæ contradicere agnoſcemus. Nam de dilectione Dei dupliciter poſſumus loqui, nimirum ſecundùm eſſentiam, ſeu actum eſſentialem, tunc non eſt dubium, quòd Deus æqualiter diligat omnes homines: quia vnico & eodem ſimplici actu indiuiſibili, qui eſt diuina vſia, quâ Deus & ſe, & omnia alia à ſe diligit. Si verò loquamur de dilectione, B quantum ad efficaciam, ſeu effectum conſequentem, tunc Deus non omnes creaturas, nec omnes homines æqualiter diligit. Ratio, quia effectus ab ipſa Dei dilectione procedentes, ſunt inter ſe ordinati, quidam maiores, & quidam minores, vnde cùm homo ſit amicus Dei per charitatem, ideo iuxta augmentum vel decrementum charitatis noſtræ erga Deum, amor diuinus in nos deſcendit.

Dilectio Dei dupliciter conſideratur.

præmium fidelibus; terrorem verò incredulis hodiè proponit, dicens: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Per quod inprimis probat ſe eſſe optimum Principem, quia bonos amat; malos autem odio habet; quod proprium eſt bonorum Principum, iuxta doctrinam S. Pauli

Rom. 13. Rom. 13. ℣. 3. *Nam Principes non ſunt terrori boni operis, ſed mali; vis autem non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Vbi oſtendit Apoſtolus, Principes non eſſe terrori bono operi, hoc eſt, bona operantibus; ſed malo operi, id eſt, malè agentibus: quia Principibus incumbit obſtare ſceleribus, & virtutes promouere. Probat deinde ſe eſſe ſupremum legiſlatorem, quia incredulis ſeueritatem, & pœnam damnationis incutit: *qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quod vtrumq; eleganter deducit S. Paulus Rom. 11. ℣. 22. verbis illis: *Vide ergo bonitatem &*

Rom. 11. *ſeueritatem Dei: in eos quidem, qui non* C *crediderunt, ſeueritatem; in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Conſiderabimus itaq; hodiè Dei erga fideles benignitatem, erga incredulos verò ſeueritatem.

Ex duobus maximè fundamentis derogare videtur Deo, ne ſe alijs benignum, alijs ſeuerum exhibeat. Inprimis, quia omnes æqualiter diligit, vt palam fatetur Scriptura ſacra

Sapien. 6. Sap. 6. *Puſillum*, inquit, *& magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt ei cura.* Si er- D go æqualem curam habet de omnibus, dubio procul & amorem æqualem erga omnes: quippè eo modo diligit, quomodò eſt ei cura. Et manifeſtè hanc Scripturæ ſacræ authoritatem ſuadet ratio: quia Pater æternus eadem dilectione, quâ diligit Filium, diligit quoq; homines; cùm autem dilectio, quâ Pater diligit Filium, ſit ſumma, & in ſummo non reperiatur magis ac minus, ſed ſolùm æquale, ſequitur quòd omnes homines diligat dilectione ſumma,

Quantum verò attinet, ad allata Scripturæ ſacræ loca: inprimis, quandò Sapien. 6. dicitur, quòd Deo æqualiter ſit cura de omnibus, ſenſus iſte eſt, quòd Deus non ſit acceptor perſonarum, ita vt habeat curam vnius, & non alterius: hoc enim alienum eſt à prouidentia Dei. Cum hoc tamen ſtat, quòd Deus ordinatiſſimè communicet bona ſua creaturis, alijs maiora, alijs minora. Proinde hæc auctoritas non excludit ordinatam boni communicationem, ſed ſolùm excludit perſonarum acceptionem, quæ eſt inæqualitas, non ſolum deficiens à bonitate æqualitatis; verùm etiam à pulchritudine ordinis, & ideò reprehenſibilis, nec in Deo locum habere poteſt. Et licet Deus Pater eodem actu dilectionis diuinæ, diligat homines, quo & filium ſuum, eò quòd actus ille dilectionis ſit ſimpliciſſimus, non habens partes, nec remiſſionem aut intenſionem: hinc tamen non ſequitur, quòd omnes homines diligat dilectione ſumma, proinde æqualiter. Quia iſta dilectio ex parte connotati,

Deus non omnes æqualiter diligit.

hoc

hoc eſt; boni voliti, eſt multiplex & diuerſa; ſicut & connotata ſunt diuerſa, nimirum bonum creatum, & bonum increatum. Quando enim dicitur, Deus Pater diligit Filium ſuum, connotatur cõmunicatio boni ſummi & infiniti; cùm verò dicitur, quòd Deus diligat creaturam, ſiue hominem, connotatur communicatio boni creati, & finiti. Vnde quia bonum increatum ac infinitum, magis eſt amabile; quàm bonũ creatum & finitum, ideò Deus plus diligit ſuum Filium, ac ſeipſum, quàm hominem, & quamlibet aliam creaturam ex parte obiecti voliti, & vnum hominem, quàm alium, cui ſe magis per gratiam ac dona cœleſtia cõmunicat.

Ex altero quoque fundamento, derogare Deo videtur, ne cum alijs clementer, cum alijs ſeuerè procedat: quia nihil magis deſiderat, quàm ſalutem omnium, iuxta doctrinam Apoſtoli 1. ad Timot. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Quem 1. Tim. 2. locum Sanctus Thomas ita exponit, quòd Deus velit omnes homines ſaluos fieri: quia ipſe Deus vult, & facit, vt iuſti homines velint, & deſiderent omnes homines ſaluos fieri. Deus itaq; vult, & facit nos velle: quia cauſat in nobis deſiderium tale, vt velimus omnium hominum ſalutem. Hæc expoſitio arridet Diuo Auguſtino libro 22. de Ciuitate Dei cap. 2. & libro 4. ſuper Geneſim cap. 9. vbi docet, quòd Deus dicatur facere, & velle illud, quod dono ſuo facit alios facere, & velle. Rom. 8. Atque in hoc ſenſu explicatur illud Rom. 8. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis*, id eſt, poſtulare nos facit: effectum enim, quem Deus facit in nobis, Deo tribuimus. Similiter illud Geneſis 22. Nunc cognoui, quòd timeas Deum, id eſt, feci te cognoſcere, quòd timeas Deum. Actor. 1. Ac inſuper illud de Iuda Actor. 1. *Poſſedit agrum de mercede iniquitatis*: quia ex pecunia, quam ipſe receperat pro venditione Chriſti, Principes Iudæorum emerunt agrum figuli, quem ideò Iudas dicitur poſſediſſe, quia fecit illos poſſidere agrum illum. Sanctus verò Auguſtinus Enchiridij cap. 103. docet, in hac ſententia D. Pauli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, diſtributionem factam eſſe pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum, id eſt, pro omnibus hominum ſtatibus: quia ex omni hominum ſtatu aliquos Deus vult ſaluari. Nihilominùs veriſimilius eſt, Chriſtum, ſicut pro omnibus & ſingulis mortuus eſt, ita etiam omnes & ſingulos velle ſaluos fieri.

Verùm & hoc non obſtat: licet enim Deus omnes ſaluos fieri velit; alijs tamen iuſtè indignatur, alios meritò benignè complectitur: quia hoc vtrumq; duplici voluntate operatur, quod ſic deduco. Deus voluntate antecedenti, vult omnes homines ſaluos fieri; voluntate autem conſequenti, alios ſeuerè vult punire. Sic docet D. Damaſcenus lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 29. & S. Auguſt. lib. de Spiritu & litera cap. 33. & lib. de correptione & gratia c. 15. vbi dicit: *Voluntate antecedenti Deus vult omnes homines ſaluos fieri; quia omnibus dedit naturam capacem beatitudinis, ordinabilem ad vitam æternam; ſed conſiderando perſonam cuiuſq; hominis in particulari, non vult omnes homines ſaluos fieri: quia voluntate conſequenti vult malos damnari & bonos beatificari.* Quod S. Thomas declarat exemplo Iudicis, qui voluntate antecedenti, vult omnes ciues ſuæ Reipub. viuere; ſed voluntate conſequenti, vult homicidam occidere. Eodem planè modo Deus, conſiderans naturam hominis in communi, & quòd omnibus dederit liberum arbitrium, præcepta, & Sacramenta, quibus poſſent ſaluari, vellet omnes ſaluos fieri voluntate antecedenti; ſed tamen animaduertens conditionem malorum, & circumſtantias omnes, vult ſceleratos omnes damnari. Et hæc poſterior voluntas eſt conſequens: quia contemplatur rem in particulari cum omnibus circumſtantijs eius. Prior autem eſt antecedens: quia conſiderat rem in vniuerſali.

In Deo voluntas duplex, antecedens & conſequens.

S. Damaſc.

S. Auguſt.

Quid ſit voluntas Dei antecedens & quid conſequens.

Quid ſit autem iſta voluntas Dei antecedens, & quid conſequens, optimè explicat S. Damaſcenus l. 2. cap. penult. vbi dicit, quòd voluntas antecedens ſit voluntas eorum, quorum nulla cauſa meritoria in nobis præcedit; ſed ipſorum cauſa, eſt gratuita Dei voluntas. Cuiuſmodi ſunt vniuerſa bona, quæ habemus, & quæ Deus vult nobis antecedenti voluntate: quia nihil præcedit in nobis ante Dei voluntatem, quod ſit cauſa volitionis eorum. Voluntatem verò conſequentem eam eſſe dicit, quæ eſt eorum, quorum cauſa meritoria eſt in nobis, vti eſt punitio. Nam Deus, ideò nos punire vult, quia peccamus, proinde peccatum eſt cauſa meritoria pœnæ, quam Deus nobis infligit. Et quoniam ea, quæ ſunt in nobis, aut ſunt bona, aut mala: ideò ſi ſunt bona, Deus illa nobis vult antecedenter, & ex ſeipſo tanquàm ex prima cauſa, & radice omnium bonorum noſtrorũ. Si verò ſunt mala, tunc vel ſunt mala pœnæ, vel culpæ. Si mala pœnæ, Deus ea nobis vult conſequenter, id eſt, ex cauſa noſtra: non enim ſine cauſa noſtra, & demerito noſtro punit nos Deus; licet ſine cauſa noſtra, & merito noſtro ſæpè nobis largiatur bona. Si verò ſunt mala culpæ & peccata, tunc ea Deus neutro modo nobis vult, proinde neq; antecedenter, neq; conſequenter: quia illorum nobis non eſt cauſa. Neque enim Deus vult, vt peccemus, neq; hoc in nobis efficit. Saluat itaque Deus homines antecedenter: quia ſalus hominum ex Deo eſt, & ex gratuita Dei voluntate principaliter, tanquàm ex cauſa principali efficiente noſtræ ſalutis, licet etiam requirantur noſtra bona opera, tanquàm cauſa meritoria & diſpoſitiua. Punit verò nos conſequenter, quia punitionis & damnationis noſtræ, principalis cauſa eſt peccatum, & demeritum noſtrum.

Cum ergò dilectio Dei erga nos, procedat ex voluntate antecedente; ſeueritas verò & punitio ex conſequente, quid mirum, quòd ſuis fidelibus præmium æternæ promittat ſalutis; infidelibus verò damnationis pœnam comminetur. Cùm enim per fidem accedamus ad Deum, eiuſq; amicitiam, vt docet S. Bonauentura de materia fidei: *Fides*, inquit, *quantum eſt de ſui ratione, nata eſt mouere affectum ad amorem Dei.* Quod quidem non ſic intelligendum eſt, vt putauit Lutherus, quaſi qui habet fidem, protinùs habeat charitatem, & alias virtutes, & quòd non poſſit quis habere fidem ſine charitate. Sed in hoc ſenſu, quòd fides, quantum eſt de ſe, inclinet & moueat affectum ad amandum Deum. Quia obiectum bonum voluntati propoſitum, quantum eſt de ſe, mouet illam ad amandum & appetendum illud; cum hoc tamen ſtat, quòd voluntas poſſit illud non velle, vt manifeſtum habetur in peccatore Chriſtiano, qui licet habeat fidem inclinantem ad amandum Deum, non tamen habet charitatem, cùm inquam fides moueat nos ad amandum Deum, æquum eſt, vt Deus quoque in amorem ſuorum fidelium propendeat; in omnem verò ſeueritatem & vindictam infidelium excandeſcat, neceſſe eſt: quia Dei Filium pro ſeipſis exinanitum, paſſum, & mortuum, nec Deum verum eſſe credunt, nec vt Deum adorare volunt.

S. Bonau.

1. Cor. 1.

Quod deplorat S. Paulus 1. ad Corint. 1. *Prædicamus*, inquit, *Chriſtum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Cur ſcandalum? cur ſtultitia? Equidem ideò, quòd vterq; populus ſummam in Deo maieſtatem, ingentemq; & admirandam magnitudinem profiteretur. Iudæus quippè dicebat, ego eum Deum colere ſolitus ſum, qui decemplici caſtigatione percuſſit Ægyptũ, omneſq; eius primogenitos trucidauit: qui exſiccauit ſpiritu ſuo maria, barbarum Regem cum curribus, & equitibus ſuis in profundum aquarum demerſit: qui eduxit populum ſuum in exultatione, atq; ipſum in manu potenti, & brachio excelſo per deſertum

ſertum gloriosè traduxit : qui vt daret legem in monte Sinai, minaci dignitate, crebris ignibus cœlum omne turbauit, & ſexcenta huius generis egregia facinora, me ſpectante perfecit. Illum verò quomodò vt Deum cognoſcam, & adorabo, quem in ſerui forma, imò verò, vt malum ſeruum, vapulatum, percuſſum, & cruci ſuffixum video. Gentilis pariter aiebat, quomodò Deos meos auguſta maieſtate verendos, Iouem iacientem fulmina, etſi perſonam diſſimulet, vt fortem, & præferocem taurum, horrendis mugitibus àëra, & terras concutientem ; Neptunum triumphali curru maria tranantem ; Martem bellico furore ardentem, hominesq; inflammantem, cum Deo egeno, paupere, exinanito, euacuato, ſicut aqua diffuſo, vitamq; in cruce profundente commutabo ? Inſtabat hæc audiens, cum lachrymis Paulus, ô boni viri, cur Chriſto Deo meo diffiditis ? quidnè in ipſo diſplicet vobis ? An quòd propter vos egenus factꝰ eſt, vt vos diuites eſſetis? An quòd ille paruulus, ille infantulus, vt vos viri poſſetis perfecti eſſe ? An quòd ille inuolutus in pañis, vt vos à mortis laqueis abſolueremini ? An quòd ſpineam geſtauerit coronam, vt vos corona gloriæ adipiſceremini ? Quòd percuſſus, vt vos ſanaremini ? Quòd mortuus, vt in vos vitam transfunderet ? Quòd ſepultus, vt vos reſurgeretis ? Quòd deſcenderit ad inferos, vt vos aſcenderetis in cœlos.

Gregrius. Nazianz. Obſtupeſcit hoc S. Gregorius Nazianz. exclamans. *Irà & marore impleor propter meum Chriſtum, (vtinam ipſi quoq; mecum doleatis) cùm eum hac de cauſa contemni, ac pro nihilo haberi inſpicio, propter quam eum maximè honorari par erat. An idcirco dic mihi, humilis & abiectus eſt, quia propter te humilis ? An ideò creatura, quia de creaturis ſolicitus ? An ideò tempori ſubeſt, quia eos, qui tempori ſubſunt, inuiſit ?*

O pectora cæca ! immò verò hinc gentiles, hinc Iudæi, Chriſtum verum Deum, & inanium deorum ſuorum ludibria maximè cognoſcere debuerant, quòd pro illorum, & noſtrum omnium ſalute, abiectiſſima quæq; pati non reſpuerit. Hic enim proprius veri Dei character eſt, prodeſſe, opem ferre, pro ſuorum ſalute indefeſſas excubias facere. Equidem Deus noſter hac inter alias de cauſa exinanitus erat, vt exitialem Deorum gentilium religionem, ſiue ſuperſtitionem, qui temere demortui, & fulminum ictu conflagrati in fabulis decantantur, è medio tolleret, tantoq; erroris vulneri medicinam adhiberet. Ita concludit D. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 6. *Recenſent*, ait, *& ſuorum Deorum mortes, caſus, & ruinas, & fulminis ictu deflagrationes. vides, de quanta maieſtate qui deſcenderunt ? Nunquid fruſtra & incaſſum Filius Dei de cœlo deſcendit ? nonne vt tantum vulnus curaret ?* Ergò quia Chriſtus, non fruſtra & vanè à ſuæ maieſtatis ſolio in terras deſcendit, ſed vt in ſui humilitate iacentem mundum erigeret, & pro ſuo homine, pro ſua imagine ac ſimilitudine ſeſe humiliaret, meritò tàm Gentiles, quam Iudæi, eum humiliatum, percuſſum, & animam exhalantem prædicante Paulo audientes, in eum credere debebant, quòd cùm credere nollent, æternam damnationem ſibi accerſiuerunt ; quia omnis qui non crediderit, condemnabitur. Qui autem crediderit, ſaluus erit, vt præclaræ diſcurrit. S. Leo Serm. 18. de Paſſione. *Tranſierunt*, inquit, *vetera & ecce facta ſunt omnia noua, vt vniuerſorum in Chriſto credentium, & in Sancto Spiritu renatorum per ipſum, & cum ipſo, vna eſſet paſſionis ſocietas, & reſurrectionis æternitas.* Quod clariùs adhuc enucleat Diuus Paulus ad Coloſſ. 3. *Mortui*, inquit, *eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.*

S. Cyrillus Hieroſoly.

S. Leo.

Ad Coloſſenſes 3.

Promittit deniq; Chriſtus ſuis fidelibus æternam ſalutem, incredulis verò minitatur damnationem, *qui crediderit ſaluus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quia fides

est fundamentum, medium, & ra-
Rom. 1. dix iustitiæ, iuxta illud Apostoli Ro-
man. 1. *Iustus ex fide viuit.* Fides au-
tem hæc ex qua iustus viuit, est do-
num Dei, quo omnibus mysterijs
à Deo reuelatis assentimur. Quia si-
cut ex fide, vt initio, radice, dispo-
sitione, vita nostra procedit; ita ex
eadem fide iam formatâ, & per cha-
ritatem operante, vita iustorum per-
ficitur, & permanet. Qui autem fi-
dem veram non habent, quia carent
radice iustitiæ, ac fundamento salu-
Habac. 2. tis, fiunt vasa ad interitum apta, vt
palam fatetur scriptura Abacuc. 2.
*Ecce qui incredulus est, non erit recta
anima eius in semetipso, iustus autem in*
Ioan. 3. *fide sua viuet.* Quæ verba S. Ioan. c. 3.
ita exponit. *Qui credit in filium, ha-
bet vitam æternam, qui verò incredulus
est, non videbit vitam.* Per quod osten-
dit, incredulo sufficere incredulum
esse, ad hoc, vt non habeat vitam.
verum vt aliquis vitam habeat, non
satis esse, vt iustus sit quacunq; iusti-
tiâ conformi cuicunq; regulæ ratio-
nis, cuiusmodi est iustitia legis scri-
ptæ, aut naturalis, quæ solummodò
est iustitia moralis; sed necesse est, vt
sit iustus ex fide, hoc est iustus eâ iu-
stitiâ, quæ tanquàm à radice oritur
ex fide, vel illi, vt fundamento inni-
titur, & eius regulæ conformis est.
Quia hæc sola iustitia est supernatu-
ralis, & diuina, proueniens formа-
liter à gratia gratum faciente, vt
à præcipua & intrinseca forma, &
ideò sufficiens ad saluandum homi-
Hebr. 10. nem, si in ea permanserit. Hinc in-
fert D. Paulus ad Hebr. 10. ℣. 39.
*Nos autem non sumus subtractionis filij in
perditionem, sed fidei in acquisitionem
animæ.* Quasi diceret: non sumus
Galat. 6. increduli, quos sequetur perditio;
sed filij fidei, quibus promittitur he-
reditas Galat. 11. ℣. 5. & 7. *Cognoscite*
inquit, *quia qui ex fide sunt, hi sunt filij
Abrahæ: prouidens autem scriptura,
quia ex fide gentes iustificat Deus, præ-
nuntiauit Abrahæ: quia benedicentur in
te omnes gentes: igitur qui ex fide sunt,
benedicentur cum fideli Abraham.*

Neq; moueant quempiã illa Pro-

A phetæ verba Abac. 2. *Iustus autem in* Habac. 2.
fide sua viuit. Cui lectione proxima
est versio Symachi apud S Hieron. Symachus.
in citatum locum: *iustus*, inquit, *per
fidem propriam suam viuet.* Quasi per
fidem *suam*, & *propriam*, intelligatur
fides nuda, & bonis operibus desti-
tuta, quam solam hæretici arbitran-
tur, iustificare hominem, decepti il- Rom. 3.
lis verbis Rom. 3. ℣. 28. *Arbitramur* Ephes. 2.
*hominem iustificari per fidem, sine operi-
bus legis.* Et illis Ephes. 2. ℣. 5. *Sal-
uati estis per fidem, non ex operibus.* Quia
B ibi Apostolus in iustificatione homi-
nis, solùm excludit opera antecedentia fidem: cùm fides non detur ex
operibus præcedentibus, vtpote do-
num Dei gratuitum. Similiter exclu-
dit opera legis Mosaicæ, hoc est sine
circumcisione, Neomenijs, obser-
uatione Sabbathi. Quod inde con-
stat, quia totum intentum Apostoli
fuit, in citatis verbis ostendere, neq;
Iudæos ex nuda obseruatione legis
Mosaicæ, neq; gentiles propter bo-
na opera ante fidem Christi susce-
C ptam perpetrata, iustitiam à Deo po-
tuisse consequi aut consecutos esse.
Cæterùm non excludit opera sequen-
tia fidem, vt sunt actus timoris, spei,
dilectionis; imò potiùs docet non so-
lam fidem iustificare, licet sit initium
salutis & iustificationis; sed etiam ti-
morem, spem, & dilectionem, hoc
est quòd ista opera ad iustificatio-
nem disponant: homo enim im-
pius non potest iustificari, seu iusti-
tiam inhærentem, ac remissionem
peccatorum consequi, nisi per præ-
D uias dispositiones, quæ sunt actus fi-
dei, timoris, spei, dilectionis, con-
tritionis, &c. Non quòd huiusmo-
di actus mereantur coram Deo remis-
sionem peccatorum, & iustitiæ infu-
sionem, in quibus iustificatio consi-
stit: alias homo non iustificaretur
gratis, sed quòd Deus decreuerit non
remittere peccata, nec infundere
gratiam iustificantem, nisi homo per
eiusmodi actus supernaturales sit di-
spositus, & præparatus.

Allata itaq; Scripturæ Sacræ, &
expositorum loca, non debent intel-

ligi

ligi de ſola & nuda fide, cùm hæc iuſtificare nequeat, vt expreſsè docet Apoſtolus 1. Corint. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Et ratio manifeſta eſt, quia ſi ſola fides iuſtificaret, tunc vel formaliter, hoc eſt ita, vt ſola fides eſſet forma, à qua homo denominaretur iuſtus; ſicut ab albedine dicitur albus. Hoc autem dici non poteſt, quia forma, à qua homo formaliter iuſtificatur, & denominatur iuſtus, eſt iuſtitia inhærens, quæ vocatur gratia ſanctificans. Aut certè, quia ſola fides iuſtificaret diſpoſitiuè, & cauſaliter, hoc eſt; quia ſola efficeret, vt iuſtitiam acquiramus. Et hoc etiam dici non poteſt, cùm nullus locus ex Scriptura ſacra afferri queat, in quo dicatur ſolam fidem tali modo iuſtificare, aut ſufficere ad iuſtitiam acquirendam. Proindè intelligi debet fides cum gratia ſanctificante, & bonis operibus coniuncta: quia in vera ſententia Catholica, fides non iuſtificat, niſi ſit formata charitate. Quæ vocatur fides noſtra, ſeu propria: quoniam eadem eſt fides Dei, ſeu quam Deus tradit, & quæ à Deo vt donum aduenit, atq; fides hominis chriſtiani, quâ ipſe credit Deo, & ſub eo ſenſu dicitur ſua, quo aliæ virtutes ſupernaturales, videlicet ſpes, & charitas, dicuntur ſuæ, ſeu hominis virtutes, prout ab illo gratiâ Dei excitato, & adiuto exercentur, & in eius anima recipiuntur.

Quoniam ergo fides ſancta tanti momenti eſt apud Deum, vt eam habenti Chriſtus in præmium vitam æternam promittat; incredulitas autem adeò pernicioſa, vt propter illam homo in æternum à gloria cœleſti excludi mereatur, ideò cùm tria noſtræ iuſtitię principia proponat nobis Sanctus Paulus Rom. 5. ℣. 2. *Per quem habemus acceſſum, per fidem in gratiam ipſius, in qua ſtamus.* Videlicet Chriſtum tanquàm cauſam principalem efficientem; fidem tanquàm fundamentum, & initium; ac gratiam Dei, tanquàm cauſam formalem iuſtificationis, ſeu ipſam iuſtitiam inhærentem. Poſtulemus hodiè à triumphatore Chriſto, vt qui hodiè numeroſam Sanctorum careruam ſecum in cœlos aſſumpſit, vt inquam ſicut nos ad fidem ſuam feliciter traxit, ita in eadem nunquàm vacillantes, ac ſimul in gratia ſanctificante ſtare faciat, quo faciliùs ſalutem æternã conſequi mereamur, Amẽ.

1. Cor. 13.

Rom. 5.

DIE SACRO PENTECOSTES,

CONCIO PRIMA.

Et ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. *Ioannis 4.*

Deſcendente Spiritu Sancto, læſa inter Deum & homines amicitia redintegrata eſt.

INiurius profectò eſſet in ipſam naturam, qui ex finibus humanæ mortalitatis amicitiam propulſaret: nec illo melior, qui ſolem è mundo tollere vellet. Cùm mutuâ viuendi ſocietate nihil melius aut iucundius mortalium generi tribui poſſit. Nam quid æquè oblectare poteſt animum, quàm amicitia fidelis? Quod maius bonum cogitari poteſt? quàm vbi adſunt præparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat. Quorum conſcientiam minùs, quàm tuam timeas. Quorum ſermo ſollicitudinem leniat, ſententia conſilium præſtet,

ſtet, hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus nimiùm delectet. Iucundiſſimum profectò eſt habere, cum quo ſecundis rebus lætari, cum quo aduerſis partiri poſſimus; hac enim ratione maxima parte doloris leuari & exonerari videmur. Ac proinde qui ex natura rerum, & ex hominum conſortio amicitiæ vinculum exemerit, vrbes in deſerta, domos in ſpeluncas, vrbanitatem deniq; omnem in belluarum feritatem facilè permutabit. Cùm vita inculta & deſerta ab amicis, nihil ſit aliud, quàm triſtis quædam orbitas. Agnouit hoc Diuus Chryſoſt. inquiens: *Amicus ipſa luce iucundior eſt; quoniam nec ſol it a mundo neceſſarius eſt, vt amicitia populis.* Et meritò: etenim tolerabilius eſt hominibus exſtingui ſolem hunc, quàm amicorum conſuetudine priuari: leuiùs, in tenebris agere, quàm ſine amicis eſſe. Siquidem multi ſolem iſtum videntes, in tenebris ſunt; qui verò amicorum copiam habent, nec in afflictionibus triſtitiam patiuntur. Agnouit perbellè ordinatiſſima Romanorum Reſpublica, neceſſitatem amicitiæ. In cuius ſymbolum virgam quandam erexerat, palam faciens, quòd quicunq; accinctus itineri, illud amicitiæ cum Romanis contractæ ſecum deferebat, iure illius ſigni, hoſpitium ei & hoſpitalitas vbiq; deberetur. Et ſi quiſpiam huiuſmodi amicitiam violaſſet, infamis perpetuò haberetur. Hanc conſuetudinem ad hæc vſq; tempora obſeruat, ſupremum in terris Chriſti Eccleſiæ caput, Pontifex Romanus, qui Venetis in ſignum amicitiæ roſam reliquit, & regibus atq; principibus roſas aureas quotannis mittere ſolet, tanquàm vera reſtaurandæ amicitiæ Symbola. Sed & ipſe Deus amicitiam cum hominibus appetijt inire. *Iam non dicam*, inquit, *vos ſeruos ſed amicos.* Cuius tàm arcta eſt ſocietas, vt nunquàm etiam in ſummâ neceſſitate eos deſerat; ſed vel maximè tunc auxilietur omnibus. Quæ enim maior neceſſitas eſſe potuit? quam fuit illa, cùm totus mundus naufragio periclitaretur, cùm vniuerſum genus humanum redemptione indigeret, cùm liberatione à poteſtate diaboli, & in priſtinum ſtatum reſtitutione haberet opus. Et tamen etiam tunc maximè Deus ſe amicum humano generi declarauit; cùm vnigenitum ſuum donaret: vt omnis qui credit in ipſum non pereat. Vt eſſet oculus cæco, pes laſſo, & pallium in hieme frigidiſſimi ſtatus hominis in peccato exiſtentis. Vt confortaret, illuminaret, & accenderet homines ad amorē Dei, & in amicitiam priſtinam eoſdem reuocaret. In amicitiam proinde Dei vos hodie ducam, quàm vt tantò arctiùs contrahatis, vos per roſam, ceu verùm amicitiæ ſymbolum eidem deſponſabo.

S. Chryſo.

Virga apud Romanos amicitiæ Symbolū.

Neſcio vtrum verùm dixerit Ariſtoteles, teſte Laërtio, amicitiam inter mortales interijſſe. Non auſim tamen tanto Philoſopho quicquàm derogare. Verum vt video faſſus eſt. Nam quemadmodùm ipſi homines mortales ſunt, & mutabiles; ita quoq; omnis eorum amicitia caduca & fluxa eſt. Verum proinde dixit Philoſophus, amicitiam inter homines interijſſe, quæ ad eorum viciſſitudinem facilè mutatur, raroq; vera reperitur. Potiſſimùm verò in domibus Principum & Heroum, qui licet magno aulicorum comitatu ſtipati incedant; ſi tamen inter eos aliquem verum quæſieris amicum, non facilè vel vllum reperies. Similes enim illi omnes ſunt foſſoribus, qui vbi aliquem theſaurum inuenerint, vbi venam auri aut argenti reperierint, omnes vnanimiter concurrunt, vt aurum effodiant. Quòd ſi vena defecerit, ipſi quoq; deficiunt, & recedunt. Et quid aliud pleroſque trahit ad aulam, niſi ſpes habendi, niſi diuitiæ Principum, de quorum liberalitate ditari ſperant. Et quamdiu diuitiæ abundant, Principes amicis ſtipati lucent, & ſplendent. At verò vbi opes deſierint, ſubitò & Principes & famulantes amici deficiunt. Palam hæc veritas elucet in potentiſſimo Dario, qui cùm innumerum auli-

Ariſtoteles

aulicorum numerum haberet; inter illos tamen omnes, vnus repertus est solùm Zophyrus, verus amicus Darij, vir probus & humilis, quem in omnibus sibi fidissimum Rex expertus erat. Quamobrem cùm ad mensam Regis diuideretur pomum granatum, & accumbentes mensæ regem interrogarent, cuiusnam ille rei vellet habere tantam abundantiam, quanta erat pomi illius granorum: existimantes optaturum fuisse regem, tantam adamantum copiam. Sed prudentissimus Rex sapienter respondit, se non Sapphyrorum, sed Zophyrorum, illam velle abundantiam habere. Maioris momenti esse sciens, habere multos amicos; quàm innumerabiles thesauros, approbante hoc ipsum Salomone: *Amico*, inquit, *fideli nulla*
Eccl. 6. *est comparatio, & non est digna ponderatio auri, aut argenti, contra bonitatem fidei illius.* Si ergo tanta est inopia veri amici in mundo, vt & Principes amicos magis optent; quàm thesauros: & Scriptura Sacra omni pretio illos anteponat: meritò dixit Aristoteles, veram inter homines amicitiam interijsse.

Sed redit iam hodiè amissa in hominum consortium societas, & amicitia immortalis, quam auspicato passu Deus nobiscum confirmat; die hodierna in corda hominum mansurus descendens. *Ad eum*, in-
Ioan. 14. quit, *veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Quasi diceret: veniet Pater omnipotens ad suos fideles, vt eos protegat: veniet Filius, vt quos redemit; eosdem mysteria salutis edoceat: veniet Spiritus Sanctus, vt quos afflictos repererit, eosdem consoletur. Ingredietur Pater in tabernaculum hominis per portam memoriæ; viuificando animam aquâ salutari, aquâ gratiæ sanctificantis, & tanti sui beneficij memorem reddendo hominem. Ingredietur Filius illuminando intellectum splendore, incitando ad contemplationem Dei, & notitiam cœlestium arcanorum, absq; vllo labore & studio præbendo. Ingredietur Spiritus Sanctus, incendendo voluntatem flammâ ignis diuini, ad amorem supernorum impellendo, & omnem ad terrena affectum exsiccando penitùs & comburendo. In his enim tribus hominum latibulis, tota diuinitatis mansio continetur; scilicet: in memoriâ, voluntate & intellectu. vt dicit Eusebius Emissenus in cap. 13. Matthæi, inquiens: *Hunc autem thesaurum ille ab-* Emissenus.
scondit, qui mente retinet, corde diligit, & eius nunquàm obliuiscitur: illud enim abscondimus, quod charum habemus, & amittere timemus. Ipsæ proinde tres personæ diuinæ, hodiè veniunt ad nos, subueniendo nostræ egestati, vt nos quoq; venientibus, hospitales nos ostendamus, illis obediendo. veniunt illuminando nostrum mentis defectum, vt quod natura non capit, ratio assequi non valet, illud cœlesti hoc radio subleuati, mentis nostræ oculi intueantur. Veniunt intimando & implendo nos suâ præsentiâ, vt ea quæ totum vniuersum suo ambitu intercludere nequit, corde nostro capiamus: sitq; nobis iam non externa deitatis visio, sed interna: non transitoria cum Deo societas, sed æterna.

O quàm inexplicabilis honor, à talibus hospitibus visitari. A Patre, vnde protectio: à Filio, vnde sapientia: à Spiritu Sancto, vnde consolatio. Eccur inquit Magnus Basilius, S. Basilius.
non dicit iam Dei Filius: *Ego veniam*, vt olim Centurioni, cuius filium sanaturus erat, sed: *veniemus.* Ideò inquit, vt iam intelligas ô homo, dominatum trium in deitate personarum communem. Ne Patre cognito, Filium ignores. vt videas, quòd Pater per Filium hodiernam tibi fecerit amicitiam: & Filius ex paterna voluntate te redemerit, & patri fecerit gratum. glorificesq; Patrem in Filio, & Filium in Spiritu Sancto, vt communis vtrorumq; sis adorator, non diuidens adorationem, sed veniens diuinitatem. Facessat hîc Macedonij Hæresiarchæ blasphemia, negantis Spiritum Sanctum, tertiam in deitate personam esse. Quod deducere

cere conatur ex illis Christi verbis: *Nemo nouit Filium, nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius.* Matt. 11. Vndè sic acutè vt sibi videbatur, sed temerariè, argumentatus est. Si nemo nouit Filium, nisi Pater; & Patrem nemo nisi Filius, (cognitione scilicet perfectâ & comprehensiuâ) igitur Spiritus Sanctus non est persona diuina. Nam si esset, comprehenderet & cognosceret Patrem. Huic enim blasphemæ obiectioni, grauissimi Theologi cum Nicolao de Lyra, super Lyranus. Matt. cap. 11. respondent. Per dictionem excluſiuam, quando vsurpatur ad significandum aliquid essentiale in personis diuinis, non excludi reliquas personas eiusdem naturæ & essentiæ, sed tantùm creaturas, quæ sunt naturæ dissimlis omninò. Ac proindè cum dicit Christus. *Nemo nouit Patrem nisi Filius*: Matt. 11. Non excludit Spiritum Sanctum, cùm sit eiusdem naturæ & intellectus cum illo, sed excludit tantum creaturas. Siquidem nemo, idem est, quòd nullus hominum: quibus nullatenus perfecta & comprehensiua Dei cognitio competit. Abscedat omnis Hæreticorum blasphemia, qui aiunt Spiritum Sanctum minùs, quàm Patrem & Filium potentem esse: ex eo fundamento, quòd Pater Filium, & Filius cum Patre Spiritum Sanctum producat; ipse autem neminem. Non enim hæc est vlla impotentia, aut imperfectio, cùm personæ diuinæ, intellectu & voluntate procedant. Ac proindè sicut Filius, non est minùs potens Patre, licet iam alium Filium producere non possit; quia diuinus intellectus cum infinita perfectione operans, totam suam virtutem, productioni verbi impendit, ita vt eodem intellectu à Filio non supersit quicquam gignendum simile ad intra. Ita profectò Spiritus Sanctus non redditur impotens per hoc, quòd iam in deitate aliam personam diuinam producere non possit. Quoniã voluntas diuina ad intra se totam explicuisset, & omnem amorem suum ac bonitatem diffudisset, in perso-

A nam Spiritus Sancti, nihil iam simile reliquens producendum vltra, cùm operata esset iuxta vltimum potentiæ suæ.

Sed ecce eluceſcit hodiè diuina B. Spiritus Sancti potentia, dùm ille qui se iam non poreſt communicare vlli personæ ad intra, descendit hodiè in corda fidelium, & communicat se plurimis ac infinitis ad extra, diffundens in omnes, qui eum recipiunt, suæ charitatis & amoris varia charismata. iuxta illud Apostoli: *Diffusa est* Rom. 5. B *gratia in cordibus nostris per Spiritũ Sanctum, qui datus est nobis.* Quasi ostendere vellet Apostolus, illud nostræ fidei mysterium, quòd dùm anima hominis iustificatur, non solùm gratiam & charitatem, cum reliquis infusis virtutibus, quæ sunt tanquàm gemmæ & ornamenta, quibus anima nostra decoratur, vt sacra docuit Tridentina Synodus, aduenire. Verùm etiam Spiritum Sanctum cum Patre & Filio donari: dicente Apostolo: *Nescitis quia templum Dei estis,* 1. Cor. 3. C *& Spiritus Dei habitat in vobis.* Sed quis comitatus tàm desiderato hospiti animæ nostræ, ad nos venienti præit? admirandus certè: nimirùm, ignis, columba, & rosa. Taliter enim incedentem Spiritum Sanctum inuitauit quondam Propheta Ezechiel: *Ingredere*, inquit, *in medio rotarum,* Ezech. 10. *quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, & effunde super ciuitatem Hierusalem.*

Scio antiquis morem fuisse, vt quoties nouam secùm inirent amicitiam, iuuenis quispiam elegans ante D eos facem accensam præferret: significans igne veram perfici amicitiam. Vndè antiquus ille Prometheus, animaduertens in terris non esse ignem, hominibus summè necessarium. in cœlum raptus, de flammigero solis curru facem accendit, quâ subindè rediens, vltimam manum formationi & perfectioni hominis per ignem imposuit. Similem planè cerimoniam in hodierno diuinissimi Spiritus descensu animaduerto. Etenim diuinus ille Prometheus

Christus

Christus Iesvs, considerans nullius rei magis; quàm diuini ignis esse in terris inopiam, quo gelida hominum corda calefierent, dura mollescerent, inchoata perficerentur: ascendit in cœlum, & ignem non à lumine ætherei Solis, (vt Prometheus) sed à Patre luminum accepit; & præeundo Spiritui Sancto, tanquàm patens omnibus ostium, ad Dei amicitiam ineundam, in omnem Ecclesiam effudit abundè hunc ignem Spiritus Sancti, quo perfectum & absolutum redderetur opus redemptionis nostræ, quod ipse feliciter suâ morte inchoauerat. vt innuit Propheta Hieremias, inquiens: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Erudiuit inquam intellectum ad cognoscenda Dei mysteria. Erudiuit & voluntatem, ad victoriam de peccatorum fomite referendam. Etenim quamdiu anima humana, hoc igne charitatis accensa non erat, licet Fide, spe, & alijs virtutibus armata esset: facilè tamen tentari, & à dæmone inuadi potuit. At verò vt primùm flammam Spiritus Sancti admisit; omnia facilè superat, & victrix de subactis hostibus triumphat. Profectò descensus iste Spiritus Sancti in igne, magnæ signum est dilectionis diuinæ. Si enim olim Deus, cùm ei sacrificia immolarentur, super ea, quæ grata erant, ignem cœlitùs mittere solebat, vt testatur Scriptura: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Theodoretus verò paulò immutat. *Inflammauit Dominus super Abel.* Ita planè æternus Sacerdos Christus, post cruentum sacrificium crucis, nouam hodiè sui gregis victimam, scilicet; agnos suos intra ouile Ecclesiæ contentos, æterno Patri obtulit. Et ecce pro tanti Sacrificij approbatione, ignem è cœlo demittit Deus, vt ostendat, se non ad tempus, sed in æternum hac victimâ oblectari velle. Nam si Aristoteles l. 2. de Generatione, dicit: *Ignis vnit partes & res similes.* Quod & ipsa experientia comprobat in quouis metallo, quod in partes fractum, si conijciatur in ignem, potest iterùm facilè vniri & coagmentari. Quis hodiè non facilè assentietur, si Spiritus Sanctus in igne descendit in mundũ, non aliâ de causa, nisi vt hominum gelidas mentes, & peccatis fractas, igne charitatis liquefaciens, sibi in puritate similes indissolubiliter vniat, & vitiosos motus, ac prauas passiones procul repellat; quemadmodùm ignis ab auro adulterina segregat metalla. Sed illud est admiratione dignum, cùm sciamus ignem naturâ suâ sursum tendere, & quoties ad descensum cogitur, violentiam pati. Quomodò Spiritus Sanctus in igne sine resistentiâ deorsùm ferri potuit, & in animas fidelium descendere?

Triplicem huius rei causam assignat profunda philosophantium speculatio. Inprimis dicunt illi, ignem aliquandò deorsùm ferri, propter potentiam alicuius virtutis attractiuæ, ad inferiorem partem illum mouentis. Quemadmodùm videmus in plantis & animalibus, nutrimentum licet alioqui sit graue, ex radice ad verticem, & ex stomacho ad caput ascendere, propter innatam virtutẽ attractiuam in vertice, & capite existentem. Ac proindè cùm etiam in fidelibus insit virtus attractiua amoris diuini (qui ignis est) scilicet; fides, quæ potenter Deum ad se trahit, non est mirum, quòd Spiritus Sanctus in igne, cui sursùm ferri innatum est, in animos suorum fidelium descendat. Alteram causam assignant Philosophi, quæ solet ignem deorsùm trahere, quandò adest vltima dispositio ad introductionem formæ ignis, vt in lucernâ extinctâ & fumigante compertum est. Nam si ex parte superiori ignis applicetur fumosæ exhalationi sursùm ascendenti, subitò flammam concipit, eamq; vsq; ad ipsam lucernam celeriter defert, & iterùm illam accendit. Quod ideò fit, quia tunc virgula fumi est in vltima dispositione, ad suscipiendam formam ignis, vt proindè necesse sit ignem ad eius introductionem descendere. Sic prorsùs & vobis fiet Catholici

Thren. 1.

Gen. 4.

Theodor.

Aristoteles

mei. Nam si in vobis fuerit vltima dispositio, scilicet; timoris Domini & humilitatis, peccatorum dolor atq; contritio. Si insuper aderit fumus ardentis orationis, qui vsq; in conspectum Dei ascendere solet, vt dicitur in Apocalypsi: *Ascendit fumus aromatum in conspectu Dei de manu Angeli.* Certè mouebit continuo Spiritus Sanctus ignem cœlitùs descendere, vt ardentissimis amoris sui flammis, vos omnes accendat, & nouæ charitatis formam in vestra pectora introducat: aut certè antiquam, si nondùm extincta est, tenaciùs deuotis animis inhærere, atq; radicare faciat. Tertiam adhuc rationem afferunt, cur aliquandò ignis contra innatam propensionem suam deorsùm soleat moueri, scilicet; ad impediendum vacuum, ne detur. Quod natura summoperè abhorret, tanquàm omninò superfluum, & vnionis inimicum, vt palam fatetur Philosophus. Et hinc plerumque euenit, quòd etiam aqua, licet propter connaturalem sibi grauitatem deorsùm feratur, in multis tamen fontibus velocissimo impetu sursùm erumpit, vt tantùm, vacuum omne impediat. Hinc etiam vnanimis philosophantium sententia, quòd si aër, qui contiguus est sphæræ ignis, ita condensaretur, vt minorem locum occuparet, quàm nunc. Tunc ignis è concauo lunæ descenderet ad implendum illud spatium vacuum. Hæc equidem causa est, cur ignis ille diuinissimi Spiritus, in terras descenderit; quia Christus Dominus ascendens in cœlum, vacuam regiâ suâ præsentiâ terram deseruerat. idcircò ad implendum hoc vacuum, oportebat personam aliam æquè perfectam, atque infinitam, ad sublunares hasce mundi plagas descendere. Quod optimè præuidens Christus, ante suam ascensionem prædixerat Apostolis: *Ego*, inquit, *rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis.* Quasi diceret: vt vacuum, quod reditus meus in cœlum, tàm in Ecclesia, quàm in animis vestris causabit, repleatur; mittam vobis Spiritum Sanctum, Patri & mihi consubstantialem, qui vos desertos omni fæcunditate spirituali, replebit.

Apoc. 8.

Aristoteles lib. 4. physicorum.

Ioan. 14.

Secunda cerimonia diuinissimi Spiritus ad nos descendentis, fuit species columbæ. Nam quemadmodùm, cùm Christus Dominus in Iordane baptizaretur, Spiritus Sanctus in specie columbæ super Christum baptisatum apparuit, in sacratissimo eius vertice visibiliter residens. idq; tribus de causis, vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 39. art. 9. inquiens: *Spiritus Sanctus in specie columbæ super Christum baptizatum apparuit propter tria. Primò, propter dispositionem, quæ requiritur in baptizato, quæ per columbæ simplicitatem significatur. Secundò, ad significandum septem dona Spiritus Sancti. Tertiò, ad significandum effectum proprium baptismi, qui est remissio peccatorum.* Ita probabiliter multi opinantur, etiam die Pentecostes, in eadem forma columbæ Spiritum Sanctum descendisse in Apostolos. Vt scilicet quem iam ante in Christi capite taliter apparentem viderant, eundem in seipsis in eadem formâ faciliùs agnoscerent. Comprobat hoc ipsum Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 7. cap. 2. vbi quærens rationem, cur diabolus non in alia specie, v. g. columbæ, sed in formâ serpentis hominem primum deceperat. Et respondet, quia futurum erat, vt Spiritus Sanctus in hac forma mundo appareret. Dicit ibi idem Doctor: *Fortassis*, inquit, *si permissus fuisset diabolus, in forma columbæ venire voluisset: sed hoc vas Spiritus Sanctus sibi reseruauit, quia profectò dignum non erat, vt Spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua postmodùm ipse Spiritus Sanctus apparere debebat.* Nec mirum: scio enim columbam in tanto olim honore habitam fuisse, vt eam Assyrij pro Deâ quadam immortali colerent. Et Chaldæi eadem pro insigni vterentur in suis vexillis militaribus, vt indicant verba illa Prophetæ. *Facta est terra eorum in desolationem, à facie iræ columbæ.* id est: (vt interpretatur Hugo Cardinalis) à facie ex-

S. Thomas

Hugo Cardinalis.

Hierem. 25.

cie exercitus Nabuchodonosor Regis, qui columbæ effigiem in vexillis pictam gestabat.

Proprietates columbæ.

Admirabiles quasdam columbæ proprietates recensent Naturalistæ. Inprimis est sinceritate & simplicitate prædita adeò, vt licet sæpiùs Dominus illi pullos surripiat; illa tamen nec à columbario aufugit, nec domicilij nidum mutat, sed quasi illatæ iniuriæ oblita, iterùm atq; iterùm nouos suo Domino progenerat pullos. Hac de causa (inquit Euthymius & Theophylactus) Spiritus S. ad nos hodiè descendere voluit, vt scilicet vnumquemq; nostrum, summam sinceritatem & simplicitatem edoceat, inquiens: *Estote simplices sicut columbæ.* Et certè si Spiritus S. toties à nobis læsus, quasi tamen oblitus omnium iniuriarum, iterùm ad hominem reuertitur, & suis illum beneficijs cumulat. Quantò magis hominem decet, vt hanc benefaciendi virtutem à Spiritu S. discat; & quantò grauiorem sibi aliquem inimicum sentit, tantò plus ipsi prodesse studeat: doctrinam D. Pauli secutus, tanquàm veterani militis Christi ecclesiæ, qui ad Romanos 12. illud consilium dat: *Vince in bono malum, si esurit inimicus tuus, ciba illum, si sitit potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Quæ verba Lyranus vertit: *congeres occasiones accendendi ignem dilectionis in eo.* Glossa verò sic legit: *Induces ad penitentiam de malo, quod tibi fecit, aut facere tentauit.* Spiritus proindè Sanctus cùm sit essentialiter amor, noluit in specie ferocis alicuius animalis descendere ad nos, sed in forma simplicis & benignæ columbæ. Edocere volens; quòd quemadmodùm ille ex vi amoris sibi congeniti, promtior est ad obliuiscendas nostras iniurias; quàm certè ad vlciscendum. Ita & nos si in simplicitate columbæ Spiritum Sanctum recipere volumus, magis procliues debemus esse ad benefaciendum inimicis nostris, quàm ad odium illorum. Plùs enim nobis confert ad salutem amor erga inimicum, quàm ira; & vis benefaciendi, quàm vindicta. Quod ingeniosè comprobat Plutarchus, illâ suâ fictione ingeniosa in Apophtegmatis. vbi refert inter Solem & Aquilonem summam contentionem quondam ortam fuisse, vter illorum priùs viatorem vestibus expoliare posset. Cœpit itaq; Aquilo vehementi turbine viatorem impetere, vt prorsùs ei galerus è capite, & pallium ex humeris vix non deciderit. Sed quantò ipse acriùs flabat, tantò viator diligentiùs galerum capiti, & pallium scapulis aptabat, tenaciùsq; illud apprehendebat. Vndè non Aquilo de viatore, sed viator de Aquilone victor euasit. Postea verò Sol potentiam suam ostendere volens, cœpit ardentes suos radios viatori immittere, quibus adeò incalescere cœpit, vt ad deponendum pallium cogeretur, crescenteq; vlteriùs Solis calore, & illum acriùs vexante, exteriore tunicâ & torace se exuit. Atq; hoc modo Sol de Aquilone victoram reportauit. Fabula hæc nimiùm doctrinam D. Pauli illustrat, cùm docet inimicum non iræ & vindictæ Aquilone flante, non iniurijs & contumelioſis verbis, sed beneficiorum calore illum fouente, facilè vinci & superari. Quam doctrinam vt doceret nos Spiritus Sanctus, voluit hodiè in columbæ specie descendere: vt scilicet addiscamus, quomodò columbæ instar, felle carere debeamus, & præteritarum obliuiſci iniuriarum.

Præterea, prodigiosam quandam columbæ proprietatem Aristoteles & S. Isidorus recensent, quòd gemitum pro cantu habeat. vndè ab omnibus vocatur gemebunda. Spiritus Sanctus non alia de causa in specie columbæ corda nostra adire vult; nisi vt pro nobis gemebundus interpellet, iuxta illud Apostoli: *Spiritus Dei postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* id est; non quòd ipse fleat, cùm omnis dolor ab incomprehensa eius gloriâ & felicitate exulet. Sed quia suâ efficaciâ mouet ad fletum, ad dolorem, ad contritionem peccatores. Quam etiam

Enthymius.

Matt. 10.

Rom. 12.

Lyranus.

Glossa.

Plutarchus.

Aristoteles

Isidorus.

Rom. 8.

ctiam ſapiens commendat homini: *Cor*, inquit, *quod nouit amaritudinem* Prou. 14. *animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus.* Vt ergò Spiritus Sanctus nos ad pœnitentiam incitaret, in columbæ ſpecie, quæ gemebunda eſt, ad nos deſcendere voluit.

Inſuper Sacra Scriptura teſtatur, columbam nimiùm delectari fluentibus aquis, & circa illas plerumq; immorari. vt dicit Sapiens: *Quæ reſident iuxta fluenta.* Cantic. 5. Et quia Scriptura Sacra in ſenſu myſtico loquitur, non qualeſcunq; aquas intelligit, ſed lacrymas, ex dolore peccatorum ab oculis profluentes. Quis non videt Spiritum Sanctum in hoc ſimilem eſſe columbæ, de quo illud etiam teſtatur Sacra pagina. *Et Spiritus Domini* Gen. 1. *ferebatur ſuper aquas.* Cur obſecro non ſuper terram ferebatur? forſan ideò, quia terrena corda diuiniſſimus Spiritus, tanquàm impuritatis plena execratur. Cur non ſuper aëre? ideo ſanè, quia vento ſuperbiæ inflatos, tanquàm mitiſſimus odio habet. Cur non ſuper ignem? Quia forſan concupiſcentiæ igne ardentes, diuiniſſimo Spiritui valdè ſunt ingrati, & infenſi. Verùm ſuper aquas ferri voluit, vt oſtenderet, quòd inundantes lachrymæ, dignum illi præparent habitaculum. Tales enim aquæ malignum non patiuntur Spiritum, ſed illum ſuffocant, dicente Pſalmiſta: *Contribulaſti capita draconum in aquis:* Pſal. 73. Quaſi diceret Scriptura: ſicut Ægyptij ſuperbi in mari rubro naufragium paſſi ſunt; ita & dæmones humanæ infirmitati inſultantes, aquis contritionis ſuffocantur. Agnouit hoc ipſum Propheta, quòd Spiritus Sanctus columbę proprietatem æmulans, non facilè deſcendat, niſi ad cor contritum & humiliatum, & torrente lachrymarum exundans. Hinc Spiritum Sanctum vt in columbæ ſpecie ad cor illius deſcenderet, euocabat Regius vates: *Quis dabit mihi* Pſal. 54. *pennas ſicut columbæ, & volabo.* Non poſtulabat Sanctus iſte Rex pennas Aquilæ velociſſimæ; quia cùm Aquila rapaces vngues habeat, & cæteras aues vſq; ad trucidationem inſectetur, crudelitatis ſymbolum eſt. Non petijt alas Milui: quia cum Miluus ob prædam capiendam, ſuprema loca deſerens, ad terram ſe deijciat; terrenos homines adumbrat, qui vt honores venentur, omnibus ſe ſubmittunt. Non efflagitauit candidas Cygni plumas: quia cùm Cygnus ſub candidis plumis, terram, ſcilicet; carnem latenter occultet, expreſſa hypocritarum imago eſt. Sed rogabat pennas columbæ ſibi donari. vt quemadmodùm columba teſte Plinio lib. 10. cap. 8. circa fluenta aquarum obambulans, & in illis velut in fulgentiſſimo ſpeculo, inimicæ auis ſpecies cognoſcens, eius infeſtationem fugit: vt ſcilicet & ille in hac columbâ, in Spiritu Sancto, omnes infeſtationes diaboli faciliùs proſpicere poſſet. Tales & vos omnes columbas eſſe oportet, vt ſcilicet cùm venerit ſuperbiæ tentatio, quæ inſtar rapacis auis, prædam in aëre inſectatur: vos eo tempore columbarum inſtar humiliare, & in terram demittere ſciatis, principium veſtrum de terra ſumptum conſiderantes. Et ſi vos laſciuia ac libidinoſa tentatio infeſtet? quæ inſtar rapacis auis prædam deorsùm quærit, ad terrenas voluptates animum alliciendo: vt etiam tunc columbæ induſtriâ vti, & in altum vos erigere, per orationem, non ignoretis, illud prophetæ dictum vſurpando: *Domine vim patior reſponde pro me.* Pſal. 38.

Plinius.

Quartam columbæ proprietatem, eſſe munditiem. Sacra ſcriptura apertè indicat. Nam vt refert Moyſes in Geneſi. columba non inueniens locum vbi requieſceret, cùm finito diluuio à Noë ex arca dimiſſa erat, reuerſa eſt ad arcam, vndè dimiſſa fuit. Mirum eſt, quare reuerſa erat, quoniam ceſſauerant iam aquæ inundantes. Sed ecce ſacra pagina rationem affert, ne ſe inquinaret: quia terra erat fæcibus, luto, & cadaueribus ſpurcata. Et hanc ob cauſam, columba ſemper munditici, & puritatis ſymbolum exſtitit: Spiritus

Gen. 8.

tus S. non aliam ob causam in specie columbæ super nos descendere vult, nisi vt ostendat, se inquinari nolle à fœcibus peccatorum nostrorum. Sed vt omnimoda puritas conscientiæ, habitaculum ei præparet. Agnouit hoc regius vates, qui antequam post adulterium cum Vriæ coniuge patratum, Spiritum S. reciperet, cor suum omni munditie præparare satagebat, clamans : *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Nec mirum, quòd Spiritus S. omnem à nobis puritatem requirat, quia ab æterno assuefactus est, in purissimo illo sinu æterni Patris & Filij habitare. Verùm vltima ratio est, ob quam Spiritus S. in specie columbæ in hospitium animæ nostræ descendere voluit, vt significaret se esse legatum pacis.

Pſal. 50.

Plinius.

Refert enim Plinius l. 10. c. 37. quòd columbæ non rarò internuntiæ fuêre, in rebus magni momenti, secum epistolas ad pedes ligatas, deferendo. Quod comprobat Plutarchus lib. 10. vbi ait, quòd in obsidione Decij, columbæ epistolas Romani detulerint. Quod certè non ignorabat Nôé, qui inter innumeras aues tempore diluuij, solam columbam exploratricem terræ habere voluerit, quæ impleta legatione ad Nôè redijt, muneris sibi commissi rationem reddens; nõ linguâ, & voce, sed ore, & rostro, viridem oliuæ ramum deferens. Spiritus S. pariter hodiè, ceu legatus Patris, & Filij æterni, in specie columbæ descendit ad nos, vt innotescat iam aquas diluuij iræ & furoris Dei cessasse. Et in signum fœderis ac pacis, offert nobis ramum oliuæ, gratiæ sanctificantis, quæ corda mortalium pacificat. Et quia promisi vos, per rosam despondere Spiritui S. ne profanis in re sacra cerimonijs vti videar, adest hac in re consilium Salomonis. qui inquit : *Coronemus nos rosis antequàm marcescant.* Nec mirum, quòd rosa suo odore alliciat Spiritum S. cùm inter omnes flores principatum teneat. Ferunt enim pòëtæ, rosam enatam

Plutarch.

Sapien. 2.

A fuisse è sudore fœminæ, nomine Ionæ : cuius hæc erat indoles, vt in diluculo candida, in meridie rubra, sub vesperum viridis appareret. Fœmina hæc fidelem animam adumbrabat : hæc enim & pijs suspirijs, & sudore pœnitentiæ rosas parit, diluculo candidas, præ nitore coruscans : in meridie rubicundas, dùm in perfecto iam vsu rationis consistens, igne charitatis, & flammis amoris Dei succensa ardet. in nocte tandem virides, dùm felici morte in B Christo obtentâ, sine damnationis putredine æternitati floret.

Habetis proinde dulcem animæ hospitem, dulce refrigerium, Spiritum S. qui in vestris pectoribus, sua hodiè tentoria explicat, nec ipse solus, sed propter indiuisam naturæ vnitatem, & Patrem, & Filium, in vobis habitaturos deducit. Descendit ad vos in igne, & specie columbæ, vt ab inextinguibili eius flamma, vestra corda, si frigent peccatis, incalescant : aut si desidiâ tabefacta iacent, C fortiùs superaddito cœlesti calore succendantur. Venit in forma columbæ, vt summam eius considerantes puritatem, mundum ipsi in vestris animis habitaculum præparetis. Inite igitur feliciter cum æterno Patre amicitiam, conciliate fœdus, cum triumphante omnipotentis nato : & omnem familiaritatis coniunctionẽ instaurate cum diuinissimo Spiritu, per rosam, quæ plantata est in Iericho, scilicet ; per sanctissimam Dei genitricem, per quam Deus in mun- D dum ingressus est. Et quoniam Pòëtæ ferunt, rosam in principio suæ creationis fuisse candidam ; sed postquam Venus Dea molli suo vestigio illam calcauit, spinis illius puncta sanguinem effudit, quo rosa conspersa, purpureum & rubicundum induit colorem. Et vos pariter si à veneris pede conculcati estis, propter virginitatis iacturam, verecundiæ rubore suffundi : qui verò integram adhuc retinetis innocentiam, & mentis puritatem, candore rosæ matutinæ nitere satagite. Et sic hospitales vos agno-

agnoſcens Spiritus S. cum omni deitatis comitatu ad vos veniet, & manere dignabitur.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.

Spiritus Sanctus docet nos modum ſurgendi à peccato, & mutuam concordiam.

QVemadmodùm cum ſummo Patre, ita etiam cum diuino Spiritu Chriſtus Dominus ſic egit, vt non ſua, ſed quæ illius erant, quæreret: magiſq; eius honorem, quàm propriùm curaret. Hinc ad diſcipulos ſuos dicebat Actor. 9. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non poſt multos hos dies.* Actor. 9. Cùm tamen dicere potuiſſet, ego vos baptizabo Spiritu Sancto. Prout iam de illo prædixerat S. Ioann. Matth. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Matt. 3. Verùm cùm Chriſtus vt Deus, ita & homo eſſet, noluit ſuam maieſtatem ac diuinitatem conſiderare, vt potiores quodammodò ſibi deferret partes; ſed in Spiritus Sancti diuinitatem; in propriam verò humanitatem oculos figens, hunc illi honorem deferre ſtuduit, vt de ſe nihil adderet. Quod ingeniosè adnotat Oecumenius apud Lorinum loquens: *Modeſtè dicit Chriſtus baptizabimini, & non baptizabo*: Oecomenius. quia nimirùm diuinitatem ſuam non iactat, ſed quomodò eam potiùs abſconderet, & diuinum Spiritum Deum confiteretur, ac prædicaret, totus in id incubuit. Pari quoq; vrbanitate & comitate, ſe cum eodem diuino Spiritu hodiè gerit; licet enim illum miſſurus eſſet in mundum, non tamen dixit: *quem ego mittam cum Patre, ſed quem pater mittet in nomine meo.* Totus Chriſtus in dignificando Spiritu Sancto. Verùm ex hac humili locutione Chriſti, honor eius periclitari incipit: Miſſum enim audiens Eunomius Spiritum Sanctum, creaturam illum, non Deum aſſeruit, vt refert S. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, vbi Eunomius ſic loquitur, de Spiritu ſancto. *Cùm*, inquit, *dignitate & ordine tertium ipſum didicerimus, tertium quoq; naturâ eſſe credimus.* Error Eunomij. Proinde ex eo, quòd Spiritus Sanctus miſſus ſit à Deo Patrè, inferiorem illum credidit. Sed malè ex miſſione colligit Eunomius inæqualitatem perſonæ, quæ mittitur, reſpectu mittentis. Spiritus Sanctus quomodo ſit miſſus. Non enim Spiritus Sanctus miſſus eſt à Patre in mundum, aut per imperium, quemadmodùm ſeruus mittitur à Domino; aut per conſilium, qua ratione Rex mittitur ad bellum à conſiliarijs: aut per impulſum, quomodò ſagitta mittitur à ſagittario, ſed miſſus eſt ratione originis: quia procedit à Patre. Nec dum tamen finis: Inſurgit antiquus Græcorum error, quoniam miſſio eſt proceſſio vnius ab alio, & vna perſona in diuinis ab ea ſolùm mitti dicitur, à qua procedit. Chriſtus autem promiſit Spiritum ſanctum mittendum à Patre, quòd Spiritus Sanctus à ſolo Patre procedat, à filio autem minimè. Fundatur primò error iſte in ſcriptura Ioann. 15. vbi dicit Chriſtus de Spiritu Sancto: *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*: Ioan. 15. Quibus verbis apertè videtur inſinuare Chriſtus, Spiritum Sanctum à ſe non procedere. Verùm non hoc Chriſtus intendit, imò potiùs dicendo: *qui à Patre procedit*, idq; coniungendo cum ſequentibus verbis, *quem ego mittam*: manifeſtè oſtendit Chriſtus, ſe eſſe Deum, & ſimul docet, ſe vna cum Patre producere Spiritum Sanctum ſubiungens: *Spiritus qui à Patre procedit, teſtimonium perhibebit de me*, nimirum quòd ſim Deus: Quaſi diceret: hunc ſpiritum ego etiam mittam, non quomodocunque, ſed vna cum Patre: non ſecundùm naturam humanam, ſecundùm quam ſum illo inferior, ſed ſecundùm aliam. Cùm autem in diuinis

uinis persona non possit secundùm naturam diuinam alia ratione mitti, quàm ratione originis, euidenter indicat Christus, Spiritum Sanctum etiam à se procedere. Fundatur præterea error Græcorum in Authoritate S. Damasceni, qui lib. 1. de fide cap. 11. ait. *Spiritum Sanctum & ex Patre esse statuimus, & Patris Spiritum nominamus, ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus.* Vbi videtur sensisse Spiritum Sanctum non procedere à Filio. Verùm S. Damascenus constanter docet, quòd Spiritus Sanctus etiam à Filio procedat. nam eodem capite docet, Spiritum Sanctum nominari *Spiritum Filij*, & cap. 18. eundem vocat *imaginem Filij*; imago autem naturalis, de qua ait ibi Damascenus, producitur ab eo, cuius dicitur imago. Solùm itaq; negat Spiritum Sanctum esse ex Filio; quia particula *ex*, apud Græcos frequentiùs designat primam causam, & primum fontem, à quo res emanat. Solus autem Pater est prima origo, & fons omnium productionum ac personarum, & ideò hac ratione Spiritus Sanctus ex solo Patre procedit. Nihilominùs in fide Catholica indubitatum est, Spiritum Sanctum, à Patre & Filio simul procedere. Sic definitum est in Concilio Lateranen. sub Innocentio tertio, capitulo firmiter de summa Trinitate, vbi dicitur: *Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab vtroq;.* Et habetur expressè in Scriptura sacra Ioan. 16. vbi Filius dicitur mittere Spiritum Sanctum: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Cùm autem Spiritus Sanctus, vtpotè Deus, eiusdem cum Filio naturæ, potentiæ, & maiestatis, non possit mitti per imperium: nam talis missio requirit, vt missus distinguatur secundùm naturam, à mittente, sitque eo inferior, ideò dicitur mitti à Filio ratione originis, & consequenter ab eo procedit. Mittitur ergo hodiè Spiritus Sanctus à Patre simul & Filio ad docendum nos, quid autem nos doceat, considerabimus.

S. Damasc.

Concil. Lateranen.

Ioan. 16.

Duo potissimùm Spiritus Sanctus nos docturus in hunc mundum venit. Primò, quòd morbus animæ, videlicet, peccatum sine illo sanari non possit: quia iuxta Concilia & SS. PP. iustificatio peccatoris procedit ex gratiâ præueniente, simpliciter requisitâ, quæ omninò includit interiorem Spiritus Sancti motionem. vt docet D. Thomas in caput Ioan. 16. lect. 6. illa Christi verba: *Paraclitus autem Spiritus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia*, sic exponens: *Quacunq; homo docet exteriùs, nisi Spiritus Sanctus det intelligentiam interiùs, frustra laborat: omnipotentis enim inspiratio dat intelligentiam in tantum, quòd etiam Filius ipse Dei, organo humanitatis loquens, non valet, nisi interiùs operetur per Spiritum Sanctum ipsemet.* Comprobat S. Gregorius hom. 30. *Nisi*, inquit, *Spiritus Sanctus cordi adsit, otiosus est sermo Doctoris.* Nam & ipse conditor, non ad eruditionem hominis loqueretur, si eidem homini per punctionem Spiritus Sancti non loqueretur: vtique Caim audiuit vocem Domini: *peccasti, quiesce*; quia tamen culparum suarum duntaxat voce est admonitus, non vnctione Spiritus, ideò audire verbum Dei potuit, sed seruare contempsit. Et ipse Deus, non parum Iudæis per Moysen locutus est; quæ tamen loquela eos non viuificabat: quia defuit interior cordis motio per Spiritum Sanctum. Cuius sufficiens ratio habetur; quia sola exterior vocatio, non ingenerat nobis supernaturalem cogitationem, aut affectum initiatiuum conuersionis à peccato, & iustificationis; sed tantùm naturalem, proinde sine interna Spiritus Sancti motione, impossibile est hominem à peccato surgere. Quod vt faciliùs exponam, illud ex vnanimi consensu Theologorum sciendum est, peccatum duo maxima mala in nobis operari: inprimis, obfuscationem intellectus, vt quod priùs homo sciebat, postea nesciat. Præterea, debilitatem memoriæ, ita, vt præteritorum omninò, & præsentium non pauca obliuiscamur, iuxta

S. Thomas

S. Gregor.

Sine interna Spiritus Sancti punctione cor hominis moueri in Deum non potest.

Peccatum duo mala in nobis operatur.

illud Sapien. 10. *Sapientiam enim prætereuntes, in hoc lapsi sunt, vt ignorarent bona: non est priorum memoria, sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio.* Vbi manifestè ostendit Sapiens, ob defectum internæ motionis per Spiritum Sanctum, hominem ea, quæ intelligenda sunt, non intelligere, & antea cognitorum obliuisci. Probè expertus est hoc ipsum Saluator noster, in suis discipulis, videns ex vna parte eos non capere hæc, quæ ab ipso dicebantur, nec capere potuisse, vt palã fatetur Ioan. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* imò incredulos aliquando eius Stetisse dictis: cùm enim loqueretur eis, de sui corporis sub specie panis manducatione Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Multi ex illis dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis eum potest audire.* Ex altera verò parte, cùm eis proposuisset innumera sua & dicta, & facta, perspexit impossibile prorsùs fuisse, vt omnia illa, memoriâ retinerent: quia tàm multa erant, vt ne mundus quidem ipsis diuulgandis sufficeret, teste S. Ioanne cap. 21. *Sunt alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libri.* Vnde factum, vt duplici auxilio cœlesti summè necessario egerent Apostoli, nimirùm illustratione intellectûs, & memoriæ confortatione. Illustratione intellectûs, ad doctrinam Christi, eiusq; mysteria percipienda; confortatione verò memoriæ, ad illa infinita propè retinenda, & rememoranda, quæ IESVS in terris cõmoratus dixit, & fecit. Quod vtrumq; abundè per Spiritum Sanctum receperunt: aperuit enim illis Spiritus Sanctus intellectum, infundendo omniũ mysteriorum scientiam, prout Christus illis verbis promiserat, *Ille vos docebit omnia.* Confortauit memoriam, omnia Christi facta & dicta memoriæ illorum suggerendo, iuxta illud: *& suggeret omnia quæcunq; dixero*: textus autem Græcus exponit: *quæcunq; dixi vobis.*

Sap. 10.

Ioan. 16.

Ibidem 6.

Ibidem. 21

Apostoli duplici auxilio egebant.

A En quanta felicitas ex præsentia Spiritus Sancti, sed quibus non adest, duo illa mala ex peccato pullulantia, obfuscatio intellectus, & memoriæ debilitas, maximum eis damnum afferunt: Quid enim homini damnabilius, quàm verbum Dei, eiusque doctrinam non intelligere? Quippè hoc ipsis animantibus brutis deteriorem reddit hominem, Isaiæ 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Isaiæ 1.

B Profectò magna vecordia, vt quod asinus inter animalia stolidissimus, Auctore D. Hieronymo agnoscebat, homo non agnosceret. Necdùm satis, quòd ista obstinatio, intellectûs, & debilitas memoriæ, ex peccato in nobis relicta, bestijs stolidiorem efficiat hominem; sed grauius malum adhuc affert, vt nimirùm Deus talem ignorantem eâ pœnâ mulctet, quâ maior excogitari nequeat. hoc est, lapsûs permissione in peccatum. Oseæ 4. *Non visitabo super filias vestras,* Oseæ 4.

C *cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cùm adulterauerint.* Quasi diceret: non puniam, seu non flagellabo, impediendo eas à malis suis. Quando enim Deus castigat, simulq; à peccato impedit, tunc talis flagellatio potiùs misericordiæ opus est; quàm iustitiæ: at verò, quando desinit flagellare, permittendo lapsum, extremum malum est: quia per hoc efficitur homo non intelligens, sed ignorans, & magnum in intellectu suo defectum patiens.

D Quidnam autem sit hæc ignorantia, & defectus in intellectu hominis peccantis, propter quem ita Deo displicet, vt penitùs illum deserat, variæ sunt Authorum sententiæ. Aliqui volunt esse errorem practicum, quo quispiam dùm peccat, dicit hic & nunc secundùm rationem practicè licere actionem illam, & conuenientem esse. Alij putant esse errorem particularis conclusionis de re operanda, existente perfecta scientia, & cognitione in vniuersum, & licet malum sit peccatum homi-

homicidij verbi gratiâ, generaliter loquendo; tamen hic & nunc homicidium ob vindictam appetendum esse. Sed vtrumq; hoc refutat Philosophus in 2. Erhic. cap. 3. & 10. Vbi docet talem in intellectu errorem, neq; esse falsitatem practicam, neq; falsam conclusionem particularem: benè enim scit, qui peccat, se malum operari. Nec esse imperium, aut intellectûs propositionem, imperantis & proponentis voluntati, quod non debet: quia licet intellectus malè proponat, scit tamen malè se proponere, proinde non est ignorans. Defectus itaq; & error in intellectu, consistit in modo propositionis, quo intellectus bonum, & malum proponit voluntati, aut rationes vtriusque. Quoniam eas rationes quæ incitant ad bonum honestum, frigidè, & remissè, absq; viuacitate proponit, efficaciter autem & ardenter, quæ bonum delectabile trahunt. Hinc euenit, vt voluntas sequatur rationes efficaciter propositas, deserat autem remissè ostensas. Ita concludit citatus Philosophus: *Cùm autem vltima propositio rei sit sensibilis, opinatio, atq; actuum domina, hanc incontinens aut non habet, dùm est in perturbatione, aut sic se habet, vt in habendo non sit scire, sed dicere*: perinde, atque dormiens & temulentus Empedoclis carmina proferret. Quod adhuc clarius elucidat cap. 10. *Incontinens se habet, non vt is, qui scit, & contemplatur, sed vt is, qui dormit, aut est vinolentus, & sponte sua agit: scit enim quomodò, & quid, & cuius gratiâ facit.* Defectus igitur, seu ignorantia intellectûs in peccante, iuxta Aristotelem, consistit in frigida, molli, & remissa cogitatione actionis bonæ, cùm hanc intellectus ardentiùs viuaciusq; proponere deberet, & hoc non facit: sed è contra, turpem cogitationem proponit efficaciter, honestam inefficaciter. Hinc exoriuntur peccata, & mala, hinc mundi perditio, dùm homines velut somniantes, quæ sunt Dei, considerant: dùm vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus miscere, simulq; retinere appetunt: at cùm hoc impossibile, à carnalibus abstracti, spiritualia velut in somnio eis fiunt, ita vt propter hanc temeritatem, regnorum desolatio frequenter eueniat. Quod grauiter deplorat Hieremias cap. 12. *Desolatione desolata est terra, quia non est, qui recogitet corde.* Hiere. 12.

Hanc certè ob causam, venit Spiritus Sanctus, vt hunc defectum & grauem errorem, ex intellectu nostro euelleret: solus enim ad hoc potens est, quia simul docens inflammat corda, accendit voluntatem, illustrat intellectum, & illustrando simul viuacem reddit, atq; ardentem, & ideò doctrina Spiritus Sancti ignea est, & ipse ignis est. Quippè in igne descendens, illustrauit discipulorum montes, vt scirent; & accendit, vt arderent. Hinc factum, vt non ampliùs tanquàm somniantes, aut ebrij, præcepta Domini custodirent; sed veluti fortes viri, strenuè & hilariter sobrij currerent ad ardua, implerent difficilia. Quod totum à superueniente Spiritu Sancto acceperunt, vt docet S. Bernardus Serm. 1. in Pentecost. *Spiritus*, ait, *in Apostolos in igne apparuit, propter lumen pariter, & ardorem; quos enim repleuerat, & spiritu feruere, & veritatem cognoscere fecit.* S. Bernard. Ergo diuinissimus Spiritus in suo aduentu, defectum in intellectu errante sustulit, lumen gratiæ infundens, & peccatum ex animis hominum penitùs eradicans.

Peccati grauitatem exprimere volens Salomon, duobus bestijs summè venenatis illud assimilauit. Prouerb. 23. *in nouissimis mordebit vt coluber, & vt regulus venena effundet.* Accommodè latis colubri morsum, ad peccati ictum, animam interficientis retulit; veneni autem diffusionem regulo attribuit, eò, quòd hic inter omnia lethalia animantia, etiam extinctus noceat, & exitialem vim habeat. Sic de illo fatur Solinus cap. 30. qui postquàm de illo dixisset, *extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit* Peccatum bestijs assimilatur. Solinus.

rumpit auras: ita vt in aëra nulla alitum impunè transuolet, infectum Spiritu pestilenti. Protinus subiunxit: *Vis tamen, ne defuncto quidem deest.* Ostendere volens, etiam extincto peccato, ac defuncto, venenum eius ad nocendum superesse. Hinc illud Eccles. 5. monitum cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Et cur obsecro propitiatum iam atq; dimissum crimen, metuendum suadet? An certè Deum datæ semel veniæ pœnitebit? aut culpam non nisi ex parte condonasse censebitur? absit: sed quia peccatum sicut regulus, cui ne defuncto quidem sua vis deest, venena diffundit. Rem experimento certam habete: abstulerat à domesticis suis adamata idola Iacob, extorserat etiam ab illorum manibus inaures, atq; hæc omnia sub terebintho consepeliuerat. Gen. 35. *Dederunt Iacob Deos, quos habebant, & inaures, at ille infodit ea subter terebinthum.* Ecce non solùm abscondit idola Iacob, infodit, & ad sepulturam dedit; sed insuper & inaures etiam terræ mandauit, ne videlicet mortua & extincta illa idololatria, ad sui amorem illorum hominum animos traxisset, vt obseruat S. Bruno in allegorijs Diui Gotfridi Tilman. ad cap. 35. Gen. *Iacob*, inquit, *& inaures, & Deos terræ infodit, vt & mortui intelligantur, & ad homines decipiendos vlteriùs non appareant.* Ita planè Redemptor noster, morte sua peccata nostra sustulit. teste S. Paulo Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Quod comprobat S. Ioan. inquiens. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* & cap. 4. ibidem. *Misit Deus filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Hinc S. Hieronym in caput Isaiæ 43. sanguine Christi nostra peccata penitùs deleta proclamat, sic in persona eius loquens: *Ego autem propter me, & quia misericors sum, & patiens, & multarum miserationum, dele-*

bo omnes iniquitates tuas in aspersione, & sanguine noui testamenti, delens vetus chirographum, quod aduersùm te scriptum erat. Nihilominùs remansit graue peccati venenum, nimirùm ignorantia in intellectu, in voluntate malitia, in sensualitate fomes peccati, in corpore mors, infirmitas, morbus, ideò diuinissimi Spiritus aduentu opus erat, qui has peccati reliquias penitùs aboleret.

Hoc indicare voluit S. Lucas, qui Spiritum Sanctum descendisse in vento narrat Actor 2. *Factus est repentè de cœlo sonus, tanquàm, Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes.* Quid aër mollis cum Sancti Spiritus virtute commune habet? Multum equidem: Aër cœlum purificat, & infirmitates expellit, quandò sanus est; è contra infirmitates, gignit, dùm infirmus. Quia ergo homo per aërem infestum se perdiderat, dùm illum superbus spirans dæmon ei persuasit, vt diuinam affectaret scientiam, Gen. 3. *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Ideò oportebat, vt per sanum aërem à Spiritu Sancto insufflatum reficeretur, atq; in pristinum statum rediret. Sic quondam per vnum aërem in Ægyptum locustæ venerant, depopulantes illam, Exodi 10. *Ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futuræ sunt. Operueruntq; vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia.* Sed postea per alium aërem ad Moysis orationem fugatæ sunt: *Orauit Dominum Moyses, qui flare fecit ab occidente, ventum vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum, non remansit nec vna quidem in cunctis finibus.* Vnde sicut ad petitionem Moysis, misit Deus ventum, ad tollendam locustam; ita ad petitionem Christi missus est Spiritus S. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* qui venit in vento non molli, sed vehementissimo, ita vt sonum redderet: *Factus est de cœlo sonus,*

Eccl. 5.
Gen. 35.
Bruno.
Rom. 3.
Ioan. 4.
S. Hieron.
Actor. 2.
Gen. 3.
Exodi 10.
Ibidem.

nus, tanquàm aduenientis Spiritus vehementis. & ideò per illum locustæ proiectæ in mare rubrum. Per locustas enim intelliguntur peccata, per mare rubrum, sanguis Christi, in quo nostra, non solùm lota, sed immersa sunt vitia. Et quemadmodùm ne vna quidem locusta remanserat in Ægypto, postquàm ventus à Domino flauit; ita post aduentum diuinissimi Spiritus, non solùm peccata, sed omnes etiam imperfectiones, per virtutes ipsius immersæ, ablutæ, imò & pessundatæ sunt. Ita concludit S. Gregorius lib. 2. cap. 2. *Cùm per gratiam suam Spiritus Sanctus electorum corda visitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat: quia vt se menti infuderit, eam protinùs in vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat: facit enim statim odisse, quod amabat, & quod odio habuerat, ardenter diligere, ac in vtroq; valde ingemiscere, quia & mala, quæ odit, se damnabiliter amasse recolit, & bona, quæ diligit, odisse. Quis enim audet dicere, licet omnimoda peccatorum sarcina prægrauetur, quod perire possit aliquis, visitatus gratia Spiritus Sancti.*

S. Gregor.

Venit præterea Spiritus Sanctus vt suos fideles pacis nexu inuicem copulet: proprius enim diuinissimi Spiritus fætus ac fructus est, charitas ac dilectio, cuius productio non secus ipsi attribuitur; quàm Patri generatio verbi, & vtriq; spiratio tertiæ in diuinis personæ. Gignit æternus Pater, suum per omnia sibi æquale (Deum de Deo) verbum: similiter tàm summus Pater, quàm ipse Filius, tertiam personam diuinam, Sanctum videlicet Spiritum, Patri & Filio æqualem, producunt. Ergone iam diuinissimo Spiritui deerit rei etiam diuinæ productio, nec fæcundus ad diuinitatem spirandam, summus summeq; viuificus Spiritus censebitur? absit. licet enim perfectâ iam Trinitate, alia persona diuina produci non possit; relinquitur tamen adhuc diuino Spiritui diuinæ rei spiratio: quia gignit & spirat in animo fidelium charitatem, ac pacem: pacem inquam rem diuinam, & ipsamet Dei appellatione honorandam. Sic eam intitulat Gregorius Nazianz. Orat. 3. de pace: *Pax amica mea, meditatio mea, & decus meum, quam & Dei, & cuius Deum, & quam Deum esse Scriptura pronuntiat.* vt loquitur Apostolus Philipp. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum.* Et paulo inferiùs: *Deus pacis erit vobiscum,* & Rom. 15. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis.* Hinc S. Bernardus Serm. de S. Benedicto, non secus charitatis productionem Spiritui Sancto attribuit; quàm Patri generationem Filij: *Pater,* inquit, *non exijt, sed Filius à Patre processit, & venit in mundum, vt qui priùs erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in vtero matris; seminauit & Spiritus Sanctus, quia & ipse venit, & apparuerunt discipulis dispertita lingua, tanquàm ignis: ita tota Trinitas seminauit, Pater scilicet panem de cœlo, Filius veritatem, Spiritus Sanctus charitatem.*

S Gregor. Nazianz. Philipp. 4. Rom. 15. S. Bernard.

Spiritus Sanctus pacem & concordiã gignit.

Odit Spiritus S. bella & discordias: quia solam charitatem mutuam in cordibus nostris manere vult, & ideò hanc omni studio seruandam monet Apostolus Ephes. 4. *Soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis, in vna spe vocationis vestræ.* Quasi diceret: ea potissimùm de causa vnitatem Spiritus seruare debetis, quòd vnum corpus, vno spiritu animatum, & coagmentatum sitis. Proprium enim Spiritus Sancti munus est, mutuâ dilectionis coniunctione fideles omnes connectere, ad eum modum, quo anima & singulis membris corporis vitam inspirat, & ea omnia inter se copulat, atq; connectit. Vt præclarè docet S. August. Serm. 2. in Feria 2. Pentecost. *Quod est,* inquit, *anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus Corpori Christi, quod est Ecclesia, hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris vnius corporis.* Et ideò ex hac Spiritus diuini charitate in corde hominis diffusâ, tanta ei dignitas aduenit, vt Filius Dei nominetur,

Ephes. 4. S. August.

& sit. Ita pronuntiat Apostolus Mat-
Matt. 5. thæi 5. *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Super quæ verba Glossa
Glossa. sic discurrit: *Maximam dignitatem habent pacifici, sicut qui filius Regis dicitur, in domo Regia summus est.* Plus ad-
S. August. huc addit Augustinus: *Meritum*, inquit, *Christiana virtutis vilescit in cunctis, si vnitatem non habet pacis, nec peruenit ad nomen filij, nisi per nomen pacifici.* Quia nimirum homo pacificus, diuini Spiritus fructus, germanaque proles censetur. Verùm qui à mutua charitate & dilectione proximi recedit, à genuino Spiritus Sancti fructu degenerat, & à culmine Dei filiorum decidit. Quod optimè ostendit Iudas Apostolus in sua canonica Epistola inquiens: *Qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* Palam ostendens, eos diuino Spiritu destitui, qui à fratrum suorum dilectione, & societate discinduntur, proinde totos animales, quoniam ea tantum respiciunt, quæ sensuum voluptatibus consentanea sunt, appellans. Quod præclarè expressit Doctor gentium
1. Cor. 3. 1. Cor. 3. *Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis.* In quem locum S. Bernardus Serm. 1. de Melchiade ita discurrit:
S. Bernard. *Dignè igitur contentiosos, & qui separant semetipsos, Apostoli carnales vocant, & animales, Spiritum non habentes.* Et ad maiorem istius veritatis comprobationem, quod discordes & fraternam charitatem euertentes diuino Spiritu destituantur, Angelos pacis, & animarum custodes, de discordia hominum ita loquentes introducit.
Idem. *Quid nobis, & generationi huic Spiritum non habenti? Nam si esset Spiritus, per eum vtiq; charitas diffunderetur, & vnitas non scinderetur. Et dicunt, non permaneamus cum hominibus istis, in aternum, quia caro sunt. Quæ enim conuentio luci ad tenebras? Nos de regno vnitatis & pacis sumus, & homines istos in eandem vnitatem, & pacem sperabamus esse venturos; nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis.*

En veritatem sole clariorem?

A scindimur perpetuis odijs, frater fratrem supplantat, & cui subsidio esse debuit, eius damno crescere desiderat: regnum hoc totum intestinis dissidijs laceratur, quasi ad vltimum excidium, sibi viam sternens. Inquirite causam si placet, aliam mihi credite haud reperietis, nisi quia diuinus Spiritus non est in nobis. Sic protestatur S. Augustinus Serm. 2. ad fratres in eremo: *Omnis qui ab vnitate* S. Augu. *diuiditur, ne dubites, quin ab eo recesserit Spiritus vitæ.* Ratio in promptu:
B quia per quamlibet proximi offensam, & multò magis per discordiam, diuino Spiritui, qui Deus pacis, imo pax ipsa & haritas est, iniuria grauis infertur, teste D. Augustino tract. 7. in Ioan. vbi sic dicit: *Facere contra* Idem. *dilectionem, facere contra Deum est; nemo dicat, in hominem pecco, quòd non diligo fratrem meum, intendite: quomodò non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas? Deus dilectio est.* Cùm enim Deus Auctore Tertull. lib. de
C spectaculo cap. 15. præceperit Spiritum Sanctum, vt potè pro naturæ suæ bono, tenerum, & delicatum, & tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare; non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare. Ideò, minimum etiam verbùm, quantumuis subobscurè in proximi iniuriam iactum, à diuino Spiritu non libenter auditur, teste Salomone Sapientiæ 1. *Qui loquitur iniqua, non* Sapient. 1. *potest latere, nec præteribit illum corripiens iudicium.* Hinc statim monet, ne
D falsis calumnijs diuinum Spiritum irritemus: *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest; & à detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.* Quasi diceret; linguas ita petulanter in fraternæ innocentiæ depressionem laxastis, tandem aliquando comprimite, nõ aliter pacem inter vos, & tranquillum atq; pacatum Reipublicæ statum habituri.

Præclarum istius rei fundamentum video in Ezechiele, vbi mortuis atq; aridis ossibus vitalem spiritum, qui illa iterùm animaret, & confoueret, immissurus Dominus, non priùs

id præ-

id præstitisse dicitur, quàm ipsam & ossa ad suam etiam compagem, atq; iuncturam accederent, & inuicem inter se connecterentur. Ezechiel 37.

Ezech. 37. *Et accesserunt ossa ad ossa, vnumquodq; ad iuncturam suam.* Vnde D. Augustinus Serm. 2. ad fratres in eremo dicit:

S. Augst. *Spiritus enim humanus, sicut nunquàm viuificabit membra, nisi fuerint vnita; sic Spiritus Sanctus nunquàm nos viuificabit, nisi pace vniti fuerimus.* Ostendens, fideles, non aliter diuino Spiritu afflari; quàm cùm mutua charitate copulantur, atq; cõstringuntur.

Quare & nos arripiamus hanc duplicem doctrinam, à diuino Spiritu nobis traditam, vt & peccata nostra per illum deleri curemus, & ad mutuam charitatem redeamus; vt simus vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati sumus in vna spe vocationis nostræ. Et quemadmodùm olim Elizeus, duplicem Spiritum à Domi-

4. Reg 2. no Deo postulauit. 4. Regum 2. *Obsecro*, inquit, *vt fiat Spiritus tuus duplex in me.* Quia licet optimè sciebat, diuinum Spiritum simplicissimum esse, ex illo Sapientiæ 7.

Sapien. 7. *Est enim in illa Spiritus, intelligentiæ Sanctus, vnicus;* dum tamen nobis communicatur, duplicem sortitur effectum, videlicet dilectionis Dei, & proximi. Quemadmodùm exponit Galfridus in allegor Gotfrid. Tilm.

Galfridus. *Non quia in se diuisus est Spiritus, sed quia in munere suo & opere duplicatur: vnus est enim Spiritus, per quem charitas diffunditur; ea tamen in amorem Dei & proximi deriuatur, nec adesse credendus est vnicus ille Spiritus, vbi duplex non inuenitur: cùm enim in se ipse sit simplex, in nobis nunquam fieri poterit, nisi duplex.* Ita & nos postulemus hodiè à Patre luminum, Spiritum S. duplicem ratione effectus, vt in nobis dilectionem Dei, & proximi accendat; vnicum verò ratione simplicissimæ deitatis, vt omnem disunionem ad vnitatem reducat, discissam mutuam charitatem vniat, & vnanimem det omnibus intentionem, ad postponenda priuata odia, bonum commune promouendum, patriam denique pacificandam. Vt cum aduenientе Spiritu S. fausta omnia eueniant, omnia redintegrentur, ac in pristinum statum redeant.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.

Spiritus Sanctus ad hoc principaliter missus est, vt neglectum apud homines æterni Patris honorem resuscitet.

NVnc primùm, vt video Redemptor noster, palam & non in ænigmate loquitur mundo insensato, probans se eiusdem omninò essentiæ cum Patre æterno esse: quia vna cum Patre mittit Spiritum Sanctum, vt apertè insinuat Ioan. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Per quod ostendit, se omninò vnum idemq; Principium cum Patre esse Spiritus Sancti, quia tàm in Patre, quàm in Filio, sicut est vna numero Deitas; ita & vna numero potentia spiratiua. Ita definitum habetur in Concil. Lugdunensi, sub Gregor. X. relato cap. *vnico* de summa Trinitate in 6. vbi dicitur:

Ioan. 15.

Concilio Lugdunense. *Fideli ac deuota professione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquàm ex duobus principijs; sed tanquàm ex vno principio: non duabus spirationibus, sed vnicâ spiratione procedit.*

Et clarè hanc ipsam veritatem D. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. docet: *Fatendum*, inquit, *est, Patrem & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatus vnus Creator, & vnus Dominus; sic relatiuè ad Spiritum Sanctum, vnum principium.* Dicitur ergò Christus mittere Spiritum Sanctum, quia illum verè cum Patre producit: nam vnam personam diuinam, aliam nobis mittere, nihil est, quàm illam hanc ita ab æterno ex se emittere, siue producere,

S. Augst.

cere, vt in tempore nouo modo per A suum effectum, in nobis esse incipiat. Hinc falsò contendunt Græci, citatũ Euangelij locum aliter explicare, asserentes hanc missionem Spiritus Sancti à Filio, non significare processionem internam, sed missionem externam, quæ consistit in distributione donorum gratiæ. Quia enim Christus tanquàm Filius Dei, dat etiam hominibus illa dona, quæ vocantur dona Spiritus Sancti, ideo putant eum propter hoc dicinobis dare, seu mittere Spiritum Sanctum. B Proindè hoc loco Spiritum Sanctum non accipiunt pro tertia Sanctissimæ Triadis personâ, sed pro dono Dei gratuito. Nam in sententia Catholica certum est, Spiritum Sanctum, non ratione donorum nobis inesse, neq; in die Pentecostes ratione illorum descendisse, sed personaliter, ita vt contrarium asserere, dicat Sanctus Thomas errorem esse, 1. p. q. 43. art. 3. in corpore vbi dicit: *quod miracula facta sunt à Christo, propter confirmationem doctrinæ eius, & ad ostendendam virtutem diuinam in ipso, quæ ex missione Spiritus Sancti maximè innotuit.* S. Thomas. C Idem docet S. Leo Serm. 1. Pentec. S. Ambro. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 5. & 9. S. August. lib. 5. de Trin. cap. 26. & tract. 32. & 74. in Ioan. Deindè loca scripturæ id manifestè probant, nec possunt aliter intelligi, nisi de personali Spiritus Sancti assistentiâ in anima. vt 1. Cor. 6. *Membra vestra sunt templum Spiritus Sancti, qui in vobis est.* 1. Cor. 6. Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. D Ioannis 15. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum.* Ioan. 15. Ex quibus liquidò constat, nos à Patre æterno, non solum Filium, sed etiam Spiritum Sanctum accepisse, dùm Christus Dominus eum mittendum affirmaret. Tandem ratio euidentissima demonstrat, hanc Græcorum explicationem non valere. Tum quia si mittere Spiritum Sanctum nihil aliud est, quàm dare dona Spiritus Sancti, ergo quoque Pater mitteretur à Filio, & Spiritu Sancto: quia Filius & Spiritus Sanctus dant omne donum descendens à Patre luminum. Quòd tamen nusquàm legitur in Scriptura sacra, vt ingeniosè obseruat S. August. lib. 2. de Trinit. cap. 5. Tum quia non minus verè ac propriè scriptura dicit, Spiritum Sanctum mitti à Filio; quàm Filium mitti à Patre. sed quando Pater dicitur misisse Filium, non est sensus, quòd miserit tantùm dona quædam Filij; sed ipsum Filium. Ergo pariter quando Filius dicitur misisse Spiritum Sanctum, non debet intelligi de donis, sed de ipsa persona Spiritus Sancti. Falsò præterea vrgent, ex citato Euangelij loco non sequi Spiritum Sanctum procedere à Filio, licet ab illo mittatur: quia etiam ipse Filius in Scriptura sacra dicitur mitti à Spiritu Sancto, à quo tamen non procedit, vt Isaiæ 48. *Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius.* Isaiæ 48. & cap. 61. *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* Hoc enim non valet: quia Isaias locis citatis loquitur de missione impropriè dictâ, & Filius solùm dicitur mitti à Spiritu Sancto, quatenùs homo, quia operâ ipsius in vtero Virginis conceptus, & factus est. At verò Christus loquitur de missione Spiritus Sancti, vt est persona diuina, quæ vt ab alia verè & propriè dicatur mitti, necessarium est, vt ab ea procedat: quia vt docet S. Thomas 1. p. q. 43. art. 1. ad hoc, vt vna persona diuina, ab alia mittatur, necessariò requiri, quòd dicat relationem ad mittentem, tanquàm ad principium suæ processionis. Cùm autem Spiritus Sanctus non possit mitti à Filio, per imperium, aut consilium, eò quòd sit æq; potens, ac Sapiens; quemadmodùm Filius, sequitur eum mitti per internam processionem, vt docet S. August. lib. 4. de Trinit. cap. 10. *Filium,* S. August. inquit, *mitti, nihil aliud est, quàm Filium nasci: & similiter Spiritum Sanctum mitti, nihil aliud esse, quàm Spiritum procedere.* Neque obstat, quòd Christus in futuro dixerit: *Quem Pa-*

ter

ter mittet in nomine meo; cùm tamen processio Spiritus Sancti æterna sit: quia etiam missio Spiritus Sancti respectu mittentis & missi est æterna; respectu verò eorum, ad quos mittitur, est temporalis. Considerabimus itaque, quæ sit necessitas istius missionis Spiritus Sancti.

Spiritus Sanctus quatuor de causis missus.

Quatuor potissimùm de causis, missionem Spiritus Sancti necessariam fuisse, fatentur omnes. Primò, quia prædicatio Euangelica erat difficillima, & summè laboriosa, vt fatetur D. Paulus 2. ad Cor. 1. *Supra modùm*, inquit, *grauati sumus, supra virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere.* Lectio Syriaca vertit: *Adeò, vt vita nostra propè abijcienda fuerit.* Per quod ostendit tribulationes ingentes, quas in prædicatione patiebatur, ita vt semper omnium terribilium vltimum, ante oculos mortem ipsam præseferret. ergò necesse fuit inter tot tantasque tribulationes, & angustias, consolatorem illis adiungere talem ac tantum, qui eos animaret, erigeret, ac foueret; & qui, dùm illi in medio tantarũ existerent flammarum, consolaretur, & vento sui Spiritus eos refrigeraret. Quod effecit Spiritus Sanctus, vt fatetur Doctor gentium loco citato: *Quoniam*, inquit, *sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra*: hoc est, Spiritus, qui per Christum consolatur nos.

2. Cor. 1.

Ibidem.

Secundò, quia crucis scandalum retrahebat plurimos à doctrina Euangelica, cùm non facilè in animos hominum induci posset, vt eum, quem viderant crucifixum, simul esse Deum crederent. Quod sanè Paulum in magno constituebat timore ac tremore, 1 ad Corint. 2. *Et ego cùm venissem ad vos fratres, non in sublimitate sermonis, & sapientia, annuntiaui vobis testimonium Christi.* Et statim causam istius reddit: *Non enim iudicaui, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum: & ideo in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Quia nimirùm, quod ipse prædicabat, ita absconditum à sensibus, humanaq; erat æstimatione, vt vix in alicuius mentem cadere posset, Deum nempè crucifixum esse. Hinc addit S. Paulus: *Sapientiam loquimur non huius sæculi, neq; Principum huius sæculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo Principum huius sæculi cognouit, sicut scriptum est.* Quis enim vnquàm cogitare poterat, Deum propter homines crucifixum, vtq; Pater æternus daret Filium suum vnigenitum eo modo, quo dedit. Proinde talis sapientia, & altissimus Dei modus, scandalum erat hominibus, adeoq; absconditus, vt nisi ipse diuinissimus Spiritus talia enucleasset, forsan nemo hominum credidisset. Cùm & ipsi Apostoli, qui lac Christi suxerunt, sine auxilio Spiritus Sancti, ad cognoscenda mysteria fidei, sufficientes non essent, iuxta doctrinam S. Pauli supra citati: *Nobis autem*, inquit, *reuelauit Dominus per Spiritum suum.* Moxque rationem subiungit, quia *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et quænam obsecro sunt profunda hæc? Respondet S. Thom. est sacratissimum opus Incarnationis, & Redemptionis, quod cùm totum opus sit amoris, ideò meritò profundum dicitur. Ergò necessarium fuit mitti Spiritum Sanctum, qui tanquàm missus à Christo, & ab ipso procedens, hæc difficillima & profunda mysteria mundo patefaceret, vtpotè qui solus ea nouerat, iuxta illud S. Ioan. *Nemo nouit quæ sunt Dei, nisi Spiritus eius.* cap. 16.

1. Cor. 2.

Ibidem.

Tertiò, quia doctrina Euangelica erat nimiùm obscura, vtpotè tota sub figuris latens, quarum scientia omnium hominum superat ingenia, ergò opus erat diuinissimo Spiritu, qui obscuras veritates explanaret, & daret intelligentiam hominibus. Propter hoc enim tertia in Trinitate persona, appellatur non solùm veritas, sed etiam Spiritus veritatis: quia vt docet S. Chrysosth. hom. 74. & 76. *figuras & vmbras antiquæ legis declarat, & enucleat.* Quippè tres veritates circa doctrinam Christi considerari possunt,

S. Chryso.

sunt, prima figuratiua, quatenùs sub figuris latebat. Secunda promissa, quatenùs in varijs scripturæ locis promissa erat: tertia, quæ iter ad regnum cœlorum pandebat, & viam demonstrabat ad supera, iuxta illud Ioan. 18. *Veni, vt testimonium perhibeam veritati.* Quod testimonium non aliud fuit, nisi illud, quod supra dixerat idem Euangelista cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Iste autem tres veritates, seu veritas Christi, tribus hisce modis intellecta, tota in Euangelio sancto explanatur: quoniam Euangelium figuras legis veteris declarat, promissa adimpleta demonstrat, immò & implet, ac demùm viam & iter ad cœlum ostendit. Vnde factum est, vt ipsum Euangelium per antonomasiam dicatur *veritas*, vt docet Paulus ad Ephes. 1. illis verbis: *Cùm suscepissetis verbum veritatis.* id est Euangelij. Et Galat. 5. *Quis vos impediuit obedire veritati.* id est Euangelio. Cùm ergò triplicem hanc veritatem, hominum captum excedentem, Apostoli mundo denuntiaturi essent, nec ad tàm arduum munus ex seipsis sufficerent, ideò missione Spiritus Sancti opus erat, qui has obscuras veritates facilitaret, vt docet S. Augustinus homil. 5. in Apocal. *Postquàm*, ait, *Dominus ascendit in cœlum, & aperuit vniuersa, misit Spiritum Sanctum, cuius verbo prædicatores tanquàm sagittæ ad corda hominum pertingerent, & vincerent incredulitatem.*

Quartò, quia difficultas in cognoscendis reuelatis mysterijs, oriebatur ex imbecillitate testimoniorum: cùm enim res ita arduæ proponendæ essent, necesse erat eas ab illo proponi, qui in se haberet authoritatem & veritatem infallibilem. Quippè in rebus magnis & arduis, non multitudo; sed grauitas testium spectari solet, iuxta illud Socratis apud Laërtium lib. 2. cap. 5. *nec enim refert quàm multi sint, sed quàm graues testes.* ergò necessarium erat, mitti personam Spiritus Sancti, quæ tantæ esset authoritatis, quantæ ipsemet Deus, vtpotè à Patre Filioq; procedens, eiusdem naturæ cum ipsis, æqualisq; tàm in authoritate, quàm in potentia. Vnde sicut multoties Filius authoritatem à testimonio Patris accepit, præsertim quando vox illa de cœlo super eum intonuit. Matth. 3. *Hic est Filius meus.* Ita pariter decebat, vt etiam parem authoritatem â testimonio Spiritus Sancti acciperet, qui ab ipso procedit, vt sic doctrina Christi maneret testata à duabus personis summæ & infinitæ veritatis; ita vt nihil ampliùs homines requirere possent, fierentq; inexcusabiles, si credere nollent. Quemadmodùm argumentatur D. Ioan. Apost. *Quis est*, ait, *qui vincit mundum? nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei.* 1. Ioan. 1. Quasi diceret: Christus ad probandum se esse verum Deum, non qualiacunq; testimonia adduxit, sed maxima, & quibus maiora nullo modo excogitari possunt, & ideò addit: *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine, & Spiritus est, qui testificatur, quoniam Iesus Christus est veritas.* Vbi per aquam, & sanguinem vox Patris intonuit, quæ bis de diuinitate filij testificata est, semel in aqua baptismi, quando baptizatus est; deinde in sanguine, hoc est in ipsa iam passione. Dùm enim Christus tunc rogaret Patrem. Ioan. 17. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum*, venit vox de cœlo, *& clarificaui, & iterùm clarificabo.* Ioan. 12. Verùm vt in ore duorum staret summa veritas, Spiritus quoq; Sanctus de eius diuinitate testificatus est, vt sic nulla ampliùs remaneret dubitatio, quod Christus esset verus Deus, verusq; homo, dùm & summus Pater hoc affirmauit, & Spiritus Sanctus suâ potentiâ virtuteq; confirmauit.

Non inficior magnam hanc fuisse necessitatem mittendi Spiritum Sanctum, verùm ego aliam longè profundiorem conijcio, vt nimirùm per aduentum Spiritus Sancti, totus mundus ad æterni Patris cultum, deuo-

deuotionem, amoremq; incitaretur. Quod sic deduco: totus Christus erat in promouendo Dei Patris honore,
Ioan. 8. vt habetur Ioan. 8. *Ego honorifico Patrem meum*: & mox subiunxit: *Ego non quaro gloriam meam.* Cùm ergo & ipsemet Christus vt homo, toties in genua procumbens, humillimè Patrem æternum adorauerit, prolixiùs ad eum orationes fundendo, & Apostoli Sancti multum elaborabant, vt in adorationem summi illius Patris, vniuersum mortalium genus inducerent. Eam enim ob causam, quoties de Patre locuti sunt, postquàm Deum dixerunt, nomen Patris addidêre; non solùm expositionis gratiâ, sed vt ardentiùs ametur, & sanctiùs adoretur, quemadmodùm obseruat Ribera in sua Apocal. cap. 1. n. 6. Hinc
2. Cor. 1. Paulus 2. ad Corint. 1. dicit: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi.* & 1. ad Corint. 15. *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri* & S. Ioan.
Apoc. 1. Apocal. 1. *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo.* vt hinc agnoscamus, Deum Patrem explicitè, & particulari cultu adorandum esse, templa illi dicanda, particulares preces, festiuosq; dies assignandos. Quod inprimis suadet ipsa dignitas personæ, in cuius cognitione consistit vita æterna creaturæ rationalis, iuxta illud
Ioan 17. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum.* Hinc meritò dicit S. Cyrillus Hierosol. Catech. 7.
S. Cyrillus Hierosoly. *Credamus igitur in vnum Deum Patrem imperscrutabilem, & inenarrabilem, cuius faciem Angeli perpetuò vident; vident autem vnusquisq; secundùm ordinis proprij mensuram; Splendorem autem purum paternæ visionis, propriè tamen filio, cum Spiritu Sancto intueri licet.* Ita enim augustæ maiestatis, tantæq; dignitatis est summus ille Pater, vt faciem eius etiam Angeli & supremæ potestates aspicere non audeant, vt
Isaiæ 6. habetur Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* In qua visione Sanctus Athanasius, Irenæus, & Origenes, solum Deum Patrem Isaiam vidisse affirmant. Et ideò Christus templum illud Hierosolymitanum antiquum, Deo & toti Sanctissimæ Trinitati dicatum, non Dei, sed Patris domum nominauit, ob summam eius dignitatem Ioan. 2. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Si ergò tantæ est dignitatis æternus ille Pater, si ita à Beatis illis Angelorum mentibus, colitur, & adoratur: Si Redemptor noster illud magnificum, quod in mundo tunc extabat Dei templum, Patri appropriauit, cur nunc populus Christianus eidem noua templa non erigat? diem festum non instituat, precesq; particulares non ordinet.
Ioan. 2.

Suadent deindè ampliſſima beneficia mundo, ab æterno Patre collata. Licet enim indubitatum sit, opera diuina ad extra indiuisa esse, & à Deo prout vno emanare; quædam tamen Patri, quædam Filio, quædam Spiritui Sancto attribuendo, maiora & minora, nostro intelligendi modo, & prout à nobis concipiuntur, censeri debent. Cùm conferendo illa inter se, ratione attributionis, plus vni personæ diuinæ; quàm alteri, debitores inueniamur. Filio quippè debemus, seu propriè attribuimus. *Redemptionem*, inæstimabile beneficium: Spiritui Sancto. *Sanctificationem*, datum immensum: Patri verò *Creationem*, omnium illorum fundamentum. Conferte quæso omnia hæc adinuicem, beneficia cum beneficijs, gratias cum gratijs, dona cum donis, & facilè aduertetis, ea quæ Pater nobis contulit, ab illis, quæ Filius, ac Spiritus Sanctus, tantùm distare, quantum cœlum à terra. Ea quippè, quæ nobis Filius contulit, scilicet quia nos redemit, & ad dignitatem adoptionis subleuauit, spectant ad vitam Deo gratuitam, & mundam: ea quæ à Spiritu Sancto accepimus, pertinent ad vitam sanctam: at verò illa, quæ Pater donauit, sunt horum omnium fundamentum, sine quo vita illa non esset. Di-

cam ampliùs, ſpectant non ſolùm ad profuſionem donorum gratiæ, ſed etiam ipſarum perſonarum diuinarum: quia nobis Pater, vltra omnia dona gratuita, etiam Filium ac Spiritum Sanctum largitus eſt: imò ratione circuminſeſſionis, vt Theologi loquuntur, etiam ſeipſum donauit. Vnde Filius vitam nobis ſpiritualem tribuit, Spiritus Sanctus ſanctificatam; Pater verò ipſum eſſe, & totam ſimul Sanctiſſimam Triadem, totum illum Oceanum, totum illud pelagus infinitum, quo maius ne cogitari quidem poteſt. vt docet S. Bernardus S.Bernard. Serm. 1. Pentec. *De Patre quidem noui creationem, ob quod maius quid: vnigeniti incarnationem, hoc prorsùs indicibile, effatuq; impoſſibile.* Quod cùm ita ſit, cur Filio, & Spiritui Sancto particulares dicantur, dies feſti, particulares preces, expreſſiùſq; cultus; at verò Sanctiſſimo genitori nullus dies feſtus, nullæ ſpeciales preces, nullus explicitus cultus aſſignatur?

Suadet tertiò, ipſa dignitas paternitatis: à Patre enim æterno iuxta Apoſtolum, omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Ad Epheſ. 3. Epheſ. 3. *Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* In quo loco Auctore S. Hieronymo, Paulus primam perſonam intelligit, à qua omnium Paternitatem deriuari affirmat, tàm in cœlis, quàm in terris. Quatenùs ipſe Pater in cœlis, vt principium fœcundum, & præpotens, primò ad intra generauit, qua generatione præconceptâ, ac paternitate ad intra, omnes poſtea tres Sanctiſſimæ Triadis perſonæ, ſimul ad extra creaturas producentes, quatenus vnus Deus, nomen acceperunt paternitatis. Hinc Deus Pater dicitur, quia ad extra producit, ſicut Pater ad intra, qui dùm æterno Filio ac Spiritui Sancto, totam ſimul cõmunicauerit eſſentiam, potentiamq́ue, participes etiam fœcunditatis effecit. Quam dùm ad intra exercere non valerent: quia iam infinitum verbum, Filiuſq; emanauerat A à Patre, proinde totum, quod in ratione geniti poſſibile vnquàm foret: cùm inquam ad intra in ratione genitoris non haberent, vnde ſe effunderent, ac nomen Patris acquirerent, ideò ad extra ſe effuderunt ſimul, vt ſicut ad intra communicationem obtinebant vnius naturæ; ita ad extra eandem haberent & nominis, vtq; tota Trinitas Pater diceretur ad extra; ſicut ſola prima perſona Pater dicebatur ad intra. Hinc omnis paternitas in cœlo, & in terra, B à Sanctiſſimo illo genitore nominatur, vt egregiè diſcurrit S. Hieronymus in cap. 3. ad Epheſ. *Paternitas*, ait, *in cœlo eſt generatio filij, paternitas in terra eſt generatio hominum & animalium, quæ omnis à paternitate manat: omnes enim ab ea vim habent generandi, vt ſint, & nominentur, patres.* S. Hieron. Et Sanctus Damaſcenus. *Nomen*, inquit, *paternitatis, ex diuinis ad humanos Patres tranſlatum eſt.* S. Damaſc. Quid ſi igitur Sanctiſſimus ille Pater, nunc alloqueretur nos, ſicut olim Iudæos allocutus erat, C Malachiæ 1. *Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum: Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus.* Malach. 1. Quid quæſo ei reſpondere poſſemus? equidem non video: nam honor manifeſtatur in cultu, idq́ue explicito, qui totus verſatur in adoratione explicita, in dedicatione templorum, in oblatione ſacrificiorum, in particularibus hymnis ac precibus. Cùm ergò nihil horum Sanctiſſimo genitori offeramus, vbi eſt tanti Patris honor, D tanti Domini timor?

Quod ſi forſan reſpondeas, verum quidem eſſe, explicitum cultum, quoad templa, particulareſq; preces, Patri nõ adhiberi Sanctiſſimo; at tamen implicitè omnia ad ipſum referri, quatenùs omnes ad ipſum diriguntur orationes, omnia ſacrificia: & quia Filius nequit intelligi ſine Patre, ideò omnia Chriſti feſta, implicitè etiam ad Patrem dirigi, ac conſequenter ipſum ſummè in Eccleſia adorari. Erubeſcere debes: vtiq́ue etiam Chriſtus Dominus eſt caput omnium

omnium Sanctorum, vnde adorando ipsum vt caput, simul etiam & eius membra adoramus. Ad quid ergò Sanctorum festiuitates? Præterea Christus vnus est essentialiter cum Spiritu Sancto, quoad diuinitatem, proinde dùm adoratur Christus, simul quoq; & Spiritus adoratur Sanctus. Ad quid ergò festiuitates Spiritus Sancti? Ad extremum, in missis quotidianis semper recolitur memoria passionis: *Hoc facite quotiescunq; facietis in meam commemorationem.* Ad quid ergò passionis dies? Profectò tolli deberet ab Ecclesia festorum oeconomia Sanctorum. At quia ipsa, à Spiritu diuino edocta, probè vidit, quantum differat cultus explicitus ab implicito, non ei sat fuit implicitè Sanctos adorari; sed voluit explicitè ad maiorem venerationem, ad ampliorem deuotionem, ad singularem reuerentiam, ad fidei augmentum, meritorumq; profectum, ad actus exercendos virtutum, & similia. ergo non satis est sanctissimum genitorem implicita deuotione coli. Quod cùm ita sit, pudeat nunc Catholicos, explicitum summi illius Patris non aspicere in Ecclesia Sancta cultum; nullum templum, nullum altare, nullum festum, nullas peculiares preces, nullam orationem. Ergò omninò fateri debemus festos dies, templa, particularesque preces Patri æterno dicandas esse.

Nisi forsan opponere velis nouitatem, quasi hoc nouum & insolitum in Ecclesia Dei videretur. Sed erras vehementer: habebat enim antiquitùs sua templa Sanctissimus genitor, quod vt verum esse cognoscas, audi Cyrillum Hierosolymitanũ antiquissimum Authorem, qui mille trecentis ab hinc annis excessit. Is Catechesi 9. de Patre in Bibliot. Patrum tom. 4. ita fideles alloquitur: *Adoremus igitur Patrem Christi, factorem cœli & terræ, Deum Abrahæ, Isaac, & Iacob, in cuius honorem priùs ex opposito nobis hic templum ædificatum est.* Quod sanè non de templo antiquo ante Christi aduentum intelligit, sed de ædificato post Christum: Sic enim sonant illa verba, *ædificatum est*: quæ non in præterito, sed in præsenti accipi debent, quod in nota marginali prudenter adnotauit ipsemet S. Cyrillus, scribens: *Dei Patris templum erat Hierosolymis.* Floruit autem iste Sanctus Pater Cyrillus sub Constantino, Anno à Natiuitate Christi 365. Vt refert Bellarm. de Scriptoribus Ecclesiasticis. En quàm antiqua consuetudo, quàm pridem in Ecclesia Christi receptum, Patri sanctissimo tampla dicare, eumque peculiariter honorare. Vnde mirum prorsùs apparet, quomodò nunc talis cultus in Ecclesia Sancta non viget, quomodò expresè sanctissimus non colatur Pater, quemadmodùm reliquæ Sanctissimæ Triadis personæ, & cæteri Sancti. Verum concedamus gratis nouum hoc esse, quid indè? ergone iam omninò hæc deuotio negligenda? minimè: nam vt discurrit Arnobius contra Gentes: *Religionis Autboritas, non est tempore æstimanda, sed nomine, nec colere qua die, sed quid cœperis, conuenit æstimare.* Quod magis adhuc confirmat D. Augustinus loquens: *Veritati non præiudicat antiquitas.* Contra quam, vt rectè Tertul. de velandis Virginibus: *Nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinium personarum, non priuilegium regionum.* Si itaq; nihil nouũ, licet alias verum & sanctum, liceret, profectò nihil aliquarum sanctarum festiuitatum nunc in Romana Ecclesia extaret, cùm illas à particularibus sæpè sit mutuata Ecclesijs. Nam Festum Præsentationis B. Virginis, ac defunctorum cõmemorationis, sumpsit ab Ecclesia & Diœcesi Leodiensi. Festum Sanctissimæ Trinitatis à Gallia, Conceptionis ab Ecclesia Græca, Sancti Angeli custodis ab Hispania. non ergo nouitas, sed veritas in rebus sanctis pensari debet.

Quodsi dixeris, non mirum quod Ecclesia Sancta Filio & Spiritui Sancto festa celebret, quia ambo mysteria operati sunt visibiliter; Pater verò nunquàm visibiliter apparuit.

A B C D

S. Cyrillus Hierosoly.

Patri æterno templũ Hierosolymis fuit ædificatũ.

Arnobius.

S. August.

Tertullia.

Festum Præsentationis B.M.V. & Defunctorum vnde sumptum.

Festa Trinitatis, conceptionis, Angeli custodis vnde.

Deinde, quia Filius & Spiritus San-
ctus sunt figurabiles; Pater autem
omninò infigurabilis, proinde cùm
figura populo exhiberi non possit,
ideò nullum eius festum particulare
celebratur. Respondetur enim fal
sum esse, quòd nunquàm Pater my-
steria sensibiliter operatus sit. Quip-
pè non semel, neq; bis; sed ter Pa-
trem sanctissimũ descendisse, eumq;
nos audiuisse constat. Primò, cùm
Christus in Iordane à Ioanne bapti-
zaretur. Matt 3. *Ecce vox de cœlis di-*
Matt 3. *cens: Hic est Filius meus dilectus in quo*
mihi complacui. Secundò, in monte
Thabor, cum Christus coram tribus
discipulis transfiguratus esset. Mar-
ci 9. Et venit vox de nube dicens:
Marci 9. *Hic est Filius meus charissimus, audite*
illum. Tertiò, cùm Christus in cru-
ce moribundus clamaret: *Pater cla-*
Ioan. 12 *rifica nomen tuum*, tunc ei statim re-
spondit Pater: *& clarificaui, & iterùm*
clarificabo. Ex quibus locis eruditè
concludit D. Thomas 3. p. q. 39. ar. 8.
ad 1. ita visibiliter Patrem apparuisse,
quemadmodùm Spiritum Sanctum.
Vnde licet opera Sanctissimæ Trini-
tatis sint indiuisa ad extra, vocem
tamen illam sanctissimo appropriari
genitori, sicut columbam Spiritui
Sancto, docet Angelicus Doctor.
Hinc D. August. Serm. 63. de verbis
S. August. Domini dicit: *Vbi Trinitas de cœlo fe-*
cit columbam, sed non pertinuit nisi ad so-
lum Spiritum Sanctum. Trinitas fecit de
cœlo vocem, sed non pertinet nisi ad solum
Patrem. Et D. Cyprianus Serm. de
S. Cypria. Baptismo *Hucusq;*, ait, *Domine San-*
cte Pater, non audiuimus te ita loquen-
tem, vt personaliter tibi assignaretur lo-
cutio, quàm proferres: hanc vocem à Pa-
ternitate tua allatam nemo est, qui am-
bigat, non est, qui tibi hoc verbum au-
deat derogare. Ergo mysteria etiam
Sanctissimus Pater operatus est, &
ita sensibiliter auditus est, sicut Spi-
ritus Sanctus visus. Nec omninò Pa-
trem æternum infigurabilem esse ve-
rum est: nam eum sub specie senis
venerabilis vidit quondam Daniel:
Aspiciebam, inquit, *donec throni positi*
sunt, & antiquus dierum sedit, vesti-
Daniel. 7. *mentum eius candidum, quasi nix, & ca-*
pilli capitis eius, quasi lana munda. Da-
niel 7. Quem locum S. Chrysosth.
Serm. 131. intelligit de Patre sanctis-
simo, ita loquens: *Si Daniel Deum*
S. Chrys. *Patrem vidit, crine niueo senectute re-*
nerendà, antiquitate terribilem.

Descendit igitur Spiritus San-
ctus hodiè, vt neglectum æterni Pa-
tris honorem resuscitet in animis ho-
minum. Proinde, cum res ex obie-
cto sit sanctissima, nullumq; extet in-
conueniens, nullum adsit periculum
ex cultu Patris, aut confundendi per-
sonas diuinas, aut inæqualitatem Fi-
lij suspicandi, renouate in vobis ar-
dentem erga Sanctissimum genito-
rem zelum, exhibete illi cultum ex-
plicitum, facite preces particulares,
erigite in honorem eius templa, sa-
cella, aras, vt paternum eius
amorem experiamini, vtq;
vos pro veris & le-
gitimis suis filijs
agnoscat, A.

DIE

DIE II. PENTECOSTES,

CONCIO PRIMA.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. *Ioan. 3.*

Motiuum donationis Filij Dei, solus amor fuit.

SApientissimus Salomon, non in doctrinæ mundanæ domicilijs, sed in ipsius Spiritus Sancti Palæstris profundissimè institutus, sublimem dignitatem à Deo concessam homini considerans; quem in hoc pulcherrimo mundi opificio, reliquis animantibus ita præstare voluit, supremus ille totius vniuersi conditor, vt secundas post se partes teneret: exclamauit alicubi: *Magnum quid est homo & præclarum.* Et quomodò magnum quid est homo, animal tàm fragile, innumeris obnoxium passionibus: ex ipsis cunis ad decrepitam vsq; senectam, innumerabilium malorum quasi sentinam quandam exhauriens: Ad quod respiciens Propheta Regius ait. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei.* Vbi diuinus psaltes, hominem tanquam vile animal contemnit: parœmia verò Salomonis, vt magnum quid extollit. Sed concordat Sacra Historia de creatione hominis, Dauidem cum Salomone inquiens: *Accepit Deus puluerem ex terra, atq; ex eo finxit hominem.* Ecce veritatem habes vtriusq; sententiæ; quòd videlicet & nihil sit homo, & magnum sit aliquid. Si enim ad naturam illius tantùm respexeris, nihil nulliusq; momenti est. Si verò ad honorem, quo diuinitùs cohonestatus est; magnum quid est homo. Cætera enim omnia solo Dei verbo condita sunt. Cælum hoc magnum supra nos extensum, verbo Dei factum est. Astra, Sol, & luna, & quæcunq; oculis speculamur, & quæcunq; supra nos magnifica deprehendimus, ex verbo Dei prodiêre, teste Propheta: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Mare ac terra, & omnis qui in illis est ornatus, variaq; animantium genera, & discreta plantarum varietas, cuncta hæc verbo condita sunt. *Tui sunt cœli & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti, Aquilonem & mare tu creasti.* Solus homo superat hæc omnia: in cuius creatione ampliùs quidpiam vides, quàm in luce, quàm in cœlo, quàm in luminaribus, & quæ terra sponte suâ produxit vt cicadas. At verò hominem sola præpotens Dei manus fabricare voluit, dicente scriptura: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et quid mirabilius aut laudabilius esse potuit; quàm tres diuinas personas, hominem creaturas, ante illius productionem, commune iniuisse consilium: Quod consilium tùm ideò secum iniuêre diuinæ personæ, quòd hominem sibi conciliare voluerint, communi creationis & excellentis formæ suffragio, dùm ei similitudinem naturæ diuinæ decernerent. vt vult S. Ambrosius in Genesim. Tùm vt dignitas hominis, quæ à ratione & consilio prouenit, & per quam homo à cæteris distinguitur animantibus, inde magis appareret, vt docet S. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 13. Tùm deniq; (vt vult Theodoretus in Genesim) vt ex hoc Dei personarum consilio facilè pateret, quæ deberetur reuerentia homini, quem æterni Patris Filius erat susceptus, ac proindè, tanquàm Dei Regis purpuram, hominis naturam esse venerandam. Ostendit Deus hanc dignitatem hominis, in hodierno Euangelio, cùm dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum*

Pſal. 8

Gen. 1.

Pſal. 33.

Pſal. 88.

Gen. 1. n. 26.

S. Ambro.

Gregorius.

Theodor.

Ioan. 3.

nitum daret. Nam quemadmodùm Princeps siue Rex quispiam, virum aliquem dignitate commendabilem hospitio excepturus, omnem pretiosam supellectilem, & domestica ornamenta ei promere solet. Sic planè Deus homini, quem ad suum diuinitatis Augustale inaccessum assumpturus erat; vt totum ei profunderet cœlestium diuitiarum ærarium, & omnes suæ diuinitatis thesauros aperiret, Filium suum vnigenitum in terras demisit. Cuius donationis solum amorem motiuum fuisse hodiè ostendam.

Vnigenitum à Patre mundo donatum esse in remedium peccati, atq; redemptionem, sapientissimè edixit D. Ambrosius libro de Sacramento dominicæ Incarnationis cap. 6. inquiens: *Quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro quæ peccauerat redimeretur?* Sed quid obsecro Deum compulit, vt non nisi per vnigenitum mundi lapsum restaurare vellet. Nonne optimè potuisset nostræ subuenire calamitati, aliquem Angelum mittens, penes quem tanquàm legatum esset plenaria facultas remittendi peccata. Potuit equidem: sed vnigenitus noluit, vt palam fatetur Propheta: *Non legatus*, inquit, *neq; Angelus, sed ipse saluauit nos.* Et cur non aliter vnigenitus, nisi per seipsum nostris succurrere voluerit miserijs, personam suam naturæ humanæ supponens? Varias hîc scituq; dignissimas rationes assignant SS. Patres. Et inprimis S. Athanasius in cap. 10. Iob. Solam assignat conuenientiam, inquiens: *Decebat, vt quæ manus hominem de limo terræ formauerat, eadem quoq; iam creatum à peccato & morte, per redemptionem liberaret.* Quod vlteriùs comprobat Serm. 3. vbi ait: *Dedit omnia in manus eius Pater, vt quemadmodùm per eum facta sunt; ita omnia in eo refici possent.* Et sermone contra Arrianos idipsum eleganter & eruditè illustrat, ostendens hominum redemptorem, alium præter Deum nequaquam conuenisse: ne supremus ille cultus, qui summo humani generis instauratori debetur, alicui quantumuis excelsæ creaturæ deferretur. *Merum*, inquit, *hominem id facere dedecorum erat, ne homines habentes Dominum, hominis cultores efficerentur.* D. verò Augustinus diuersis in locis, varias adducit rationes. potissimam verò dat in Enchyridio c. 26. vt ex aduentu Christi Domini in mundum, maius solatium caperent homines. *Propter hominem*, ait, *factus est homo: vt vterq; sensus hominis in ipso beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate.* Sed demus sanè vnigenitum in remedium peccatoribus, & solatium mundo datum esse, cùm nullus præter Deum hominem pro peccato satisfacere potuerit. Siquidem illa satisfactio in ipso satisfaciente postulabat infinitam dignitatem, vt ab eo pretium suis operibus communicaret infinitum, & pare delicto fieret satisfactio, vt aperte docet Anselmus libro cur Deus homo cap. 6. inquiens: *Satisfactionem neq; facere nisi Deus, neq; debebat nisi homo, necesse igitur erat, vt eam faceret Deus homo.* Adhuc tamen restat frangenda nux, qui absconditum huius rei nucleum edere vult. Cùm diuina voluntas omninò fuerit libera, ac proindè indifferens ad redimendum hominem, & non redimendum, quid illam permouit, vt vellet potiùs hominem redimere, quàm oppositum.

Hic certè Angelicus Doctor, suo sagaci ingenio, genuinam assecutus est veritatem. dùm 3. p. q. 5. art. 3. vnigenitum humanitate vestitũ censet ideò, vt infinitam bonitatem suam declararet. Nam cùm bonitatatis sit proprium se alteri communicare, nullum maius esse poterat illius bonitatis argumentum, vel manifestius indicium, quàm summa naturæ suæ communicatio, quam per nostræ carnis assumptionem exhibuit. Hoc certè singulare motiuum erat, cur nobis vnigenitum donauerit Deus, scilicet; summa dilectio & amor. *Quæ enim*, inquit, *Augustinus maior est causa aduentus Domini, nisi vt osten-*

S. Ambro. Isaiæ 63. S. Athan. S. August. S. Anselm. S. Thomas Augustin.

ostenderet Deus dilectionem suam in nobis. Quod eleganter comprobat Damascenus oratione de transfiguratione, inquiens: *Creatoris ac gubernatoris voluntas hoc tulit, vt vnigenito & consubstantiali Filio suo, diuinitatis atq; humanitatis, ac per eam conditarum rerum omnium connexio fieret, vt sit Deus omnia in omnibus.* Summa proindè dilectio Dei, inappretiabile donum, scilicet; æterni Patris vnigenitum, mundo attulit. Hæc vilem hominum abiectionem Deo comendauit, & vt creatura fieret creator, suasit. Quod agnoscens Damascenus orat. 3. exclamat. *Tantus Domine in me tuus amor fuit, vt non per Angelos aut aliam creaturam, salutis meæ negotium obieris, verùm vt primam factionem; sic etiam instaurationem, ipsemet duxeris.* Hoc comprobat hodiernum Euangelium, Auctore S. Ioanne. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.*

S. Damasc.

Idem qui supra.

Ioan. 3.

Admiratur hic iustus Iob, tantam diuinæ voluntatis in homines propensionem. *Quid est*, inquit, *homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum.* Et certè quis non obstupescat? Deum in quo bonorum omnium cumulus, vniuersæq; perfectiones, sapientia, omnipotentia, pulchritudo, & infinitæ aliæ delitescunt, velle erga hominem cor apponere, cum dogma fidei sit, Deum ex nostra dilectione nullatenus perfici, aut quidpiam vtilitatis percipere. Sed sicut Sol terram irradians non perficitur in seipso, sed tota radiorum virtus in terræ vtilitatem redundat. Quam fæcunditate donat, floribus & fructibus ornat, aureis & argenteis mineralibus ditat. Ita Deo ex nostris actionibus nulla accrescit vtilitas, sed nos totam percipimus. Hinc opinor pullulauit illud Euangelistæ dictum. *Serui inutiles sumus*, scilicet Dei, cui nullam afferimus vtilitatem, licet fecerimus omnia, quæ præcepit nobis: totum enim illud in nostræ salutis emolumentum cedit. Rem tamen dilectam sibi proposuit Deus, mundum etsi in illo nihil reperiatur, quod diuinam eius maiestatem oblectet: quin potiùs innumera sint, quæ eius charitatem à nobis auertant. Omissâ namq; Romanorum superbiâ, qui nimiâ dominandi cupiditate ardentes, vniuersum terrarum orbem, suo imperio subiugare nitebantur. Prætermissâ lautè conuiuantium intemperatâ consuetudine; spectaculorum execrandâ vanitate; scænarum detestandâ obscænitate: tacitè inuolutis Ægyptiorum idolis; Græcorum mendacijs; Chaldæorum superstitionibus. Silentio prætereundo sæuientium crudelitatem tyrannorum, Regum insolentiam: mentis aciem conuertamus vel ad ipsam duntaxat effrenatam viuendi Hierosolymorũ licentiam. Apud quos hominum iustorum penuria eò deuenerat, vt dixerit Deus, vniuerso orbis ambitu perlustrato, ne vnicum quidem virum iustum inter eos potuisse inueniri. *Circuite*, inquit, *vias Hierusalem, & aspicite an inueniatis virum facientem iudicium.* Increbuerat tunc seruorum malitia, propter iniquitatem Principum & optimatum, dicente Prophetâ: *Ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula.* Tantò tamen Deus plus dilexerat mundum; quantò ille diuinam iram prouocans, grauiora in eum mittebat peccatorum iacula; quia licet ex parte hominis, nihil esset, quod diuinam mereretur dilectionem, ex parte tamen ipsius Dei, maxima affuit ratio, vrgensq; motiuum ad diligendos homines, immensum scilicet bonitatis pondus. Quod diuinam non solùm excitauit, sed impulit voluntatem vt tanto beneuolentiæ amore ipsos etiã peccatores diligeret & Filium suum ipsis donaret.

Iob 7.

Hier. 5.

Ibidem.

Lucæ 17.

Perpendite hìc Catholici ex magnitudine tanti doni, diuini amoris magnitudinem erga vos. Non paradisum vobis deliciarum donauit Deus, vt olim Adamo. Non mundi dominium, vt Alexandro. Non Indicas orientis plagas, innumeraque regna, vt potentissimo Hispaniarum

Regi. Non Angelum, non Cherubim, aut Seraphim, sed Filium suum naturalem, & ex proprijs visceribus genitum. Si enim Iacob ille Patriarcha, vt filium suum Simeonem in Ægypto detentum redimeret, vix adduci potuit, vt Beniamin per modicum tempus à paterna domo recederet, quamuis alioquin plures alij filij ei supersessent. Igitur cum Deus vnigenitum suum, pupillam oculorum suorum nobis alacriter elargitus fuerit, ineffabilem esse diuini amoris excessum, nemo inficiabitur. Quis non ad cœlos vsq; extolleret Principem illum, cuius si seruus magnis febribus æstuaret, nullumq; aliud ei remedium ad sanitatem supersessit, nisi balneum ex sanguine Filij Principis præparandum. Si inquam Princeps ille serui salùti consulens, Filium totius Regni vnicum heredem traderet, venas incideret, sanguinem totum eliceret, vitâq; priuaret. Talis certè fuit erga nos æterni Patris dilectio, qui vt seruos pristinâ libertate & sanitate donaret, Filium vnigenitum tradidit, vt venis eius spinarum & clauorum aculeis incisis, sanguinem; quo peccatores abstergerentur, profunderet: exclamante D. Gregorio. *O mira charitatis dilectio, vt seruũ redimeres, filium tradidisti.* S. Gregor. Singularis certè liberalitas, ineffabilis magnificentia, indicibilis Dei charitas, dilectio summa. adeo vt cùm optimè nosset Deus, nos diuini verbi incarnationem, nullâ ratione promereri, aut condigno, aut æquali pretio rem tantam comparare posse. Tantum bonum non ad tempus nobis contulit, sed irreuocabiliter in perpetuum donauit, teste S. Ioanne: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3. Quasi apertè diceret: Non pretio, sed dono natum suum omnipotens mundo donauit, vt participes cum illo cœlestis hereditatis redderemur. acclamante Apostolo: *Misit Deus Filium suum, vt adoptionem Filiorum reciperemus.* Sed quomodò obsecro Dei Filius, nos ad suæ filiationis participationem admitti patietur, & sortis æternæ hereditatem. Siquidem omnis diuisio hereditatis odium parere solet, vt indicat quotidiana experientia. Quin immò & Sacra Historia in Genesi, vbi Iacob & Esau ante matris partum, de primogenituræ iure inuicem contendentes, in ipso matris vtero dimicabant, quis prior in lucem prodiret, vt hereditatis iura acquireret. Fratres quoq; Iosephi, ægrè ferentes dominium illius quamuis somniatum, in cisternam illum miserunt, & tandem indè eductum Ismaëlitis venundarunt. Adonias regnum Patris affectans, despecto Salomone fratre suo, solus Principatum, & sceptrum ambiebat. Gen. 25. Gen. 38. 3. Reg. 1.

Fateor hæc omnia vera esse; non libenter mundi Principes suæ hereditatis participes vident. Quia cùm factâ terrestrium bonorum diuisione, minùs singulis contingat; ideò singuli integram hereditatem affectant. At verò patitur Christus in regno cœlesti, coheredes habere, toleret comparticipes ex ea ratione: quia inexhaustum cœlestium diuitiarum pelagus, quamuis inter infinitos diuidendum esset, nemo tamen propterea minùs caperet. quia infinitum minui nequit, annuente Diuo Ambrosio super illa Apostoli verba: *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Ioan. 1. vbi S. Doctor sic dicit: *Magna quidem beneuolentia, vnicus natus est, & noluit manere vnus: non timuit habere coheredes, quia hereditas eius non fit angusta, si eam multi possederint.* S. Ambros. Quis hîc diuinæ bonitatis magnitudinem circumscribere poterit, luxuriantis facundiæ verbis? Si enim Angelus quondam dixerat Esdræ: *Pondera mihi ignis pondus,* vbi Esdras ita obstupuit præ magnitudine interrogationis, vt rem omninò impossibilem postulari cogitaret; eò; quòd ignis ille diuini amoris effigies esset. Quo & nos pacto audebimus angusto breuique mentis nostræ funiculo, diuinum amorem, cùm sit immensus, ponderare? Vnus tantùm nobis ex mente D. Pauli modus supersest, vt cùm Esdræ 4.

ampliss.

ampliſſimis quibuſq; menſuris, diuini amoris magnitudinem metiri tentantes, nos deficere viderimus, clamemus immenſam eius, infinitam, atque incomprehenſibilem eſſe dilectionem: fateamurq; nec menſurâ aliquâ pertingi, nec iuſto pondere perpendi poſſe. Scio veteres ingeniosè elaboraſſe, vt Dei amorem exprimere potuiſſent; cuius tale ſimulachrum erigebant. Depingebant illi iuuenem ætate florentem & pulchrum, veſte aſperâ indutum, aperto capite, pectore nudo, inſtar vitri corde conſpicuo: vnâ manu calceamenta, alterâ tenentem hanc epigraphen: *Ius meum alteri tribuo.* Quo artificio ſignificabant, ſolum Amorem inter omnes Deos pulcherrimũ fuiſſe. Caput eius apertum, denotabat; quòd amans nullis temporum iniurijs, ab amore deterreri debeat. Cor vitreum exprimebat, quòd nulla debeat eſſe inter amantes ſimulatio, aut occultatio conſiliorum. Calceamenta deniq; & inſcriptio, ſignificabant, plenam ſui iuris alteri communicationem, vt ex lib. Ruth cap. 10. colligitur. vbi ſcriptura dicit: *Hic autem erat mos inter propinquos: ſi aliquando alter alteri iuri ſuo cedebat, ſoluebat calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo.*

Amoris ſimulachrũ.

Ruth. 10.

Deum noſtrum eſſentialiter eſſe amorem, nemo Catholicorum poteſt inficiari, teſte Apoſtolo: *Deus charitas eſt:* Cui ſimulachrum illud amoris Antiquorum, multò excellentiùs aptari poteſt. Nam ſi gentilium Antiquitas, falſum Amoris Deum, vultu pulchrum figurabat. Quæ vnquàm pulchritudo potuit æquari Chriſti pulchritudini? Cùm ſit quatenùs Dei Filius viuum & naturale ſimulachrum æterni Patris. vt inquit Apoſtolus. *Figura ſubſtantiæ eius.* Quatenùs autem homo, adeò formæ dignitate & venuſtate præſtat, vt de illo dixerit Regius vates: *Speciosus formâ præ filijs hominum.* Et certè duplex in vnigenito Dei nobis donato, pulchritudo cogitari poteſt? corporis alia; alia mentis. Si de corporis formâ loqui voluerimus, non eſt cum illo Moyſes ab omnibus pulcherrimus habitus, comparandus. Si enim Moyſes adhuc puer faſcijs inuolutus, & caniſtro impoſitus, nimiâ vultus elegantiâ, filiam Pharaonis in ſuum amorem pertraxit, & cùm iam adoleuiſſet, incederetq; per viam; eius admirantes venuſtatem opifices, ab operibus abſtinebant, vt gratiſſimo eius aſpectu fruerentur. Quis non fatebitur multò maiorem & excellentiorem, eſſe formam vnigeniti mundo dati, cui illud ſubſcribit Hieronymus ſupra caput 9. Matt. *Fulgor ipſe & maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ſe videntes, trahere poterat aſpectu.* Quòd ſi de ſpiritûs pulchritudine loquamur, infinitus ſermo noſter erit, ſatiſq; erit hoc ſolùm innuere, illius eleganti ſpecie, ipſos cœleſtes ſpiritus, & tàm Eccleſiæ militantis; quàm triumphantis iuſtos & Sanctos decorari, & pulcherrimos reddi. Admirandæ profectò iſtius pulchritudinis in Chriſto fulgentis, egregia figura fuêre capilli Abſalonis, quos ab Iſraëliticis pueris vſurpatos, & proprijs crinibus intextos, ad maius ſuorum ornamentum, non obſcurè Sacra pagina indicat, cùm inquit Abſalonem ſingulis annis vendere ſolitum crines centum ſiclis. Si igitur venuſtas Abſalonis, non tantùm ſibi vtilis erat & decora, ſed etiam alijs. Sic vnigeniti Patris nobis donati, tanta capillorum, id eſt; meritorum vtilitas eſt: vt multò decentiùs & pulchriùs illis animæ iuſtorum; quàm crinibus Abſalonis Iſraëliticæ virgines exornentur. cùm non imprudenter Theologi concludant, nullam de facto gratiam iuſtificantem dari mortalibus, niſi per merita Chriſti. Et ſi dixerit quiſpiam, id repugnare doctrinæ Apoſtoli, qui gratiam vult eſſe donum gratuitum. *Si*, inquit, *Apoſtolus gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia non eſſet gratia.* Scire debet gratiam potiſſimùm primam, non debere procedere ex merito illam

S. Hieron.

1. Reg. 14.

Ioan. 4.

Hebr. 1.

Pſal. 44.

Rom. 11.

lam accipientis, id est; hominis: cùm hæc vtpote principium meriti, non cadat sub meritum eius, qui illâ indiget. Secùs verò non repugnat, vt detur ex meritis Christi, qui non sibi illam meretur, sed fidelibus, tanquàm membris suis. quod nihil repugnat gratiæ. Ad cuius rei pleniorem intelligentiam, triplicem Theologi gratiam ponunt. Primam & præcipuam Verbi Diuini hypostaticam vnionem; per quam Christo quatenùs homini increata Dei pulchritudo communicata fuit, eius humanitas infinitè sanctificata. Alteram, quæ vocatur Habitualis: quâ tanquàm supernaturali qualitate, anima nostra illustratur, vt diuinis oculis grata sit, & amabilis. Tertiam vocant gratiam capitis Ecclesiæ: quæ in entitate suâ est eadem, cum gratia vnionis, & habituali, & per quam Christus in omnes fideles, qui sunt viua Ecclesiæ eius membra, influit; vt docet Apostolus: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Ac proindè, cùm omnis gratia à Christo in nos descendens, sit ornamentum animæ nostræ, & insigne quoddam decus. sequitur indè manifestè per eius communicationem & transfusionem in iustos, ex influxu capitis ad membra, pulchritudinem Christi tantam & talem esse, vt per illam animæ ornentur, multò meliùs & venustiùs, quàm auratis crinibus Absalonis Israëliticæ virgines cohonestabantur.

Triplex gratia in Christo.

Ephes. 1.

Rursùs in illo Antiquorum simulachro, erat indumentum è panno forti & aspero, ideò scilicet; quoniam amor non in breue tempus, sed in longum duraturus est. Diuini quoq; amoris vnigenitum mundo donantis indumentum fortè est; quia ex incorruptibili & æterna charitate factum, vt dicitur per Prophetam. *In charitate perpetua dilexi te.* Adeò vt licet post mundi creationem, semper ab homine reflauerit in Deum grauissimarum culparum Aquilo, non tamen potuit exstinguere tanti in nos diuini amoris incendium. immò

Hiere. 31.

post innumerabilia hominum peccata, vt eis remedium afferret Deus, vnigenitum suum mundo dedit, vt tandem homo fieret, nobisq; proprijs doloribus quæreret salutem, & suo sanguine animarum pararet redemptionem. Amoris apud Antiquos caput apertum erat, expositumque cœlorum iniurijs omnibus, & incomodis: quod insinuabat nihil arduum atq; difficile amantibus futurum. Sed potiùs pericula quæuis fortiter subeunda vbique. Nonne hæc omnia palam mundus in vnigenito sibi dato conspexit? cùm descendentem in terras non purpureis ornamentis, sed crassioribus pannis inuolutum dicat Euangelista: *Et posuit eum in præsepio.* Quibus oro ille periculis non erat expositus? Parùm erat frigore premi: non satis, nuditate ac præsepij duritie afflictum in fœno recumbere: nisi etiam pro peccatoribus vitam exponeret. Extollit hic Pierius lib. 2. fol. 145. Ationis nobilissimæ Matronæ ingentem erga suos filios dilectionem; quòd cùm ei duos natos, qui ad matris sinum confugerant, miles Ptolomæo mandante interfecturus accurrisset, ipsa corpore proprio illis oblato, pectus, caput, manusq; militi obijciens, eos tutata fuerit; verùm quid hoc est respectu diuinæ erga nos dilectionis. Ibi enim maternum munus naturæq; debitum, filiorum incolumitatibus consulendi Ationis vrgebat viscera, vt eorum protectioni & defensioni incumberet. Vnigenitus autem hominibus nihil debebat. Ipse creditor erat; nos verò debitores. Et tamen tantis se exposuit periculis, vt propriam amittens vitam, nobis æternam largiretur.

Luc. 2.

Pierius.

Quiescat hic paulisper mens humana, & tantùm mysterium profunda meditatione perpendens, contempletur. Quòd vnigenitus in quo omnia patris arcana recondita sunt, qui cœlum tot stellarum fulgore decorauit; qui intra terræ viscera auri mineralia; & intra marinas conchas, creauit vniones: qui folijs arbores, herbis

herbis prata, floribus viridaria, messibus agros, velleribus oues, plumis volucres, vestiuit. Ipse tamen pectore nudo, omnia incomoda & pericula subire voluerit, summamque perpeti inopiam, & paupertatem; quam vt fugiant mortales, nullis se non difficultatibus obijciunt, attestante Horatio.

Horatius. Impiger extremos curit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Imò & sapientissimus Salomon eandem exhorruit, inquiens: *Paupertatem ne dederis mihi.* Ipse tamen vnigenitus mundo donatus, omnem summoperè adamauit miseriam, vt scilicet eius inopiâ diuites essemus omnes, quod admiratur Propheta. *Quare*, inquit, *colonus factus es in terra.* Quasi diceret: quare tu nate æterni Patris, cùm sis Princeps totius æternitatis, & heres ipsius vniuersi, pauper esse vis & mendicus, more peregrini trito & pannoso palliolo humanitatis indutus. Causa est in promptu Propheta sancte, quia vnigenitus hodiè mundo donatus est. proindè humano more & legibus viuere, mortaliumq; abiectam vestem induere vult.

Prou. 30.

Hiere. 14.

Denique amor ille Antiquorum, pingebatur corde instar crystalli lucido: quoniam inter amantem & amatum, omne secretum patens esse debet. Maior certè Christi amor fuit erga nos, qui cùm omnia Dei arcana hominibus ignota essent, nimiâ permotus charitate venit in orbem terrarum, omnia quæ apud Patrem viderat, nobis reuelaturus, vt fatetur Apostolus: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Cor crystallinum Christi est, nihil occultans amicis suis, nec clementiam; nec iram: Hinc Deus Sodomam deuastaturus, videbatur sibi iniuriam facere amico suo Abraham, nisi priùs ei, quod intendebat, aperiret. *Num*, inquit, *celare potero Abraham quæ gesturus sum.* Nudum proindè est pectus Christi erga nos, mens aperta, & cor crystallo lucidius. Cuius præfulgen-

Ioan. 15.

Gen. 18. v. 17.

A te luce, quasi conspicilijs orthodoxæ fidei, inspicimus diuini pectoris arcana. Sed quoniam experientia comprobauit, infectum oculum etiã amæniſſima luce non vsquequaq; delectari, & nos certè vt in crystallino Christi corde, omnia nobis necessaria prospiciamus, & illa toto conatu desideremus, necessum est, vt habeamus oculos omni caligine impuritatis emundatos, quo faciliùs lux è corde Christi dimicans, illos recreare valeat.

B Deniq; Symbolum illud veterum amoris, in manibus calceamenta gestabat, & inscriptionem: *Ius meum alteri tribuo.* Diuinæ erga nos charitati id competere, quis non agnoscit? Ius suum nobis contulit Deus, quando vnigenitum donauit. Qui cùm viator pariter atq; comprehensor veniret in terras, nullumque iam gratiæ aut gloriæ augmentum accipere potuerit, à primo conceptionis instanti omnimodè beatus; C quatenus tamen viator, suis operibus non sibi, sed nobis vtrumq; merebatur. Omne ius, quod propter opera sua, ad essentiale præmium sibi debitum habebat, nobis integrè cedens.

Donum proindè habetis inæstimabile. vnigenitum non ex iustitia, non ex operibus, sed ex summa charitate nobis donatum. In summa enim libertate consistens Deus, aliter homini copulari non potuit, nisi per amorem: quo compulsus Deus, hominem condidit, eumq; peccati labe contaminatum, purissimo Filij sui D sanguine abluit. Amore Sacramenta sancta instituit, amore cuncta quæ possidet, impertitus est. Et quia donum hoc vobis oblatum est eo fine, vt per illud diuinæ participes efficiamini gloriæ. Sic currite per fragiles mortalitatis semitas, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profunditas, scire supereminentem charitatem Christi. Agnoscite vestram excellentiam, quâ cohonestati estis à Deo, qui tanti vos

fecit, vt Filium ſuum vnigenitum vobis donauerit, qui vos immortalitatis & æternitatis gloriâ veſtiret. indignumq; iudicate, vt hunc veſtrum honorem, inordinatis affectibus, aut peccatorum illecebris contaminare debeatis. Perpendite demùm motiuum in Deo tantæ donationis vobis factæ, ſcilicet; nimiam eius dilectionem. Et ſi impios odit Deus: *Odio ſunt impius & impietas eius*, apud Deum diligit autem amantes ſe & iuſtos: *Ego diligentes me diligo.* Fugite impietatem, & amplectimini iuſtitiam, vt in æternum ab eo diligi poſſitis.

Sapien. 2.

Rom. 5.

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Vt omnis qui credit in ipſum, habeat vitam æternam. *Ioan.* 3.

Qui credendo in Chriſtum iuſtitiam & ſanctitatem colit, is vitam æternam habiturus eſt.

AD palatum iam toti mundo loquitur Deus Catholici mei, omnibus in Chriſtum credentibus, certitudinem quandam conſequendæ ſalutis afferens. Nec mirum: Diuiniſſimo enim Spiritu in terras miſſo, cœleſte iubileum, & magnæ dies gratiæ, debuit illuxiſſe. Vt nemo de æterna felicitate anxius & perplexus hæreret; ſed certus & conſtans in eius tenderet aſſecutionem. Hinc non aberrauit à veritate Platonicorum opinio, quam illi ab optimo ſuo magiſtro diuino Platone hauſerant, aſſerentes Spiritum diuinum eſſe mundi animam. Quia teſte Triſmegiſto in Aſclepio. pro vniuſcuiuſq; dignitate & meritis, omnia viuificat, & alit. Nam ſententiam hanc manifeſtè comprobauit S. Auguſtinus inquiens: *Quod eſt anima corpori hominis, hoc eſt Spiritus Sanctus corpori Chriſti.* Sed meritò ego hodiè miſsũ in terras Paracletum, non tantùm animam aſſi tentem, vt Platonici quondam: verùm cor mundi, omnia quæ Dei ſunt, humano ſenſui manifeſtans; vocare poſſem. Hoc enim figuraſſe mihi videntur Seraphim illi, qui alis ſuis Dei caput tegebant, cor verò nullis contectum pennis, apertè inſpiciendum relinquebant. Vt ſcilicet oſtenderent, poſſe quidem Deum ſuam ſimulare ſcientiam; ſed amorem corde deſignatum, nullis poſſe tegumentis, nullis veſtibus, aut ſimulari, aut contegi. Perpetuis enim incendijs exæſtuans, perpetuas ſuî amoris flammas in nos emittit. Id profectò in diuiniſſimi Spiritus miſſione, cui ad oculum non patet? Potuit æternus Pater Sapientiam ſuam, Verbum ſcilicet incarnatum: *in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ Dei.* Potuit inquam hanc ſapientiam in aſſumpta Chriſti humanitate, ita contegere; vt pauciſſimis exceptis, omnes eum tanquàm ſcientiæ expertem iudicauerint. At vbi ventum eſt ad amorem, non ampliùs occultationis modus ſuppetijt. Amor enim igneus puluis eſt, quem ſi exigua ſcintilla contingat, mille aditus tentat, vt aſcendat, & accendatur. Hodiè ergo diuinus amor per Spiritum Sanctum mundo præſentatur, vt omnes Chriſti militiæ iuramento fidei adſtricti, qui antea neſciebant, an gratiâ Dei, an certè odio digni eſſent, iam hodiè ſingularem & ſuũam Dei gratiam agnoſcant, dùm certi iam fiunt, quòd propter fidem in IESVM Chriſtum, vitam æternam aſſequi debeant. Veritatem itaq; huius Euangelicæ doctrinæ, quomodò omnis qui credit in IESVM Chriſtum, vitam æternam ſit habiturus, ſcrutabimur, adiuuante Dei Spiritu.

Platonicorum opinio de Spiritu S.

Triſmegiſtus.

Auguſtin⁹.

Iactant ſuam felicitatem quædam Religiones, quòd earum ſanctiſſimi Fundatores impetrauerint à Domino Deo hanc ſingularem gratiam, ne per certum temporis interuallum, vllus ſecundùm regulam viuens, & in illis moriens damnetur. Sed quid hoc eſt ad hodiernam Chriſti manifeſtationem! vbi Deus proteſtatur ſe ideò vnigenitum mundo dediſſe, vt omnis qui credit in ipſum habeat

Iſaiæ 6.

Coloſſ. 2.

vitam

vitam æternam. Vbi per signum vniuersale, *omnis*, vniuersus mundi status designatur, scilicet; & Iudæorum, & Gentilium, & Saracenorum, & Scythatarum, & Barbarorum. Quòd ex his omnibus statibus, quicunque in Christum Iesvm crediderit, non debeat perire. Cur enim dicit, vt omnis habeat vitam æternam, nisi quia nullum excludit, nullum excipit à consortio beatitudinis æternæ. Non excipit in summis erroribus procreatum, dùmmodò postea membrum Ecclesiæ Sanctæ fieri non recusetB. Non excludit in grauissima vitia lapsum, aut in turpissima scelera præcipitatum, si postea conuertatur. Plurimos enim comperimus se reformasse post lapsum, & pro nomine Dei martyrium subijsse. Sicut ergò Deus illis non negauit Martyrum consortia & coronas, ita & alijs si post lapsum melius credant, fidem quæ Dei donum est, adauget. Et si quidpiam pro Christo patiantur, meritum accumulat. Omnis igitur qui credit in Christum ex quocunq; statu, quocunq; lapsu, non debet timere, ne pereat: sed firmiter sperare futurum, vt vitam æternam habeat.

Verùm stupor hic inuadit plurimos, quomodò omnis qui credit in Iesvm Christum, vitam æternam habebit, cùm tot ex ipso Christianorum cætu æternæ damnationi adiudicentur, vt vix vnus de centum, regnum cœlorum ascendat. Vt præclarè docet illa parabola euangelica de patrefamilias quærente vnam ouem, relictis nonaginta nouem. Vbi per numerum nonagenarium, multitudinem damnandorum, per vnam verò ouem, paucitatem saluandorum designat Christus. Respondent ad hoc plerique Doctores, quia licet Deus velit omnes saluos fieri; non tamen omnes æqualiter vult: quia quosdam efficaciter, quosdam tantùm sufficienter. Vndè quia efficax Dei voluntas, efficacia quoq; media adhibet: quem Deus tali voluntate vult saluum fieri, perire non A potest. Quoniam efficacem Dei voluntatem, effectus infallibiliter consequi debet. Voluntas verò sufficiens, quia etiam sufficientia solùm media adhibet, cum quibus potest quidem homo saluari, sed nunquam saluabitur, defectu voluntatis. Ideò quem Deus vult taliter saluare, nihil prohibet contrarium euenire. Cæterùm non videtur consentaneum diuinæ bonitati summæ, diuersam hanc voluntatem, ad saluandos dirigere. Quia cùm omnibus in diluuio originali periclitantibus, æqualiter misisset Christum Dominum, incredibile videtur, quomodò non omnibus etiam simul æqualiter salutem æternam velit. Nec valet si quispiam dixerit, Deum ad hanc inefficacem & sufficientem tantùm voluntatem, flexisse præuisionem peccatorum in quibusdam. Quia volitio salutis æternæ, cùm se teneat ex parte prædestinationis, omnem meriti aut demeriti præuisionem antecedit. Deindè quia Christus Dominus protestatur se propter peccatores venisse. *Non veni*, inquit, *vocare iustos, sed peccatores.* Proindè cùm peccator magis egeat subsidio; quàm iustus: certè si non maiori, saltem æquali voluntate, Deus illi salutem debuit voluisse; quam iusto: proinde voluntate quoq; efficaci, & per media efficacia.

Causam proindè aliam ego reperio, quia licet Deus nos omnes æqualiter velit saluare; non tamen nos omnes credimus in illum. Proindè defectu fidei in nobis ad salutem requisitæ, diuina quoq; voluntas licet efficacissima, suum intentum sortiri non potest. Colligo hanc veritatem ex illo fundamento; quia sicut sancti dupliciter dicuntur in Scriptura sacra. Primò, secundùm statum: sicut olim dicebantur omnes Iudæi sancti, iuxta illud scripturæ: *Sufficit vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini.* & illud alterum testimonium: *Filij*, inquit, *Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi*

Num. 16.

Tobiæ 8. n. 5.

iungi ſicut gentes, quæ ignorant Deum. Et rurſum in Deutoronomio: Vbi Deus ipſe ad vniuerſum populum ſic loquitur. *Sculptilia comburite, quia populus ſanctus es Domino Deo tuo.* Eodem pariter modo in primordijs naſcentis Eccleſiæ Catholicæ, omnes Chriſtiani dicebantur ſancti, vt conſtat ex S. Paulo loquente: *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Deo, vocatis ſanctis.* Secundo modo dicuntur ſancti, qui non tantùm ſunt in ſtatu ſancto ab ipſo Deo inſtituto; ſed reipſa iuſtitiam colunt, & gratiam in ſe ſanctificantem habent. Quæ ſignificatio eſt propria ſanctitatis, ſecundùm vſum & mentem Scripturæ ſacræ. Sic planè fideles dupliciter appellantur: Primò; ratione baptiſmi, in cuius ſuſceptione profitetur homo fidem IESV Chriſti, & characterem illius indelebilem ſuſcipit. Quomodò etiam omnes hæretici dicuntur fideles; quia ſunt de facto baptizati, & in gremium Sanctæ Eccleſiæ admiſſi. Secundo modo dicuntur fideles iuxta rei veritatem; non tantùm à fidei profeſſione, ſed etiam ab operatione ſancta. Non igitur ſatis eſt credere in IESVM Chriſtum, hoc eſt; ſolam eius fidem in Sacramento ſuſceptam habere. Quia ſic etiam credunt, & illi, qui apud inferos æternas luunt pœnas: habent enim characterem fidei indelebilem ſibi impreſſum; per quem à Iudæis & Gentilibus diſcernuntur. Nam licet Scriptura ſacra dicat: *Impij*, inquit, *in tenebris conticeſcent*: quaſi ibi nullum iam ſit lumen, iuxta illud Prophetæ: *vſq; in æternum non videbit lumen.* Quia licet apud inferos ignis ſit comburens; non tamen ignis illuminans: quia Deus relictâ vi comburendi, aufert ab illo igne vim illuminandi, vt docet Regius vates: *Vox*, inquit, *Domini intercidentis flammam ignis*: hoc eſt; ſeparantis illas duas proprietates, vnamq; ſine alterâ relinquentis, vt interpretatur ibidem D. Baſilius. Si enim non fuit difficile Deo in hac vitâ, fulgorem ignis à calore intercidere, quandò in fornace Babylonis, fulgebat ignis; non tamen calefaciebat. vt teſtis eſt Auctor mirabilium Scripturæ lib. 2. c. 31. & Diuus Gregorius lib. 9. moralium cap. 35. Ita non eſt illi difficile, illuminationem ab vſtione ignis in inferno ſeparare. Nihilominùs tamen D. Gregorius citatus docet aliquid etiam lucis fore apud inferos: non quidem ad ſolatium, ſed ad ſupplicium. Vt ſcilicet damnati, ſegregatos à fide, & ſuos olim in ſceleribus ſocios atque complices, ſecùm in tormentis reos & conſortes, aſpiciendo; magis torqueantur. Et quos viuendo amauerunt, & amando deliquerunt; eos videndo odiant, & odiendo crucientur. Hanc modicam apud inferos lucem, ſpectauit Troianus ille dux qui fertur apud inferos Didonem cognouiſſe.

Deut. 6. n. 7.
Rom. 5. n. 7.
S. Basilius.
Author mirabilium ſcripturæ.
S. Gregor.

——————— Per vmbram
Obſcuram: qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila lunam.

Virgilius. Æneid 6.

Non inquam ſatis eſt, vt homo habeat fidem IESV Chriſti, ſed neceſſe eſt, vt ipſam quoque iuſtitiam, & ſanctitatem colat. Qui enim per ſolam fidei poſſeſſionem ad Deum accedit, & non etiam per ſanctam virtutum operationem: non tantùm ſalutem non meretur; ſed diuinum etiam furorem in ſe concitat. Hinc eſt illa grauiſſima Dei querela de populo ſceleratiſſimo apud Iſaiam: *Scire*, inquit, *vias meas volunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me iudicia iuſtitiæ, appropinquare Deo volunt.* Quaſi diceret: qui ad familiaritatem Dei accedere vult, & vitam æternam conſequi: inprimis animam ſuam debet ornare fide diuinâ, iuxta illud Prophetæ conſilium: *Si non credideritis, non permanebitis.* ſcilicet; in gloria æterna cum Deo. Septuaginta verò interpretes legunt: *non intelligetis.* hoc eſt; Deum veſtrum qui eſt vltimus finis, intuitiuè non videbitis.

Iſaiæ 38. n. 2.
Iſaiæ 7. n. 9.

Præterea debet is, qui vitam æternam conſequi vult, cor ſuum ornare munditie: *Animalis enim homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia*

1. Reg. 11. n. 9.
Pſal. 48. n. 20.
Pſal. 28. n. 8.
1. Cor. 2. n. 14.

stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Præterea, debet homo fidelis charitate abundare. *Qui enim* inquit, *Christus Dominus diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum* Rursùs orationi feruenti deditus esse debet, quemadmodùm docet Sapiens, inquiens: *Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conseruabit disciplinam, & tunc respondebit.* Demùm, obedientiâ illustris esse debet: credere enim in Dominum IESVM Christum, est omnibus eius mandatis obedire, illum libenter audiendo. Vndè Samuel vocatus à Domino, respondit: *Audit seruus tuus.* id est; credit. Et profectò, rectè dicitur audire, qui credit in Deum. quia teste Apostolo: *Fides est ex auditu.* Non enim aliâ de causa Scriptura sacra auditum ad arripiendam IESV Christi fidem requirit, nisi quòd auditus sit certissimus omnium sensuum externorum, cùm alij sensus in Deo cognoscendo vacillent, auditus verò non. Vidit Centurio Christum Dominum patientem; non tamen agnouit. Audiuit postea clamantem, & confestim in eum credidit *Videns*, inquit, *quia sic clamans exspirasset, ait; verè hic homo filius Dei erat* Vbi D. Bernardus Serm. 28. in cantica: *Ex voce*, inquit, *agnouit Filium Dei, & non ex facie, erat enim fortasse ex ouibus eius, quæ vocem eius audiunt. Auditus inuenit, quod non visus: oculum species fefellit, auri veritas se infudit: oculus pronuntiabat infirmum, oculus fœdum oculus miserum, oculus morte turpissimâ condemnatum: auri Dei Filius, auri formosus innotuit* Sed quid dico Centurionem, hominem externum? Vna ex domesticis Magdalena rediuiuum cernebat, & non agnoscebat, sed hortulanum putabat esse. Audiuit dicentem Maria, & cognouit; statimq; vt Magistrum salutauit. Et ne iterùm in aliorum sensuum errores se infunderet, tangere Dominum prohibetur. *Noli*, inquit, *me tangere.* hoc est; vt exponit D. Bernardus: *Desuesce seducibili sensui, innitere verbo, fidei assuesce. Fides nescia falli, fides inuisibilia comprehendens, sensus penuriam non sentit.* Necdùm satis est, Auditum visu certiorem esse; addo vlteriùs illum reliquis sensibus certitudine præstare. Patet hoc luculenter in Sancto illo Patriarcha Isaac, qui alijs quidem sensibus errabat. Errabat visu: quia *caligauerant oculi eius.* Odoratu: quia percipiens odorem Iacobi, dicebat: *Ecce odor filij mei*, hoc est; Esau, *sicut odor agri pleni.* Errauit gustu, quia domesticos cibos pro venaticis gustabat. Errauit tactu: quia pelles hædinas, pro pilosis Esau manibus, se tangere existimabat. Et nihilominùs solo auditu ad rei veritatem cosimabat, inquiens: *vox quidem vox Iacob est.* Vbi D Bernardus: *Sapiens*, inquit, *fuit Isaac; sed tamen errauit in sensibus: solus habet auditus verum, qui percipit verbum.*

Si igitur Animæ Christianorum virtute obedientiæ destituantur, etiamsi fidem Christi retineant, vitam tamen æternam nequaquam consequentur. Quia solus obediens Deum familiare illicit ad consortium. Nam qui paratus est ad obediendum, dignus videtur, cum quo Deus familiariter velit conuersari, teste Prophetâ: apud quem Deus ipse sic loquitur: *Ad quem* inquit, *respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* Chaldæus autem vertit: *mutantem se propter sermonem meum.* Neq; solùm ad familiaritatem cum Deo in hac viâ, verùm etiam in Patria verus obediens euocatur. vt docet Regius vates: *Audi*, inquit, *filia & vide.* Quasi diceret: vt exponit S. Bernardus Serm. 41. in Cantica: *Videre desideras Deum ô anima, sed audi priùs: Gradus enim est auditus ad visum. Proindè audi, & inclina aurem tuam, vt per auditus obedientiam, ad gloriam peruenias visionis.* Qui ergo obedienter credit Deo, vitam æternam habebit. hoc est; qui ita credit, vt anima illius sit casta, & immunis ab omni labe peccati. Hoc expressit cœlestis sponsa in Can-

Ioan 14. n. 21.
Eccl. 63. n. 4.
1. Reg 3. n 9.
Rom. 10. n. 17.
Marci 15 n 39.
S. Bernard.
Ioan. 20. n. 16.
S. Bernard. supra cit.
Gen 27. n 22.
S Bernard.
Isaiæ 66. n. 2.
Psal. 44. n. 11.
S Bernard.

in Canticis: *Oculi*, inquit, *eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* At si riuuli aquarum aderant, suapte naturâ ad lauandum aptiores; quorsùm lactis lauacrum requirebat cœlestis sponsa. Respondet D. Gregorius Nyssenus orat. 13. in Cantica ad finem. In lacte inquit obseruatum est, solum inter humida proprietatem istam habere, quòd in eo nullius rei simulachrum, aut similitudo conspiciatur. Quo fit, vt hæc oculorum Ecclesiæ sit laus perfectissima: quòd nihil, quod non subsistat in rerum naturâ, nihil erroneum, nihil vanum, præter ipsam rerum veritatem, velut vmbratili quodam simulachro fraudulenter repræsentent; sed ipsissimam veritatem intueantur, erroneis huius vitæ spectris & imaginationibus nequaquam admissis. Fideles igitur Ecclesiæ Sanctæ, lacte debent oculos mentis suæ abluere, firmiter credendo, quicquid proponitur ad credendũ, & nihil vlteriùs curiosè speculando. Cæca enim debet esse fides, rationes eius quod credit manifestas minimè inquirendo: alioqui desisteret esse fides, iuxta illud D. Gregorij hom. 26. in Euangelia. *Nec*, inquit, *fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentũ.* Quia si oculata sit fides, desinit esse supernaturalis, & mutatur vt plurimum in prudentiam temporalem, si non potiùs in imprudentiam carnalem: quæ sæpiùs impingit, & corruit. Quia homines magis ratione humanâ, quàm fide diuinâ nixi, vbi se putant rectam veritatis viam inuenire, falluntur passim, & toto cœlo aberrant. Testis luculentissimus istius veritatis est Ionas, qui noluit ire Niniuen, quò ad prædicandùm à Deo mittebatur: duplici timore ductus, vno; ne in extremam illius ciuitatis malitiam incideret, cuius sibi aliquam labem & cognationem adspergeret. Altero: ne aliquâ prophetici nominis infamiâ notaretur, prædicens imminentes plagas, quæ frequenter populo pœnitente, & Deo miserante, reuocatæ; falsitatis arguerent verum hauruspicem, & ostenderent non esse verum Prophetam.

Cantic. 5. n. 12.

Gregorius Nyssenus.

S. Gregor.

Sed vndè se eripere voluit, illuc se intrusit. Nam inprimis dicit Scriptura Sacra: *Descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis, & dedit naulum eius, & descendit in eam.* Nauis hæc Tharsis, iuxta SS. Patrum expositionem, prouerbium fuit; quo vastissima quæq; & plenissima scelerum vorago significabatur. Ionas igitur suo innixus iudicio, incidit in hanc scyllam vitiorum, cupiens illam scelerum charybdim euitare: qui si diuino præcepto duceretur, ab vtraq; tutissimus euasisset. Sic planè qui fidem Iesv Christi, non secundùm Ecclesiæ Sanctæ præscriptum, & Spiritus Sancti inspirationem suscipiunt: metuentes, ne fortè nudæ veritati diuinæ errent; sed illam pro suo genio & placito susq; deq; vertunt, & animæ & corporis periculum facilè incurrunt. Vt qui suo iudicio cauere voluerint, ne viderentur falsitatis nuntij, suò planè iudicio efficiant, vt credantur iniquitatis artifices. Malè enim credit his, qui suo potiùs placitò, quàm diuino nutui obediunt in fide. Loth è Sodomis liberatus, ad montem ducebatur, vt omne periculum euaderet. *In monte*, inquiunt, *Angeli saluum te fac.* Quid verò ille, montem minùs securum esse arbitratus, orauit Deum, vt ad vrbem paruam ac vicinam potiùs mitteretur. *Non possum*, inquit, *in monte saluari, est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum ire, parua, & saluabor in ea.* En cognoscite hominis cæcitatem, suum potiùs arbitrium; quàm Angelorum imperium sectantis. Nam illa vrbs quæ segor dicebatur, ad quàm ire volebat, frequentissimis terræ motibus agitabatur, ita vt sæpiùs inter terræ hiatus collapsa fuisse diceretur: vt ipsimet Hebræi apud D. Hieronymum testantur in quæstionibus Hebraicis.

Ionæ 1. n. 3.

Gen. 14. n. 17.

Ibid. n. 20.

Loth igitur diuino præcepto missus ad montem tutissimum, proprio ductus consiliò, vrbem manifesto expositam periculo, præoptauit.

Vt

Vt quem diuinum imperium liberare volebat, eundem proprium consiliũ præcipitaret. Sed quid est, quia Deus morem gessit, concedendo vrbem illam, quàm Loth ex proprio arbitrio postulauerat. *Non subuertam*, inquit, *vrbem pro qua locutus es, & saluare ibi.* Causa est, vt Loth suo potiùs consilio, quàm diuino morem gerens, pœnas suæ libertatis lueret. Nam ille postea diuino imperio reluctans, & ad proprium iudicium regressus, inquit Scriptura sacra: *Ascendit de segor, & mansit in monte.* Sed ecce fugiens flammas ignis, quas in vrbe formidabat, incidit in flammas concupiscentiæ, & incæstus; quibus in monte æstuauit. Asserunt enim ipsi Hebræi, quòd ille incæstus in monte, fuerit pœna inobedientiæ in vrbe: permittente Deo, vt qui proprio arbitrio pœnam fugiebat, rueret in culpam.

Ibid. n. 21.

Ibid. n. 30.

Hæc est ratio, si quis nunc ex sancta Christianitate quærat, quare Deus patitur malè sibi obedientes? nec tàm diuinis oraculis; quàm propriis potiùs consilijs, si non fallacijs credentes. Et hoc enim Deus facit ad maiorem eorum pœnam, vt illi, qui hic suo consilio ducti, malunt laxare vitæ suæ lubricæ retia; quàm Deo vocanti ad fidei perfectionem, obedire: flammas æternæ damnationis non effugiant. Vt eos qui hic ad tempus, in falsis dogmatibus errant, æternis postea cruciatibus adiudicet. Licet ergo Deus omnibus promiserit vitam æternam, qui credunt in IESVM Christum: non est tamen mirum, quòd multi intereant, quia non omnes bene credunt. Non enim omnis fides in Christum bona est. Credere enim in IESVM Christum, sperando facultatem peccandi ab ipso: verbi gratiâ felicitatem ad fornicationes, adulteria, stupra; sicut faciunt lasciuæ mulieres, & molles ac effœminati viri. Sperando auxilium ad committendum furtum, aut rapinam: vt faciunt latrones insolentiæ dediti. Sperando subsidium ad patrandum sacrilegium, ad iniustam vindictam de inimicis sumendam; vel ad aliud quodcunq; peccatum operandum. Taliter ergo credere, & talia sperare à Deo, non est vitam æternam mereri: cùm eo tempore fit summa iniuria diuinæ bonitati, cui non conuenit concedere homini facultatem ad malum, sed tantùm ad bonum.

A

In hanc dementiam abierunt hostes fidei Christianæ, Caluinistæ: dùm non minùs Deo tribuunt negationem Petri; quàm conuersionem Pauli. atq; adeò bona perindè ac mala à Deo speranda arbitrantur. In hanc amentiam labuntur passim plurimi Catholicorum! dùm mala suis inimicis à Deo fieri petunt. Talis enim oratio fit in peccatum oranti, quia vt docet D. Chrysostomus homil. 79. ad populum sub finem, & in Psalmum 4. oratio talis non solùm diuina iura euertit, sed ipsum etiam Deum facere vult suarum legum euersorem. Credere quoq; in Dominum IESVM Christum, sperando ab illo rem aliquam, quæ diuinæ voluntati vt absolutæ, & vt tali cognitæ repugnat. Vt si quis speret à Deo veniam peccatorum sine pœnitentiâ, aut gloriam sine meritis, aut gratiam in adulto sine operibus. Hæc enim confidentia est contra spem Theologicam, & à D. Thoma 22. q. 21. art. 1. in corpore, in specie præsumptionis reponitur: immò & inter peccata, quæ in Spiritum S. committuntur, numeratur. Quia per illam contemnitur diuinissimi Spiritus adiutorium, per quod homo à peccato, in quod collapsus est, erigitur ad gratiam. Hæc est infelicissima Luteranorum præsumptio, qui solam fidem sine operibus viuam & fructuosam arbitrantur. Cùm tamen credere & non operari benè, perinde sit, atq; mortuum esse hominem. Demùm credere in Deum temerariè, non est mereri vitam æternam. Sicut si quis ita credat, & speret à Deo suorum veniam peccatorum, vt propter hanc spem diutiùs in peccatis commoretur, aut ad alia peccata committenda

B

C

D

D. Chryso.

S. Thomas.

licentiùs aggrediatur. Vel si quis ita confidat de præsidio diuino contra hostes obtinendo, vt propter hanc confidentiã absq; vlla humanâ cautione, in manifestum periculum sese immittat. Nam cùm hic ausus sit malus, necesse est, vt & ipsum principium, ex quo oritur, scilicet; temeraria confidentia sit mala. Qui enim amat periculum, peribit in illo.

Quid sit credere in Christum.

Vltimatè ergo Doctores Sancti quæstionem hanc resoluunt, quomodò omnis qui credit in IESVM Christum, habebit vitam æternam? Hoc est; qui non hæsitat in vllis fidei articulis, qui Deo pronus est ad obediendum, & qui in virtutibus semper vult perseuerare. Aut si ex infirmitate lapsus fuerit, confestim surgere de peccato. Nulla enim infelicior est calamitas, quàm eorum, qui diuturnam constantiam renuunt: quia prolixum constantiæ laborem tolerantes, & eum postea deserentes; tandem perpetuis inconstantiæ pœnis cruciantur. Talis fuit constantia Saulis, qui iussus à Samuele septem dies expectare; vsq; ad septimum quidem expectauit: sed quia in septimo defecit; ideò breuissimi temporis spatio neglecto, vtrumq; regnum, & temporale & æternum amisit. Sed non desunt in manifestam eiusdem veritatis comprobationem, alia multa illustria argumenta & exempla. Cùm enim amici Iobi, qui diuturnam sapientiam coluerant, nescio quâ vesaniâ correpti, se in extremam stultitiam præcipitauerint, optimè ab ipso Iobo reuocantur. *Ex pectate*, inquit, *pauliſper*. Quasi diceret: ne diuturnos labores, quos sapientiæ comparandæ impendistis, nunc stultitiæ studendo, vnâ horâ deperdatis. Vbi D. Gregorius lib. 7. moral. cap. 14. *Sæpè*, inquit, *dùm præsentis vitæ breuitas, quasi diu perseueratura diligitur, ab æternâ spe animus frangitur, & delectatus præsentibus, desperationis suæ caligine reuerberatur, cùmq; longum putat, quod ad viuendi spatium sibi restat, repente vitam deserens, æterna mala inuenit, quæ vitare iam nequeat.*

Iob 6. n. 19.

S. Gregor.

A Et comprobat D. Basilius, homil. 5. in Martyrem Iulitam. *In stadijs*, inquit, *qui currunt, vel vno gradu posteriores, exciderunt; nec rarò palma victoriæ spoliantur.* Hinc meritò sapiens magno cum fletu, questuq; exclamat: *Væ*, inquit, *his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias planas.* Vbi sapiens non eos simpliciter lamentatur, qui virtutem; sed qui virtutis constantiam deseruerunt. Hoc est; qui diu in virtute consistentes, quòd paulò B diutiùs non consisterent, se deorsum ab illo fastigio præcipitauerunt. Quod etiam D. Gregorius citatus expendens: *Sustinentiam*, inquit, *perdunt, qui dùm diu se visibilibus immorari æstimant, spem inuisibilium derelinquunt. Cùmq; mens in præsentibus figitur, vita terminatur; & repentè ad supplicia improuisa perueniunt, quæ decepti suis præsumptionibus, aut nunquam se contingere, aut tardè crediderunt.*

S. Basilius.

Eccl. 2. n. 16.

S. Gregor. citatus.

Quid infelicius populo Israëlitico, qui Moysen in monte commo- C rantem expectauit, ad trigesimum vsq; vel etiã ad trigesimum quintum diem, vt putat Abulensis. Immò etiam vt tenet Rabbi Salomon, vsq; ad trigesimum nonum, & dimidiam partem diei quadragesimi. Et tamen quia alteram partem illius diei dimidiam non expleuit, duplex & culpæ, & pœnæ, infortunium incurrit. *Videns*, inquit, *sacra litera, populus: quòd moram faceret Moyses descendendi de monte, vitulum conflatilem sibi in Deum cooptauit: & capitalem pœnam tanto* D *sacrilegio debitam exoluit.* Infelicissima planè inconstantia: nam si quemadmodùm triginta dierum spatio sibi ab idololatria temperârunt, temperassent vsq; ad quadragesimum expletum; sine dubio Moyse tunc de monte descendente, etiam idololatrandi, & tàm grauitervapulandi, periculum effugissent. Eccè quomodò breuissimâ expectandi morâ repudiatâ, longissimum illis attulit patiendi detrimentum, vt neq; in hodiernam diem, immunes à periculo esse possint.

Abulensis.

Exodi 32. n. 1.

Ibid. n. 26.

Refle-

Reflectite adhuc vestros oculos in Oziam Regem, ad quid illum inconstantia perduxit? optima quidem habuit Rex iste virtutum primordia. 2. Paralip. 26. n. 4. Nam dicit Scriptura sacra: *Fecit quod erat rectum in oculis Domini.* Vbi multæ illius virtutes pulcherrimè describuntur. Sed vtinam tam bonis principijs, boni quoq; euentus respondissent. Verùm prô dolor! addit sacra litera: *Cùm,* inquit, *roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum.* Quam istius regis inconstantiam, ab optimo in pessimum statum degenerantis, admiratus D. Chrysostomus homil. 3. de verbis Isaiæ. dicit: *Qui* S. Chryso. *factum est, vt post vitam tam perfectam supplantatus sit, ceciderit q; nam hoc & ipse demirans hæsito. Quin potiùs nihil hic debet esse hæsitatione dignum: quandoquidem homo erat, res ad peccandum lubrica, & ad malitiam propensa.* Agnouit perbellè regius ille vates, quantum sit detrimentum hominis, deserere constantem esse in fide, & bonis operibus. idcircò deprecatus est Dominum in titulo Psalmi 47. dicens: *In* Psal. 47. *finem ne corrumpas*: Quare non dicit in principio, aut, in medio; sed in fine? Quia scilicet cæpisse bene viuere, & aliquantum in virtutibus progredi, non est vsquequaq; homini graue: sed consummare totum vitæ opus in virtutibus, hic labor, hoc opus. Quod D. Chrysostomus supra citatus triplici similitudine eleganter illustrat. *Quemadmodùm,* inquit, *in* S. Chryso. *spectaculis, qui per funem ab imo in altum ascendere ac descendere meditantur; si paululum deflexerint oculos, inuerso corpore deferuntur in orchestram pereunt q. Itidem qui per hanc incedunt viam, (scilicet perfectionis) si vel paululum cessauerint; precipitantur: & tamen hæc via tùm angustior est, tùm magis ardua ac prærupta, multò q excelsior; quàm illa per funem. Vt qua sursum ad ipsum vsq; cœlum protensa est: actuum nobis maiori cum periculo ponuntur vestigia, cùm ad summum vsq; vestigium accesserimus: eò quòd in sublimi stantes, multus occupat tremor. Atq; vnà tantùm via tuti sunt à lapsu, ne deorsùm aspiciant, neuè in terrâm demittant oculos.* Hac de causa propheta assiduò inclamat: *In finem ne corrumpas.* In titulo Psal. 47. animæ nostræ focordiam retrahens, iamq; collapsuram suffulciens, ac retinens.

Periculum igitur est Catholici in summo virtutum gradu consistere. Sed contra hoc periculum facile remedium: ne scilicet oculi defigantur in terram; sed erigantur in cœlum. Fides enim diuina est cælestium & inuisibilium rerum; non verò terrenarum, & spectabilium. Proindè qui credendo in IESVM Christum, vitam æternam habere vult, illuc debet mentem suam eleuare, vbi Christus in gloria triumphat. Alterâ similitudine desumpta à Republica & ciuili, excitat idem S. Doctor fideles ad constantiam. Si enim quilibet homo propter lucrũ temporaneum, omnem adhibet diligentiam: dùmq; & animi viget alacritas, & vires integræ sunt ac recentes, facilè ad id quod propositum est, pertingit. Cæterùm si alacritas emarcuerit, & vires defecerint, frustratur omnibus. Sic in stadio Fidei currentibus ad vitam æternam accidit: si enim indefessò semper conatu currunt, accipiunt brauium. Si autem defessi cursum negligunt, frustrantur promissa mercede. Infelix igitur homo est, qui in viâ Dei diu consistens, sub illius finem miserè nutat, ac vacillat: qui pugnauit, sed non superauit. Nam victoria non principio, sed fini debetur, qui coronat opus. Qua in re mirabile exemplum allegat D. Basilius S. Basilius. hom. 20. in 40. Martyres. qui omnes glaciali stagno immersi, ad fidem deserendam cùm tentarentur, vnus eorum vim frigoris diu & strenuè perpessus, tandem nescio quo subito horrore exanimatus, in balneum defecturis præparatum desilijt: sed iusto Dei iudicio mox interijt, vt qui tormenta fugerat, inter fomenta periret.

Ecce manifestam habetis imaginem perfecti fidelis, quòd constans vsq; ad vitæ suæ consummationem

esse debeat. Audistis discussam Euangelij sancti doctrinam, quòd omnis quicunq; crediderit in IESVM Christũ obsequenter & constanter, habiturus sit vitam æternam. Credite itaq; & vos ad omnia Dei mandata seruanda proni, & in virtutibus perseuerantes. Si verò aliquem tentatio ad lapsum perduxerit, erigendo se absq; morâ ad pœnitentiam, & postmodùm firmiùs sistendo in Dei gratia. Quam piam resolutionem, diuinissimus Spiritus, qui ad illuminanda & roboranda hominum pectora missus est, adaugeat.

EODEMDIE
CONCIO TERTIA.

Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. *Ioan.* 3.

Triplex potissimùm lux Spiritualis ad illuminandum mundum missa est, nimirum Filius Dei, gloria æterna, & Spiritus Sanctus.

TAnta est necessitas lucis in mundo, vt sine illa nihil boni parturire possit. Adeò vt nec ipsa astra, quibus philosophi tribuunt virtutem actiuam in hæc inferiora; possent vllam fæcunditatem in his sublunaribus efficere: nisi per suum lumen eadem calefaciendo alterarent. Hinc sacra pagina dicit de principio creationis. *Terra autem erat inanis & vacua.* Gen. 1. rationem statim huius vacuitatis assignans, quia: *tenebræ erant super faciem abyssi.* Ibidem, n. 3. idcircò Deus ne frustra creasset mundum, lucem illi addidit, inquiens: *fiat lux.* Mundus iste quid aliud est, nisi ipse homo: vt illum vocat S. Augustinus. *Microcosmos*: id est paruus mundus. Aristoteles in libro de mundo ad Alexandrum definiens mundum, inquit: Aristoteles *Est compages è cœlo terrâq; coagmentata, atq; ex iis naturis, quæ inter ista continentur.* Quid homo baptizatus, nonne ex istis omnibus constituitur? coagmentatur è cœlo! cœlestem illam gratiam in Sacramento baptismi accipiens. Constituitur ex elementis, virtualiter eadem in se includens. Constituitur è terrâ, corpus ex illâ assumens. Verùm sicut in principio creationis, terra dicebatur inanis & vacua; eò, quòd ante productam lucem, omni carebat ornatu, omni decore. Nondùm enim eam vestiebant plantæ: non homines incolebant & animalia, aquis etiam vndiq; cooperta fuit. Homo post baptismum susceptum, est quidem terra nondùm mota (vt Salazar to. 2. super Prouerbia, de prima creatione terræ dicit) & Doctores communiter tunc terram virginem vocant; quia nondùm erat maledicta. Est inquam homo primùm baptisatus, nullis adhuc actualibus coinquinatus peccatis: sed in gratiâ acceptâ, velut in primâ suâ innocentiâ persistens. Sed adhuc est inanis, vt potè vsu rationis, & verâ veri Dei cognitione carens. Est vacuus; nondùm pijs operibus, ceu diuinis quibusdam rosis adornatus. Itaq; summè misericors Deus, ad fæcunditatem salutis hominem perducere cupiens, lucem hodiè misit in mundum, quæ illuminat omnem hominem. Quam nos ope diuinissimi Spiritus considerabimus. Adsis diuinissime Spiritus, & emitte cœlitùs lucis supernæ radium in os loquentis, atq; in corda fidelium.

Salazar.

Quoniam homo duplici eget pabulo quamdiu viuit: nimirùm; corporali ad sustentandam temporalem vitam: & spirituali quo in stadio virtutis, & cursu quærendæ æternæ gloriæ, ad quam ab Auctore supernaturali conditus est, confirmatur. Idcircò duplici quoq; luce eget, corporali scilicet, quæ posita est in firmamento, vt luceat super terram, diuidat diem, & noctem, & tenebras. Alterâ verò spirituali, quæ illum inter lubricas vitæ mortalis procellas, ad salutem dirigat. Et hæc triplex est, iuxta mysticum Scripturæ sacræ tripli-

Lux triplex.

triplicem sensum, Allegoricum, tropologicum, anagogicum. Lux tropologicè, seu moraliter, id est; sensu ad mores spectante, significat gratiam. Anagoicè (quoniam is sensus futuram communiter vitam concernit) per lucem significatur gloria æterna. Allegoricè demùm (qui sensus fidei aliquem innuit articulum) per lucem significatur Christus. Lux hodierna quæ venit in mundum, iuxta doctrinam Sacri Euangelij, significat Christum Dominum, teste Apo-

Ioan. 1: stolo: *Erat lux vera quæ in mundo erat,* B *& mundus eam non agnouit.* Hæc sola erat lux vera, quia per omnia est similis suo principio, vt docet lumen Ecclesiæ Sanctæ D. Augustinus libro

S. August. de vera Religione cap. 36. *Veritas*, inquit, *est summa similitudo principij, quæ sine vlla dissimilitudine est. Christus est similis suo principio, scilicet; Patri: quia cum Patre vnum est principium creationis.* Comprobat D. Hieronymus

Gen. 1. lib. 1. Hexaem. cap. 8. inquiens: *In principio creauit Deus cœlum & terram: id est; in Deo Filio, Deus Pater creauit* C *cœlum & terram* Quod adhuc ipsemet S. Augustinus libro imperfecto de Genesi ad literam cap. 2. magis elucidat. *Est*, inquit, *principium sine*

S. August. *principio, & est principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est; ideò ex vno principio esse omnia credimus. Filius autem ita principium est, vt de Patre sit.*

Christus Dominus est vera lux; quia non assumpta & ementita, sed essentialis & immutabilis. Nam vt

2. Cor. 11. n. 14. docet S. Paulus: *ipse etiam Satanas,* D *transfigurat se in Angelum lucis*: vtiq; fallacis & fictæ, ad decipiendos & ludificandos homines. Ponit enim (ait Isaias) tenebras lucem. Ac proinde quemadmodùm Ieremiæ 10. 1. ad Thessalonicenses 1. & 1. Ioan. 5. dicitur Deus optimus Maximus, Deus verus, ad differentiam falsorum. Sic Christus dicitur vera lux, ad differentiam commentitiæ, & ementitæ lucis. Christus est lux vera, quia illuminat hominem in cognoscenda veritate,

Psal. 93. vt testatur Regius vates: *Qui docet hominem scientiam*: vtiq; salutis & remissionis peccatorum. Illuxit ista lux etiam gentibus, quibus nondum venerat lex scripta. Aiunt enim Iustinus Martyr & Clemens Alexandrinus; *Quibus non dedit legem scriptam, dedit Philosophiam boni & mali, veri & falsi indagatricem, vt sic malum à bono discernerent: & gentes quæ legem non habebant, naturaliter quæ legis sunt, facerent.* Christus est vera lux mundi, illuminans certissimâ spe salutis eos, qui illum sequuntur teste Euan-

Ioan. 8. n. 40. gelista: *Ego*, inquit, *sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quasi diceret: lux ego cunctis patens atque peruia sum, sed non propterea omnibus reipsa colluceo: verùm illis duntaxat, qui meis vestigijs inhærent. Quemadmodùm Sol non omnia collustrat, sed illa tantùm, quæ eius præsentiam non aufugiunt. Sic ille solus, qui ductum Christi in omnibus sequitur, perfunditur illo lumine, de quo dicitur apud Prophetam. *De-*

Isaiæ 44. *di te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Christus denique; est vera lux; *quæ illuminat omnem*

Ioan. 1. *hominem venientem in hunc mundum.* Verùm hoc vt docet Antonius Peres, non iàm actum & effectum illustrandi, quàm potiùs promptam paratamq; ad hæc præstanda naturam, significat. Nam vt docet S. Chrysosthomus hom. 7. in Ioannem: Si il-

S. Chryso. luminat omnem hominem in hunc mundum venientem, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? Neq; enim omnes Christum agnoscunt? Quomodò ergo illuminat omnem hominem? illuminat profectò quantùm in eo est. Si qui autem ponte suâ mentis oculos ad hos radios non dirigunt, malitiâ suâ in tenebris manent.

Altera lux, quæ significatur in sensu anagoico, est gloria æterna, quæ nos allicit ad virtutum & pietatis stadia decurrenda, eo tandem fine, vt feliciter aliquando per hoc lumen, diuinæ essentiæ noster intellectus vniatur. quemadmodùm Re-

Iustinus Martyr.

Clemens Alexandr.

Peres.

gius

gius vates prædixit: *In lumine tuo videbimus lumen.* Tertia lux in ſenſu tropologico ſeu morali, ſignificatur ea, quæ interius hominem illuminat. Hæc ſola lux pulcherrima virtutum ornamenta animæ confert. Hæc, quæ ſalutem concernunt, oſtendit: hæc vmbras peccatorum ex hominum mentibus depellit. Vt docet Tertullianus lib. de reſurrectione carnis: *Caro, inquit, vngitur, vt anima conſecretur, caro ſignatur, vt anima muniatur. caro manus impoſitione adumbratur, vt anima à Spiritu illuminetur.* Accedite feliciter Chriſtiani ad hanc lucem veſtris proficuam animis, ad quam conuocat vniuerſum orbem diuina Sapientia, teſte Salomone: *Sapientia, inquit, foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capita turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: vſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupiunt, & imprudentes odiunt ſcientiam: conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocaui, & renuiſtis extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret: ego quoq; in interitu veſtro ridebo.*

Pſal. 35.

Tertullia.

Prou. 1.

Lux hæc, id eſt Spiritus Sanctus admirandæ potentiæ eſt, quia procedit à Patre æterno, cuius incomprehenſa omnipotentia. Eſt certa ſalutis humanæ ſpes; quia procedit ſimul à Filio, vt docetur in Euangelio: *Omnia quæ habet Pater mea ſunt.* Ex quo loco S. Auguſtinus talem diſcurſum facit. Quicquid habet Pater, habet & Filius, excepta ſola paternitate, (vt ibidem S. iſte Doctor excipit.) Sed Pater habet potentiam ſpirandi Spiritum S. vt fides docet, proindè illum vterq; æqualiter ſpirabit, & viciſſim ille ab vtroq; ſimul procedit. Et certè hoc ipſum probat Filius æterni Patris de Spiritu S. loquens: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quicquid autem perſona vna in diuinis accipit ab alia, totum id accipit nonniſi procedendo ab illa. Si igitur Spiritus S. ad clarificandum Dei Filium

Ioan. 16.

S. Auguſt.

Ioan. 16.

A accipit ſcientiam & cognitionem: manifeſtum eſt, quòd eo ipſo procedat ab illo. Et licet Euthymius & Theophylactus, *de meo accipiet.* ita interpretentur: conſentanea meis dictis loquetur, reuera tamen contradicunt Scripturæ Sacræ, quæ in eodem loco apertiſſimè dicit, locuturum Spiritum S. eadem, & non à ſe, ſed accepta à Filio. id eſt; non per diſciplinam quaſi ignorantem, ſed per æternam proceſſionem.

Euthymius. Theophyl.

Ioan. 16.

Falluntur inſuper & Græci Pa-
B tres, qui verba illa: *de meo* accipiunt pro theſauro, id eſt; Patre. Quia Pater in diuinis theſaurus eſt ſapientiæ, non ſecundùm paternitatem; ſed ſecundùm deitatem, cõmunem omnibus tribus perſonis, & communicabilem vna cum ſapientiâ & ſcientia, iuxta illud Apoſtoli: *In Chriſto omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.* Falluntur deniq; & ij, qui æternitatem Spiritui S. negant, ſeducti illis Chriſti Domini verbis; *quia de meo accipiet*: quod futuritionem quandam ſignificat. Nã
C Phœnix ille Theologorum, S. Auguſtinus tract. 99. in Ioannem, dicit: *In eo quod ſempiternum eſt, cuiuſlibet temporis verbum ponatur, ſiuè præteriti, ſiuè præſentis, ſiue futuri, non mendaciter ponitur; æternitas enim omne tempus continet eminenter.* S. Ioannes, vnica Chriſti pectoris gemma, vidit fluuium aquæ ſplendidum, tanquàm cryſtallum, procedentem de ſede Dei & agni, in medio plateæ eius: & ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per-
D menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Fluuius iſte non eſt alius niſi Spiritus S. qui ſuo ſplendore omnes mundi tenebras diſſipat, & viam æternæ vitæ ignorantibus monſtrat. Hic diuiniſſimus Spiritus, à prima ſtatim mundi creatione, terrenas vmbras cæpit illuminare. *Erant tenebræ ſuper faciem terræ abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* dicit Sacra pagina. Tenebræ ſunt ipſe peccatorum maculæ: docent enim Theologi, quòd quemadmodùm diuina gratia

S. Auguſt.

Apoc. 22.

Gen. 2.

tia pulchritudinem quandam, & candorem animæ confert; sic peccatum deturpatiua qualitate eandem induit, vt non amplius diuinæ luci, in illa turpitudine locus reperiatur. Abyssus multa est ipse homo, cuius indomita malitia, maximis etiam peccatorum illecebris, & concupiscentijs satiari nequit. Nam semel resoluto ausu in offensam Dei lapsus homo, quot momentis magis ab illo recedit, donec in ipso iniquitatis profundo penitùs demergatur. Aquæ sunt omnes mortales, qui veluti corpus quoddam fluidum, facilè à Deo relabi possunt. Super istas ergo aquas turbidas, id est; super conscientias humanas peccatis infectas fertur Spitus Sanctus; vt omnes deprauatæ conscientiæ tenebras absumat, calefaciendo frigidum hominem potentissimis gratiæ radijs.

S. Hieronymus considerans hæc
S. Hieron. verba: *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* dicit quòd in quæstionibus Hebraicis legatur *merabepheth*: id est; *incubabat*, seu *confouebat* in similitudinem inquit volucris oua calore animantis. Hinc S. Augustinus lib 1. de Genesi ad literam cap. 18. dicit:
S. Augustin. *Sicut oua fouentur ab alitibus; vbi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodam modo ad miniculatur, per quendam in suo genere dilectionis affectum: Sic Spiritus Sanctus, qui amor est: omnia salutifera generat in nobis.* Ille aquis indidit fœcunditatem, vt non essent viduæ; sed vt producerent gratiam in anima hominis, abluendo maculam originalem. Quemadmodùm
Tertullia. sentit doctissimus Tertullianus, *vt* inquit, *implerentur ab eo virtute quadam maritali, & sic mundum cœlo parturirent.* Fluuius iste, Spiritus Sanctus, dimanat à sede Dei pariter & agni, quia procedit tàm à Patre cognoscente omnes creaturas possibiles; quàm à Filio summoperè eadem
Ioan. 15. amante, vt docet S. Ioannes: *Qui à Patre Filioq; procedit:* non quidem tanquàm à duobus principijs, sed tanquàm ab vno principio productus. Nam licet duæ sint personæ, à quibus A Spiritus S. producitur, non tamen duo principia, propterea: quia virtus spirans seu producens Spiritum S. nimirùm voluntas diuina, & in Patre, & in Filio, vna eadem & indiuisa est. Hoc fundamento nititur D. Augustinus lib. 4. de Trinitate:
S. Augustin. *Tres*, inquit, *sunt vnum principium creaturarum, propter identitatem naturæ.* atq; cum etiam virtus productiua Spiritus Sancti, sit & in Patre, & in Filio vna & eadem, scilicet; voluntas indiuisa, sequitur quòd Pater & Filius B vnum sint, non duo principia Spiritus Sancti. Et quamuis Pater atq; Filius dici possint duo spirantes actiuè, propter pluralitatem suppositorum; non possunt tamen dici duo spiratores substantiuè, propter vnam spirationem, & vnam virtutem spiratiuam, significantem quodammodò naturam cum proprietate. vt docet S. Thomas 3 p. q. 36. art. 4. sed
S. Thomas solùm dici debent vnum principium spiratiuum, & productiuum Spiritus Sancti. Et licet virtus productiua Spiritus S. tota & integra sit in Patre, C & in Filio; neq; minùs in hoc; quàm in illo. Neq; tamen solus Pater sine Filio, neq; Filius sine Patre producere potest Spiritum Sanctum, non quidem defectu potentiæ, quæ est perfectissima in vtroque, sed defectu necessariæ conditionis, quæ requiritur in productione Spiritus Sancti, vt procedat à duobus suppositis, quæ sunt vnius eiusdemq; naturæ. Ex eo fundamento, quòd Spiritus S. sit complexus, & nexus amoris, quo Pater & Filius mutuò se complectuntur, D & diligunt. vt docet Angelicus Doctor supra citatus. *Spiritus*, inquit,
S. Thomas *Sanctus est vinculum & nexus Patris & Filij.* Hinc erubescat impia Hæretis quorundam, qui teste S. Athanasio
S. Athan. lib. de Spiritu, negant Spiritus Sancti personam, hoc vanissimo Sophismate seducti. Si inquiunt daretur in diuinis persona Spiritus Sancti, distincta à Patre, & Filio; tunc vel Spiritus Sanctus procederet à Patre, & sic esset frater Verbi: vel procederet à Filio: & sic esset Filius Verbi, nepos

verò Patris. vel deniq; procederet à Patre simul & Filio : & sic verbum se haberet vt mater. Verùm dùm humanis rationibus, incomprehensa Dei mysteria scrutari præsumunt, in grauissima deliria præcipitantur. Cũ tamen clarissima Ecclesiæ lumina, Sancti Doctores quamuis Fidei lumine colluſtrati, summam imbecillitatem suam ingenuè fateantur, cùm eis de prodigiosâ Spiritus S. processione agendum est. Sic argutissimus Doctor S. Augustinus contra Maximinum. *Quæris à me, si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est Spiritus Sanctus, cur vnus Filius, alius non? Ecce respondeo, siuè capias, siuè non capias: de Patre est Filius, de Patre est Spiritus Sanctus: sed ille genitus, iste procedens.* moxq; subiungit: *Quid autem inter nasci, & procedere interſit (de illa excellentissima natura loquens) explicare quis potest?* Vtq; tandem se magis imparem tanto oneri ostendat, palam confitetur suam infantiam, inquiens: *Distinguere inter hanc generationem, & illam processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Similiter Gregorius Nazianzenus in hoc inscrutabili arcano, se parùm esse idoneum perhibet orat. 37. *Quæ est processio inquis? Dic tu quæ Patris ingenitura sit, ego Spiritus S. processionem aggrediar, vt ambo mentis vesania præcipites agamur, in Dei mysteria oculos injicientes.* Ac tandem S. Ioannes Damascenus lib. 1. Fidei orthodoxæ, quàm sit arduum de processione Spiritus S. loqui, testatur his verbis: *Generationem & processionem inter se differre compertum habemus: cæterùm quis huius differentia modus sit, prorsùs nos fugit.* Præstat ergo in tanto mysterio mentem fidei subijcere, & captiuum redigere intellectum in obsequium Christi; quàm infallibili veritati colla subdere recusando, & in occultissimis arcanis, manifestam quærendo rationem, more Icari super aëra volitare nitentis præcipitari, & in profundo inferi demergi.

S Augustinus lib 3. cap. 14. contra Maximum

S. Gregor. Nazianz.

Damasce.

Fluuius demùm est diuinissimus Spiritus S. fluens in medio plateæ: medium enim inter Deum, & hominem est Ecclesia Sancta; cuius canales sunt Doctores Sacri. Per horum doctrinam Spiritus S. illabitur in animos fidelium. Fluuius iste habet duo latera, & ex vtraq; parte est lignum vitæ. Quia Spiritus S. duplex vita est. Alia contemplatiua, quæ consistit in pijs meditationibus, Deum eiusq; inaccessam maiestatem, toto animo contemplando. Altera actiua, quæ fundatur in exercitio virtutum, atq; bonorum operum. Sic enim illam describit Carthagena to. 3. lib. 14. hom. 19. *Vita actiua, est qua peccata deflet, affectus moderatur, bella tentationum dissoluit, proximos in rebus corporalibus, & Spiritualibus iuuat, omniumq; virtutum moralium functiones exercet.* Talem autem vitam nemo potest gerere, nisi diuinissimi Spiritus radio illustratus. Ille enim solus ad Deum per contemplationem ascendit: ille in diuinitate eius per amorem requiescit: ille aptus efficitur, amplam benedictionem & eximiam Dei misericordiam suscipere: quem Spitus S. regit.

Carthagena.

Quærunt hic Doctores, quid opus sit, vt actiones vitæ actiuæ sint bonæ, & Deo acceptæ. Respondet huic quæsito Carthagena supra citatus. ad bonitatem nostrorum operum non sufficere, quòd illa sint ex suo genere quoad substantiam bona, sed insuper requiri, vt debitis circumstantijs cohonestentur. Cùm enim bonum fiat ex integra causa, malum verò ex singulis defectibus resultet. ideò non solùm deficientibus omnibus circumstantijs, quas 7. assignat Doctor Angelicus 2. 2dæ q. 7. art. 1. sed vnâ ad minimùm deficiente, totum opus vitiatur. Quis inficiabitur sacrificium in lege veteri fuisse optimum? et tamen sacrificium Oziæ repudiauit Deus, ob defectum primæ circumstantiæ, scilicet personæ, quòd, cùm non esset Sacerdos, sacrificare fuerit ausus, regiâ ductus præeminentiâ. Immemor Regibus solùm conuenire, subditos gubernare; non verò more Sacerdo-

Carthagena.

S. Thomas

tum

tum sacrificia & hostias proprijs manibus offerre. Vbi iratus Dominus, vt tanti sceleris de Oziâ sumeret vindictam, statim eum in templo leprâ percussit, & totam vrbem horrendo terræ motu perterrefecit, vt refert antiquissimus Scriptor Iosephꝰ. Quis ignorat bonam fuisse pecudum immolationem sub illud tempus? Et tamen talem victimam reiecit Dominus, cùm Sacerdotes post reditum è captiuitate Babylonicâ immolarent ei animalia maculosa. Scilicet propter defectum secundæ circumstantiæ, quæ aut quantitatem, aut qualitatem, aut effectus ex actione nostra prouenientes designat. Propter quod Dominus illos Sacerdotes grauissimè per Malachiam reprehendit: *Si offeratis*, inquit, *cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum nonne malum est.* Quis nescit bona fuisse emptionem, & venditionem eorum, quæ in templo offerenda erant Domino? cùm & ipse D. Augustinus eam approbet; *quâ*, inquit, *opus habebant homines in sacrificijs illius temporis.* Et tamen displicuit illa emptio, & venditio Christo Domino, ob defectum tertiæ circumstantiæ, quòd nimirùm non in loco competenti, sed in templo fieret; cùm tamen templũ non ad exercendas nundinas, sed ad orandum consecratum sit. Vndè dicit Euangelista de Christo: *Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes vendentes & ementes eiecit è templo, oues quoq; & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Quis non fatebitur rationi consonum esse? vt quilibet necessitati corporis prouideat, & ad depellendam famem cibos conquirat; & tamen reprehensione dignum est, quòd Esau, quamuis fessus laboribus, coctionem rufam primogenituræ, sacerdotij venditione quæsierit, quia defecit in quarta circumstantia, scilicet in auxilijs, & instrumentis, quibus ad suam indigentiam subleuandam est vsus. Neque enim debuit pro exiguâ escâ suam dissipare substantiam, propter quod S. Paulus appellat *prophanum*, simulque tantam bonorum prodigalitatẽ damnat. *Ne quis*, ait, *fornicator aut prophanus, vt Esau, qui propter escam vendidit primitiua sua.* Quis non in eam ibit sententiam? quòd defensio Regis Asæ, quâ propulsabat iniuriam sibi illatam à Baalâ Rege Israél, esset bona; & tamen reprehensionis notam incurrit apud Deum, ob defectum circumstantiæ quintæ, quòd nimirum sibi suppetias ferri curauerit à Rege Syriæ. Propter quod Ananias Propheta à Domino fuit missus ad eum. *Quoniam*, inquit, *habuisti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo; idcirco euasit Syria Regis exercitus de manu tua. Stultè egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent.* Quis non concedet eleemosynam esse bonam, cùm de illa dicit Scriptura sacra, quòd *à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Nihilominus tamen & hæc interdùm mala fit, defectu circumstantiæ sextæ: si nimirùm fiat inanis gratiæ causâ: abest enim tunc debitus finis, in quem misericordiæ opus debet ordinari. Tandem beneuolentiæ opus admittere, dùm v. g. ab amico inuitaris ad prandium, quis non videt esse bonum; & tamen peccauit ille Propheta, qui in tempore sibi prohibito conuiuium instituit, propter quod Deo imperante, leo eum in via miserabiliter dilacerauit. Cuius facti statim causa exprimitur in Sacra litera. *Vir*, inquit, *Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, qui confregit eum.*

Deniq; Spiritus S. lux vera est, quia suâ fœcunditate implet omnia; suâ velocitate omnia subitò mutat; suâ claritatè omnia mundat, & illustrat. Ecquid igitur causæ est, cur non omnes lucis huius splendore perfunduntur? Rationem video sufficientem assignat Scriptura sacra. *Quia dilexerunt magis homines tenebras; quàm lucem.* Tenebræ cæcitatem afferentes, conspectum cœli & delectabile solis lumen eripiunt, vbi palam

loquitur Tobias ad Angelum : *Quale,* inquit, *gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video.* Sic planè vbi peccatum in cordibus noſtris regnat, nullum Spiritui S. relinquitur tabernaculum. Quia peccatum tàm malignantis eſt naturæ, vt gratia Dei ſtare cum illo nullatenus poſſit. Cæcitas grauiſſima eſt peccatum : cæcitas ſpoliat oculum viſu ; peccatum lumen rationis aufert homini, ita vt cognoſcere nequeat viam redeundi ad Deum. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Vbi S. Gregorius Magnus ſcribens in Pſalmum centeſimum primum, dicit : *In talem noctem inciderunt primi parentes noſtri, vt audità deambulantis Dei voce, fugerent ſubter arbores, vt ab eo ſe abſconderent.* Et miratur vehementer, quomodò ſe inquit abſcondere poterant ab eo, quem videre omnia paulò ante clariſſimè intellexerant ? Reſpondetq; : *peccatum,* inquit, *has eis tenebras induxit, vt putarent ſe latere & effugere Deum poſſe.* Et hæc cæcitas contingit omnibus peccatoribus, qui ſibi perſuadent, ſe in ſuis latebris impunè delinquere poſſe ; velut extra omnium oculos, de Deo nihil cogitantes. Peccatum tantam affert homini cæcitatem, vt facilè homo ſibi alium quærat Deum. Vix populus ille Hebræus ſe ad vitia contulerat, morante cum Deo Moyſe, & ſtatim Deum à quo eductus fuerat, de Ægypto, reliquit : dicens ad Aaronem. *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Quod conſiderans S. Chryſoſtomus homil. 5. de Pænitentia to. 5. *Si diù,* inquit, *quare dicis fac, quomodò enim dii, ſi ſiant ? peccatum inquit ita populum illum obcæcauit, vt ſibi ipſi repugnaret.* Tenebræ cæcitatem oculo afferentes in cauſa ſunt, cur homines ſpolientur bonis ſuis, magno antea labore & ſudore quæſitis. Nam cæcis facilè auferri poſſunt, quæ habent : cùm illi ea cuſtodire nequeant. Peccatum ſimiliter tenebras animæ inducens efficit, vt omnia noſtra merita quantacunq; ea ſint, prædo infernalis facilè à nobis auferat, & Deus ita eadem obliniſcatur, atq; aboleat, quaſi nunquam ab homine facta fuiſſent ; teſte propheta : *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitiâ ſuâ, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.* Quid proindè peius tenebris peccati eſſe poteſt ? quæ vnico momento omnia virtutis & gratiæ opera, quæ homo longo vitæ ſuæ curſu colligebat, ita abſumunt, ac ſi nulla vnquàm fuiſſent. Propterea dicit regius vates : *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* Quaſi diceret : qui peccant, perindè eſt, quaſi nunquàm iuſti fuerint. Sed quid agis bone pſaltes ? Ergone quando tu peccaſti, priùs in viâ Dei non ambulaſti ? reſpondet : non. quia omnia perierunt & in fundum maris ceciderunt, quæcunq; priùs bene egit. Immò dicam plus, tenebræ peccati, non tantùm bona opera homini eripiunt, ſed ipſam quoq; potentiam ad benè operandum auferunt, cùm Spiritum Sanctum à corde peccantis expellant, ſine cuius præſentiâ, ne minimum quidem opus meritorium aggredi valet homo. Refert S. Auguſtinus ſuper Exodum. Magos Pharaonis duo prima ſigna, quæ Moyſes ediderat, facere potuiſſe. ranarum videlicet productionem, & aquæ in ſanguinem conuerſionem. Nihilominùs tamen tradit defeciſſe eoſdem in tertio ſigno, nempe in culicum productione. Rationem dat Sanctus Doctor, quia licet illi Magi adepti fuerint aliquantulum cognitionis & luminis, quamuis obſcuri & exigui, quo diuinarum perſonarum, Patris & Filij, aliquam inuolutamq; notitiam habuerunt, ſancti tamen Spiritus fuit eis occulta & inueſtigabilis, quâ deficiente, in tertio quoq; ſigno patrando defecêre. Myſterium hic latet catholici. Ranæ, fæditatem vitæ nobis deſignant, aquæ in ſanguinem mutatio, reſolutam contra Dei nutus voluntatem, culices demum, conſcientiæ punitionem, & peccatoris ad Deum conuerſionem monſtrant. Poteſt ergo homo ſine Deo in omnẽ

Tobiæ 5.

Pſal. 81.

S. Gregor.

Exodi 22.

S. Chryſo.

Ezech. 18.

Pſal. 118.

A B C D

ruere turpitudinem, in omne scelus & nefas prosilire, quia cùm actio ista sit deficiens, nequaquam illi Deus cooperari valet, cùm ex natura sua non sit deficienter operabundus. At verò surgere à peccatis, & in anima iustificari nequaquam potest homo sine Spiritu Dei. quia hic solus est digitus Dei, vnumquemq; mortalium erigens à lapsu.

Vidimus igitur iam duplicem hominibus à Deo datam esse lucem, corporalem scilicet, quam intuemur. Et hæc non debet nobis esse curæ; quia lux ista est naturalis, proindè omnibus debita: cùm sol æquè bonis ac malis lumen suum impertiatur. Alteram spiritualem quæ triplex est. Prima ipse Dei Filius, qui lux æuiterna Patris dicitur. Secunda, gloria æterna, ad quam homo, velut ad finem sibi præfixum tendere debet. Tertia; Spiritus S. qui omnia dona & remedia nobis ad consequendam salutem confert. Vidimus insuper homines magis diligere tenebras, id est; peccata huius mundi: quàm lucem illam cælestem, scilicet; Spiritum Sanctum. Ac proindè, cùm tenebræ istæ tàm dulcem animæ hospitem à nobis expellant; ad te hodiè diuinissime Spiritus, in tantis peccatorum tenebris confugimus, vt tu admirando tuo splendore, quo & Filium Dei toti mundo manifestasti; & potenti radio, quo crassos ignorantiæ, & infidelitatis errores ad veram Dei cognitionem perduxisti: & efficaci auxilio, quo feliciter humanæ fragilitatis lapsum subleuas; nostra quoq; peccatorum vincula dissoluas. Eòq; nos feliciter pertrahas, vt cum Patre & Filio, cui tu vnus es in essentia, æqualis in potentia, indiuisibilis in vnitate; vt inquam nos in eadem felicitatis vnitate, Patri filios; Filio coheredes: tibi æternùm amantes esse facias.

DIE III. PENTECOSTES.

CONCIO PRIMA.

Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. *Ioan. 10.*

Ostium ad salutem æternam esse Christum, cardines eius quatuor, veritatem, potestatem, hospitalitatem, beatitudinem æternam; gradus sex per quos ascenditur, iustitiam, veritatem, dilectionem proximi, contemptum munerum, obdurationem aurium, & simplicitatem; ostiarium verò esse Spiritum Sanctum, declaratur.

VRgent offerentis animũ promissa; nec moram patitur vltrò oblati muneris traditio. Quia qui citò dat, bis dat: & qui in promissis tardus est, modicum gratiæ, aut penitùs nihil, facit. Spectabat hoc è supernâ beatarum mentium sede, pietatis Christianæ generalis ductor, & prouidus dispensator Christus Dominus. idcircò quod die hesternâ verè credentibus pollicitus est, hodiè iam executioni vult mandare. Promiserat heri fidem diuinam sectantibus vitam æternam; sed quia hæc non est extra cœlum: ibi enim æternùm viuit, qui præsentem Deum sine fa-

stidio semper intuetur. Idcircò aditum ad amplam illam ciuitatem, murisadamantinis vndiq; circumdatam; columnis ex Iaspide elaboratis, munitam : portis ex Smaragdo affabrè constructis, clausam: nulli patentem; sed omnibus antehac inaccessam : reserat. Quò facilius vnusquisq; desolatas Angelorum sedes conscendere, & occupare possit. Siquidem è numero mortalium neminem reperiri fas est, qui felicitatem illam summam non ambiat. Vt præclarè spiritu prophetico edixit regius vates. Psal. 33. *Quis est*, inquit, *homo qui vult vitam, & diligit videre dies bonos.* Quasi hac interrogatione insinuare vellet, neminem esse, qui vitam & potissimùm æternam habere non aspiret. Nonne quilibet ad hanc prophetæ interrogationem responderet; ego volo. Nonne quotidie hic est communis omnium sermo? Quamdiu hic ista patiemur, in dies grauiora & grauiora. Apud maiores nostros lætiores fuêre dies, iucundiores horæ. Verùm si interrogares ipsos parentes tuos, similiter & ipsi in auos & proauos, omnem refunderent felicitatem, se autē miseros dicerent esse. Et vt verbo concludam? vniuersus orbis facilè responderet, omnia deteriora in dies sequi. Sed erras ô fragilis mortalitas, & frustra felicitatē in tuos reijcis maiores. Nec illi dies verè felices habuerunt, neq; tu illis infelicior es. Nā & tēporibus Heliæ tanta fuit exorta fames, vt capita iumentorū mortuorū auro venderentur: & homines prole suâ vesci cōpulsi essent. Semper proindè dies mali in hoc sæculo; boni verò in solo Deo. Semper in mundo mors; & vita tantùm in cœlo. cùm igitur in hoc mundo dies boni nec quæri, nec haberi possint : idcircò Deus nostræ miseriæ, quam sustinemus aliquantùm compatiens, die hesterno ad præmium nos vocauit, cuius iam hodiè executionem aggreditur : lætos dies, & vitam iucundam suis fidelibus dissoluere volens. Verùm quia ascensus ad illam arduus, aditus periculosus, ingressus difficilis: A vobis ego hodiè & ostium, & gradus, & ostiarium ad hanc vitam intromittentem, monstrabo.

Ostium ad vitam æternam non aliud esse præter Christum Dominū, lumen Ecclesiæ Sanctæ D. Augustinus. Tract. 26. in Ioan. proclamat his verbis : *Christus*, inquit, *Dominus est ostium, & pater bonus. Et quidem qui pastor est, dedit membris suis, vt sint pastores. Nam & Petrus pastor, & cæteri Apostoli pastores, & omnes boni episcopi. At verò ostium neminem dici voluit, sed* B *sibi tantùm retinuit.* Cuius testimonio consonat illud Propheræ dictum : *Aufert Dominus olfactoriola.* Hebræi verò legunt : *animæ domos.* Vt scilicet nulla alia sit domus animæ beatæ, præter cœlum : nullum ostium, præter Christum. Verùm si Christus Dominus est ostium ad vitam æternam, quis intrabit illuc? cùm ostium hoc summè angustum esse debeat. Siquidem verbum diuinum in assumptâ Christi humanitate, ad maximas se angustias redegit, vt docet D. Paulus: C *Verbum*, inquit, *breuiatum faciet Dominus super terram.* Vndè quoniam ostium hoc summè angustum est, pauci sunt, qui ad illud perueniant, ne dicam per illud intrent, secundùm Apostoli effatum : *Quàm angusta*, inquit, *porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Quasi ita angustum hoc esse ostium dixerit Apostolus, vt penè oculorum aciem effugiat; vt non solùm arripi non possit, sed neque etiam inueniri. Nec mirum? ostium D hoc tàm angustum esse : quoniam quatuor firmissimis cardinibus benè constrictum est.

S. August.

Isaiæ 3.

Rom. 9. n. 28.

Matt. 7. n. 14.

Primus enim cardo istius ostij est veritas, ex mente S. Ioannis : *Ecce*, inquit, *dedi ostium apertum coram te, quia seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.* Vbi apertissimè ostendit S. Ioannes, neminem per hoc ostium, scilicet; per Iesvm Christum ad vitam ingredi posse, nisi veritatis amantem : quam amplecti hominibus & graue, & odiosum; cùm & aures suas ad eius sonitum non

Apoc. 3.

non facilè inflectant, vt optimè expressit rectus Iob, qui suis amicis veritatem annuntiaturus, sic exorsus est. *Audite quæso sermones meos, sustinete me, vt ego loquar.* Vbi veritatem suis amicis iniucundam fore sciens, antequã de illa loqueretur, priùs audientiam, & patientiam postulauit. Mirum est: quòd Eleezer ille seruus Abrahæ, Rebeccæ inaures aureas obtulerit? Nunquid puellæ nobili, ac nubili, & in domo opulentâ atq; liberali enutritæ, deesse poterant hæc aurium ornamenta? minimè prorsùs. Quare igitur non attulit potiùs alia munera exotica, & peregrina, quorum nouitate magis Rebecca delectaretur? Quia scilicet inauribus mysterium illud significare voluit, vt per inaures exigeret sibi porrigi aures, ad veritatis annuntiationem. Quas homines passim negant quasi mutilati, dùm illis vera dicuntur. Hinc est, quòd cùm olim ad Iobum ex innumeris infortunijs ad pristinam fortunam restitutum, omnes eius amici, & cognati conuenissent, singuli singulas ei inaures aureas obtulerunt. *Dederunt* (inquit sacer textus) *ouem vnã, & inaurem auream vnam.* Quasi inconstantiam fortunæ illi reuocantes, & loquentes, iam eum ad regiam dignitatem, ex qua ceciderat, redijsse? quasi dicerent: En tibi offerimus inaures, memento vt aures arrigas, & eas ab vnoquoq; patiaris admoneri.

Iob 27. n. 2.

Gen. 24. n. 22.

Iob 42. n. 11.

Sed magna iam his temporibus intemperies mortalium animos agitat, & versat hæc insania, vt verbis adulatorijs byssinas aures offerant; veracibus autem spinosas, vel penitùs surdas. Vt cùm aliorum sensuum vsurâ voluptuosè perfruuntur, solas aures ad veritatem audiendam, sibi obsurdescere patiantur. Quo vitio potissimùm Principes, & magnates laborant. Talis fuit impius Saul: *qui abstulit magos, & ariolos de terra, & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre.* Cuius facti causam reddunt Hebræi apud Lyranum, asserendo illos diuinos, & aruspices, idcircò à Saule è numero viuorum sublatos esse, quòd ei prædixerint, familiam eius euertendam, & regnum ad Dauidem transferendum. Adeò iste Rex indignè ferebat, sibi sinistros & ingratos euentus rerum obnuntiari. Immò paulo post ipse Saul mutato habitu, consuluit vnam, quam superstitem reliquerat, Pythonissam: *Mutauit,* inquit, sacer textus, *habitum suum, vestitusq; est alijs vestimentis, & abijt ipse ad mulierem.* At, cur quæso non aperto ore, sed distorto ac personato abiit ad consulendum? credo quia veritatem à fœmina extorquere cupiebat, quam illa non fuisset ausa in os regi enuntiare; sciens veritatem à regibus molestissimè audiri. Quin immò & ipse Ieroboam Rex Israël, scire volens ex diuino oracuło, essethè filius eius Ahia, ex eo morbo, quo premebatur, moribundus an pristinæ saluti restituendus. Præmisit reginam vxorem suam ad prophetam Ahiam consulendum. *Surge,* inquit, *& commuta habitum, ne cognoscaris, quòd sis vxor Ieroboam, & vade in silo, vbi Ahias propheta est, qui locutus est mibi, quòd regnaturus essem super populum hunc.* Vbi Rex iste Reginam mutato habitu ire iussit, non quòd prophetæ illudere vellet, sed quia timebat, ne propheta, si eam agnouisset, responsum negaret; aut celaret veritatem: vt eruditè docet Lyranus. Si ergò in veteri testamento prophetæ adeò timidi erant, ad veritatẽ regibus indicandam. Quid his temporibus, vbi iam corruptio totum mundum occupauit? Audebitne quispiam magnatibus vera loqui? reuera nemo. Nam ex hac Principum, & Potentum insolentiâ, nolentium audire veritatem; nascitur quoq; timiditas subditorum, veritatem pariter dicere non audentium. Quo nihil perniciosius esse potest. Vnus in principio Ecclesiæ Sanctæ, qui Imperatori erranti virtutem opponeret, repertus est S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis; vnus quoque inter optimos mundi principes repertus imperator Theodosius, qui veritatem libenter audiret. Vt meritò in dubium veniat, vter laudabilior exstite-

3. Reg. 14. n. 2.

Lyranus.

His temporibus rarus est, qui Principibus & Magnatib⁹ veritatem dicat.

1. Reg. 18 n. 3.

Saul cur ariolos sustulit.

exstiterit? Ambrosiusne Episcopus Mediolanensis, ob libertatem arguendi imperatorem: an certè imperator ob humilitatem audiendi corripientem Episcopum. Fuit sanè iste imperator optimus; verùm sicut ad clementiam; ita ad iracundiam nimiùm proclivis. Vnde cùm apud Thessalonicenses excitati essent tumultus à iuuentute catholicâ, aduersùm Hæreseos sectatores, & iussu imperatoris ab eius militibus in defensionem pacis publicæ missis, septem millia hominum interierint; cædem hanc grauiter incusans D. Ambrosius lib. 5. Epistolarum. Epistola 28. ad Theodosium. Sic imperatorem alloquitur: *Accipe imperator auguste: quòd habeas fidei studium, non possum negare; quòd Dei timorem non diffiteor; sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, citò vertes ad misericordiam: si quis stimulet, in manus exsuscitas, vt eum reuocare vix possis.* Et paulò post addit: *Dolet igitur est mihi, vt tu qui pietatis inaudita exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas qui singulas mentes non patiebaris periclitari, tot perijsse non doleas innocentes.* Causamq; statim reddit, vnde tam vehemens & imprudens Cæsaris furor excanduerit: *Id tibi inquit, inuidit diabolus, quod habeas præstantissimum; vince eum, dùm habes adhuc vnde possis vincere, noli peccato tuo aliud peccatum addere.* Et rursus in Epistola 9. ad eundem Imperatorem, grauiter illi succensèt idem S. Doctor, quòd pro Iudæis vindicandis sæuierit in Christianos. *Hunc*, inquit, *dabis triumphum Iudæis de Ecclesia Dei? hoc tropheum de Christi populo? hæc gaudia perditis? hanc celebritatem Synagogæ? hos luctus Ecclesiæ.* Et paulò post euidentissimo argumento comprobat, non decere Christianum Principem tale factum. *Si*, inquit, *Iulianus non est vltus Ecclesiam, qui præuaricator erat? tu imperator vlciscere Synagogæ iniuriam, qui Christianus es? Quomodò iam oculis intueberis templum illius, qui est omnium Dominus. Quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? Quomodò quæso manus iniusta cede respersas extendere audebis? & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? aut quomodò venerandum eius sanguinem ori admouebis? qui furore tam iubente tantum sanguinem, tam iniq; effudisti?* Putaret certè aliquis S. Ambrosium iniq; docuisse, quandò vitio vertit imperatori, quòd pro Hæresi, & Iudaismo impugnato, seuerè Authores criminis, & complices puniuerit. Cùm vriq; cò ercenda sit insolentia, & petulanti frenum iuuentuti maturè imponendum, ne indomitum virus crescat, & aliquantùm toleratæ malitiæ, serò medicina paretur. Sed absit hæc à tanti doctrinâ magistri opinio? Non fouet ille insolentiam: immò quamuis ex mente Romani oratoris, dandum sit aliquid iuuentuti, concedendum aliquid ætati: castigandam nihilominùs suadet. Verum clementiùs? cùm res profectò indignissima esse videatur: vt pro Hæretico, Christianus; pro Iudæo, Catholicus; pro infideli, fidelis; pænam capitis subeat? si enim nobili pro plebeio; senatori pro Equite; pæna semper in leniorem commutatur, & caput pecuniâ plerumq; redimitur: solâ statûs, aut publicæ necessitatis vrgente ratione. Cur christianitati, quam pretiosus Christi sanguis redemit, pro lacessitâ Hæresi, concusso Iudaismo, aut quacunq; infidelitate læsâ, pæna augeri debebit? Nisi forsan erroneè iam mundus iudicare velit, fidelem respectu infidelis, minoris esse momenti, & plùs æstimandum esse ab orthodoxa religione auulsum, quam christianum hominem; inferioriq; loco habendum plebeium, quamuis in eodem fidei gremio constitutum; quam nobilem: quòd Deus auertat. Non enim est apud Deum acceptio personarum, sed æqualis æstimatio omnium verè fidelium.

S. Ambro

Cicero.

Catholicus Iudæũ lædens mitioré pœnam mœretur.

Principes Christianos pro vindicandis Iudæis non decet sæuire in subditos.

Et tamen hæc passim fiunt, quia non est qui magnatibus, & mundi Potentibus veritatem dicere audeat, propter minas statim sibi intentatas. Non talis fuit optimus Imperator Theodosius: qui de veritate admonitus, nec scriptis intumuit; nec verbis ex-

Theodosij humilitas stupenda.

bis excanduit; nec factis implacabiliter infremuit. Immò ad singulas D. Ambrosij obiurgationes humiliter acquieuit: & suâ audiendi humilitate, Episcopi libertatem dicendi exæquauit, ne dicam superauit. Suam in domum se includens, donec patratum scelus diuturnis lachrymis expiaret. Vndè idem D. Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosij, ex tanta procliuitate ad audiendam veritatem maximè hunc Imperatorem commendat. *Dilexi*, inquit,

S. Ambro. *virum, qui magis arguentem; quàm adulantem probaret. Strauit omne quo vtebatur insigne regium. Defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat. Gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator, publicè agere pœnitentiam. Nec vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Ecce quomodò nihil laudabilius euenire potest, Principi, magnati, potenti, & cuiuis Christiano homini; quàm facilem esse ad veritatem audiendam. Quam quicunq; reformidat, certus sit, quia per ostium non introibit ad vitam æternam: quoniam ostij regni cœlestis, principalis cardo est veritas.

Secundus cardo istius ostij est potestas & dignitas. Potestas consistit potissimùm in homine peccatore, à lapsu subleuando: nemo enim qui ceciderit, surgere potest, nisi à Christo, dexterâ eius omnipotenti è cœlo porrectâ, erigatur. Dignitas verò consistit maximè in homine iustificando, iuxta illud Apostoli: *Chri-*

Hebr. 5. *stus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Si quis igitur non habuerit potentiam, & dignitatem, per hodiernum ostium nequaquam ad vitam ingredi poterit. Verùm non hanc mundi potentiam, & dignitatem, in qua nimiùm confidunt mortales, habere debet; qui dies bonos desiderat. Mundi enim potestas insania est, & terrenus honor vmbra, atq; grauamen animæ. Sed potestatem & dignitatem spiritualem habeat, opus est, hoc est; virtutem resistendi tentationibus, & integritatem conscientiæ. Nam si Principes mundi domum suam adornare solent varijs coloribus, picturis, hieroglyphicis. Hinc mulieres exoletæ illius Antiquitatis, ornamenta quædam inter vbera, super cor suspendebant, quæ appellabant domos animæ, seu desiderij. vel quòd pretiosa illa ornamenta essent desiderabilia; vel quòd suaues spiritus animæ refocillandæ idonei, ex illis myrothecis exhalarentur. Sciebat vt video luxui dedita gens adinuenire falsas domos animæ, quæ sine ostio essent, qualis fuit illa domus, in qua inclusi manebant superbus Lucifer, fætidus & carnalis Epicurus, luxuriosus cupido. At ex omnibus nemo mihi melius adornasse videtur domum, quàm Angelus ille, qui in postibus domus ponebat literam *Tau*. Nam propter illud stemma affixum, non modò salus illi domui facta, sed mysterium quoque beatitudinis æternæ cognoscendum, propositum fuit. Sed quid per istam domum, quàm Angelus adornauit mysticè significetur, dubium est. Nonnulli putant significari corpus humanum, tùm ex eo, quia Aristoteles dicit: *Anima est tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte.* Aristoteles tùm quoq; quòd Angelus ille iussu Dei literam *Tau* in frontibus hominum posuerit, tanquàm in postibus domus animæ. Iam verò Stephanus Menochio in Institutionibus œconomicis lib. 1. cap. 1. nomine domus illius mysticè significari vult, ornamenta animæ. Vtraque expositio satis est probabilis, & nostro proposito seruiens. Domus profectò vestra Catholici, præter illam beatam sedem, est anima Deum timens: nam in hac inappretiabilem thesaurum, gratiam nimirum sanctificantem, & omnia Spiritus Sancti dona reconditis. Sed quia domus hæc non aliud ostium habet; quàm Christum IESVM. ideo mundissima, & omnibus virtutum, & sanctimoniæ

coloribus adornata esse debet. vt sit & potens; quàm rugiens ille leo timeat, & digna, quam missus in terras diuinissimus Spiritus inhabitet. Nã cuius mens non fuerit crystallo lucidior, peribit. quemadmodùm loquitur Sapiens : *Domus*, inquit, *impiorum delebitur; tabernacula verò iustorum germinabunt*. quasi diceret : omnia desiderabilia vitæ præsentis perdent in morte improbi ; ex tabernaculis autem suis peregrini, & hospites iusti, in patriam cœlestem transferentur. Germinabunt tabernacula iustorum, non quasi illorum militum, qui ad suspendenda tabernacula, palis, & perticis fixis in terrã vtebantur, quorum perticæ actis radicibus germinarunt, quod futuræ felicitatis, & prosperæ fortunæ omen habebant ; nam casuale hoc & naturæ arborum conueniens fuit. At verò tabernacula iustorum germinabunt magis, quàm virga illa Aaronis, Arcæ testamenti inclusa : quia animæ eorum inconcussæ manebunt, fulgebunt, perennabunt.

Poru. 14.

Vegetius lib. 3.

Tertius cardo istius ostij est hospitalitas. Cùm enim ostium ad vitam æternam sit ipsemet Christus Dominus, summam hospitalitatem habere debet : quia neminem à se repellit, immò omnes libenter conuocat : *Transite*, inquit, *ad me omes, qui concupiscitis me*. Quasi diceret : nemini ostium ad vitam æternam clausum est, sed omnibus quoscunq; tenet desiderium regnandi cum Christo, semper patet. Vt optimè ipsemet Iob fatetur : *Ostium*, inquit, *meum viatori patuit*. Et quis iste viator est, nisi quilibet mortalium, ad præfixum sibi æternitatis terminum peregrinans. Huic apertum est ostium, si tantummodò conatus eundi non desit.

Ecc. 24.

Iob 31.

Quartus denique cardo, in quo ostium hoc voluitur, est beatitudo æterna, iuxta promissum Christi Domini. *Vado*, inquit, *parare vobis locum*. In hoc cardine stantibus omnia patebunt, iuxta doctrinam S. Ambrosij lib. 5. de Fide cap. 7. *Cùm*, inquit, *gentilis crediderit ; cùm Iudæus agnouerit, quem crucifixit : cùm Manichæus adorauerit, quem in carne venisse non credidit : cùm Arrianus omnipotentem confessus fuerit, quem negauit : cùm postremò fuerit in omnibus sapientia Dei, iustitia, pax, charitas, resurrectio.* Verùm cùm ostium hoc sit in altissimo monte, quia in cœlo collocatum : scalam quæ illud attingat, & gradus per quos ascendatur ad beatam illam & tranquillam æternitatis domum, considerare debemus.

Ioan. 14.

S. Ambros.

Scala itaq; ad ostium hoc pertingens, scilicet Christum Iesvm, est ipsamet virtus ; quod ingeniosè figurauit Antiquitas, quæ templum Honoris simul & virtutis construxerat ; ita tamen, vt ad templum Honoris aditus non pateret, nisi per virtutis templum. Honorem Deus præpotens hominibus parauit in cœlo, gloriam scilicet æternam, & beatificam illam sui ipsius visionem. Sed ad hunc honorem neminem admittit, nisi per virtutis scalam gradientem. Gradus verò istius scalæ, quæ vertice suo cœlum attingit, sunt sex.

Primus, iustitia iuxta illud Prophetæ : *Dicite iusto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*. hoc est ; recipiet desideratam retributionem pro opere suo. Quilibet ergo homo, cuiuscunq; sit dignitatis, aut ordinis, aut officij, oportet vt iustitiam comitem habeat. Sicut enim Samson inuenit mel in ore leonis, quo comesto percussit Philisthæos ; ita quilibet fidelium, in iustitiâ custoditâ, & operatâ inuenit mel, scilicet ; gratiam Iesv Christi, qua gustatâ facilè percutit aduersantes animæ hostes. Verùm etiam in ipsa iustitiâ exercendâ cautos nos esse iubet D. Isidorus lib. de Summo bono, cap. 34. Ostendens quòd sicut ex vitijs vitia promanant ; ita non semper ex virtutibus virtutes sequantur ; sed interdùm etiam defectus pullulent. *Quædam*, inquit, *virtutes dùm discretionem non seruant, in vitia transeunt.* Nam sæpè iustitia dùm suum modum excedit, crudelitatis sæuitiam gignit : & nimia

Isaiæ 3.

Iudic. 14.

Isidorus.

& nimia pietas, dissolutionem disciplinæ parit: & zeli studium dùm plus est; quàm oportet, in iracundiæ vitium transit: & multa mansuetudo temporis, segnitiem gignit. Prudentis igitur viri discretio solertissimè prospicere debet, ne bonum intemperanter agat, & de virtute in vitium transeat. Hoc ipsum docuit magnus ille Propheta & Rex Dauid: *Iustitiæ*, Psal. 18. inquit, *Domini recta lætificantes corda.* Quasi diceret: non omnes iustitiæ lætificant hominum corda, sed illæ tantùm quæ sunt rectæ, non verò illæ, quæ aliquo obliquo permixtæ sunt. Palam est hoc in Abele & Cain: vterq; enim voluit iustitiam facere, Deo offerentes victimam: & tamen solius Abelis hæc iustitia cor lætificauit; Caini verò animum tristitia repleuit. Quia nimirùm iustitia in Abele fuit recta & simplex; in Caimo autem mixta præsumptione. Quidam ex antiquis ad viam rosis & liliis stratam apposuerat symbolum: *Semita iustorum.* significare volens, eum qui per scalam virtutis graditur, debere tanquam per rosas, & lilia currere. vt quicquid aduersi sustinet, omnia ista in rosas diuinæ adorationis conuertere sciat. Et quicquid prosperitatis habet, totùm illud in odorem & gloriam Dei conuertat.

Alter istius scalæ gradus est veritas. Hoc Adamantinus apud Pla. Adamantinus. tonem dial. 2. docuit. *Si beati*, inquit, *esse volumus, hâc eundum est, qua rationem vestigia ducunt.* vbi per vestigia intelligit veritatem, tanquàm proprium rationis humanæ obiectum. vestigia proindè veritatis sequi debet, qui beatus esse vult. Nam sicut oppositum veritati mendacium ducit ad interitum; ita veritas ad vitam monstrat iter. In eandem sententiam Seneca. conspirat grauissimus Auctor Seneca in fine libri de moribus. Vbi suadet, post Deum veritatem esse colendam, quæ sola homines dijs proximos facit. Fundabat vt opinor dictum hoc suum in eo, quia Deus summè verax est, proindè non aliter; quàm per veritatem cognoscitur. Hinc B. Isi-

A dorus, ita veritatem extollit. *Iniquis*, Isidorus. ait, *molesta est veritas, & amara disciplina iustitiæ; non delectantur nisi in placentijs, sunt iniustitiæ fœcundi, steriles veritati, caci ad contuendam lucem; oculati ad tenebrarum errorem.* Vndè veritatem meritò quispiam veterum in hunc modum depinxerat, vt illam efformaret quasi viam lucidam, versùs portam auream, cui imagini subscripsit. INGREDIATVR. quasi ostendere volens, quòd veritatem colentibus, statim cœlum aperiatur. vt B docet Propheta: *Aperite*, inquit, *portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem.* Isaiæ 26.

Tertius istius scalæ gradus est, dilectio proximi: iuxta illud effatum Prophetæ. *Qui proijcit calumniam, &* Ibidem 30. *auaritiâ ex calumnia, in excelsis habitat.* Quasi diceret: maiorem iam perfectionem inueniri non posse; quàm proijcere calumniam: multis enim virtutibus talis homo incedit. Est enim in illo amor Dei, & proximi: est patientiæ virtus: est fortitudinis C columnâ: est pietatis speculũ. Quoniam Sapiens inculcat, nullum maius calumniâ malum in rerum naturâ haberi posse, inquiens: *A tribu timuit* Eccl. 26. *cor meum, deleturam ciuitatis, collectionem populi, & calumniam mendacem.* Vnde Antiquitas pingebat calumniã, viam lapidibus, spinis, paludibus, obsitam: cui subscripserat: REIICE. Stultum esse ostendens, talem hominem, qui per hanc semitam incedit; prudentem verò qui illam reijcit.

Quartus scalæ istius gradus est, D contemptus munerum. Vnde regius vates secum percontatur: *Quis* Psal. 14. *habitabit in tabernaculo tuo?* & respondet sibimet: *Qui munera (per innocentem non accepit* Hinc & ipse Deus grauissimè prohibet munera accipere: *Non accipies*, inquit, *munera, qua* Exodi 23. *etiam excæcant prudentes*: textus autem Hebræus legit: *qua eruunt oculos* n. 8. *prudentibus*: Quasi non solum vsum, sed etiam facultatem rectè sentiendi eripere videantur. Si igitur accepta munera ipsis quoq; prudentibus tantum afferunt detrimentum, quan-

tum quæso afferent Principibus, qui munerum oblatione maximè rapiuntur. Talis fuit execranda cupiditas Regis Achab, qui tantùm abfuit, vt oderit auaritiam, vt eam pluſquam videndi, & viuendi facultatem, ſeu pluſquam ſuos oculos, & pluſquam ſuam vitam adamarit. Nam cùm non poſſet à Naboth, vineam extorquere, *Auertit*, inquit, Sacra pagina, *faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* At cur quæſo oculos auertit, & à viriditate camporum, & à vinearum amænitate, & ab ipſius cœli ſoliſq; iucundiſſimo aſpectu in tenebras, in angulos, in parietes coniecit. Reſpondet D. Ambroſius lib. de Naboth cap. 3. *Velant*, inquit, *diuites faciem ſuam, ne quicquam in orbe terrarum alienum videant, ne quicquam in hoc mundo non eſſe ſuum nouerint, ne audiant vicinum iuxta ſe aliquid poſſidere.* Quaſi malint diuites in cæcitatem propriam incidere; quàm facultates alienas intueri. Sed cur panem non comedit? Duplicem rationem reddit idem S. Doctor. *Non manducauit* inquit, *panem ſuum, quoniam quærebat alienum. Etenim diuites magis alienum panem, quàm ſuum manducant, qui rapto viuunt, & rapinis ſumptũ exercent ſuum. Aut certè non manducauit panem ſuum, volens ſe morte mulctare, quòd ei aliquid negaretur.* Quantum Iudicibus damnum animæ munera afferent? cùm manus impeditæ muneribus, decernendæ iuſtitiæ prorſus ineptæ habeantur. Quod videns Ioſaphat, cùm Iudices ſuo regno præficeret; ſic eos adhortatus eſt: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini.* Et paulò poſt clariùs ſuum intentum illis aperit his verbis. *Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Quaſi diceret interprete Caietano: non hominis vices, ſed ſummi Dei iudicando exercetis: ſicut igitur dignitatem geritis diuinam; ita gerite & æquitatem. Malum proindè eſt munera accipere, quia de malè acquiſitis non gaudebit tertius heres: immò ad tertiam & quartam generationem caſtigabit Deus domum tuam. Gratis enim iuſtitiam adminiſtrare debuiſtis; qui tamen muneribus acceptis, pro iuſtitiâ, iniq; iudicaſtis. Promouiſti perſonã indignam ad honoris alicuius, aut muneris prouinciam adminiſtrandam? ſed tu ipſe iudicaberis ſeuerè. Hinc magnus quidam Philoſophus, Iudices à munuſculis auocare ſtudens, propoſuit illis ſemitam vndiq; arboribus fructiferis, & amænis adornatam, ſubſcribens: *fructu gutturis.* Oſtendens rectum Iudicem, non manibus fructus; ſed gutture & prolatione ſententiæ iuſtæ colligere. Qui ergo per oſtium iſtud Chriſtum IESVM ingredi vult cœlum, non debet manum extendere ad munera, ſed gratis æquitatem exercere.

3. Reg. 12. n. 4.

S. Ambro.

Id em lib. cit. cap. 4.

2. Paralip. 19. n. 6

Caietanus.

Quintus gradus ſcalæ iſtius eſt; obturatio aurium: ne ſcilicet homo audiat detractiones alieni honoris. Maxima enim virtus eſt, nec detrahere; nec detrahentem audire: immò etiam detractionem impedire. Nam ipſemet Deus contra detractores inſurgit: *Quare*, inquit, *non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi?* certè ſi Deus non curauit non defendere ſeruum ſuum Moyſen à lingua venenosâ, quomodò feret illos, qui non tantùm hominibus probis; ſed etiã ſanctis Dei; immò & ipſi Chriſto, ac Matri eius detrahunt: quoniam hoc ſcelus eſt omnium maximum teſte D. Bernardo. *Nunquid non lancea eſt lingua detractoris: profectò acutiſſima, nam tres ſimul vno ictu vulnerat, & eum cui detrahit, & ſeipſum, & audientes.* Quod ipſum expreſit Regius vates: *Filij*, inquit, *hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Vbi S. Auguſtinus ſuper eundem pſalmum ſcribens: per filios hominum, Chriſti perſecutores intelligit, quòd ipſi potiùs clamando; quàm Pilatus clamantibus cedendo, eum crucifixerint: Filij hominum. illos (inquit iſte Doctor) vtiq; dicit, quos perſecutores paſſus eſt. Sed quomodò ipſi occiderunt, qui ferrum non ferebant? Qui gladium

Num. 12.

Pſal. 56.

S. Auguſt.

non

non strinxerunt, qui impetum in A tingere vult, hic ad regnum cœlorum intrabit per ostium, scilicet; Christum IESVM. Ostium ergo habemus, & scalam, atque gradus, per quos ascendamus. Sed quia ostium hoc clausum est, quis nobis illud reserabit?

Verùm adest, diuinissimus Spiritus, istius ostij ostiarius. Reserat ille cœlum, quia omnem scripturarum profunditatem, homini ad intelligendum facilitat, teste ipsamet æterna veritate: *Ipse vos docebit omnem* Ioan. 16. *veritatem.* Nam sine illuminatione B Spiritus Sancti, ne vllum quidem oraculum percipere valet mens humana. Et profecto manifestè comprobauit Spiritus S. se ostiarium esse portæ cœlestis, quandò in specie ignis, & columbæ, descendit super Apostolos, vt reseraret linguas eorum, ad edisserenda omnia diuinorum mysteria oraculorum, & scientiarum arcana. Ostendit & tunc se ostiarium esse supernæ illius ianuæ, quandò 1395. anno, imago crucifixi cum stigmatibus sanguinolentis apparuerat supra Landunensem Ecclesiam per mediam horam. Vbi Spiritus S. palam faciebat, se neminem in cœlum admissurum, nisi qui perindè de Filio, atq; de Spiritu S. rectè sentiret. Hinc meritò infert S. Ioannes. *Qui intrat* Ioan. 10. *per ostium, huic ostiarius aperit.* Quid hic dicent Ethnici, Turci, Scythæ, Arriani? qui diuinissimum Spiritum non recipiunt pro ostiario? His meherculè Paracletus cœlum non aperiet, sed potiùs repellet, tanquàm ne- D scientes Deum belluas campestres. Quod plurimum illustrat Apologus ille de Æsopo, & eius Domino. Mandauerat Dominus Æsopo, vt non intromitteret ad domum suam in conuiuium, nisi sapientes. Vndè pulsantibus fores, vt aperirentur, quæstionem hanc obijciebat Æsopus: *Quid monet canis.* Quo audito plurimi cum indignatione recedebant à foribus, existimantes sibi illudi. Sic planè diuinissimus Spiritus, non nisi sapientes, & benè in fide diuinâ, atq; Scripturâ sacrâ eruditos,

Portentosa apparitio crucifixi.

Æsopi ingenium in repellendis à domo doni sui hospitibus.

non fecerunt âd occidendum, vndè occiderunt? Respondet verbis Prophetæ: *Dentes eorum, arma, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.* Quasi diceret, noli attendere inermes manus, sed os armatum: inde gladius processit, quo Christus occideretur. Tunc ergo percusserunt Christum, quando clamauerunt: Crucifige, crucifige. Sed habet & Christus gladium bis acutum, scilicet; & occidentis, & resurgentis. Gladium resurgentis habet, verba salutis, quibus penetrat cor fidelium, vt ametur. Gladium occidentis habet, vt feriat calumniatores. Hoc indicare voluit regius vates, qui videns Dominum in spiritu humiliatum, cæsum, flagellatum, colaphis percussum, expalmatum manibus, sputis illitum, spinis coronatum, ligno suspensum. Videns Iudæos sæuientes, Dominum tolerantem: illos insultantes, eum quasi victum. tandem post illam omnem humiliationem, & persequentium furorem, C addit: *Exaltare*, inquit, *super cœlos* Psal. supra citato. *Deus.* quasi diceret. Tu qui in cruce Homo pendebas, super cœlos iam conscende, vt agnoscaris esse simul verus Deus. Remaneant in terra sæuientes, tu in cœlo esto iudicans. Pereant, qui furebant, & sagittæ eorum, fiant plagæ eorum. Mala est proindè detractio, sed & detrahentibus porrigere aures non minùs periculosum, cùm vtrumq; seuerum vltorem Deum ipsum habeat.

Sextus gradus istius scalæ est, simplicitas: quòd optimè S. Euangelista expressit, inquiens: *Si enim oculus* Lucæ 6. *tuus simplex fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, sicut lucerna illuminabit te.* Nec enim fascia super oculos, nec albugo in oculis, clausum facit oculum, ne homo videat malum. Sed sola obumbratio oculorũ animæ id præstat, ne malum concupiscentiæ, auaritiæ, & quod animæ nocere potest, in cor tuum admittas. Quicunq; ergo omnia mala & nociua animæ reijcit, nec illa oculis at-

intromittere ad cœleſtem aulam pollicitus eſt. Pulſabit Paganus, ſed quia in multitudine Deorum vnum verum Deum non agnouit; repelletur ab oſtio. Pulſabit Iudæus ſuam iactans circumciſionem, ſed quia vnum Deum in perſonis eſſe vult, non verò trinum, Filium, & Spiritum Sanctum, tanquàm alias à Patre Perſonas non agnoſcens; ideò repelletur. Pulſabit Arrius, ſed quia Filium minorem Patre eſſe vult, non admittetur. Pulſabit Caluinus, atq; Schiſmaticus; ſed quia negant hi Spiritum S. à Patre & Filio procedere, ab hoc oſtio reijcientur. Pulſabunt deniq; Catholici, quibus ſi macula peccati non obſtiterit, aperietur regnum cœli: ſin ſecùs, audient vocem illam: *neſcio vos.*

Habemus igitur oſtium ad vitam æternam, Chriſtum IESVM, qui ſicut per ſuam mortem, ſalutem humano generi conciliauit; ita per ſuæ paſſionis merita, ad gloriam omnes intrare vult. Habemus ſcalam oſtium hoc attingentem, ſcilicet; virtutem benè rectèq; viuendi. Gradus eius ſex. Iuſtitiam, Veritatem, dilectionem proximi, contemptum munerum, obturationem aurium, & ſimplicitatem. Habemus & oſtiarium Spiritum S. Pulſemus ergo hodiè feliciter cœlum, orando Dei Filium, vt qui pollicitus eſt, quòd omnis qui credit in ipſum, non debeat perire, ſed habiturus ſit vitam æternam, nos ab hac felicitate deſideratâ non repellat. Tum quoque Spiritum Sanctum, vt ille, qui nos in hac vita feliciter illuminando in fide dirigebat, & poſt mortem ad æternitatem vitæ, & gloriæ clementer intromittat.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant?
Ioannis 10.

A *Spiritus Sanctus venit in mundum ad edocendum Trinitatis Myſterium, & vitam abundantiùs impertiendam.*

DUo ſummè conuenientiſſima erant Deo, & mundo Catholici: Aduentus Chriſti in carne, & Spiritûs S. miſſio, cum omnibus donis ſupernaturalibus. Decebat enim Deũ, inquit S. Thomas opuſculo 60. oſtendere ſuam ſapientiam, potentiam, & bonitatem. Quæ tria in ſolo myſterio Incarnationis Filij Dei, per aduentum eius mundo monſtrata ſunt. Oſtendit inquit S. Thomus ſapientiam in artificio illius compoſiti, in quo primum & vltimum componitur. Verbum ſcilicet & humanitas in opere ſex dierum producta. Oſtendit potentiam in modo ſuperandi dæmonem per Incarnationem. Oſtendit bonitatem in tanta ſui communicatione creturæ. Conueniens deindè fuit naturæ aſſumptæ: per illam enim vnionem diuinitati Filij Dei, factum eſt, vt homo ſit verus Deus: ſit Angelis ſuperior: ſit capax meriti, & ſatisfactionis infinitorum: capax potentiæ ad miracula. Conueniens præterea fuit toti naturæ humanæ, quæ ex illa coniunctione cum Deo, ad tantùm dignitatis gradum peruenit, vt S. Auguſtinus de Prædiſtinatione Sanctorum cap. 25. auſus fuerit dicere: non habere iam naturam humanam, quò altiùs attollatur. Peruenit enim ad maiorem ſupra omnes creaturas Dei amorem; ob ſimilitudinem carnis. Peruenit ad ſummam vtilitatem; quia & Chriſti doctrinam homo ex illa vnione obtinuit, & ius ad gratiam & gloriam ſibi comparandam acquiſiuit: & ſanctitatem ex Chriſto in omnes dimanantem aſſecutus eſt: atteſtante id S. Paulo. *Factus eſt*, inquit, *nobis Sapientia, iuſtitia, & ſanctificatio.* Conueniens deniq; fuit ad reparationem generis humani: per hunc enim Filij Dei in carne humanâ aduentum, iuſtitia & miſericordia conciliatæ ſunt. Sed quia hæc omnia latebant

S. Thomas.

S. Auguſt.

1. Cor. 1.

ſub

sub vmbrâ corporis Christi ad eius diuinitatem assumpti: ideò diuinissimo illo Spiritu opus erat, vt tàm admirandũ incarnatæ Deitatis opus, manifestum faceret hominibus. Dicit enim insignis Doctor S. Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 8. *Nos*, inquit, *Spiritum S. accipimus, vt in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat: vt quemadmodùm Pater in Filio creauit cœlum & terram; ita quoq; per Spiritum S. haberetur operis plenitudo.* Ostendam igitur hodiè, Spiritum S. propterea venisse in hunc mundum, vt mundus & SS. Trinitatem faciliùs agnosceret, & vitam, quàm ex passione Christi acceperat, abundantiùs haberet: Vos tantumodò benevolas aures voci, & animos Spiritui Sancto concedite.

S. Ambro.

Concors est Theologorum sententia, Fidem Theologicam in duobus Fidei articulis principalibus contineri, ad salutem omninò necessarijs. Nimirùm; quòd Deus sit, & quòd habeat prouidentiam circa homines. In his enim duobus tota hominis salus fundatur: vt facile deduci potest ex illa doctrina Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere, quòd sit: & quòd inquirentibus se sit remunerator bonorum & malorum.* Rationem dat Angelicus Doctor: Quia Fides Theologica cùm non excedat lumen naturale, proportionatur scientiæ naturali. Ergò, inquit S. Doctor 1. p. art. 7. in corpore, sicut in scientijs naturalibus triplicia sunt principia: alia vniuersalissima, in quæ omnia inferiora vltimò resoluuntur. Quale est illud principium in Ethica: omne bonum est amplectendum, & omne malum fugiendum. Alia sunt minùs vniuersalia, quæ ex prioribus facilè deduci possunt: Quale est illud principium in Ethica: Iustitiæ est reddere vnicuiq; quod suum est. Alia deniq; sunt, quæ deducuntur ex primis, sed operosè, per multas scilicet consequentias. Et hæc vocantur principia propria certarum conclusionum: de quibus Aristoteles tractat libro 2. posterio-

Fides Theolog. ca in duobus maxime articulis consistit.

Hebr 11.

S. Thomas

Principia in scientijs naturalib⁹ triplicia.

Aristoteles

rum. Sic planè in doctrina Fidei: prima principia sunt; quia Deus est, & quia inquirentibus se, est remunerator bonorum, & malorum: In his enim duobus continentur omnes alij articuli secundi generis: scilicet; Quòd Deus sit trinus in personis, vnus inessentia: quòd sit bonus, iustus, incarnatus, &c. Ac proindè cùm ista duo, scilicet; Trinitas, & Incarnatio, pertineant ad salutem humanam, omnis homo ea credere debet: conuenit enim ea mysteria nos in hac mortali viâ credere, vt præcipua; quæ in patriâ visuri sumus: quoniam illa & primis parentibus ideò reuelata fuerunt, teste Sancto Augustino libro 14. de ciuitate cap. 17. *Hoc itaq;*, inquit, *cognouerunt, quod feliciùs ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas, & inobedientia, quid nocerent.* Et licet Hugo dicat, potuisse primos parentes eadem mysteria cognouisse notitiâ, clarâ & euidenti in attestante, mediâ inter fidem nostrã, & visionem beatificam; sed Deus homini talem cognitionem noluit concedere, ideò: quia hæc clara cognitio abstractiua, necessitasset hominem ad assensum eorum, quæ crederet, & sic homo actu illo credendi nihil meruisset. Ac proindè cùm in hac obscuritate credendorum cœlestium mysteriorum, lumine interno opus esset; requirebatur aduentus Spiritus Sancti, qui intùs hominem feliciter, in tantis Fidei tenebris illuminaret. Sine illo enim hæc inuestigabilia arcana cognouisse penitus fuit impossibile. Quia vt docet Angelicus Doctor lect. 6. Considerans illa Christi verba de Spiritu Sancto: *Ille vos docebit omnia: Ideo*, inquit, *Christus hoc inculcat, quia quæcunq; homo docet exterius, nisi Spiritus Sanctus det intelligentiam interius, frustra laborat. Omnipotentis enim inspiratio dat intelligentiam, in tantum, quòd etiam Filius Dei organo humanitatis loquens, docere non valeat, nisi interius per Spiritum Sanctum operetur.* Ratio est: quia vt concipia-

S. Auguſt.

Hugo.

Ioan. 16.

S. Thomas.

cipiamus mysteria supernaturalia, ad salutem omninò conducibilia, debet nobis prælucere cogitatio supernaturalis, & affectus initiatiuus iustificationis. Sola autem exterior prædicatio, etiam Christi hominis, sine Spiritu Sancto intùs illuminante, tantùm nobis ingenerat naturalem cogitationem, vtpotè ipsa quoq; naturalis. Quæ ex se insufficiens est ad cognoscenda supernaturalia. Et licet S. Thomas cum D Augustino dicant, exortum iustificationis sumendum esse à gratia excitante interiore, aut exteriore; tamen hoc non loquuntur in sensu disiunctiuæ contrapositionis, sed in sensu inadæquatæ inclusionis. id est; iustificationem inchoari speciali gratiâ Dei, quandoq; à sola motione Spiritus Sancti; quandoq; autem imò vt plurimùm, etiam ab exteriori simul cum interiore.

S. Thomas
S. August.

Spiritus igitur Sanctus, mysteria hæc ad salutem necessaria, SS. Trinitatis, & Incarnationis, mundo manifestauit. Cognouit ea malus Angelus in raptu, sed quia interno Spiritus Sancti lumine nondùm perfusus erat, cecidit. Cognouit bonus; sed quia per internam Spiritus Sancti punctionem, nè semel cognita ampliùs ignoraret, superbiæ restitit: & nè aderet, potenti hoc radio erectus, Deum toto affectu amplexus est. Cognouit & homo, per diuinam reuelationem; sed nè in hac fidei obscuritate vacillaret, superno Spiritus Sancti præsidio egebat: ita enim potens est cæleste istud lumen, vt hominem etiam summum peccatorem, facilè in acceptum Deo amicum commutet.

Quærunt hic Theologi, an etiam possibilis sit creatura, conditione suâ naturali impeccatiua? Et respondent, ab intrinseco creaturam posse fieri impeccatiuam, impossibile esse. Quia ens impeccatiuum ab intrinseco, debet esse indefectibile ex naturâ suâ; nulla autem creatura est talis, cùm omnis sit ex nihilo producta, proindè defectibilis, vtpotè finita. Concedunt tamen posse fieri creaturam impeccatiuam ab extrinseco,

Omnis creatura ab intrinseco est obnoxia peccato.

A scilicet; siuè per interiora dona Spiritus Sancti, siue per specialem gratiam Dei protegentis, ne peccetur. Ac proindè si quispiam vult mysteria hæc ad salutem necessaria, SS. Trinitatis, & Incarnationis cognoscere, lumine Spiritus Sancti opus habet: hic enim supernè delapsus splendor, et è pessimos in optimos facilè nouit commutare. Fuit Saul homo à Deo longè recedens; & tamen postquam à Samuele vnctus, & radio Spiritus Sancti illuminatus esset, statim in-
B perfectum virum euasit. *Insiliet*, inquit Sacer textus, *in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Proindè quicunq; per lumen Spiritus Sancti vult immutari, Spiritum Domini in se insilire exoptet. Verùm cùm Spiritui Sancto apud peccatores non detur locus, nisi apud iustos: idcircò si à diuinissimo Spiritu volumus immutari, oportet; vt quicunq; sunt auari, fiant liberales: qui superbi, humiles: qui iracundi, mansueti: qui impudici casti: qui tepidi, feruentes. Tepidi
C erant discipuli Domini, antequàm Spiritus Sanctus descenderet super eos: fugerunt enim omnes relicto Christo. At verò perfusi lumine Spiritus Sancti, audentiores facti sunt. Cùm enim Iudæi putarent musto plenos esse, mox Petrus cum vndecim discipulis, leuauit vocem suam, & locutus est eis: viri Iudæi, non sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, sed hoc est, quod dictum est per Prophetam: *Effundam de Spiritu meo super*
D *omnem carnem.* Ante Spiritus Sancti aduentũ, Apostoli clausis ianuis propter metum Iudæorum congregati sedebant; sed illuminati à Spiritu S. processerunt in publicum, & stantes loquebantur omnia verba vitæ huius. Ante Spiritum S. Petrus vnius vocem ancillæ expauit, quæ dicebat: *Et tu cum Iesu Galilæo eras.* at ille negauit coram omnibus respondens: *nescio quid dicis.* Sed post aduentum Spiritus S. nec principem Sacerdotum; nec Concilium seniorum timuit, sed cum alijs Apostolis audaciter

1. Reg. 10.

Ioël 2.

Actor. 5. ctor locutus est: *Obedire oportet Deo magis; quàm hominibus.* Ante Spiritus Sancti missionẽ, Apostoli vnam tantùm linguam nouerant, adeò; vt ex loquelâ Petrum ancilla conuinceret: Matt. 26. *Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit.* Sed collustrati Actor. 2. Spiritu Sancto, *caperunt loqui varijs linguis.* Ante Spiritus S. receptionem, non poterant eijcere dæmonia: Matt. 17. *Domine miserere Filio tuo, quia lunaticus est, & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Sed post aduentum Paracleti: *currebat multitudo vicinarum ciuitatum, offerentes ægrotos, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Spiritus S. ex immensa sua bonitate, facit nos doctrinam cœlestem percipere, gratiam facilitatis nostris mentibus conferens, teste S. Augustino lib. de gratia Christi S. August. cap. 13. *Si*, inquit, *doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cùm infallibili suauitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant, sed etiam per seipsum incrementum ministret occultiùs: ita vt non tantùmmodò ostendat veritatem; verùm etiam impendat charitatem.*

Neq; solùm ad dignoscenda diuina mysteria, opus erat Spiritu S. sed etiam vt homines vitam haberent. Siuè enim spectemus primam mundi creationem, siue militantem Christi Ecclesiam, facilè aduertemus, nec in mundi creatione vitam sinè Spiritu Dei potuisse dari, nec in Ecclesia Christi. De prima enim mundi creatione scribit Moyses. Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* vt nimirùm eis vim prolificandi inderet, indeq; omnia cuiuscunq; generis animantia, & germina produceret, atq; viuificaret. Si Ecclesiam Dei consideremus, hæc certè non nisi à Spiritu Sancto potuit viuificari. Centum viginti tantùm ab initio in Ecclesia numerabantur fideles in monte Sion, fermè iam mortui ob metum Iudæorum. Venit Spiritus Sanctus, & ita fragilitatem illam humanam animauit, vt nullus in mundo tàm potens, aut sapiens reperiretur, qui eis resistere posset. Venit vt nos in tepiditate mundana constitutos magis ad cœlestia quærenda impelleret. Natura enim corrupta, difficultatem maximam in cœlestibus desiderijs facit, ita vt sine ope Spiritus Sancti, nullatenus id, quod cœleste est, homo appetat, teste S. Augustino lib de Spiritu & litera cap. 3. *Nos*, inquit, *dicimus humanam voluntatem sic diuinitùs adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præter quod homo creatus est, cùm libero arbitrio voluntatis: præter doctrinam, quâ ei præcipitur quemadmodùm vincere debeat; accipiat Spiritum S. quo fiat in animo dius delectatio, dilectio summi illius atq; immutabilis boni, quod Deus est.* Homo enim per omnia similis est naui onustæ, hæc si absint venti, difficulter propelli potest. Homo quid est aliud, nisi nauis onusta corporis miserijs & necessitatibus, pressaq; passionibus: proindè impeditur facilè à progressu ad virtutes, & cœlestia cogitanda agendaq;: *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam.* Et si absit Spiritus Sanctus, propelli nullatenus potest; sed immobiliter terrenis fixa cupiditatibus hæret. Christus venit in hunc mundum, vt vitam habeant: *Ego*, inquit, 1. Tim. 2. *veni vt vitam habeant:* id est; vitam repatatam per pretiosam eius redemptionem: *Fidelis*, inquit, *sermo est, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Si enim inquit S. Irenæus lib. 5. aduersus Hæreses. *Si*, inquit, *non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset: & si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquàm sanguinem habuisset Deus.* Spiritus S. insuper venit, vt homo restauratam per Christi passionem vitam abundantiùs haberet, id est; vt non tantùm à Christo redemptus esset, sed insuper, vt hanc redemptionem, omnibus modis sibi ad salutem necessariam, cum omnibus cœlestibus donis, illuminante Spiritus S. procuraret. Docent Philosophi vitam esse duplicem: Aliam primam; quæ per necessariam connexionem cum vita-

S. August.

S. Irenæus.

In principio Ecclesiæ Christi non nisi centum viginti fideles erant.

libus potentijs constituitur, potens proximè ad eliciendos vitales actus in actu secundo. Aliam verò secundam: quæ consistit in ipso iam exercitio actuali. Christus igitur per suam passionẽ redimens omnes homines, contulit quidem eis vitam primam, proximè potentem operari, si homo velit sibimet istam redemptionem ad salutis opera applicari. Spiritus verò sanctus venit, vt homines abundantiùs vitam haberent. id est; vt reciperent dona Spiritus S. & vitam secundam, scilicet; gratiam supernaturalem, ex meritis Christi sibi collatam, cum omnibus donis supernaturalibus. Christus venit, vt vitam hominum corruptam repararet, per conuersionem peccatorum, à peccatis ad Deum. Spiritus S. venit, vt eandem vitam abundantiùs haberent. Quoniam homo conuerti non potest, nisi à Spiritu S. illuminatus. Nam renouatio hominis peccatoris, consistit in iustificatione eiusdem à peccatis; iustificatio autẽ duplex est, prima & secunda. Prima est acquisitio iustitiæ inhærentis, & verè animam renouantis. Secunda est augmentum acquisitæ: vtraque autem sine Spiritu S. haberi non potest. Quia ad illam requiruntur dispositiones istæ, primò fides: Quia *sine fide impossibile est placere* Deo: secundò timor: Quia *qui sine timore est, iustificari non potest* Spes: *qui enim sperant in Domino, saluabuntur.* Dilectio: *nam remittuntur peccata multa diligenti multum.* Contritio: dicitur enim Matt. 4. *Panitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei.* Deniq; propositũ vitæ melioris, & obseruandæ legis: *Facite vobis cor nouum, & Spiritum nouum.* Hæc autem præstare sine Spiritu S. nemo potest Quis enim crederet in Deum verũm, nisi à Spiritu S. illuminatus? cùm fides vt potè donum Dei supernaturale, sine lumine quoq; supernaturali haberi non possit. Deindè, quia istis actibus nullatenùs homo meretur iustificationẽ de condigno, aut de congruo; sed tantùm impetrat aliquomodò.

Christus in sua morte vitam primam contulit hominibus, Spiritus autem Sanctus vitam secundam.

Iustificatio hominis duplex.

Hebr. 11.
Eccl. 1.
Prou. 28.
Lucæ 7.
Matt. 4.
Ezæch. 8.

A Cùm igitur iustificatio consistat in infusione gratiæ sanctificantis, & expulsione peccati, vt docet Tridentina Synodus Sess. 6. c. 7. *Hanc*, inquit, *dispositionem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio; sed & renouatio interioris hominis.* Quam certè felicem mutationem Spiritus S. mundo per suum aduentum intulit, vt palam fatetur Theodoretus. *Reuera*, inquit, *fuit mutatio rerum omnium maxima: qui quondam inimici erant, amici sunt: longinqui, proB ximi: filij qui in ignorantia erant, in cognitione sunt, qui in tenebris, in luce: qui mortui erant, in spe vitæ: Pauperes, heredes regni cœlorum. Iudæi procul, & gentes propè. Filij canes; & canes filij.* Quæ potentia, quæ vires, tantam tàmq; stupendam rerum omnium inuersionem, in mundo facere poterant? nisi Spiritus Sanctus Apostolos, eorumq; sequaces prædicatores, ad hoc negotium armasset, & confortasset: quemadmodùm ipsemet Regius vates luculentissimè testatur, Cinquiens: *In Spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Hoc est; vt exponit S. Augustinus: *euertes superbiam gentium.* Quare autem euersio superbiæ gentium, per naues Tharsis significetur. Respondet Augustinus, quia Tharsis ciuitas fuit illa, quam docti quærebant. Hanc autem ciuitatem Tharsim, aliqui putant fuisse Ciliciã, ex eo, quòd metropolis eius Tharsus diceretur, de qua ciuitate erat Paulus Apostolus, gentium Doctor: natus enim est in Tharso Ciliciæ. Aliqui verò Tharsim putant fuisse Carthaginem: nam in Isaia sic legitur: *Vlulate naues Carthaginis*: apud Ezechielem verò à diuersis interpretibus ponitur hoc modo: *Vlulate naues Tharsis.* Vndè ex hac diuersitate interpretũ manifestè constat, eandem ciuitatem in Scriptura sacra vocatam esse Tharsum, siue Tharsim, quæ olim Carthago dicebatur. Carthaginis autẽ primordia solis nauibus floruerunt, & quidẽ ita, vt cæteras gentes longè antecellerent negotiationibus & nauigationibus. Nam quando Dido

Trident. Concil.
Theodoret.
Psal. 47.
S. August. super eundem Psalmum.
Isaiæ 23.
Ezech. 26.

do Dido fugiens fratrem delapsa est ad terras Africæ, vbi Carthaginem condidit, naues quæ paratæ erant ad mercationem in eius regione, assumpserat ad fugam, consentientibus sibi regionis eius principibus. Hinc proindè superba facta est illa ciuitas, quòd scilicet naues eius ad negotiandum nunquàm defecissent: vt meritò per eius naues, in Scriptura sacra figuretur superbia gentium, præsumens in incertis, tanquàm in flatibus ventorum. Contriuit ergo Deus in spiritu vehementi naues Tharsis; hoc est in missione Spiritus Sancti confudit sapientiam mundi, ne ampliùs veritati euangelicæ audeat contradicere. Confudit superbiam gentium, ne diutiùs in multitudine deastrorum, & idolorum cultu hærerent, sed vt ocyus in veri & vnius Dei properarent notitiam. Confudit nimiam hominum circa temporalia solicitudinem, ne mortalium nati præsumant in velificatione, quasi prosperitate sæculi huius; sed vt fundamentum eorum sit in Sion: ibi enim stabiliri debet, quisquis æternitatem animæ suæ cogitat, non verò perflari inani vento doctrinæ.

Quicunq; ergo ex incerto huius vitæ tumuerant, euertantur in Spiritu vehementi, cœlitùs in has lacrymarum plagas descendentis, & subijciantur Christo. Conterantur naues Tharsis; hoc est, abscedat omnis fastus à cordibus Christianorum, vt omnem humilitatem, dulcis hospes animæ è cœlo missus, in nostris diuersorijs inueniat. Commoueatur vniuersus orbis in spiritu valido, hoc est; timore fortissimo concutiatur, credendo in humilem IESVM, ne postmodùm iudicaturum expauescat. Et quoniam addit regius vates *conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.* Erige iam oculos ô beata Christianitas, vt vaticinium illud in te hodiè adimpletum cernatur. Vide illum, cuius pedes & manus fixi sunt clauis: cuius ossa in ligno pendentia numerata sunt: super cuius vestimentum sors missa est. Agnosce iam regnantem, quem persecutores quondam viderunt pendentem. Agnosce sedentem in cœlo, quem illi contempserunt in terra ambulantem. Effunde in eum animos tuos, cui subscribit diuinus psaltes: *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* atq; permota spiritu vehementi, omni pietate venerare, pro tanto pignore cœlitùs misso, immortales reponendo grates. Psal. 28. Psal. 71.

DIE SS. TRINITATIS,

CONCIO PRIMA.

Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Matthæi 28.*

Imago diuinitatis in homine depicta, & propagatio Ecclesiæ Sanctæ mouerunt Deum, vt sua inscrutabilia arcana mundo manifestaret.

REgum sapientissimus Salomon, eximiam sibi olim cœlitùs datam esse sapientiam gloriatus est, inquiens: *mihi autem dedit Deus dicere ex sapientia, & præsumere digna horum, quæ mihi dantur, quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator.* Ecclesia catholica non alibi certè eximiam hanc Salomonis scientiam, verborum copiam, sententiarum pondus, amplum & iu-

Sapien. 7.

cundum dicendi genus, opportuniùs deberet exoptare; quàm in altissimi & occultissimi Trinitatis mysterij celebritate. Quomodò enim hic mortalis eloquentiæ verba pandentur? vbi perspicacissima Angelorum mens omninò subsistit, & cessat. quia teste S. Basilius. D. Basilio lib. 7. *Admiratio quæ maxima est, non parit verbum; sed silentium.* Facilè quidem fuit cuilibet homini, etiam barbaro Deum naturaliter agnoscere; quia in prima statim creatione, Deus lumen suum, tanquàm manifestum Auctoris naturalis indicium, posuerat in homine, iuxta Dauidis Psalmodiam: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Psal. 4. Non erat tantoperè arduum, etiam vnum verum Deum agnoscere: quia hoc Gentilium Philosophi, Plato, & Aristoteles assecuti sunt, suprema illum vocantes intelligentiam; & causam generalissimam, à quâ cætera omnia entia dependent. Verùm licet iam aliquantùm mundo nota esset vera & vna diuinitas; adhuc tamen Trinitas Personarum in diuinitate occultata latebat. Nam ipsammet Filij æterni generationem à Patre, & Spiritus Sancti processionem ab vtroq; inuestigare; non creati fuit intellectus facultas, vt ingeniosè argumentatur D. Basilius contra Hæresiarcham Sabellium, hunc sermonem mouens: *Non quæras, quomodò* S. Basilius. *genitus est Filius: est enim impossibile hoc scire, nam à quo sciri potest? à terra? nondum substiterat. A mari? nondùm liquidum erat. A cœlo? nondùm erat eleuatum A sæculis? ante sæcula est vnigenitus.* Huc respexit decus Ecclesiæ Catholicæ, & princeps Doctorum S. Augustinus, qui in soliloquijs cap. 31o. mysterium Trinitatis appellauit; *cælum cæli Domino.* Vbi statim Christum in hunc modum alloquitur: *Soli*, inquit, *nota est Trinitas* S. August. *supereſſentialis exuperans omnem intellectum, omnem essentiam supercælestium animorum, quàm neq; dicere, neq; cognoscere, possibile est oculis Angelorum.* videlicet; lumine naturali. Hanc quoq; doctrinam approbauit D. Cyprianus tractatu de baptismo Christi: *Solus*, inquit, *Pater scit Filium, Patremq; nouit Filius, neq; à quoquam; nisi ab eo reuelante est cognitus.* S. Cyprian. Cœlum igitur altissimum, & inscrutabile, est mysterium Trinitatis. Verùm nemo licet in terra obambulans desperet: iam enim hodiè impletur vaticinium illud Dauidis. *Inclinauit cœlos, & descendit:* Psal. 17. Quasi diceret; descendit Deus ad homines, & cœlum illud à sensibus humanis remotissimum, hoc est mysterium SS. Trinitatis, omnem intellectum transcendens, inclinauit: vt possint homines fidei lumine illustrati in illud ascendere, & ineffabilem mente sua concipere Deum. Igitur considerabimus, quid Deum mouit ad maxima sua mysteria mundo reuelanda, & quâ viâ ad eorum cognitionem incedendum sit.

Contendunt plurimi, Deum ad manifestanda mundo sua inscrutabilia arcana, mouisse summum amorem: propter quem Deus contineri non potuit, quin seipsum totum creaturis communicaret. illo potissimum fundamento nixi: *Sic Deus dilexit* Ioan. 3. *mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Verùm licet non sit dubium, quòd amor traxerit Deum è cœlo in terras: licet causa tanti amoris impulsiua fuerit summa Dei bonitas; attamen omninò inquirendum est, quidnam etiam in ipsa creatura fuerit adeò præstantissimum, vt amorem & bonitatem diuinam in se prouocaret. Cùm enim Deus, vtpotè creator, & creatura, correlatiua sint, relatiuorum verò vtrinq; mutuus respectus dari debet: etiam in ipso homine aliquid ita dignum debuit reperiri, quòd Deum sibi amantem & benignum alliceret. Duo proindè ego agnosco in homine, quæ potentissimè Deum mouerunt, ne quicquàm suorum arcanorum ab eius cognitione subtraheret.

Fuit inprimis, diuinitatis imago in homine mirabiliter depicta Cùm enim ad veram imaginem spectet, vt omnia lineamenta eius, cuius est, in se repræsentet: ita quoq; & homo cùm

cùm vera diuinitatis imago eſſet, ſingula deitatis in Triperſonalitate ſubſiſtentis attributa, & proprietates, in ſe debuit efformare. Quòd ne illi deeſſet, incomprehenſa Dei maieſtas, menti eius voluit illabi. Verâ profectò imaginẽ ſuam hominẽ eſſe, teſtatus eſt Deus, inquiens: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Vbi ſtatim magnam animæ hominis excellentiam propoſuit Deus, dùm illam non aliquâ interuenientе creaturâ, ſed per ſeipſum voluit creare. Imitatus eſt hac in parte Deus artificum conſuetudinem. Quemadmodùm enim pictor egregius, inſigne aliquod formaturus ſimulachrum; licet alijs artificibus & famulis, ea quæ non tantam artis deſiderant præſtantiam, facienda committat; ſupremam tamen imaginis partem, videlicet; caput & faciem, ipſe ſolus formare, & perficere ſolet. Ita planè ſupremus hominis architectus, in eximia noſtræ animæ imagine formanda procedit: quamuis enim in materiæ diſpoſitione ad eius introductionem præuia, & in compactione corporis, cauſas admittat ſecundas, tanquàm ſuæ voluntatis adminiſtras; tamen ad creandam formam, quæ hominis mens eſt, illas excludit, ipſe ſolus faciem imaginis ornat, ac perficit, animam rationis compotem creans. Nam licet (vt quidam Theologorum ſentiunt) animæ creationem potuerit Deus alicui creaturæ, tanquàm inſtrumento committere; voluit tamen ad maiorem hominis dignitatem, id propria manu peragere, atq; prouido ſuæ ſapientiæ penicillo, talem virtutem, & lucem tantam ei impertiri, vt inter omnia eius opera, ſola hominis mens, imaginem ſui artificis, & creatoris impreſſam haberet. Sed in quo potiſſimùm hæc animæ ſimilitudo ad Deum conſiſtat, multùm ſacrorum voluminum interpretes diſcordant. Quidam enim in eo ſitam eſſe hanc ſimilitudinẽ arbitrantur, quòd ſicut Deus omnia cernit; nec tamen ipſe cernitur: ſic planè anima hominis, à nemine viſa, nihil non videt, quod ſenſibus obijciatur. Et ſicut Deus eſt totus in toto vniuerſo, & totus in quolibet eius loco; ſic mens hominis, licet multò diuerſa ratione, & tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte conſiſtit, vt palam docet Philoſophus. Inſuper, quia ſicut Deus eſt purus Spiritus incorruptibilis, atq; immutabilis; ita quoq; anima corruptionis & mortis capax non eſt. Alij verò Hebræorum Rabbini, & magiſtri aſſerebant (teſte Nicolao de Lyra, & Abulenſe cap. 10. in Geneſim) hominem in eo ſimilem eſſe Deo, quoniam ſicut Deus propter ſummam eius eminentiam, omnia in ſe continet, ita homo creaturarum omnes gradus complectitur, iuxta illud Gregorij homilia de Aſcenſione. *Omnis creatura aliquid habet homo.* Habet enim commune eſſe cum inanimatis; vitam vegetantem cum plantis; ſenſum cum animantibus, & intellectum cum Angelis; cuius virtute Deum intelligit, & intelligendo diligit. Quapropter etiam Dionyſius vocauit hominem, *confinium & horizon vniuerſi*, quòd ſcilicet omnium quæ in mundo ſunt, aliquomodò particeps exiſtat.

Sed miſsâ Hebræorum opinione, qui plura falſa; quàm vera effutire ſolent, ex genuino Doctorum Eccleſiæ ſenſu, veritatem ſcrutari placet. Vbi inprimis S. Damaſcenus lib. 2. de Fide orthodoxa cap. 12. aſſerit: Hominem Deo aſſimilari in arbitrij libertate. Quippe ſicut Deus liberum habet arbitrium, & ſuarum actionum dominus eſt, atq; moderator; ita homo tàm liberâ ſuorum actuum voluntate gaudet, vt nihil ſit in rerum naturâ, quod illam cogere, aut inflectere valeat. S. verò Cyrillus in eam ſententiam propendet, quòd quemadmodùm Deus vniuerſæ beatitudinis capax, ſeipſum videns, & amans, beatus eſt. Sic homo viſionis diuinæ, & amoris erga Deum capax, Auctori ſuo, poſtquàm vltimum finem conſecutus fuerit, aſſimilabitur, in clara diuinæ eſſentiæ viſione.

Gen. 1. v. 26.

Ariſtoteles

S. Gregor.

Dionyſius.

Damaſce.

S. Cyrillus

Similitudo hominis ad Deum in quo conſiſtit

Quemadmodùm etiam docet sacer
1. Ioan. 3 Euangelista : *Similes*, inquit, *ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* Sicut enim mens diuina non alia re, quàm seipsa contenta est; sic hominis anima tàm amplos, & capaces habet sinus, vt nullis creatis rebus; præterquàm solo Deo compleatur. Insu-
S. August. per S. Augustinus, vult istam hominis similitudinem ad Deum, consistere in operatione animæ : sicut enim nostrum esse, viuere, & operari, à Deo
Actor. 17. est. Vt docet S. Paulus. *In ipso*, inquit, *viuimus, mouemur, & sumus.* Ita corporis humani omnia membra ab anima habent, vt sint, & viuant, & moueantur. Sicut ergo Deus tanquàm vniuersale rerum omniũ principium, cum omnibus inferioribus causis, in illarum producendis effectibus, & operibus exercendis concurrit. Sic anima in corpore cui præest, concurrit necessariò ad minimas singulorum membrorum functiones. Et
Anima humana licet simplex & indiuisa sit, multis tamen facultatibus pollet. licet sit simplex atq; indiuisa substantia; tamen adeò mirabili virtute, varijs distributa facultatibus pollet, vt ab ea omnis actio nostra dependeat. Propterea visu discernit, auditu percipit, tactu palpat; naribus odores, linguâ sapores distinguit; cibũ in stomacho innati caloris vi concoquit, concoctum digerit, digestum vertit in sanguinem, venis corporis diuidit; spiritus in corde generans vitales, in cerebro animales; partem arterijs, partem membris, debita portione distribuens. Hæc si quid virtute phantasiæ concipit, imaginem format intellectus: virtute disputat, colligit, definit : memoriæ vi recordatur; voluntate amat, aut odit : sicq; in paruo mundo, (qui homo est) ita princeps causa est, & dominatrix omnium, quæ medio corpore fiunt, vt spiritum etiam trahere absq; eius auxilio, minimè homo queat.

Theodor. Chrysost. Tandem Theodoretus, & Chrysosthomus, non minùs ingeniosè; quàm sapienter, similitudinem hominis ad Deum, cosistere putant in dominio, & imperio libero. Quia sicut Deus vniuersitati; ita homo cæteris animantibus præsidet. Cuius sententiæ fundamentum apertissimè habetur in Sacra scriptura. Nam postquàm dictum fuerat à Deo. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* : protinùs adiunctum fuit : *vt præsit bestijs terræ, piscibus maris, & volatilibus cœli.* In quibus verbis, clarè videtur ostendi, quòd similitudo hominis ad Deum, potissimùm in imperio consistere videatur. Ex hac Theodoreti & Chrysosthomi sententiâ, quidam asserere ausi sunt, mulierem ad imaginem Dei non fuisse creatam. Quoniam mulieri non imperium; sed obedientia : non dominatio; sed submissio conuenit, dicente ad illam ipsomet Deo. *Sub viri potestate eris.* Econtra verò ad virum maximè spectat dominandi ius & auctoritas, secundùm D. Pauli sententiam : qui dicit. *Vir caput est mulieris.* Quam doctrinam stabiliunt verba eiusdem Apostoli loquentis ad Corintios. *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago Dei est.* De mulie-
re verò paulò post ibidem addit : *debet mulier habere velamen super caput suum.* In quibus locis manifestè videtur Apostolus declarare, solum virum; non verò mulierem, ad imaginem Dei formatum esse. Quod ipsum etiam sentit D. Augustinus 33. q. inquiens cap. imago. *Mulier ad imaginem Dei non est facta.* Sed non videtur hæc prærogatiua mulieribus esse neganda. Quoniam Alexander Alensis q. 55. membro 5. mulierem quoq; ad imaginem, & similitudinem Dei creatam esse, euidenter deducit, ex eodem Geneseos loco : vbi Moyses verba Dei hæc refert : *Masculum & fœminam fecit eos.* Crediderimque S. Augustinum, non alia de causa negasse mulierem ad imaginem Dei creatam esse, nisi quòd sexus iste vt potè lasciuiæ deditus, facilè hanc imaginem amittat. Et profectò cùm D. Bonauentura censeat, similitudinem hominis ad Deum esse in anima. Concors autem philosophantium opinio est : animam viri, ab anima mulieris, non differre essentialiter, idcirco

Gen. 1.

Opinio tenens mulierem ad imaginem Dei creatam non esse falsa est.

Gen. 3.

Ephes. 5.

1. Cor. 11.

S. August.

Alensis.

Anima viri ab anima mulieris non differt essentialiter.

circò dubitari non potest, æque mulierem, atq; virum, ad Dei imaginem creatam esse.

Neq; huic veritati contradicere voluit S. Paulus, quandò iubet, vt mulier tegat caput suum. Quia per hoc non ostendit illam non esse Dei imaginem; sed ne detur Ecclesiæ ministris occasio malè cogitandi: quibus non parùm nocere solet, compti capitis, & ornatæ mulieris lubricus aspectus. Hæc ergo imago Dei in anima hominis depicta, mouit Deum, vt tota SS. Trinitas, in hominis consortium, atq; notitiam descenderet; teste D. Bernardo in meditationibus cap. 1. *Mens*, inquit, *imago Dei est, in qua sunt tria; memoria, intellectus, & voluntas.* Pater proindè æternus, seipsum hodiè mundo manifestat, vt ei per memoriam similes simus, indelebilem ineffabilium eius beneficiorum gratitudinem, velut in marmore, in cordibus nostris sculpendo. Filius æternus seipsum manifestat, vt ei similes efficiamur per intelligentiam, recognoscendo mysterium illius Incarnationis, in remedium nostri lapsus factum. Spiritus S. manifestat seipsum, vt ei per voluntatem conformemur; ea quæ bona sunt, cogitando: quæ diuinum timorem sapiunt, amplectendo: quæ honestatem, & sanctitatis speciem præseferunt, operando. Hoc Diuus Thomas 1. p q. 93. ar. 3. insinuare voluit, triplicem Dei imaginem in nobis agnoscens. Primam creationis, quæ in omnibus hominibus reperitur, cùm omnes prædi ti sint à principio suæ creationis animæ, memoriâ, intellectu, & voluntate. Secundam imaginem vocat recreationis: quæ solùm inuenitur in iustis, qui per gratiam sanctificantem recreantur, & renouantur. Tertiam imaginem appellat similitudinis: quàm ait in beatis solùm reperiri, iuxta S. Ioannis doctrinam. *Scimus*, inquit, *quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

S. Bernard.

S. Thomas

Ioan. 3.

Pinxit proindè in nobis Sanctissima Trinitas, solam primam imaginem creationis, nobis nihilominùs diuino auxilio suffultis, pingendam reliquit secundam imaginem recreationis, seu renouationis; scilicet cooperationē nostram piam, vt sanctificemur, à nobis desiderans, vtq; tandem in vitæ nostrę coronide, imaginem glorificationis assequi mereamur. Ad quòd respexit D. Basilius hom. 10. in Hexaem. inquiens: *Opifex tuus quiddam tibi contulit, quiddam reliquit perficiendum, vt id cùm ad perfectionem promoueris, pronunties nihil indignus, qui insumpta opera mercedem recipias.* Quasi diceret: non satis est, quia te Deus creauit rationis capacem, sed requiritur, vt teipsum perficias rectè viuendo, & rectè operando. Sed dicet forsan quispiam, illud Plinij de Venere allegando: quòd Veneris imaginem, quam Apelles inceperat effingere, nemo repertus fuerit artifex, propter eximiam illius perfectionem, qui illam absoluere tentaret. Quantò magis imaginem supremo Dei penicillo depictam, nemo reperietur, qui illam audeat perficere, & exornare. Verùm licet non diffiteor, id superare omnem facultatem naturæ; diuini tamen auxilij gratiâ nobis opitulante, perficere possumus & exornare hanc Dei imaginem in nobis memoriam quidem, salubri Dei recordatione: intellectum, sanctis cogitationibus; voluntatem, ardenti Dei amore. Atq; vtinam nobile illud celeberrimi pictorum Zeuxis, menti nostræ tenaciùs adhæreat. *Diu pingo, quia æternitati pingo.* Æternitati certè pingimus & nos imaginem in anima nostra: idcircò non sit tædiosum diu pingere, verùm continuò sub penicillo sit hæc imago, quàm æternitati pingimus.

Deus solum primā imaginem creauit in homine.

S Basilius.

Plinius.

Dei imaginem quomodo homo in se exornare potest.

Sed prò dolor! quàm multi ab hac solicita cura imaginem Dei perficiendi longè absunt, qui suam animam turpissimis bestiarum figuris deturpant. hoc est; vitijs execrandis commaculant. Vitia enim bestiarum imagines esse, his verbis docuit quondam S. Ambr. lib. 6. Hexaem. cap. 8.

Sunt,

S. Ambro. *Sunt*, inquit, *animi beſtiales, ſunt feræ forma hominum induta.* De quibus dicit Dominus per Apoſtolum: *Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces.* Et D. Baſilius hom. 10. clarè hoc ipſum expreſſit, loquens: *Quiſquam ad eius bruti animantis indolem ſe transformaſſe dicitur, cui vitioſa imitatione affinem ſe reddidit & familiarem* vbi ſtatim in eo loco, vitia belluas appellat, iram, dolos, hypocriſim, rapinas. *Planè*, inquit, *in teipſo circumfers numeroſam & turbulentam belluarum intemperiem. In corde veſaniens ira cum oblatratu, quo cane efferatior non eſt? dolus, quoties in anima ſibi eligit domicilium, num vrſo quouis non eſt implacabilior? hypocriſim neges eſſe belluam? Quiſquis ad concitandum compoſito eſt, & peracri ingenio, iſnè meritò tibi videri debet ſcorpius? Nonnè eum dixeris eſſe lupum rapacem? qui ſuo iure corrodit & extorquet aliena? inſano captiuus amore mulierculæ, nonnè talis equus eſt, furiali concitus æſtro? Qua tandem fera eſt, qua in nobis ſibi non vindicet locum?* Imitator proindè Sanctiſſimæ Triadis debet eſſe Chriſtianus homo, non ſolùm in memoriâ, & intelligentiâ, & voluntate, in quibus Dei imago in nobis præfulget; ſed etiam in appropriatis ſingulis perſonis, nimirùm: vt Patrem æternum ſanctè imitemur in potentia; Filium in ſapientia, Spiritum S. in amore diuinæ potentiæ. Sanctitatē ille perfectè imitatur, qui cùm potens ſit; potentiâ tamen non abutitur in ſubditos, iracundiæ furore in eos non exardeſcit, tyrannicâ auctoritate non dominatur. Talis fuit dux populi Iſraëlitici Moyſes, qui cùm moneret Regem, vt dignaretur facultatem ſibi concedere per regnū eius tranſeundi, & ille omninò renueret; continuò dixit Dominus Hebræis, vt per alium locum iter facerent. Quaſi potentia illi non ſuppeteret ad regnum illud euertendum; vt ſcilicet mundi potentibus exemplum relinqueret, non omnia imperio, ſed etiam precibus aliquando extorquenda. Sapientiam quoq; Dei in ſanctitate imitatur, qui illâ à Deo ſibi communicatâ non abutitur. vt docet D. Bernardus ſupra Cantica in hunc modum ſcribens: *Sunt qui ſcire volunt, eo finè tantùm, vt ſciant; & turpis curioſitas eſt: & ſunt etiam qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam alijs vendant, v. g. pro pecunia & honoribus; & turpis quæſtus eſt: ſed ſunt quoq; qui ſcire volunt, vt ædificent, & prudentia eſt:* Similiter D. Auguſtinus lib. 5 confeſſionum, vtramq; hominum conditionem complectens, qui benè, & malè ſcientiâ vtuntur: eleganter in hunc modum diſcurrit. *Infelix ille homo, qui ſcit illa omnia; ſe autem neſcit: beatus ille qui ſe ſcit, etiamſi nulla ſciat: qui verò & ſe & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus, ſi cognoſcentem ſi ut Deum glorificet, & gratias agat, & non euaneſcat in cogitationibus ſuis.* Vbi S. Doctor maximam hominis perfectionem ponit noſſe Deum. Ac tandem oportet ad veram Sanctiſſimæ Trinitatis imitationem, vt affectum amoris in Deum conuertamus, illum ipſum ſuper omnia amando.

Princeps non debet abuti potentia in ſubditos.

Alterum reperio, quod Deum mouit, vt altiſſima ſua myſteria mundo manifeſtaret ſcilicet; propagatio Eccleſiæ Sanctæ. Non enim poterat Eccleſia Dei magis in dies ſeſe dilatans ac diffundens, exiguis Synagogæ tabernaculis circumſcribi; ſed ampliora ſpatia requirebat, clamans: *Angustus eſt mihi locus, fac ſpatium, vt habitem.* Pergitque adhuc viterius in ſuis poſtulationibus: *Dilata*, inquit, *locum tentorij, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida: ad dextram enim & ad lœuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hereditabit, & ciuitates diſſertas inhabitabit.* Quaſi Chriſtum IESVM in hunc modum alloqueretur. Parum eſt te in Iudæa natum eſſe, & in ſolo duntaxat Iſraël magnum eſſe nomen tuum. Vt ergo vſq; in Idumæam extendas calceamentum tuum, & ſalues populos gentium, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Cuius votis annuens

S Bernard.

S. Auguſt.

Iſaiæ 49.

Ibidem. 54 n. 2.

nuens Dei Filius, suos discipulos misit in orbem vniuersum : *Ite*, inquit, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quod certè contemplanti meritò in mentem venire potest, illud Iobi dictum : *Ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio.* Quasi diceret : rogabo te Christe, Patris summa Sapientia, quænam huius ordinis tui ratio, qualeuè tuæ immensæ prouidentiæ præceptum hoc sit ? quo in tuam adoptandis Ecclesiam, & eius limen ingressuris præcipitur ; vt tàm difficile Christianæ fidei mysterium fateantur, & protestentur ? Nam si monente Philosopho à facilioribus est incipiendum, vt doctrina sit expeditior. Quomodò Catholicæ religionis institutio, à difficillimo eius mysterio sumit exordium ? Non dubito de potenti diuinæ tuæ gratiæ virtute, quæ imbecillæ hominis menti quæcunq; ardua & impedita substernere atq; expedire valet. At certus etiam sum de immenso tuæ prudentiæ ordine, quo dispositi cuncta suauiter, naturali rerum ordini teipsum attemperans, ne illam ab instituta serie delinquens violenter impelleres. Ratio tamen suadet, magna Sacramenta & occultiora mysteria non omnibus esse detegenda, sed occultanda potiùs, ne cunctis nota vilescant. Quod ipsemet Deus olim in aperiendo suæ Trinitatis mysterio obseruauit. Quippè non alijs ; quàm multâ apud eum gratiâ pollentibus, qualis fuit Abraham, Moyses, Dauid, tantùm patefecit arcanum. Hoc & ipsa natura sui artificis imitata prudentiam fecit, quæ omnia terræ munera, quibus mortale pascitur genus, tegminibus vel corticibus inuoluit : pretiosiora auri & argenti metalla, intra terræ viscera condidit, & sic ad ima depressit ; vt non sine magno labore illuc valeat auara hominum penetrare cupiditas. Quomodò igitur ad Catholicam fidem accedentibus, & Christianæ religionis prima adhuc elementa ignorantibus, mysterium omnium maximum, Christus proponi iubet ? & recens natum infantem, Trinitatis fidem profiteri vult impositione salis, quo huius mysterij sapientiam iubetur accipere.

Huic veritati ex verbis S. Basilij contra Eunomium, & ex S. Cyrillo in Ioannem facilè potest obuiari. Docent enim isti Doctores, mysterij istius declarationem ad euangelicæ legis (quòd gratiæ tempus dicitur) fuisse seruatam. In cuius rei signum Christo moriente, à quo gratiæ lex sumpsit initium, templi velum diuisum fuit. Hinc ergo est, vt iam puer ignarus, siluestris agricola, barbarus Ætyops, alijq; id genus homines, sapientibus ac doctis annumerentur : non aliundè ; quàm ab hoc mysterio acceptâ sapientiâ, quam eis Fidei habitus impertitur. quemadmodùm per Isaiam Deus fuerat pollicitus. *Ponam*, inquit, *vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Et sanè fundamentum magnum istius doctrinæ est : quia lex gratiæ, est vera lex amicitiæ, inter amicos autem maximè conuenit nihil occultum haberi. In cuius rei declarationem, quidam veterum, nudo & aperto pectore ; alij cordè à collo pendente amicitiam pingebant ; quòd scilicet hæc exigat, omnia amicis communia fieri. Quoniam igitur amicitia vera cum Deo in baptismo inchoatur, ideò Christi fidem profiteri incipientibus, & Ecclesiæ Sanctæ limen subeuntibus, sua Deus arcana declarat, primumq; omnium mysterium Trinitatis explicat. vt suæ religionis alumnis palam faciat, Trinitatis confessionem ad æternam animæ salutem, tanquàm reliquorum mysteriorum fontem, summè necessariam esse. Quocirca de baptismi natura & necessitate, voluit esse triũ diuinarum personarum nominationem, præcipiens Apostolis : *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hoc est verum humanæ regenerationis Sacramentum, quod Isaias fortitudinem in tribulatione, & vmbraculum ab æstu vocat. Hinc Sancta mater Ecclesia Christi zelans honorem,

Matt. 28.

Iob 13.

Velum templi cur moriente Christo scissum.

Isaiæ 54.

Amicitia cum Deo in baptismo contrahitur.

Matt. 28.

meritoriam causam omnium bonorum, quæ per baptismum conferuntur, eiusdem Domini ac seruatoris passionem atque mortem existere significatura, trinam mersionem inter baptismi cærimonias instituit. Non solùm ad tres diuinas personas declarandas, quæ satis exprimuntur per illa verba: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Sed ad tres quoq; dies significandos, quibus Christus mortuus iacuit in sepulchro. Quemadmodùm Leo Papa docet ad Episcopos Siciliæ in Epistolis. *Per trinam*, inquit, *mersionem triduana Christi sepultura significatur.* Comprobatq; Ioannes Damascenus. *Baptismus*, inquit, *per triplicem mersionem, tres dies, quibus Dominus in tumulo conditus fuit, significat.* Similiter D. Paulus clarissimè hoc ipsum expressit ad Romanos sic scribens: *Quicunq; baptizati sunt in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sunt: consepulti enim sumus cum illo per baptisma*

Trina mersio baptismi quid significat.

Leo Papa.

Damasce.

Rom. 6.

Mysterium proindè altissimum, ad declarandam suam amicitiã Deus mundo manifestauit; nec soli Christianitati; sed gentibus etiam illud innotescere voluit: vt sic facilius omnium pectora ad eius fidem præparentur. Hinc vt posset de tàm supremo arcano loqui, lucem veritatis contulit Sibyllis. Quas inter celeberrimæ, Cumæna, & Eritræa à S. Antonio in historia, 2. p. tit. 3. cap. 9. numerantur. Et S. Augustinus lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 27. affirmat, Porphyrium omnium Philosophorum nobilissimum, de mysterio Trinitatis excellenter fuisse locutum. Imò idem S. Augustinus lib. 7. Confessionum cap. 29. restatur se apud Platonicos, Euangelij Sancti Ioannis exordium, licet alijs verbis legisse. Manasisenius quoque refert, Pytagoram dixisse hæc verba: *Bonitas est adoranda, & æqualitas cum illa, & connexio vtriusq;*. Id est; Pater, qui est bonitas, & Filius, qui est æqualitas; & Spiritus Sanctus, qui est vtriusq; nexus, adorandus est. Verùm suæ Christianitati specialiùs multò hoc mysterium Deus voluit reuelare; quandò ne excellens tanti mysterij lux imbecillos humanæ mortalitatis oculos repentè inuadens, nimio splendore perstringeret; paulatim (vt ait Eusebius lib. 2. de præparat. Euang.) hominum animos disponere cæpit diuina sapientia: aliquot signa præmittens, vt hic assueti mortales, vmbræ superuenientem veritatem, libentiùs atq; faciliùs amplecterentur.

S. Antoni.

S. August.

Pytagoras.

Eusebius.

Vltimum tandem nobis discutiendum restat, quanam viâ ad tàm sublime mysterium cognoscendum progredi oporteat. Sed hanc ego duplicem reperio. Inprimis, fidem diuinam. Hanc enim nobis regiam viam proposuit D. Paulus inquiens: *Credere enim oportet accedentẽ ad Deum, quia est: & inquirentibus se remunerator sit.* Quasi diceret: sine fidei præsentiâ potissimùm in mysterio Trinitatis, totus humanus intellectus hebescit, lingua balbutit, ratio delirat, & quæuis sapientia desipit. Nam Arithmeticus ex vno & tribus numeris, quaternariũ asserit fieri. Catholicus verò fide diuinâ innixus, vnam in deitate naturam, & tres personas firmiter credens; non iam quatuor, sed vnum actum purissimum, simplicissimamque substantiam profitetur. Hinc ne quispiam hoc ineffabile SS. Triadis mysterium curiosè audeat perscrutari, inclinet aurem ad doctrinam Salomonis, qui in Prouerbijs dicit: *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi: ne fortè satiatus euomas illud.* Mella profectò dulcissima sunt fidei Christianæ mysteria, de quibus hoc solùm, quòd sufficit comedendum: hoc est; vt exponit Glossa interlinearis, non plus sapiendum; quàm oportet sapere. Hoc etiam consilium dat D. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 14. inquiens: *Dulcis est requisitio maiestatis: sed qui plus hanc scrutari appetit; quàm humanitatis cognitio permittit, hunc eius gloria opprimit.* Hinc est, quòd plurimi humanæ tantũ rationi innitentes, aduersùs veritatem SS. Trinitatis, grauissimè errauerint. Quemadmodũ Cyrola infensissimus

Hiere. 11.

Via ad inuestigandum Trinitatis mysterium duplex.

Prou. 25.

Glossa.

Gregorius.

Cyrola hostis Fidei.

SS. Tria-

Gregorius Turonenſ.

SS. Triadis hoſtis (vt auctor eſt S. Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. cap. 3.) qui quendam ſuæ Hæreſeos complicem quinquaginta florenis permouerat, vt in plateâ publicâ tanquàm cæcus ſederet, quem ipſe tranſiturus vigore fidei Arrianæ vellet ſanare. Sed mali conſilij peſſimus euentus. Nam Cyrola multâ caterua comite, ſocijs etiam tribus Sanctis Epiſcopis, Eugenio, Vindemiali, & Longino, tranſiens; atque fingenti cæcitatem manus imponens, dixit: *Vigore veræ fidei meæ, quam in Deum habeo, aperiantur oculi tui.* His prolatis miſer ille, non tantùm cæcus factus eſt; ſed & intenſiſſimum dolorem concepit, vt proindè coactus fuerit aperire dolum, & proijcere pecuniam ante pedes Cyrolæ. Cumque iam omni remedio deſtitutum ſe videret, implorauit opem Catholicorum, vbi tres illi Epiſcopi ad illum accedentes, dixerunt: *Credu tu, credenti omnia ſunt poſſibilia.* Cæcus ſubitò reſpondit: *Qui non credit, quòd Chriſtus Dei Filius, & Spiritus Sanctus eiuſdem eſſentiæ, & diuinitatis cum Deo Patre ſint, patiatur, quod ego patior.* Et mox ſubiunxit vlteriùs: Ego credo in Deum Patrem omnipotentem, credo in Filium Dei vnigenitum Chriſtum IESVM, credo in Spiritum S. quòd Patri & Filio ſit coæqualis, & coæternus. Poſt quam confeſſionem Longinus, & Vindemialis poſuerunt manus ſuas ſuper oculos cæci, proferentes: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, veri Dei, quem nos trinum in vnitate, & omnipotentem confitemur, aperiantur oculi tui* Statimq; & dolor, & cæcitas euanuit.

Miraculũ ad confundendam hæreſim myſterium Trinitatis impugnantem.

Ad declarandum, quòd vbi ratio humana errat & deficit, ibi fides præſtet ſupplementum. Hinc D. Auguſtinus de verbis Domini, Arrium, qui ſui ſubtilitate ingenij ductus, vnitatem S. Triadis negauit, arguit ſimilitudine ſolis adductâ, qui licet vnus exiſtat; in eo tamen motus, lux, & calor, quæ tria ſunt inter ſe penitùs diuerſa, reperiuntur. *Videmus*, inquit, *ſolem cœlo currentem, fulgentem, & calentem. Diuide ergo ſi potes Arriane ſolem; & hinc demum diuide Trinitatem.*

S. Auguſt.

In diuinis ergo intelligendis myſterijs, & potiſſimùm in abdito Trinitatis arcano, debemus humanæ rationi fidem præferre Catholicam, quæ nos interiùs illuminat.

Altera via ad cognoſcendum tàm inſcrutabile myſterium, ſunt bona opera. Hoc expreſſit Chriſtus Dominus, qui mittens ſuos Apoſtolos dixit: *Docete eos ſeruare omnia, quæcunq; mandaui vobis.* Quaſi diceret; non ſolùm credere, ſed etiam bene operari neceſſum eſt: non ſolùm fide, ſed etiam rectis actionibus inſtrui, & virtutibus adornari. Quia vt docet Apoſtolus: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Myſterium igitur Catholiciſſimum vobis hodiè annuntiatum eſt: tùm vt illud ſæpiſſimè recognoſcendo, imaginem veri Dei, in veſtris animis effingatis. tùm vt indè Eccleſiæ Sanctæ augmentum ſit. Currite proinde Catholici duplici hac viâ, ſcilicet; Fidei, & bonorum operum. Credite in Deum Patrem, qui vos recreauit, in Filium qui vos redemit, in Spiritum Sanctum, qui vos illuminauit: & rectè operemini, vt poſt fidem, in viſione eiuſdem Trini, & vnius Dei conſiſtatis.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
Matthæi 28.

Vnitas SS. Trinitatis conſiſtit in vnitate naturæ, in æquali ſanctitate, in operibus ad extra, in perſonis. Vnde omnia beneficia, à tota SS. Trinitate cœlitùs homini conferuntur.

MYſterium humano non comprehenſum intellectu, nobis hodiè ad cognoſcendum proponitur: Aud. ſcilicet; SS. Deitatis Tri-

nitas. Non comprehensum inquam: quia nullius creati intellectus tanta subtilitas est, vt SS. Trinitatem comprehendere valeat. Vt enim rem aliquam comprehensiuè possimus cognoscere, debemus illi esse pares, aut superiores, in modo essendi: cognosci enim sequitur ad proportionatum esse. Deo autem quid par, aut superius cogitari potest? Insuper cognoscere rem aliquam comprehensiuè, est cognoscere illam secundùm omnia, & omnimodè, prout cognoscibilis est conditione sua naturali. Nullus autem etiam beatissimorum est, qui videndo visione beatificâ SS. Trinitatem, omnia tàm possibilia, quàm actualia simul in illa videat. Quemadmodùm docet S. Thomas Angelicus Doctor 1. p. q. 12. ar. 8. Et ratio hoc ipsum conuincit, quia de Fide est, quòd nullus beatorum diem iudicij sciat, vt testis est luculentissimus Euangelista: *De die*, inquit, *illo, & hora, nemo scit, neq; Angeli in cælo.* Deinde, quia multa contingentia per totam æternitatem, nullus beatorum in Deo videt. Sed etiamsi Deus ex speciali fauore concederet alicui, vt videns illum, omnia quæ aut facit, aut facere potest, simul videat; adhuc tamen SS. Triadem nondùm comprehenderet. Quia illam non cognosceret omni modo, quo cognoscibilis est: scilicet; infinito: cùm creatura modum essendi finitum, ac limitatum habeat. Quod illustrat S. Doctor ar. 7. & 8. ad 2. vbi dicit. *Dicendum*, inquit, *quòd non propterea Deus incomprehensibilis dicatur, quasi aliquid eius sit, quod non videatur: sed quia non ita perfectè videtur; sicut visibilis est.* Si igitur beatus, cœlesti illo perfusus lumine, Deum comprehendere non potest; quomodò nos miseri in hac obscuritate terrenâ, eundem cognoscere poterimus. Sed erigite animum Catholici: Felix est Euangelicæ gratiæ status: in quo etiam inaccessæ deitatis comprehensio, promittitur à S. Paulo exclamante: *Sic currite, vt comprehendatis.* id est; vt obtineatis, & assequamini. Erigite inquam mentis oculos, & propiùs ad contemplandam SS. Triadem animosiùs accedite. Habetis enim spem firmam, vel ex ipso principe Philosophorum asserente: *Quæ sunt eadem vni tertio, esse eadem inter se.* Quare cùm post solennem festiuitatem Christi resurrectionis, & eius Ascensionem, Verbum incarnatum esse vnum indiuisæ Deitati considerastis: cùm in celebratione Spiritus S. vnitatem eius cum diuina natura cognouistis, facilè in hodierna festiuitate poteritis inferre: si Filius, si Spiritus Sanctus, si Pater æternus, sunt vnum indiuisæ Deitati: totam quoque SS. Trinitatem esse sibi idem. Ostendam igitur hodiè SS. Triadem, esse sibimet vnã in sanctitate Deitatis; vnam in sanctitate Christi hominis: vnam in operibus, & vnam in personis. Ostendam insuper homini, & vitam, & doctrinam, & salutem, nonnisi in nomine SS. Trinitatis conferri posse. Quòd in honorem tuum ô adoranda Trinitas, & veneranda in Trinitate vnitas cedat, atq; in salutem animarum nostrarum.

Non sine mysterio, Deus in hodierno Euangelio præscripsit modum suis Apostolis; vt euntes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti docerent, atq; baptizarent omnes gentes. Vt scilicet ostenderet, quòd homo per totam vitam suam, debeat se conformare in suis actionibus honestis, ad adorandam Trinitatis deitatem. Cuius immensam gloriam pulchrè descripsit Isaias, quam Angeli adorando SS. Triadem, eidem proclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Sanctus est in seipso Deus: sed quia hominem ad imaginem, & similitudinem suam creauit, quando dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: idcircò eandem sanctitatem, velut Symbolum quoddam dilectionis indelebile, homini imprimere voluit, vt sic homo sui Autoris memor, vbiq; Deo gratus, & subiectus existeret. Ad quod excitat hominem

Sacra

Sacra ſcriptura : *Sancti*, inquit, *eſto-*
Leuit. 19. *te, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Tu ſolus æterne Pater, potes hominem in nomine SS. Trinitatis conſeruare, & ſanctum reddere : quia in nomine eiuſdem creaſti illum. Hoc ſolùm nomen Auguſtiſſimæ Triadis, poteſt nos conſeruare in vita bona, ne pereamus in nomine diaboli in vita mala. Nam
Apoc. 14. *ſi quis acceperit characterem nominis beſtiæ in fronte ſua, aut in manu ſua cruciabitur igne, & ſulphure, dicit S. Ioannes.* Sanctus eſt Dei Filius : quia de illo teſtatur prophe-
Pſal. 88. ta : *ſemel iuraui in ſancto meo*, id eſt; in homine Chriſto. Quare, vis Chriſtiane creſcere in virtutibus & operibus pietatis : vis creſcere in gratia, per quam velut per ſemen fæcundum, ad æternam gloriam peruenias: in nomine Filij Dei omnia facere debes. His enim, qui in nomine Filij Dei operantur, æterna felicitas à Patre cœleſti promiſſa eſt. *Iuraui*, inquit, *quòd ſemen Filij mei maneat in æternum, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* Semen Filij ſunt : quicunq; in nomine IESV iuxta diuinam voluntatem viuunt. Hos omnes glorificabit Pater æternus in cœlo. Sed væ illis qui in nomine Filij Dei viuere nolunt; verùm potiùs in nomine fallacis mundi : in his deleta eſt imago SS. Trinitatis, & nomen beſtiæ in frontibus eorum ſculptum eſt. vt
Amos 4. luculenter teſtatur Sacra pagina : *Iurauit*, inquit, *Dominus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis feruentibus.* In quem locum D. Hie-
S. Hieron. ronymus ſic ſcribit : *Quandò*, inquit *venerit dies iudicij, atq; vindictæ, tunc mittentur in lebetes, vt exurantur, & excoquantur, qui fuerunt priùs negotiatores peſtilentes.*

Sanctus eſt Spiritus S. quia de il-
Iſaiæ 8. lo dicit Propheta : *Et erit lumen Iſraël in igne, & ſanctus eius in flamma.* Quare qui volunt ſimilitudinem SS. Trinitatis conſequi, in hac flamma, ſcilicet; in nomine diuiniſſimi ſpiritus, ad maximum Dei amorem accendi debent; vt cum toto corde diligant.

A Lumen eſt Spiritus S. lumen autem per refractionem radiorum, quodcunq; corpus tangit, calefacit : proindè quicunq; ab hoc cœleſti lumine percuſſus fuerit, refractis eius radijs feruenter incaleſcet. Sanctus eſt cœleſtis iſte Spiritus, idcircò in cuius animum deſcenderit, certiſſimò illum Sanctificabit : poſitâ enim cauſâ formali, impoſſibile eſt non poni eiuſdem formalem effectum. Flamma eſt diuiniſſimus Spiritus, inclinate proindè Catholici animas veſtras, vt
B ab hac potenti flammâ inflammemini. Potentior ignis vt docent naturaliſtæ, minores ſcintillas facilè abſumit. Cœleſtis hæc flamma ignis potentiſſimus eſt: ſi quem occupauit ſcintilla illa infernalis, de qua dicit Sacer Euangeliſta : *crucior in hac flamma*, Lucæ 16.
ad flammam Spiritus Sancti accedat; & facilè infernalis ſcintilla euacuabitur. Vna igitur ſibi eſt Trinitas in ratione ſanctitatis, ſeu potiùs in ſanctitate Deitatis. Nam de DeoTrino, & vno ſic exclamat Moyſes : *Quis ſi-*
C *milis tui in fortibus Domine, quis ſimilis* Exodi 15.
magnificus in ſanctitate, terribilis in poteſtate, laudabilis in veritate, miſericors in bonitate. Quaſi diceret : non eſt ſimilis tui quiſpiam ex filijs mortalium Domine : natura enim humana in ſuis indiuiduis multiplicatur; natura verò diuina in tribus ſuppoſitis vna atq; indiuiſa ſubſiſtit. Non eſt ſimilis tui in Filijs hominum : Nam omnis humana ſanctitas contingens eſt; diuina verò ſanctitas, ab ipſa natura & eſſentia dimanat. Non eſt ſi-
D milis tui Domine vllus mundi Principum : quia tu, etiam cùm terres ac punis, laude dignus es : non enim punis amore vindictæ; ſed zelo iuſtitiæ. Quòd præclarè voluit inſinuare Caietanus, dicens : *Deum per laudabilia opera laudari, & per terribilia ope-* Caietanus.
ra glorificari. Cùm tamen alij Principes, atq; reges, quandò terrent, aut puniunt, multorum odium, vituperationem q; incurrant, eò; quòd non debitâ iuſtitiâ, ſed tyrannicâ licentiâ, ad puniendum moueantur.

Verùm, eſt adhuc ſibi SS. Trini-

tas vna in Christi humanitate : tripliciter enim sanctificari humanitatem Christi volunt Theologi. Primò, ab ipsa Deitate, mediatè humanitati vnitâ : eleuari enim naturam assumptam ad diuinitatis honorem, & in essendo, & in operando, est eandem sanctificari ; Diuinitas autem mediatè vnita humanitati Christi idipsum confert. Igitur eandem sanctificat, faciendo eam participem diuini esse, & operationum. Deindè, aiunt sanctificari humanitatem Christi, ab ipsa personalite Verbi, prout contra distinguitur virtualiter ab essentia. vt docet S. Thomas q. 6 ar. 6. vbi dicit, *gratiam vnionis esse, ipsum esse personale.* Deindè, quia Personalitas Verbi, Christi humanitatem facit participem diuinarum perfectionum. Tertiò, volunt sanctificari Christi humanitatem ab ipsa vnione Hypostaticâ, non quidem formaliter tanquàm à forma sanctificante, sed tanquàm ab eo, quo mediante aliud sanctificat. Si igitur humanitas Christi sanctificatur à diuinitate, & vna diuinitas toti SS. Trinitati communis est, sequitur optimè, SS. Trinitatem esse quoq; sibi vnam in humanitate Christi, propter sanctitatem ab vna diuinitate procedentem. Vna est proindè SS. Trinitas in Christi humanitate, quia quisquis Deum hominem adorat, simul quoq; ipsam Trinitatem SS. veneratur. Adorat aliquis corpus Christi, adorat simul Trinitatis vnitatem : Christi enim humanitas templum est, in quo tota Trinitas propter indiuisam deitatis vnitatem inhabitat. vt docet Regius vates. *Sanctum est*, inquit, *templum tuum, mirabile in iustitia.* in quibus verbis primò, significatur Christi humanitas, quam Deus inhabitare cœpit in primo instanti conceptionis Christi. Secundò, significatur iustitia inhærens, & hominem reddens perfectum. Sic commentatur locum hunc D. Augustinus in eundem Psalmum, vbi super hæc verba sic scribit. *Non dixit*, inquit, *Sanctum est templum tuum, mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis : sed mirabile in iustitia.* Habes ait foris oculos, vnde videas marmora, & aurum : intùs est oculus, vnde videatur pulchritudo iustitiæ. Si nulla est pulchritudo iustitiæ, vnde amatur iustus senex ? Quid affert in corpore, quòd oculos delectet ? Curua membra, frontem rugosam, caput canis albatum, imbecillitatem vndiq; querelis plenam. Sed fortè quia tuos oculos non delectat senex iste decrepitus, aures tuas delectat. Quibus vocibus ? Quo cantu ? Et si fortè adolescens benè cantauit, omnia cum ætate defecerunt. An forte sonus verborum eius aures delectat tuas, qui verba vix plenè enuntiat lapsis dentibus. Tametsi iustus est, si alienum non concupiscit, si de suo, quod habet erogat indigentibus, si benè mouet & rectum sapit, si integrè credit, si paratus est, pro fide veritatis etiam ipsa confracta membra impendere : multi enim Martyres etiam senes : vndè illum amamus. Quid in eo bonum videmus oculis carnis ? nihil. Quædam ergo est pulchritudo iustitiæ, quã videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus. Quam multum dilexerunt homines in ipsis martyribus, cùm eorum membra bestiæ laniarent. Nonne cùm sanguis fædaret omnia, cùm morsibus belluinis viscera funderentur : non habebant oculi, nisi quod horrerent. Quid ibi erat, quod amaretur : nisi quia erat in illa fæditate dilaniatorũ membrorum integra pulchritudo iustitiæ. Iustitia proinde est ornamentum domus Dei, quàm qui habet, dignus videtur, in cuius animo Deus figat tentorium suum. Nihilominùs tamen per sanctum templum, magis debet intelligi Christi humanitas, in qua tota SS. Trinitas inhabitat. Hæc est templum illud, quod solutum erat vulneratione, & separatione ab anima; non tamẽ corruptione. Quia de illo prædixit Propheta Dauid : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Adoratur anima, eandem simul adorationem capit SS. Tri-

Triplex Sanctificatio Christi humanitatis.

S. Thomas

Psal. 64.

S. August.

Ioan. 2.

Psal. 15.

SS. Trinitas, nolens ampliùs assumptam illam à verbo cum corpore animam dimittere. Quod enim semel assumpsit; nunquam postea dimisit.

Tres personæ diuinæ ad intra habent proprias operationes.

Vna deniq́ue est SS. Trinitas in suis operibus: tres enim illæ personæ ad intra, proprias quidem habent operationes. Sicut Pater æternus, habet actiuam generandi potentiam Filium; Filius autem eadem caret. Filius cum Patre habet actiuam Spiritus Sancti spirationem; Spiritus autem Sanctus non nisi passiuam. Iam verò ad extra omnes operationes toti SS. Trinitati communes sunt, ita vt tota simul Trinitas omnia operetur, vt palam docet Euangelista: non potest inquit Filius à se facere quidquam, nisi quod Patrem viderit facientem: Quæcunq́; autem fecerit Pater, hæc & similiter Filius facit. Hanc igitur Trinitatis vnitatem in Christo Iesv, piè viuentes imitari debent, ne cum superbo Lucipero singularitatem tantùm Deo in natura attribuentes, Trinitatẽ verò in personis negantes, miserè intereant. De quo S. Augustinus lib. 19. de Ciuitate S. August. cap. 12. ait: *Dùm consortem habere noluit, sed singularis esse cupijt, peruersè Deum imitando, interijt.*

Meritò igitur Christus, euntes discipulos docere, & baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti iubet, vt ostendat omnia beneficia à tota SS. Trinitate cœlitùs homini concedi. Si enim spectemus primam hominis creationem, ibi in eius efformatione tota SS. Trinitas elaborauit, vt apertissimè constat ex illis verbis Geneseos. *Creauit Deus hominem*: textus autem Hebræus legit *Elohim*, id est; Dij, ob pluralitatem personarum. Sed neq́; creatus homo, sine totius Trinitatis auxilio viuere potest: segregatus enim à Trinitate ad paradisi voluptates, citò in peccati turpitudinem, & mortem animæ prolapsus erat, subleuariq́; ad vitam non potuit nisi à SS. Trinitate, à qua primò conditus fuit, iterùm per baptismum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti abluerętur. Ibi profectò circa restaurandam animæ vitam, Trinitas veneranda debuit operari: Pater nos iterùm in Filios, Filius in fratres, Spiritus S. in sponsas suscipiens, gratiæ veste condecorando; restitutus iterùm homo ad vitam, conseruari quot momentis non nisi beneficio SS Triadis potest. Hæc sola suâ munificâ prouidentiâ hominem sustentat, regna defendit, orbem deniq́; vniuersum, in quo degimus, continuat. Hinc dicit Scriptura sacra. *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera.* Trinitas veneranda, quæ terram tanquàm firmamentum, homines verò velut pulueres quosdam tribus istis digitis retinet: Patris potentiâ, Filij sapientiâ, Spiritus Sancti clementiâ. Isti tres digiti inquit Glossa, sunt potestas, & vnitas Trinitatis, à quibus dum hosce suos digitos Trinitas SS. amouet, mox in nihilum recidunt, atq; vtinam non in damnationis tenebras. Isaiæ 40.

Docet Euangelium Christi Domini, peccatum in Spiritum S. neq; in hac vitâ, neq; in futurâ dimitti. Sed istam remissionis impossibilitatem, Doctores accipiunt pro difficultate summa, quòd scilicet peccatum in Spiritum Sanctum possit quidem dimitti, sed difficulter: quia tunc homo non habet, à quo subleuetur, & erigatur ad pœnitentiam: cùm ad hoc negotium Spiritus Sancti inspiratione opus sit, sed mihi multò veriùs videtur illud S. Hieronymi & Dydimi lib. 3. de Spiritu S. dictum. *Nulla venia conceditur in Trinitatem blasphemantibus*: Principium enim remissionis peccati est Trinitas. vndè si in illam peccat homo, principium resurgendi habere non potest, dùm Patris æterni potentia, vires precandi veniam negat: dùm Filij sapientia, intellectum cæcitate obducit, ne viam salutis adinueniat, dùm Spiritus Sancti bonitas obstinationem, deprauatæ voluntatis non aufert. Quisquis salutarem doctrinam acquirere vult, SS. Trinitatis bene- Peccatum in Spiritum Sanctum quomodò & cur irremissibile. S. Hieron.

Gen. 1.

beneficio opus est: tria enim ad sanam doctrinam concurrere debent: intellectus, voluntas, memoria. Cùm autem intellectus noster depraua-
A tus, Sancti bonitas confert nobis velle, vt alliciamur & propellamur ad salutifere operandum. Agnouit hoc optima, & Deo plena mulier illa Iudith, quòd sine potentia Patris æterni, Holofernem illum vincere non posset, quocirca priusquam se ad hoc opus conferret, vires, vt id præstare posset, à Deo petijt: orans Deum, his verbis. *Confirma me Domine Deus Israël, & respice in hac hora, ad opera manuum mearum, vt hoc quod credens pro te fieri posse cogitaui, perficiam.* Vbi
B ostenditur omnem mundi potentiã, absq; Dei inuocato præsidio, exiguam esse. Munierant se Israëlitæ magnis sumptibus ad Holofernis potentiam repellendam. *Præoccupauerunt*, inquit Sacer textus, *omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.* Sed perindè, ac si hæc omnia munimenta irrita, & inania censerent, ad maiora orationum præsidia conuolarunt: sequitur enim: *Et clamauit omnis populus*
C *ad Dominum instantia magna: & humiliauerunt animas suas in ieiunijs suis, & orationibus.* In quem locum Lyranus scribit: *Fecit*, inquit, *primò quod potuit, ne tentaret Deum, sed residuum quod facere non poterat, Deo precibus commendabat.* Certus omninò, vana esse omnia præsidia humana, nisi diuinis firmarentur. Certè ipsa Iudith, non modò cùm ingens ab hostibus periculum instabat, precibus efficaciter incumbebat: sed etiam cùm iam pugna penè confecta, & victo-
D ria parta videbatur; adhuc nihilominùs de orandi contentione nihil omninò remittebat. Iam enim steterat ante lectum Holofernis arctissimè dormientis: iam eius gladium manu alterâ euaginârat; iam alterâ eius comam capitis apprehenderat: iam nihil aliud supereſſe videbatur; quàm victoria, quam triumphus: & nihilominus Iudith adhuc de suis viribus timida, diuinas efficaciter implorabat, dicens: *Confirma me Domine Deus in hac hora.* Ingentes animos puer adhuc Dauid contra Philisthæum,

Iudith 13.

Iudith 14.

Ibidem. à n. 8.

Lyranus.

Homo sine inuocato Dei præsidio nihil efficere potest.

Iudith 13.

liſthæum, veteranum bellatorem afferebat. At vndè illos hauriebat? ex baculo, fundâ, ac lapide, quibus tantum armatus in aciem prodibat? Sed quis non videt, quàm infirma illa fuerint ad animos tanto in diſcrimine augendos inſtrumenta? Vndè ergo? Credo ex oratione quâ ſe priùs ad bellandum præmunierat, vt ipſemet non obſcurè indicat loquens
1. Reg. 17. n. 45. ad Gigantem: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, auxilio Dei.* Scilicet priùs humiliter implorato. Ita locum hunc comentatur S. Chryſoſthomus hom. 3. de Dauide & Saule. *Hæc*, inquit (id eſt oratio) *barbarum illum & alienigenam proſtrauit: eò, quòd priuſquam mitteret lapides, eum precationis robore fuerat aggreſſus. Neq; enim vulgari more proiecit lapidem, ſed priùs dixerat: Tu venis ad me in dijs tuis: ego autem venio ad te in nomine Domini Sabbaoth. Hæc vox lapidem manu direxit in Goliath: hæc pauorem incuſſit barbaro: hæc hoſtis confidentiam fregit:* Non exiguas contra Abſalonem copias habebat idem Rex, quibus facilè poſſet contundere filium inueniliter inſoleſcentem, & in paternum ſolium irruentem. Nihilominùs quaſi parùm humano præſidio, multùm autem diuino inniteretur, ad ſolam orationem confugit
Pſal. 7. n. 2. dicens: *Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me, ne quando rapiat vt leo animam meam; dùm non eſt qui redimat, neq; qui ſaluum faciat.* Vbi Abſalonem vocat leonem, ad impugnandum: ſe verò imparem fatetur ad reſiſtendum. Quam Dauidis de diuino præſidio fiduciam, & de proprio diffidentiam admiratus D. Chryſoſthomus. *Collegit*, inquit, *exercitum,*
S. Chryſo. *& multos ſecum habuit. Quomodò ergo non eſt qui redimat, neq; qui ſaluum faciat.* Et reſpondet idem S. Doctor. *Quoniam ne vniuerſum quidem orbem terrarum auxilij loco habet, niſi opem diuinam fuerit aſſecutus. Nec ſe eſſe dicit in ſolitudine, licet ſolus ſit, ſi ſit illius auxilij particeps.* Quid plura? recepit ſe idem Rex Dauid in ſpelunca Odollã, & cùm ibi magno eſſet in vitæ periculo conſtitutus, Deum magnis clamoribus deprecatus eſt. *Periit*, inquit, *fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam: clamaui ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.* Quaſi diceret: cùm nullus mihi ſuperſit aut fugæ locus, aut vitæ meæ patronus; meum à te vno ô Domine patrocinium ſpero. Vbi etiam Sanctus Propheta eundem Pſalmum inſcripſit. *Intellectus Dauid cùm eſſet in ſpelunca, oratio.* & quidem rectè orationem ſuam, in ſummo vitæ diſcrimine ad Deum fuſam, appellauit intellectum ſuum. Quia auctore Cardinali Bellarmino, ſumma tunc ſapientia eluxit in Dauide, quando cognouit vnicum remedium in vltimis periculis eſſe, orationem ad Deum. Si enim prudentia conſiſtit in medijs proportionatis ad finem eligendis, prudentiſſimus ſanè ille eſt, qui repellendis periculis preces adhibet, cùm nulla media ad eum finem aptiora videantur. Cognouit Salomon, quòd ſine diuina ſapientia, facilè homo etiam eruditus poſſit errare, idcireò clamauit ad Dominum: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Cognouit Dionyſia Sancta nobilis matrona in Africa, quæ ab Arrianis ad martyrium ducta, cùm videret Filium timere carnifices, ne in illo ſalutari velle, ſine Spiritus S. efficaci auxilio deficeret, ſic eum allocuta eſt. *Memento fili mi, nos in nomine Trinitatis baptizatos eſſe, ne perdamus indumentum ſalutis noſtræ, ne veniens inuitator, veſtem non inueniat nuptialem, & dicat miniſtris: mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.*

Pſal. 141. n. 5.

3. Reg. 3.

Quare vidimus iam SS. Triadem eſſe vnam in naturâ diuinâ, vnam in æquali ſanctitate, vnam in operibus ſuis ad extra. Vidimus inſuper vitam hominis ex beneficio Trinitatis dependere, quæ ſicut produxit hominem, ita eundem regit, & conſeruat. Vidimus ſalutarem doctrinam, ſcilicet; cognitionem Dei veri, vnius in natura, trini in perſo-

nis, è cœlo à SS. Trinitate hominibus conferri. Vidimus deniq; salutem generis humani à diuinissima Trinitate pendere. Hæc sicut in opere creationis fuit admiranda, iuxta, illud. *Ego Dominus vester, creans Israèl Rex vester:* ita in opere redemptionis summè misericors. *Hæc dicit Dominus redemptor vester, propter vos emisi Babylonem, & detraxi vectes vniuersos, & Chaldæos in nauibus suis gloriantes.* A SS. Trinitate tota salus hominis: Pater enim ita dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Spiritus S. ita amauit hominem, vt eius naturam personæ diuinæ associaret. Filius demùm ita benignè humanitatem suscepit, vt offerret animam suam in redemptionem pro multis. Vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Currite igitur Catholici per opera pietatis, vt absconditum hoc Trinitatis mysterium, & intellectu concipere, & purâ voluntate amare, & memoriâ retinere possitis: per quod & vnitatem cum illa in gloria Christi assequi, & Trinitatem in beata illa Personarum vnitate, æternùm spectare valeatis.

Isaiæ 43.

Ibidem.

A

B

C

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Matthæi.* 28.

Mysterium SS. Trinitatis triplici viâ cognoscitur, videlicet, Remotionis, attributionis, & per baptismum.

IGnotus apud homines Deus noluit hospitare, sed vt primùm descendente in terras Spiritu Sancto, sua in pectoribus mortalium fixit tentoria, simul etiam in sui notitiam totum vniuersum trahere voluit; vt sic apud pias & ei dicatas animas, nulla esset Dei reminiscendi vnquàm satietas. Hinc D. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa asserit, nullum esse tàm angustæ mentis hominem, adeoq; abiecti ingenij, cui Deus hanc sui cognitionem non communicauerit, & cum natura ipsa inseruerit, inquiens. *Cognitio quòd Deus sit, ab ipso naturaliter est insita.* Confirmat Regius vates Psal. 4. inclamans: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Nihilominus tamen licet cunctis, tàm doctis; quàm indoctis naturâ ipsâ insitum sit hominibus, vt Deum glorificare cupiant. Propter summam tamen illius excellentiam, & humanæ mentis imbecillitatem, non solùm gentium Philosophis, de Deo exploratum quidpiam habere; sed & illis, qui fortiùs Christo adhæserant, certum aliquid de Deo effari, arduum atq; difficile semper erat. Quis enim ad summam Dei comprehensionem peruenire sese existimabit aliquando? ad cuius notitiam quantò magis accedere videbitur, tantò maiorem sentiet infirmitatem. Agnouerunt hoc sanctissimi illi Patriarchæ: nam cùm dominus apparuit Abrahæ in conualle Mambre, Gen. 38. ille impotentem se agnoscens ad diuinam considerationem, terram se, & cinerem nominabat. Moyses pariter in colloquium Dei euocatus, linguâ se balbutientem, & sermone tardum appellabat, ostendens se rerum diuinarum magnitudini, nequaquã linguæ debilitate posse respondere. Sed & sublime illud Christi Ecclesiæ lumen, D. Augustinus, ad Sanctissimæ Trinitatis mysterium, non sine magno pauore accessit, veritus: ne immensa Dei excellentia, verborum penuriâ & tenuitate periclitari videretur. lib. 1. de Trinitate cap. 3. inquiens: *De hac re ergo summa & excellentissima, cùm modestia & timore agendum est, & attentissimis auribus atq; deuotis audiendum, vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris scilicet & Filij & Spiritus Sancti, quia nec periculosiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid inuenitur. Quoniam sicut nullius rei magis; quàm huius mysterij cognitione mens hominis*

S. Damasc.

Psal. 4.

Gen. 38.

S. Augustin.

D

minis locupletatur : ita etiam nulla in re lapsus, & error periculosior est. Et certè quemadmodùm opulentæ negotiationis opus, magnum negotiatoribus aut commodum, aut detrimentum affert; sic planè altissimum, & profundum Trinitatis arcanum, opulenta negotiatio quædam est ad salutem credentibus, vbi si mortalium intellectus in obsequium diuinæ fidei captiuatus, & superno erectus lumine, non errauerit à recta fide, & cognitione tanti diuini mysterij, tanquàm à vero principio, & vnico vitæ ac veritatis fonte, omnem vitæ spiritualis virtutem hauriet; quod si in eo cognoscendo cæcutiat mens creata, maximus omnium lapsus, & totius ignorantiæ abyssus existet. Nec certè mirum, quòd plurimi immensæ ac sempiternæ Trinitatis oceanum, audaciùs tranare cupientes, naufragium salutis passi sint? quia cùm altum premit, & tumentibus maris fluctibus se credere nauis incipit, iamq; nec terra prospicitur, sed vt inquit Poëta lib. 1. Æneidos. Maria vndique, & vndiq; cœlum : nisi gubernator nauis clauo vigilanter assideat, necesse est, vt syrtibus infeliciter hæreat; vel scopulis allisa frangatur : sed nobis non est tantoperè verendum, cùm nostra nauis, scilicet; Sancta Mater Ecclesia, in littore Christi humanitatis steterit, quo nos tanquàm peritissimo nauclero, cursum nostræ cognitionis dirigente, in notitiam incomprehensæ Triadis, per ianuam baptismi curremus; non quantus sit Deus, scire attentando, sed quantùm à nobis deprehendi possit, cogitando.

Duo potissimùm mysteria ad salutem necessaria fidelibus omninò credenda esse, ingeniosè aperuit D. Athanasius in symbolo scilicet Trinitatis & Incarnationis : *Fides,* S. Athan. inquit, *Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur : Qui ergo vult saluus esse, ita de Trinitate sentiat, sed necessarium est, vt incarnationem quoq; Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.* Quod pulchrè

A figurabat Salomon suo annulo pretiosissimo, inquo (vt refert Aristoas Secretarius Ptolomæi Philadelphi) fuerunt tres coronæ, mira subtilitate factæ, vna aurea, altera spinea, tertia quæ vtramque coniungebat, inscriptionem habens. *Victoria Amoris,* Aristeas. has coronas cingebant sex literæ. A. C. F. R. I. C. vbi inprimis illæ coronæ, mysterium Trinitatis significabant. Corona enim aurea repræsentabat Patrem; corona spinea Filium; corona vtramq; iungens, Spiritum B Sanctum; qui est nexus Patris, & Filij, & amor increatus. Vnus proinde annulus Salomonis, & tres in illo coronæ, vnum repræsentabant Deum, & tres in deitate personas. Sed præter hoc, illæ tres coronę significabant etiam mysterium Incarnationis. Nam corona aurea figurabat naturam verbi incarnati diuinam; corona spinea humanitatem assumptam; deniq; tertia corona quæ nectebat duas priores, significabat hypostasim, seu suppositum increatum, in C quo vtraq; natura, & humana, & diuina suppositata erat. Hoc indicant & literæ ipsæ, circa tres coronas in annulo positæ, quarum hanc interpretationem teste Aristoâ dederat ipsemet Salomon, applicando illas ad coronam auream in hunc modum : *Aureâ coronâ fortissimus regnat in cælis,* Expositio literarum. ad spineam sic : *Acanthynâ coronâ filius Redemptor inferiora calcauit.* deniq; ad coronam vtramq; nectentem sic : *Amoris cognita fortitudo, regalium insigniorum copulatio.* Id ipsum com- D probant etiam verba illa Salomonis Prouerbiorum 30. dicentis : *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro.* Prou. 30. quæ enim sunt ista tria, quæ non modicam difficultatem fecerunt Salomoni in sui cognitione? certè non alia, nisi imperscrutabilia Trinitatis arcana, in quorum cognitione humanus intellectus hebescit, lingua balbutit, ratio delirat, & quæuis sapientia desipit. Quod illud quartũ, quod se fatetur ignorare Salomon? mysterium certè Incarnationis, non quòd illud ignorauerit Salomon, sed

quòd cognitione naturali comprehendi nequeat, niſi lumine fidei, & auxilio gratiæ ſubleuetur mens humana. Quemadmodum etiam Dei filius apud Matthæum dicit, ſe diem iudicij neſcire, non quod illum omninò lateat, ſed potiùs quòd neſciat illum ſcientiâ communi, & ordinarie plurimis communicabili; verùm ſcientiâ altiori, nempe ſcientiâ diuina, & nulli alteri debitâ. Ac proinde ex hac ingenioſa Salomonis inuentione, liquet altiſſima Dei myſteria, non eſſe cognitu homini impoſſibilia, cùm lumini rationis non repugnent; ſed tantùm difficilia. Quo autem modo in notitiam Dei veniendum ſit, tres potiſſimùm vias hac in re inuenio.

Quomodò Chriſtus diem iudicij neſcit.

Primam ex mente Scoti, & Sancti Dionyſij, viam negationis: qui enim Dei notitiam aſſequi vult, debet imitari peritiſſimum ſculptorem, qui mente concipiens ideam alicuius ſtatuæ, & volens in materia ligni effigiem illius ſtatuæ producere, partes groſſiores reijcit; ſubtiliores verò relinquit, vt conformiter ad mentis prototypum, totum opus diſponat, & efformet. Et hoc fermè modo Dei notitiam venatur S. Dionyſius, qui omnium creaturarum imperfectiones reijciens, illarum oppoſita Deo attribuit, dicendo: *Deus non eſt corpus vllum; non creſcit ſicut planta; non ſentit ſicut animal; non intelligit cum diſcurſu vt homo; non intellectione, quòd eſt accidens, vt Angelus: non mutatur, nec mouetur de loco in locum, quia hæc omnia dicunt imperfectionem, ſed eſt quid excellentius iſtis omnibus, & hoc eſt Deus.* Hoc ipſum docet S. Thomas, 1. p. q. 3. qui inquiſiturus vltimam quiditatem Deitatis, non eſt auſus illam aſſignare, quia inquit ibi: *De Deo ſcire non poſſumus quid ſit, ſed tantùm quid non ſit: vltima enim deitatis radicalis differentia latet viatores.* Sanctus vero Auguſtinus, Sapientum Phœnix, aliam nobis cognoſcendi Dei viam proponit, nempè viam attributionis, attribuendo ſcilicet omnes perfectiones diuinæ eſſentiæ, tribus perſonis, quæ intimè & æqualiter hanc eſſentiam poſſident. Et quid eſt eiuſmodi, quod diuinis perſonis attribuere debemus? Eſt inprimis eſſentia ſiue natura diuina, quæ vna eſt in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, in cuius rei teſtimonium, Pater æternus, vocat vnigenitum gloriam ſuam Pſal. 7. *Gloriam*, inquit, *meam in puluerem deducam.* quod completum erat, quando verbum æternum factum eſt caro, quando mortalem & paſſibilem hominum naturam aſſumpſit, ad vnionem hypoſtaſis diuinæ. In huius veritatis comprobationem, & vnigenitus Patrem æternum alloquens, dicit Pſal. 3. *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Gloria Filij eſt Pater, quia eſſentia Filij, & Patris, vna & eadem: ſuſceptor vnigeniti, quia in cruce ſuſcepit Spiritum Chriſti clamantis: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Lucæ 23. Exaltans caput Filij eſt Pater, quia caput, quod Chriſtus in cruce inclinauerat, præ grauitate doloris, eleuauit cum triumpho in victorioſa & glorioſa eius reſurrectione. Inſuper, vt confirmetur vnitas naturæ in perſonis diuinis, vocat adhuc Pater Spiritum Sanctum gloriam ſuam. *Exurge*, inquit, *gloria mea, exurge Pſalterium, & Cythara.* Gloria eſt Patris Spiritus Sanctus; quia Patris, & Filij diuinitatem ignotam; mundo manifeſtauit: eſt Pſalterium & Cythara Patris Spiritus Sanctus; quia in ſuo deſcenſu in terras, dulciſſimo quodam ſono, ſpiritualem fidelium auditum penetrauit, & ad ſui ſuſceptionem traxit, vt iam nihil niſi melodiam cæleſtem percipere, cupiant credentes in Eccleſia Chriſti. Si igitur vna & eadem eſt trium in deitate perſonarum gloria, quæ eſſentiam repræſentat, quomodò & non vna atque eadem eſſentia erit? Cadat hic error ſpurciſſimi Arij, de pluralitate Deorum, & inæqualitate deitatis perſonarum: qui non minus ineptè; quàm blaſphemè dicere auſus erat, tres perſonas, eſſe tres Deos, & per-

Pſal. 7.

Pſal. 3.

Luc. 23.

S. Dion. 5. c.

Refutatur error Arrij de pluralitate deorum & inæqualitate diuinarum perſonarum.

& personam Filij, esse minorem personâ Patris: si enim vna tantùm in Trinitate est deitas, seu essentia diuina, & hæc est ratio essendi personis diuinis, quomodò etiam non vnus erit Deus? cùm sana Philosophia doceat, vbi est vnum abstractum, vnum quoq; concretum esse debere. Tres igitur personæ, sunt idem, & vnus Deus naturâ, seu ratione deitatis, & essentiæ, licet realiter distinguantur ratione proprietatum personalium. telum hic acutum in seipsum porrexit Arrius, quo facilè iugulatur, dùm sacrilega voce effari audet, Filium esse minorem Patre, si enim diuina essentia, simplicissima & indiuisa, est communis Patri, & Filio, quomodò Pater, & Filius inæquales esse poterunt? Quomodo vnus altero minor esse poterit? cùm habeant eandem perfectionis magnitudinem, quæ est fundamentum æqualitatis; eandem vnitatem numero, (cùm natura diuina sit indiuisa in tribus personis) quæ est radix proxima æqualitatis. vnus proindè tantùm est Deus essentialiter, & trinus personaliter, vbi nulla diuisio, sed omnimoda æqualitas.

Viâ igitur attributionis ad Dei notitiam progrediendum est, non tantùm diuinis personis, essentiam vnam & indiuisam attribuendo; sed etiam quinq; principales proprietates, quas à deitate æqualiter participant, & in illis omnimode conueniunt. Quarum prima est, infinitudo, & hæc non numeralis, neque magnitudinis aut extensionis, neq; intensionis; sed virtutis: cui correspondet infinitum perfectione. atq; hæc secundùm omnes Philosophos, optimè conuenit Deo, qui Deum omni virtute & perfectione infinitum esse dixerunt. Deinde infinitas durationis Deo attribuenda est, quam illi subscribit Aristoteles, dùm septimo Physicorum docet, *primum motorem monere æternaliter*. Præterea, infinitudo immensitatis Deo quoque attribuenda est, quia vbique est per præsentiam, potentiam, & essentiam.

Diuinarũ personarũ quinq; proprietates principales.

Aristoteles

A Et hæc est ratio, cur Deus apprehendi quidem possit, sed comprehendi nequeat: vt innuit Sanctus Martinus in Professione fidei, inquiens: *Mens humana intelligere non potest, nec oratoria lingua narrare, nec diffusi sermonis bibliothecarum volumina.* Quia nullus creatus, & finitus intellectus, est capax infiniti. quis enim cognoscere potest summam Dei immensitatem? cùm & ipsemet D. Augustinus, fractus ingenio videretur, quando hoc ipsum considerabat; vbi Deus esset, B antequàm mundum conderet, iamq; magnitudinis speculatione superatus, hoc tantùm concedere potuit. *Quòd Deus fuerit in se, quoniam solus sibi sufficiat ipse.* Siquidem nec vllus locus, nec vllum tempus, nec aliud quidpiam Deum mensurans adinueniri potuit. S. Martin.

Altera proprietas ratione indiuisæ Deitatis Domino competens est, omnimoda simplicitas: solus enim Deus est ens perfectè simplicissimum, cùm omnis creatura, vel sit C composita, vel componibilis, vel aliquid componibile cum ipsa, quemadmodùm componitur Angelus cum suis accidentibus, scilicet; intellectione, & volitione; & licet Deus ita sit simplicissimus, omnia tamen in se comprehendit; nam si ars perspectiua adinuenit quasdam imagines, quæ ex diuerso aspectu, diuersas repræsentant formas, diuersam affectionem, vt iram, indignationem, & benignitatem. Reperiuntur enim eiusmodi imagines, quas si aliquis ex D vno latere aspiciat, repræsentant montes asperos, steriles, & infructuosos: si ex altero, repræsentant hortos delicatissimos, varijs floribus refertos; rosis, violis, & lilijs &c. qualis est lapis opalus, qui si aspiciatur ex vno latere, totus est candidus; si ex altero, totus purpureus, aut totus viridis, aut totus igneus apparet, de quo Plinius lib. 27. cap. 16. sic discurrit. *Opalus*, inquit, *gemma est, carbunculo tenuior, ignis amethistli fulgens, purpura smaragdi; si ex vna parte aspiciatur, videtur esse carbunculus; si ex altera,* Plinius.

tera, videtur esse amethistus, smaragdus, &c. Talis planè Deus est Præpotens, qui licet simplicissimus sit, diuersus tamen hominibus apparere solet. vidit eum Moyses iratum, & totum quasi carbunculum, igne furoris ardentem, Deut. 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Aspexit Isaias totum purpureũ, Isaiæ 63. *Quare rubrum est vestimentum tuũ.* Aspexit D. Iacobus totum candidum, Iacobi 1. *Miserator & misericors Dominus.* Nec tamen in tàm diuersa apparitione Dei, vlla mutabilitas reperitur.

Deut. 4. Isaiæ 63. Iacobi 1.

Tertia proprietas ratione deitatis & essentiæ, Deo conueniens, est immutabilitas; omnis namq; creatura necessariò mutabilis est, cùm omnis tendat in desitionem sui, seu in non ens. Solus Deus est immobilis teste Boëtio in primo d. 2. *Stabilis manet dans cuncta moueri.* Deus enim nec mouetur motu generationis, nec corruptionis, vtpotè cùm ipsi nihil contrarietur: corruptio verò vel à contrario, vel inter contraria fieri debet, Deus non creatur, cùm æternus sit, & cùm omnia produxerit, ipse à nullo produci potuit. Deus annihilari nequit, quia cùm æternitas sit ipsi essentialis, finem refugit; non est augmentabilis, quia infinitus: infinito autem nihil addi potest. Planè Deus est velut speculum quoddam, quod si quispiam inspiciat, nunc videtur ipsi contristari, nunc lætari; cùm tamen in speculo nulla fiat mutatio, sed in eo duntaxat, qui intuetur speculum: sic fermè Deus, nunc monstrat se erga homines iratum, tristem, seuerum, nunc lætum, & clementem, non quidem quoad affectum, quia nullus affectus, nulla peregrina impressio, nec tristitia, nec amaritudo cadere potest in eum, qui semper in omnimoda felicitate permanet, sed potiùs quoad effectum erga peccatores. Talem certè vidit imaginem Dei Propheta Ezechiel. 1. vbi dicit: *Quatuor facies vni fuisse.* hoc est; Deo, qui cùm sit vnus; quadruplicem tamen se ostentat. Nam erga peccatores rebelles, monstrat se vt leo, cum tremore rugiens: erga pœnitentes, ostendit se tanquàm bos, dùm eos adiuuat in portando iugo legis: erga homines exhibet se hominem, omnem eis ostentans humanitatem: deniq; contra iustos, contemplatiuos, prudentes, & ingeniosos, præbet seipsum tanquàm aquilam, ad sublimium, & diuinorũ arcanorum contemplationem, eosdem subleuans, & alliciens. itaq; semper immutabilis manet Deus, quoad se; licet mutabilis plerumq; appareat, quoad nos.

Boëtius. Ezech. 1.

Quarta proprietas ex vi immutabilis essentiæ diuinæ seruiens Deo, est immortalitas, siue incorruptibilitas, asserente id Paulo Timot. 6. *Qui solus immortalitatem habet*; scilicet Deus. Et licet tres creaturæ in hoc vniuerso incorruptibiles reperiantur, prima nimirum purè spiritualis, per gratiam specialem, quemadmodùm Angeli, & animæ, quibus communicauit Deus hanc prærogatiuam. Secunda est purè corporalis, videlicet per gratiam generalem, vt cœli, & elementa. Tertia est mixta ex quatuor elementis per gloriam, vt corpora humana glorioſa, quæ incorruptibilia per totam æternitatem manebunt; nulla tamen ex his tribus creaturis, præter numen diuinum, est per naturam incorruptibilis, cùm omnis creatura vel à principio intrinseco corrumpatur, ex eo, quòd tendat in non ens ex natura sua, vt substantiæ spirituales, cæli. vel à principio extrinseco, siue à contrario sibi opposito corrumpantur, vt omnia mixta inferiora, & elementa, propter annexas sibi contrarias qualitates; solus proindè Deus est immortalis, & incorruptibilis, quoniam & à seipso est, & nulli contrario subiectus, quin potiùs supra omnia contraria eleuatus. Quinta demùm proprietas personis diuinis conueniens, est operatio ad extra, vt creatio, gubernatio, iustificatio, &c. cum axioma comũne Philosophorum proclametur in Scholis, quòd opera Trinitatis sint indiuisa ad extra; licet enim

Timoth. 6.

Deus

Deus ab æterno, à se & in se sit beatus, vtpote habens semper obiectum beatificans ab æterno, nimirum essentiam diuinam: & licet eidem nihil possit addi, aut auferri, cùm sit perfectus simpliciter; ita vt nulla ei desit perfectio. licet insuper nihil creatura Deo addat, aut diminuat, iuxta illud Prophetæ Psalmo 15. *Ego dixi Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Omne enim bonum creaturæ, est ipsius Dei, à Deo; tamen Deus ineffabili sua clementia & benignitate motus, mundum & creaturam condidit, vt essent participes summi illius boni. quod abundè testatur ipsemet Deus Gen. 1. inquiens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* quid hoc est, inquit Augustinus lib. 4. de Trinitate, imaginem sui Deus esse voluit hominem, vt facilius illum & ardentius homo quæreret, dicit enim ibidem Sanctus Doctor: *Licet humana mens non sit eius naturæ, cuius Deus est; imago tamen illius in ea quarenda, & inuenienda est.* Diuus verò Ambrosius, libro de dignitate hominis dicit, ideò hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum esse, vt Trinitatem, quæ in Deo est, repræsentaret anima hominis, quæ cùm sit in essentiâ vna; in potentijs tamen trina. nimirum intellectûs, memoriæ, & voluntatis. imaginem proindè sui Deus esse voluit hominem, vt intellectu denotaret omnipotentem Patrem; nam quemadmodùm intellectus humanus, verbi mentalis est principiũ, ita æternus Pater diuini verbi est origo. vt insuper homo memoriâ suâ repræsentaret vnigenitum Patris, quia sicut memoria in homine est imaginum, quæ mente concipiuntur, receptaculum: sic planè vnigenitus in deitate, est idearum diuinarum thesaurus, & vniuersorum quæ creata sunt, imago. Deniq; voluit Deus, vt homo sua voluntate repræsentaret Spiritum Sanctum: nam quemadmodùm voluntatis obiectum est bonitas, & in ea tanquàm in officina, omnis conflatur amoris affectus; sic planè Spiritui Sancto bonitas & amor attribuitur, non solùm essentialis, vt Patri, atque Filio; verùm etiam personalis.

Sed multò efficaciorem viam ad Dei notitiam perueniendi, hodiernum nobis proponit Euangelium, inquiens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi inquit D. Basilius, Sermone de Sanctissima Trinitate: *Qui baptizatur, in Sanctam Triadem baptizatur, in Patrem, & Filium, ac Spiritum Sanctum; non in principatus inquit, non in virtutes, nec in creaturas aliquas. Vt manifestè homo sciat, quòd supra omnes creaturas sit Sancta Trinitas, & nequidquam illius, creaturis connumerare velit.* Et certè, non aliter homo ad Dei notitiam peruenire potuit, nisi per ianuam baptismi; cuius figuram in veteri testamento Deus habere voluit, vas illud æneum plenum aquæ, quòd præ foribus templi positum esse legimus, in Paralip. l. 2. cap. 3. quod vas bobus duodecim impositum erat, ex quibus tres septemtrionem, tres occidentem, tres meridiem, & reliqui tres, solis ortum intuebantur. Intra templum autem erat candelabrum plurima luce conspicuum, & ad Sancta Sanctorum magnum velum expansum, quo licet arcana contegerentur; aliquantulum tamen apparebant. Deniq; in sanctuario arca vectibus aureis ornata seruabatur vbi tria illa pretiosissima munera, Moysis virga, legis tabulæ, & manna quod cœlitus lapsum erat, asseruabantur.

Figura hæc certè erat, & fundamentum cognoscendæ Sanctissimæ Trinitatis, quid enim amplum aquæ illud vas, ante fores templi appensum, aliud repræsentabat? nonne fontem baptismatis, quod ad militantis Ecclesiæ Catholicæ limen, salutis nostræ auctor Christus, fixum esse voluit, vt ostenderet, baptismum non solùm Ecclesiæ ianuam esse; verùm etiam vniuersi spiritualis ædificij, quòd sui sanguinis impendio Christus extruxit, præcipuum fundamen-

Psal. 15.

Matt. 28.

S. Basilius.

Gen. 1.

S. Augustin.

S. Ambro.

2. Paralip. 3.

mentum. In Veneta Repub. moris olim erat, vt cùm illa in aquis fundata esset, proindeq; fundamentorum apertio magnis egeret sumptibus, & laboribus, tunc ipsa Venetorum Respub. volentibus domum extruere, solebat olim suis impensis fundamenta erigere, atq; reliquam ædificij molem, futurus palatij possessor extruere tenebatur. similem Ecclesiæ Catholicæ structuram videmus, fundatum est eius ædificium in aquis baptismi, quod fundamentum quia magnis eget sumptibus, nimirum redempitone, captiuæ in peccato animæ, Deus ipse misericorditer sumptum præbet, ad regenerationem filiorum Dei, virtutem scilicet sanctificationis impendens baptismatis aquâ, sed vbi erectus fuerit homo fundamento baptismatis, non solùm Christi; sed illius etiam sumptu opus est, vt cœptum à Christo suæ redemptionis ædificium, superædificet; tribusq; illis muniat & ornet virtutibus; Fide, spe, & charitate, quemadmodùm docet Augustinus. S. Augst. *Fundamentum*, inquit, *est Fides, & parietes Spes, tectum verò & aureum lacunar charitas.* Quasi diceret: accedentem ad Deum per ianuam baptismi, & fidei, non oportet esse otiosum; sed credentem, & sperantem. Boues duodecim, quibus vas illud æneum aquâ plenum, præ foribus templi incumbebat, innuit nobis 12. Apostolos, qui tanquàm dominicæ vineæ electi boues, nullis laboribus fracti, ad vniuersas orbis terrarum partes. Vbi Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, fides annuntiatur, deportârunt Trinitatis mysterium, edocendo. Candelabrum præterea, quod in illo templo collucens vndiq; conspiciebatur, quid aliud, nisi nostræ fidei, quam profitemur, figuram gerebat? de qua dicit Emissenus in Symbolis. Emissenus. *Fides est religionis Catholicæ lumen, est columna illa ignea Israëlitis in deserto prælucens.* Quæ Christi fidelibus præeundo, ab omni liberat errore credentes, atq; in terram promissionis, & æternitatis, bonis operibus sotiata perducit. Est

A in obscuris humanæ ignorantiæ tenebris, per medias huius maris, & sæculi præsentis vndas, tuta gubernatrix, & præmicans in Ecclesiæ nauicula Pharus, viam nauigationis nescientibus indicans, & felici bonorum operum remigio, in portum æternæ salutis reducens. Est insuper perspicillium tantæ perspicacitatis, vt beneficio & adminiculo illius, quispiam in ipsam Dei naturam oculos figere possit immobiles. Patris inuisibilitatem, generationem
B Filij ineffabilem, Spiritus Sancti processionem stupendam, essentiæ vnitatem, & Trinitatem personarum, & diuinarum hypostaseon consubstantialitatem non caligando, nec vllo modo hæsitando, credens, suspiciens, & admirans.

Aberat hoc lucidum salutis candelabrum, non solùm à gentium ignaris populis, sed etiam à sapientissimis Philosophis; adeò, vt cùm hominem ad imaginem & similitudinem Dei formatum credere debuis-
C sent, ipsi potiùs Deum, ad imaginem hominis ponderarent, sibiq; similes, & humanis laborantes affectibus Deos effinxerint, pro varietate virtutum humanarum, varios quoq; concipiendo Deos. Imperium enim & potestatem Regum considerantes, Iouem potentiæ Deum esse voluerunt. Militum verò ducumq; fortitudinem inspiciendo, Martem tanquàm bellorum præsidem coluerunt. Deniq; eloquentiam, & doctrinam
D sapientum hominum admirati, Mercurium, & Mineruam tanquàm ingeniorum auctores, & cultores adorârunt pro dijs. Grauis hæc erat in Deum iniuria, de qua conqueritur ipsemet Deus Isaiæ 6. per Prophetam loquens: *Cui*, inquit, *assimilastis me, & adæquastis, & comparastis, & fecistis similem.* Isaiæ 6. Sed & nunc plena sunt errorum omnia, licet hæc lucidissima fax diuinæ fidei omnibus præluceat, causa est, quia ante hanc facem, velum positum est. Mirabile est, cur in veteri testamento, ante Sancta Sanctorum, velum extendi solitum erat?

Cau-

Causam assignat Scriptura 1. Reg. 6. vt inquit, *Nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, ne forte moriantur.* Quid modernæ ætatis hæreticos ad infinita traxit deliramenta? vt eorum quidam vnam tantùm in diuinis personam opinarentur, vt spurcissimus Sabellius inquiens: *Sicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnius sunt naturæ, ita etiam vnius personæ.* Alij quaternitatem in Deo assererent, diuinam eius naturam à tribus personis impiè & stultissimè separando, ignorantes: quòd qui liberiùs & curiosiùs scrutari vult incomprehensam Dei maiestatem, à gloria diuini numinis non secùs; quàm oculus ab irradiante sole opprimitur. velum proindè positum est ante sanctuarium hoc, scilicet ante mysterium Trinitatis, ne illud quispiam curiosiùs exquirat, ne fortè moriatur, iusto temeritatis inflicto supplicio cæcitatis. quemadmodùm olim Bethsamitis prospicere volentibus, quid arca Dei conclusum haberet? septuaginta millia hominum interempta fuisse leguntur 1. Reg. 6. Ac proindè non tàm sapientiæ humanæ temeritate; quàm potiùs fidei obsequio, quisq; illuminari velit in cognoscendo inscrutabili Trinitatis arcano. vt innuit Ambrosius lib. 1. de Trinitate inquiens: *Aufer argumenta, vbi fides queritur, iam dialectica taceat. Piscatoribus creditur non dialecticis.* Deniq; in illo veteris legis templo, post velum erat arca, quæ Moysis virgam, legis tabulas, & manna continebat. Quid hæc? nonne pulcherrima Trinitatis figura; Arca illa mystica diuinæ vnitatem essentiæ repræsentabat; tria verò munera in illa asseruata, tres in deitate figurabant personas. Virga Moysis, Patris æterni figura erat, cùm sit potestatis & auctoritatis symbolũ, quæ soli omnipotenti; tanquàm primo omnium principio conuenit. Legis tabulæ, Filium præsignabant: ad illum enim omnis sapientia spectat, vt rectè viuendi regulas præscribat. Manna cælitùs datum, adumbrabat Spiritum Sanctum, cui propria est suauitas & dulcedo, vt ad virtutes & pietates animos mortalium facilius inclinet. quod illi subscribit Ecclesia cantans; *dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.*

Hæc igitur optima & efficacissima est cognoscendi Trinitatis mysterij via, baptismus: citra quem lux animæ oculis adesse nequit. ad hunc limpidissimum fontem, in quo inuisibilis imago Dei relucet, Ecclesia suos alumnos hodiè conuocat, vt quos pridem in hoc cœlesti lauacro Deo peperit, eosdem nunc lacte profundioris eruditionis enutriat, & altiori summæ & indiuisæ Trinitatis notitiâ corroboret. Et si vnius viri Ioannis prædicatio, omnes ad pœnitentiam induxit, quis hodiè clamanti Ecclesiæ non obtemperabit? *Lauamini & mundi estote.* quis prædicantes Apostolos non audiet? *Pœnitentiam agite, & in nomine Domini Nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum baptizemini.* Quis ab ipso Domino inuitatus ad hunc fontem venire renuet? *Venite*, inquit; *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quid cunctaris? quid expectas? quid consulis miser homo? ad vitam te hodiè vocat Deus, cur vocationem fugis? ad æternorum participationem bonorum inuitatus es, quare donum tàm egregium spernis? Regnum cœlorum tibi præparatur, ad quod via facilis patet non tempore, non sumptu, non negotio vllo opus est. Quid moraris? Baptisatum te iam fortasse inquies, non inficior sanè: sed iterùm fortasse diuinæ quam acceperas, gratiæ mortuus es, ad regenerationem proinde de morte peccati, ad baptismum cordis te hodiè Christus vocat, vt abluas delicta, conscientiam renoues, & reliquum vitæ Deo iam consecres. Ac proindè cùm anima tua, quam omni scelere contaminatam reddidisti, renouari & regenerari in amissa salutis gratia postulet, tantum beneficium ne despicias? & si iuuenis es, ætatem freno baptismi ab omni iniquitate comprime. si verò flos iam ætatis abest,

1. Reg. 6.

Sabellius Hæretic⁹.

1. Reg. 6.

S. Ambro.

abeſt, ſatage ne ſenectutis viaticum tibi deſit, ne putes quaſi tua facta Deus non videat, tuam non conſideret mentem; aut fortè tibi iniuſto opituletur; videt enim hæc omnia. proindè ne illius indignationis acerruum cumules tibi, morigerus & obſequens illi exiſte, nec per legis tranſgreſſionem illum velis inhonorare; ſed ad baptiſmum pænitentiæ feſtinans, diſce Euangelicam diſciplinam, oculorum modeſtiam; linguæ continentiam, corporis caſtigationem, ſuperbiæ compreſſionem, cogitationis puritatem, & iræ extinctionem.

Triplicem proinde viam cognoſcendi ſanctiſſimæ Trinitatis myſterij, vobis oſtendi. vnam remotionis, vt ſcilicet perpendatis, quòd Deus non ſit vobis ſimilis, omnemq; offenſionis maculam ab illo procul remoueatis; alteram attributionis, vt agnoſcatis vnam in deitate eſſentiam, & tres perſonas. vt fateamini Deum eſſe infinitum, ſimplicem, immutabilem, immortalem, & miſericordem; attribuatiſq; Deo quæ Dei ſunt. Tertiam baptiſmum, ſcilicet pænitentiæ: qui eſt captiuorum & æris alieni remiſſio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus ſplendens, character indelebilis, cæli iter, Regni cæleſtis reconciliatio, & adoptionis gratia. Hanc igitur potiſſimam baptiſmi & pænitentiæ viam ſequimini, carnis affectum, qui legi diuinæ ſubdi recuſat extinguendo in vobis, vt ſpiritus pietate affectus, per quem vita & pax apta eſt dominari in vobis, roboretur. Quamobrē ſi adoptionem Dei Filiorum ſortiri vultis, baptiſmum pænitentiæ feliciter inchoate, vt purgati omni labe, omni crimine abſoluti, lumen vobis cæliſus delapſum in cordibus oriatur, vt & hic Deum trinum in perſonis, & vnum in eſſentia, quantum fas eſt homini cognoſcatis, & poſthac mortalem corruptionem, vna cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, æternùm viuere mereamini, Amen.

DIES ANTONII PATAVINI,

CONCIO PRIMA.

Sub tempus belli Suetici, Anno 1656.

Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremum terræ. *Iſaiæ 49.*

Linguam incorruptam S. Antonij pro fortiſſimis armis Deus nobis legauit.

NOn cæca fortuna (vt pleriq; falsò ſibi perſuadent) ſed oculata Dei prouidentia, inſperatas & graues non raro in rebus humanis cauſat viciſſitudines. vt eleganter Lyricus vates 3. Carmine Ode 19. cecinit.

Transmutat incertos honores
Nunc mihi nunc alijs benigna.

Hoc diſertè probat Philo Hebræus in libro quod Deus ſit immutabilis ad finem. *Verbum*, inquit, *diuinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat.* Perquirite quæſo ſingulorum fortunam regnorum, videte regionum integrarum & gentium mutationes in melius & deterius. Nonne primis illis ſæculis, regnum Græciæ opibus & viribus potens celèberrimum erat? & tamen vni Macedoni, nō ſecus quàm elephantus culici in prædam ceſſit. Nonne Macedonia immenſis ex præda Alexandri theſauris cumulata, non

Philo Hebræus.

Regnorum viciſſitudines.

non multo post, diuitias & nomen perdidit, omninoq; interijt. Gloriabatur sua felicitate Persia, & tamen vna dies tàm ingenti regno finem attulit, vt Persæ penes quos erat antea orbis imperium, Medorum vectigales, imo mancipia fierent, dùm Daniel. 5. *Balthasar Rex ipso die, quo vasa templi Domini iam temulentus concubinarum labijs fœdare præsumpsit, Medorum gladijs Dario victoriam obtinente subiaceret.* Danielis 5. Sed quid exterarum gentium ruinas in medium produco, testem te luculentissimum appello gemens, & vincens Patria, nonne perampla satis magnificaq; tua potentia fuit, vt hostes cæterorum quidem arma, tuum verò nomen ipsum expauescerent: en quomodò nubis instar præterijt omninò illa tua felicitas. Antea vix tuos limites attingere hostes ausi, nunc tua viscera ferro & igne scrutati sunt; collapsæ sunt vix humana manu expugnabiles munitiones, exusta prædia, vastatæ vrbes, tu ipsa ô deploranda Regni Sedes Cracouia, potentiâ, diuitijs, pulchritudine, loci amænitate, inexpugnabili situ, Romanæ vrbis æmula, quomodò nunc elegantibus amissis suburbijs, depastis flammâ sacris ædibus, funditùs euersis tot sumptuosis palatijs, orbata omni tuo splendore manes? & quam innumera hostium manus nequaquàm terrere, & frangere poterat, eam auri sacra fames expugnauit. Vbi nunc inclytus ille tui consulatùs splendor? vbi illustres illi fasces? vbi applausus illi & choreæ, epulæq; & facti conuentus? Vbi coronæ & aulæa? vbi strepitus vrbis, & illæ Circensium spectatorum faustæ acclamationes, atq; adulationes, omnia illa perierunt: procella vehemens folia deiecit, arborem spoliatam reddidit, iam radicitùs vacillantem? vbi nunc fastuosæ illæ deambulationes? vbi compotationes & cœnæ? vbi parasitorum examen? vbi illi potentatùs cultores? ad gratiam omnia dicere, ac facere assueti? ceciderunt hæc omnia, diuinâ prouidentiâ alternas vices versante, vt agnosceres in rebus humanis nihil esse stabile, nihil firmum, sed meram oculorum deceptionem, quæ priusquàm appareat, auolat. Quod si scire desideratis, cur diuina Iustitia tantam de vobis sumpsit vltionem. Causa tanti mali est atrox peccatum, in inaccessam Dei maiestatem commissum, propter quod regna & reges deseruntur à Deo. vt ingeniosè discurrit Origenes hom. 10. in Hieremiam de Hierosolymæ desolatione loquens. *Angeli*, inquit, *qui semper* Origenes. *auxiliabantur ei, deseruerunt eam, & dixerunt, multis facinoribus oppressa est: Iesum interfecit, & in Dominum nostrum misit manus. Quamdiu minora peccauit, potuimus rogare pro ea: potuimus obsecrare Dominum, potuimus parcere ei, super ista quis parcat?* Te nunc alloquor afflicta Patria, quamdiu leuioribus peccatis aggrauasti conscientiam tuam, facilè diuinum Numen plàcare poteras, sed postquàm in ipsum Deum resoluto ausu peccare non erubuisti, iam non est qui pro te audeat deprecari Dominum. Sic docet Diuus Chrysosthomus in Psalmum 8. *Quamdiu*, ait, *in seruos peccatis, veniam estis consecuti, sed postquam manus in Dominum iniecistis, vobis euasit vlcus immedicabile.* Peccare in Deum, est præcepta eius sanctissima contemnere, vt testatur Hieronymus Epistolâ 14. ad Celantiam: *Ex quo*, inquit, *apparet, nec honorari ab eis Dominum, nec timeri, qui eius præcepta non faciunt.* Conculcastis Catholici mei diuina mandata, in naturam & Deum ipsum iniurij sæpiùs existendo percrebra fratricidia; quæ tamen crimina impunè abibant. Peccastis recedendo à vera religione, & ideo implera est illa Dei comminatio in vobis: 1. Reg. 2. n. 30. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* hoc est; vt vertunt Septuaginta, vilescent, honore priuabuntur, & ignominiâ afficientur. Sic quondam Rex Salomon, vbi Deo contempto, tria idola coluit, Astarthen, Chamos, & Moloch, statim à suis contemptus, tres hostes contra seipsum rebellantes sustinuit,

Apostrophe ad Poloniam & Cracouiã, S. Chryso. 1. Reg. 2.

Adad, Razan, & Ieroboam, vt constat ex 3. Reg. 11. & palam testatur D. Thomas lib. 3. de regimine Principum cap. 8. *Ex luxuria*, inquit, *& idololatria, factus est abominabilis populo suo: in tantum vt serui eius rebellarent ei, diripientes spolia suæ regionis & vastantes terram absq; resistentia aliqua.* Sic vestra illa luxuria & idololatria barbaras etiam gentes excedens, tres grauissimos hostes aduersùm vos concitauit, Cosacum rebellem, & fædifragos, Moschum, & Suecum, immò etiam subditos ad direptionem totius regni accendit. Verum ne omninò pereas Patria, in Religiosissima domo Diui Francisci, vbi pridem tibi in extremis periculis asylum pollicitus est Deus Isaiæ 56. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum* hic vobis hodiè certissimam spem salutis proponit D. Antonium, vt sit salus gentium vsq; ad extremum terræ. Proinde cùm vos exarmatos esse sciam omni bellico apparatu, vltima adhuc arma, scilicet Diui Antonij linguam vobis in subsidium monstrabo.

S. Thomas. Isaiæ 56.

Mirantur non pauci, cur ex omnibus membris D. Antonij, iam in sacros cineres resolutis, sola lingua manserit incorrupta, & trigesimo secundo à morte ipsius anno vegeta ac penè viuens reperta. Et quidem magna admirationis causa? Quippe nullum membrum est in corpore humano, quod frequentiùs & grauiùs delinquat, quàm lingua. Ergo potiùs lingua, quàm cætera membra in cineres redigenda. Consequentia tenet. Quia corruptio infligitur à Deo in pœnam peccati. Sic quondam peccauit Tyriorum Princeps, & mox pœnam corruptionis minatur illi cæleste oraculum. Ezechielis 28. *In multitudine iniquitatum tuarum polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.* Peccauit Hebræorum populus, audite quod supplicium illi destinatur Isaiæ 33. *Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igne comburentur.* Peccauit Protoplastus humani generis, en quod illum abripuit infortunium? Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Proinde corruptio, & resolutio cadaueris in terram, à solo peccato proficiscitur. Quis verò inficiabitur, linguam frequentiùs cæteris membris peccare? cùm eam ob causam S. Iacobus in sua Epistola 3. eam vniuersitatem iniquitatis appellet. *Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Cuius rationem affert D. Basilius. *Multiforma est lingua peccatum, & vita nostra referta est linguæ delictis.* Nemo etiam dubitat, linguam grauiùs peccare: Nam D. Augustini de hac re illud est oraculum: *Graviora sunt vulnera linguæ, quàm gladij*: S. Chrysosthomus. *Linguâ*, inquit, *nihil improbius, quolibet ense immanior.* S. Bernardus linguam vocat gladium ancipitem, imò tricipitem, cuius vno ictu trium sæpenumerò vulneratur charitas, læditur conscientia. *Neq; vero* (addit hic S. Doctor) *huiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis; siquidem Christus Iuum sibi latus lanceâ voluit aperiri, ne tu alienum tuâ linguâ vulnerares.* Neq; solùm de improborum, sed & de iustorum lingua hoc fatetur D. Hilarius inquiens. *In optimis etiam hominibus lingua promptissimus lapsus est.* Quomodò ergo fieri potuit, vt cùm lingua tàm malignantis naturæ sit, in Diuo tamen Antonio illæsa perennaret.

Ezech. 28. Isaiæ 33. Gen. 3. Iacobi 3. S. Basilius. S. Augustin. S. Chryso. S. Bernard. S. Hilarius.

Causam non aliam esse censeo, nisi quòd Diuina bonitas, perpetua hereditate linguam Sancti Antonij nobis legare voluerit, tanquàm fortissima arma, quibus irato Deo cœlum nobis clausum aperire possemus. Fundamentum ex sacris literis eruo. Virum illum simplicem & rectum Iob, ab imis vnguibus vsq; ad summum verticem, capitalissimus animæ nostræ hostis, vlcerauerat, & nihilominus linguam intactam reliquit, vt fatetur ipsemet cap. 19. *Pelli mea consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantum modò labia*

Cur lingua S. Antonij incorrupta manſit. Iob 19.

bia circa dentes meos. Quod Sanctus Thomas in hunc modum exponit : S. Thomas. *Omnibus alijs membrorum officijs cessantibus, solum mihi remansit locutionis officium.* Et clariùs adhuc interpretatur D. Hieronymus. S. Hieron. *Ex omnibus alijs membris vnam mihi linguam reseruauit.* At quo merito, quo iure lingua tantùm Iobi, ab illa atroci pœna immunis remansit? causam affert D. Augustinus : Quia lingua Iobi semper benedixit Deum : dicit enim scriptura Iob. 1. Iob 1. *In omnibus his Iob non peccauit, labijs suis, neq; stultum quid contra Deum locutus est.* Bella equidem ratio : quia Deus cùm sit per essentiam suam in omni genere perfectissimus, ita vt non possit illi quicquam perfectionis ad intra accedere, nihil aliud à creatura rationali requirit, nisi glorificari & benedici. Cæterùm aliam magis accommodam rationem inuenio : scilicet ; ideo Iobi linguam incorruptam fuisse seruatam ; quia futurum erat, vt tres Iobi amici, Eliphaz Themanites, Baldad Suchites, & Sophar Naamathites, graues ei iniurias in illis summis angustijs inferrent, vt scilicet hinc pro eorum graui delicto intercederet Iob, nam iratus illis Deus: Iob 42. *Non*, inquit, *coram me estis locuti rectum :* moxq; subiunxit : *Iob autem seruus meus orabit pro vobis : faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia.* Iob 42. Hac etiam de causa Antonij linguam intactam seruare voluit, vt in maxima Christianitatis afflictione Deum placaret, & ad misericordiam flecteret. Sic censet Diuus Ambrosius de Nazario loquens : S. Ambro. *Omnibus*, inquit, *lingua illa data est in pignus, vt pro omnibus Deum oret.* Nam si in veteri testamento totus ad Deũ populus loquebatur : ita nunc vnâ linguâ Antonij tota Christianitas ad Deum clamat illud Zachariæ 1. Zachar. 1. *Domine exercituum vsquequo tu non miserebéris terræ sanctorum tuorum*, scilicet Poloniæ, & vrbiũ eius, *quibus iratus es.*

Sed opponet forsàn Hæreticâ impietas, Deum per semetipsum aut nomen suum sanctum, eiusq; Filij Iesv Christi inuocari debere, iuxta illud Psal. 19. *Nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.* Et Danielis 9. *Exaudi Deus noster orationem serui tui propter temetipsum.* Ergo sancti minimè sunt inuocandi, vt Deus illis succurrentibus exaudiatur. Fateor equidem, Deum primò & principaliter, semper inuocandum esse per semetipsum, & per nomen sanctum suum, eiusq; dilecti Filij Iesv Christi, tamen nihilominus secundariò, vt citiùs pleniusq; sic inuocando exaudiamur, & propter nostram indignitatem, aut imperfectionem, oratio talis non repudietur, ne minùs sit grata aut efficax, licitè possumus inuocare sanctos, per eorumq; commemorationem, merita, & preces, vtiliter orare. Postulabat Moyses pro populo Israèlitico, ob turpem idololatriam iam iam penitùs exstirpando : neq; tamen eius oratio effectum sortita est, donec per commemorationem sanctorum fortiùs Deum vrgeret. *Recordare*, inquit, *Abraham, Isaac, & Israèl seruorum tuorum quibus iurasti per temetipsum dicens : multiplicabo semen vestrũ sicut stellas cæli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro & possidebitis eam semper.* Et ecce addit Sacra pagina. *Placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersùs populum suum.* Orabat Salomon per merita Patris sui Dauid 2. Paralip. 6. *Memento misericordiarum Dauid serui tui.* Philipp. 6. Imò Deus ipse in veteri testamento, talem modum vtilem, & efficacem esse, ad impetranda Dei beneficia approbauit. Gen. 20. vbi mandauit Abimelech, vt intercessionem Abrahæ, qui propheta sanctus, & amicus Dei erat, peteret : *Nunc ergo*, inquit, *redde viro suo vxorem, quia propheta est, & orabit pro te, & viues:* Gen. 20. Tandem incusat Deus negligentiam populi sibi offensi, quòd tempore iracundiæ suæ, & incensi furoris, non quæsierit per Sanctos Patronos Dei misericordiam. Quæsiui (inquit Ezechiel 22.) *de eis virum, qui interponeret sepem.* Ezech. 22. (puta intercessione sua) *& staret oppositus contra me, ne dissiparem eum, & non inueni.* Similiter Prophe-

A

B Sanctorum inuocatio ad quid necessaria.

C

D

tis Israël exprobrat, quòd tempore belli, & publicæ afflictionis, pro populo non interceſſerint, & precibus meritiſq; ſuis iram Dei non auerterint. Ezechielis 13. *Non oſtendiſtis ex aduerſo, neq; oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Atqui ſi populus peccans poſſet Deum ipſemet pro peccato ſuo placare, quid opus eſſet quærere alium virum iuſtum, qui pro iniquitate populi deprecetur Deum, quod tamen ipſemet Deus feciſſe in ſcripturis perhibetur, quando interpellanti Abrahamo promiſerat ſe quinq; Ciuitates Sodomorum, ab exuſtione ſeruaturum, non obſtantibus grauiſſimis peccatis, atq; in cælum clamantibus, ſi decem ad ſummum iuſti in illis inuenti fuiſſent; Gen. 18. *Non delebo*, inquit, *propter decem.* Si ergo in veteri teſtamento, licuit Deum per interceſſionem, & merita ſanctorum inuocare, quæ inuocatio (non obſtante hoc, quòd iuſſerit per nomen ſuum inuocationē fieri) Deo gratiſſima, & ad impetrandū in ipſius nomine efficaciſſima fuit: cur in nouo teſtamento, licitè & vtiliter fieri non poterit? cùm vtiq; ſancti in nouo teſtamento, non ſint inferiores ſanctis illis veteris teſtamenti, imò plus poſſint; quòd videlicet hi preſentiâ Dei fruantur in cælis, illi verò in limbis detenti, Chriſti paſſionem expectabant, donec ab illo cœlos aſcendente in conſpectum Dei, ſecundùm animam traducerentur. Vnde Catholici, non inuocant Deum per merita, & preces Sanctorum principaliter & finaliter, quaſi in illis ſpei & fiduciæ ſummam collocent, Chriſti meritis præteritis, aut repudiatis, quaſi non ſufficientibus, (vt falsò ſatiſq; impiè Hæretici autumant) ſed inuocant Deum per Sanctorum merita, & preces, eo nomine, eâq; intentione, vt Chriſti meritis promeritam gratiam, & miſericordiam diuinam eò citiùs vberiuſque conſequantur. Proinde principaliter & finaliter, non niſi ſoli Chriſto eiuſq; meritis nituntur, & per illa tàm exaudiri, quàm adiuuari atq; ſalUari deſiderant, quandō non ſolùm ipſimet ſupplices preces Deo offerunt, ſed etiam Sanctorum interceſſionem, ſuis priuatis, & plerumque minùs dignis precibus coniunctam habere ſatagunt.

Ibidem, 19

Gen. 18.

Quomodo Catholici Sanctos inuocant.

Erigite iam animos veſtros laſſati diuturnis afflictionibus Catholici; dies enim bonæ ſpei, dies ſolemnitatis Beati Antonij vobis illuxit, vt eo vobis ſuis interceſſionibus ſuccurrente, faciliùs Deum offenſum placare, eiuſq; patrocinium implorare poſſitis. Neq; enim ſine cauſa diuina omnipotentia, Beatum Antonium omnibus nationibus, regnis, & Prouincijs communem eſſe voluit, niſi vt totus orbis periclitans, eius præſidijs fulciatur, eumq; ſibi patronum vendicet. Patauia priuilegio ſepulchri, Olyſipo conditione incunabuli; Conimbrica ſorte educationis, totus deniq; mundus communione ſuffragij: non enim clauditur locis, quod effunditur meritis. Non ſine cauſa ſapientiſſima Dei ordinatio, Beatum Antonium, velut iuſtum quondam Abrahamum, de domo Patris ſui, & de patrio ſolo educere voluit, atq; in duabus ſanctiſſimis Religionibus D. Auguſtini, & D. Franciſci implantari, niſi vt vniuerſa Chriſti Eccleſia, quæ ſapientiâ Auguſtini, & profundiſſimâ Franciſci paupertate, tanquàm duplici columnâ immobiliter nititur, vt inquam pulchriùs Antonij ſanctitate, & doctrinâ irradiaretur. Fecit vt video Deus cùm ſuo Antonio, velut familiariſſimus quidam amicus, cum nominatiſſimo ſuo Alciato, cuius animum volens allicere ad deferendam ſuam Patriam, miſit ei emblema, cuius effigies erat arbor Perſica, hoc ſymbolo adiecto. TRANSLATA FACTA EST MELIOR, quaſi oſtendere vellet, bonum quidem eſſe malū duracinum in Perſia, ſi tamen Perſica transferatur ad alias regiones, multò fit ſapidior eius fructus, pluriſq; æſtimatur. Sic plane magnus fieri poterat Antonius in Luſitania patria ſua, ſanctus erat in religione, & ſacro ordine D. Auguſtini; attamen

Patrociniū S. Antonij omnibus nationibus commune.

ex Vly-

ex Vlisypone Patauium, ex Lusitania ad peregrinas nationes, ex vna religione ad aliam, ex ordine Sancti Augustini, ad societatem D. Francisci migrare eum necesse fuit, vt copiosiores sanctitatis fructus proferret. In tanta igitur cõmunis omniũ protectoris festiuitate, Deum vobis propitium reddi facilè crederem.

Sed me illud retardat, quòd vobis præcipua arma ad expugnandum cœlum, ad emolliendum iratum Dei cor, videlicet linguas, ad laudandum & benedicendum Deum deesse sciam. His armis pugnârunt olim Maiores nostri, aduersùs succensum Dei furorem, assiduis supplicationibus Deum precando, vt iram exueret, nunc verò ad eas iam angustias deuenimus, vt qui in Ecclesia sanctorum laudem Deo canat, non reperiatur, eò quòd desolatæ sint Ecclesiæ personis Deo dicatis, qui se coram maiestate diuina (vt olim Moyses cum Aarone pro Israëlitis) supplex opponat, non sit ob expulsionem sacerdotum Dei; quod ipsamet Scriptura sacra deflet, 1. Reg. 2. *Si peccauerit*, inquit, *vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo.* Quod Sanctus Hieronymus in dialogo aduersùs Luciferianos, & in cap. 18. Matt. sic exponit. *Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imo necessitatem, quia præcipitur, vt debitoribus nostris delicta dimittamus, si verò quis in Deum peccauerit, non est iam nostri arbitrij; sed sacerdotibus opus est, qui pro nobis orent.* Quæ ergo tua maior infelicitas, ô afflicta Christianitas contingere potuit, quàm dum orbata sacerdotibus, in hac tua calamitate extrema maneas. Quando defecit lingua vestra, ad loquendum pro Deo, pro Fide, pro religione, pro iustitia, sed metus & pauor, quasi clingues statuas vos omnes reddidit. Actum profectò iam de te misera Patria censerem, nisi tibi diuina bonitas hodie in subsidium linguam B. Antonij è cœlo mittat. *Reddam populis meis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini.* Sophoniæ 3. hoc est; Proponam populis meis, quos cooptaui in societatem filij mei labium electum, linguam Antonij puram, linguam sanctam, vt per eam, tanquàm idoneum, ad decantandas laudes diuinas instrumentum, populus peccans misericordiam meam impetret.

Hæc est illa lingua, quam ipsius deitatis inaccessa lux, ad annuntiandam mundo erranti suæ veritatis doctrinam erudiuit, velut alterum Moysen, cuius facies ex consortio sermonis Domini ita coruscabat, vt filij Israël non auderent eum intueri. Exodi 34. & ideo beata, testimonio Dauidis Psal. 93. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine.* & ideo incorrupta: quia prædicatrix veritatis: *Quæ enim vera sunt, æterna sunt*, inquit D. Ambrosius. Et ideo magis in dies glorificatur in Ecclesia Christi. *Quia sicut lingua, quæ Deum maledicit semper minuitur, ita lingua, quæ Deum benedicit semper augetur.* attestante D. Augustino. Hinc erubescant impij Hæreseos sectatores, qui ex proprio spiritu audent doctrinam salutis annuntiare, cùm intellectus humanus sine magisterio vniuersalis Ecclesiæ, sine diuina illuminatione, nihil penitùs rerũ supernaturalium concipere valeat, iuxta illud Dauidicum Psal. 17. *Quoniam tu illuminas lucernam meam.* Vbi S. Hieron. sic concludit; *Non videt enim intellectus animæ, nisi à Christo illuminetur.* Vnde à talibus prædicatoribus Regius vates petijt præseruari. *A cornibus vnicornium erue humilitatem meam.* Vbi S. Augustinus per vnicornes, intelligit falsorum dogmatũ annuntiatores: quia sicut singulare & proprium est huic animali, omnem abhorrere societatem, vt docet idem Doctor, lib. de Passione cap. 10. *Odit omne consortium.* Sic planè Hæretici, cùm nolint esse discipuli Sanctæ Matris Ecclesiæ, oderunt vnitatem fidei, & veræ religionis; & ideo sanam doctrinam deprauant, atque corrumpunt. vt præclarè probat S. Bernardus Epistola 190. ad Innocentium Papam.

Arma validissima veterum Polonorum, feruentes ad Deum supplicationes.

1. Reg. 4.

S. Hieron.

Sopon. 3.

Psal. 39.

S. Ambros.

Doctrina salutis non ex proprio sensu annuntianda.

Psal. 17.

S. Hieron.

Vnicornis solitudinem amat.

S. August.

S. Bernard Papam. *Magister*, inquit, *gentium accepit à Domino quod tradidit nobis, & Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam, ergo non bene tradis, quod à nemine accepisti.*

Mysterio plena fuit actio illa fortissimi Samsonis, dum captis vulpibus, iunxit caudam vnius ad caudam alterius, ad incendendum segetes Philisthinorum, Iudic. 15. *Perrexit* (inquit Sacra pagina) *& cepit trecentas vulpes, caudasq; earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne succendens, dimisit, vt huc illucq; discurrerent, quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum.* Vulpes illæ symbolum erant Hæreticorum, qui licet capitibus diuidantur, & dogmatibus contrarijs dissentiant, caudis tamen sunt coniuncti & vniti, atq; face accensa moliuntur segetes Dei exurere, supprimere fidem Catholicam, tollere Religionem sanctam, & Ecclesiam Romanam penitùs euertere. Sic interpretatur D. Augustinus Serm. 107. de Tempore. *Caudæ*, inquit, *vulpium colligatæ, sunt posteriora Hæreticorum, qui prima habent magna & blanda, & deceptoria opera; posteriora verò ligata, scilicet; damnata & in ignem in fine trahentia, vt eorum fructus & actus consumant, qui suis seductionibus acquiescunt.* An non id reipsa nunc experimini, dum Iudaismus cum Arianismo, Hæresis cum Gentilismo, in vnius Poloniæ & Ecclesiæ euersionem conspirans, nedum à pessimis consilijs quiescere vult.

Nihilominus nondum animo concidite afflicti Catholici; nusquã enim pluralitas vnitati prævaluit. Vnitas Dei innumeram Luciperi adhærentium Angelorum multitudinem, in ignem æternum detrusit. Vnitas Fidei Catholicæ & religionis, semper de hostibus Ecclesiæ triumphauit. Et vos non aliam ob causam nunc aggrauamini, nisi quia diuisi estis à Deo vestro, dum linguas, quas ad laudandum Deum vobis natura indulsit, ad blasphemiam, ad negandum Deum, ad proximi detractionem, ad sanctorum & Ecclesiæ neglectum, & grauem dishonorationem conuertistis, iamq; in pluralitate peccatorum consenuistis. Ad vnitatem redire oportet, vt renouetur vestra pristina cum Deo innocentia & amicitia, tanquàm Aquilæ iuuentus. de qua Sanctus Basilius in Hexœmero, S. Basilius. rem nouam & peregrinam affert, quòd videlicet dum sentit suam nimiam senectutem, annorum diuturnitate grauem, erigit se in altum, dirigitq; volatum suum, contra ardentissimos solis radios, concutit alas suas, & vehementi agitatione, calore incensa, demittit se in stagnum aquarum, & penetrante frigore corporis illius poros, facili negotio deplumatur, & renouatur in sua iuuentute. Si ergo desideratis Catholici renouari in pristina amicitia cum Deo, & ad vnitatem redire, ne amplius inter vos Schismata & dissensiones dominentur, erigite ad solem Iustitiæ Christum IESVM mentes vestras, veterem pilum & plumam vitiorum vestrorum deponite, vbi verò incaluerit cor vestrum, igne dilectionis diuinæ, & detestationis peccati, demittite vos in stagnum Sacramentorum, & immergite vos balneo lachrymarum pœnitentiæ, ingemiscendo contritis pectoribus, & linguis; (tibi soli Domine peccauimus, sed parce peccatis nostris.) Et sic lingua D. Antonij teserabit vobis clausum cælum, vt quondam lingua Eliæ. Erit vobis gladius Dauidicus contra hostem, vt quemadmodùm ille gladius, teste D. Chrysosthomo, caput amputauit gigantis, sic lingua D. Antonij confringat ceruices inimicorum vestrorum & Ecclesiæ.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Sub tempus belli Suetici 1657.

Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. *Gen.* 41.

Beatus Antonius constitutus est Prorex totius mundi.

Cele-

CEleberrima quæstio agitatur inter Theologos; an dominium perfectum & verum, duobus super eadem re solidè, pro eodem instanti, & tempore possit competere. Et quidem de creaturis potentibus instantaneè operari, cuiusmodi sunt Angeli, non est dubium, quòd possint plures in eodem, & pro eodem instanti, simul & semel habere plenũ, & solidum dominium in eadem re, ita vt simul sit vtriusq;, & vterq; possit eâ vti pro placito suo, citra alterius iniuriam. Ponamus enim totum tempus constare tribus instantibus. A. B. C. Et Deus in primo instanti, constituat dominum verbi gratia pomi S. Michaëlem, qui in instanti B. nihil de illo disponat; in instanti verò C. donet illud S. Gabrieli, pro eodem instanti donationem acceptanti. An non manifestum est, in hoc tertio instanti, S. Michaëlem esse solidè dominum pomi, dum nemo possit validè & licitè donare rem aliquam, nisi sit eius dominus, quando illam donat, eò quòd ista donatio sit actus dominij, vt potè vsus rei suæ. Palam quoq; est S. Gabrielem in eodem instanti, esse solidè dominum illius pomi sibi donati, cùm eius donationem acceptet. Ergo duo in solidum possunt esse eiusdem rei domini, eo tantùm discrimine, quòd vnus se exuat dominio, alter illud induat. De hominibus verò, res sole clarior est, id minimè fieri posse, cùm neq; vnum regnum duos reges, neq; vnus subditus duos dominos possit sustinere. Et profectò quotusquisq; est Regum, qui suis se regijs insignibus, solio, coronâ, sceptro priuari patiatur. Nam & Pharao ob somnij interpretationem, regni quidem sui administrationem Iosepho commisit, sed ius, & dominium penes se retinuit, vt testatur Sacra pagina Gen. 41. *Fecitq; eum ascendere supra currum suum secundum.* Et Assuerus pro fideli obsequio Mardochæum præmiaturus, equo & stolâ eum donauit, sed diadema sibi retinuit Ester 6. *Dixitq; Rex; festina, & sumptâ stolâ, & equo, fac vt locutus es Mardochæo.* Vbi diadema donare noluit, ne se regio honore abdicare videretur. sibique parem dominum haberet, vt rectè Lyranus notat. *De Diademate*, inquit, *regio tacuit: quia non videbatur sibi conuenienter dictum, quòd alius à Rege portaret Diadema regium.* Quod pulchre mihi videtur significasse Dauid, qui in singulare certamen cum gigante descensurus: *tulit baculum quem semper in manibus habebat, & fundam.* 1. Reg. 17. Cùm tamen baculus foret impedimento ad rotandam fundam, ad iaciendum lapidem, ad feriendum hostem. Nihilominus duplici vt video de causa secum baculum tulit, vna literali: vt bellico vteretur stratagemate, ostentans baculum, & occultans fundam: vt cùm Philisthæus à solo baculi ictu sibi præcaueret, subitò lapidis iactu improuidus quateretur. Alterâ mysticâ: quia Dauid de pastore Rex futurus, suo baculo pastoritio regium sceptrum designabat. Adumbrabat igitur Reges, qui suis sceptris ita mordicùs adhærent, ita tenaciter affiguntur, vt malint cum eis perire; quam sine illis seruari. Sic docet S. Ambrosius lib. 5. de Hexaem. c. 15. *Quem*, ait, *inuenies hominum, qui sponte deponat imperium, & Ducatus sui cedat insigne, fiatq; volens numero postremus, ex primo.* Maxima difficultas est, an Deus, & homo, possint simul verum dominium habere in eandem rem, propterea, quòd solus Deus verè ac propriè Dominus sit, & nuncupetur vniuersorum, homo verò bonorum temporalium nonnisi colonus, iuxta illud Dei Præceptum ad populum Israëlitieum Leuit. 15. *Terra*, inquit, *non vendetur in perpetuum, quia mea est: & vos aduenæ & coloni mei estis.* Proinde dominium nullatenus videtur homini competere posse, vt subtiliter in eundem locum discurrit Philo Hebræus lib. de Cherubim prope finem. *Manifestissimè*, inquit, *docet, ius possessionis omnium rerum pertinere ad Deum, vsum verò solùm ad creaturam. Nihil in perpetuum*

A
B
C
D

Infer homines duo simul eiusdem rei, veri Domini esse non possunt.

Gen. 41.

Esther 6.

Lyranus.

1. Reg. 17.

S. Ambro. lib de Hexaem. capite 15.

Leuit. 15.

Philo Hebræus lib. de Cherubim.

cuiquam creaturæ venditur, quandoquidem vnus est Dominus, totius creaturæ possessor proprius ac perpetuus. Nihilominus dominatũ sibi soli proprium, voluit Deus diuidere cum homine, Psal. 104. constituens eum, *Dominum domûs suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Psalmo 104. Vt cùm Deus sit Dominus vniuersalis cuiuslibet rei, homo quoq; simul esset Dominus eiusdem particularis, habens dominium subordinatum dominio ipsius. Quod in Diuo Antonio vobis demonstrabo, dùm eum Pro-regem Dei producam, eiusq; vim ac dominatum, ne totius quidem orbis amplexu contineri posse.

Duplicem esse mundum ingeniosa antiquitas ostendit, depingens Iouem, duplicem mundum gestantem manibus, vnum aureum, alterum ferreum: affirmans, quòd singuli hominum indispensabiliter vtroque frui deberent, hoc modo, vt quicunq; in hac vita aureo gauderet, in futura ferreum experiri cogeretur: & è contra, qui hic ferreum haberet, postmodùm haud dubiè aureo potiretur. Ad quod alluſit Seneca Romanus lib. de Prouidentia inquiens: Seneca Romanus. *Hos itaq; Deus, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. Erratis enim, si quem iudicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem sua portio.* Quod adhuc magis illustrat S. Chrysosthomus: S. Chryso. *Non est*, inquit, *corona sine certamine, æstas sine hyeme, messis sine labore, regnum Christi sine cruce.* Quasi diceret: Non concidas animo Catholice, si te grauissima mala vndiq; premunt, si belli furor in tuas fortunas penitùs delendas excandescit; si gladius hostilis te ad extremam pauperiem reducit: si demùm tyranni truculentia in vitam tuam sæuit. *Quia nihil perdis, sed tantùm reddis*, quod tibi ad breuem vsum commodatum acceperas. Imò certum hinc conijce documentum, te per temporaneas istas calamitates, progredi ad felicitatem æternam: quem enim Deus hîc castigat, hunc in æternum amat; cui præsens mundus ferreum se præbet, huic æternitas aureum parat, sed qui hîc omnia felicia experitur, nihil amari sentit, dubio procul in altero sæculo, cuncta ferrea pati debebit. Quia sicut non datur æstas sine hyeme præcedente, nec messis sine labore peracto: ita non datur corona sine præuio certamine, non confert Deus beneficia sine præstitis obsequijs, & nemo consequitur regnum Christi sine cruce, gloriam sine tribulatione, honorem sine opprobrio. Aureum ego mundum Catholici, felicissimam illam cælestem patriam intelligo, vbi pax summa, & tranquillitas æterna; ferreum verò præsentem vitam, vicissitudini perpetuæ obnoxiam. vtriusq; huius mundi gubernationem, soli Deo attribuit Propheta Psal. 23. *Meus est*, inquit, Psal. 23. *orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Verum quia Saluator noster transtulit se in dexteram Patris, & licet dominium altum in omnes res huius mundi temporales retineat, quod ipsi competit excellenter ratione vnionis Hypostaticæ, vt illo vtatur in bonum commune Reipublicæ suæ; dominium tamen bassum, seu priuatum, seruiens vtilitatibus priuatis recusauit, vt nos ad suam paupertatem, quam inter nos degens coluit, attraheret. ideo hoc dominium transtulit in B. Antonium, vt ipse tanquàm Pro-rex mundum hunc inferiorem regeret. Et quia mundus hic inferior teste Philosopho constat ex quatuor elementis, terrâ, aquâ, aëre, & igne. Vbi terræ moles, pro aliorum corporum amplexu circum se fundentium inclusa, velut punctum acutissimam oculorum aciem effugiens videtur: hanc superincumbentium aquarum vastitas, capaciori ambitu constringit: æqualiter effusum, mare superior aëris sphæra sinu multis partibus amplior circumscribit: aërem latissimè commeantem, tandem illa flammarum regio, nullis penè terminis angustata continet, & cõercet. His

Mundus alius aureus alius ferreus.

Christus dominio priuato supra mundum renuntiauit.

omni-

S. Antonio quatuor mundi elementis dominatur.

omnibus dominatur D. Antonius: terram enim quacunq; patet, premit imperio: maris nullius iugum patientis, contundit iras: aërem licenter euagantem, nutu regit: ignis edacitatem, ne omnia pariter deuoret, compescit: & quidquid infra lunam est, supercilio moderatur.

Rem per singula luculenter declaro, & vt altè repetam à summo orbis fastigio, attendite, quomodò ignem voracissimæ naturæ belluam, virtus D. Antonij frænauit. Tàm potens erat D. Antonius in prædicatione verbi diuini, vt obstinatissimos quosq; ad pœnitentiam prouocaret, vt de illo refert Truxillo ex Seraphici ordinis annalibus. *Inter prædicandum*, inquit, *audisses ibi gemitus & suspiria audientium propter peccata commissa, dicentiumq; inter se: ô si nunquam Deum offendissemus! ô si tempus concedatur ad agendam pœnitentiam pro commissis sceleribus nostris! Alius dicebat: statim me confero ante pedes Sacerdotis, vt confitear peccata mea. Alius emendationem vitæ suæ in melius pollicebatur: Alius clariora opera, quàm antea operabatur. Cùm prædicasset Quadragesimam Patauij, multi nocte ipsa coniungebantur, atq; in processione quadam se grauiter verberabant. Vnde consuetudo illa peruasit non solùm per eam ciuitatem, verùm etiam per alias, vt in hebdomade Sancta fierent congregationes disciplinatorum.* Imò etiam Hæreticorum rebellium planè, & obduratorum corda penetrabat Antonij prædicatio, & conuersionem in illis operabatur. Addit idem Truxillo. *Peruenit Antonius ad Ariminensem ciuitatem, vbi erant multi Hæretici, quos vehementissimè prædicatione persecutus est, & lacerauit atq; prostrauit, multosq; ad Christi fidem conuertit, & præsertim Hæresiarcham quendam Banobillum, qui triginta annis perstiterat in suis erroribus, & alios induxerat, ad fidem reduxit.* Audijt hæc non sine animi voluptate honestissima quædam fœmina, & pia quadam religione in Antonium non vulgariter affecta, concionantem auditura proficiscitur, filio, quem vnicum lactabat, inter ædem præcluso, non sub alterius tutela; quàm Antonij, cuius operam omnibus auxiliariam, credebat sibi quoq; minimè defuturam. Et ecce casu accenso foco, pendebat desuper ahenum, in quod infantulus, dùm improuidè huc atq; illuc repit, præcipitem se agit, ita vt foras se proripere neq; sciret, neque posset. Quid contigisse censetis? vigebat ignis, flamma exultabat, bullabat aqua in lebete, feruescebat, æstuabat: puellus (ô rem ad omnium sæculorum memoriam prædicandã!) quasi lauatum ad balnea veniret, aut animi gratiâ in hypocaustis desudaret; inter ebullientis calidæ scatebras festiuiter colludebat. En dominatum Antonij supra ignis potentiam & actiuitatem, qui flammarum ignes consopiuit, ne infantem suo præsidio commissum abolerent.

Truxillo ex Seraphici Ordinis Annalibus.

S. Antonio maximos peccatores sua prædicatione ad pœnitentiã flexit.

Idem.

S. Antonio Hæreticos ad veram fidem conuertit.

S. Antonio infantem in aheno feruenti inter medias flammas seruauit.

Ignis Catholici mei, implacabilis Dei furoris indicium est, iuxta Sapientis consilium Eccl. 39. *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt.* Sic quondam Dominus pluit sulphur & ignem de cælo supra quinque ciuitates, Gomorrham, Sodomam, Adamam, Seboim, & Segol, easque subuertit detestabili peccato fœtentes Gen. 19. *Igitur pluit Dominus sulphur, & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Vbi Auctor huius pœnæ dicitur fuisse, non Angelus, non diabolus, non homo, vt sæpè alias fiebat, sed *Dominus à Domino*: quia vt obseruat Innocentius III. lib. de contemptu sæculi c. 15. *Noluit Dominus cuiquam Angelorum, vel hominum executionem huius pœnæ committere, sed sibimet ipsi vindictam huius sceleris reseruauit*: secundùm illud: *Mea est vltio, & ego retribuam.* Deuteron. 32. *Et ideo pluit Dominus à Domino: videlicet; à seipso, non imbrem, vel rorem; sed sulphur & ignem: sulphur supra fœtorem luxuriæ, ignem supra ardorem libidinis, quatenus pœna similis esset culpæ, nec mississe dicitur, sed pluisse: quatenus ipso verbo magnitudinem & abun-*

Eccl. 39.

Ignis, diuini furoris signum.

Gen. 19.

Innocentius III. lib. de contemptu mundi.

Deut. 32.

abundantiam pœnæ notaret. Imò noluit Deus, vt tàm inuisum scelus ab aliquo etiam punituro viseretur, ne forte vel ipso aspectu Angelus, aut homo, si vltores essent, quodammodò inficerentur. Insurrexerant contra Moysen, Core filius Isachar, & cum eo 250. viri proceres Synagogæ, & ecce pro tanto peccato, igne Domini absumpti sunt Deutor. 16. *Et ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros.* Murmurauit multitudo filiorum Israël contra eundem Moysen, & Aaron, & mox incendio extincti sunt: *Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti.* Nadab & Abiu, filij Aaronis offerentes ignem alienum coram Domino, deuorati sunt ab igne cælesti. Leuit. 10. *Egressusq; ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Hæc pœna Catholici mei venit super nos, obruimur perpetuis incendijs, ignis iræ Dei omnia vastat. Psal. 17. *Ignis à facie eius exarsit, & carbones succensi sunt ab eo.* Redactæ sunt ditiones tuæ ô afflicta Patria, in carbones, in fauillas, in cineres: & quare? quia diuina Præcepta susq; deq; euertisti. Præcepit tibi Deus, ne adulterijs thorum alienum maculares, sed quia transgressa es Dei mandatum, ecce ignis in vindictam tuæ impietatis exarsit à facie Domini. Leu. 20. *Si Mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur Mœchus, & adultera.* Præcepit tibi Deus, vt peccatum bestialitatis cane peius & angue detestareris: sed quia cum bestijs commisceri iam non erubuisti, ecce ignis à facie Domini exarsit, qui te in tantis facinoribus obrueret. Ibid. *Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoq; occidite.* Præcepit tibi Deus, ne sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, post carnem abires, sed quia tanquàm sus in luto; ita tu perpetuò in libidine volutabaris, ecce ignis à facie Domini exarsit, qui te exureret. Hanc enim pœnam statuit Deus Leuit. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* Leuit. 20.

Sic præclarè argumentatur D. Anastasius q. 8. in Sacram scripturam de Sodomitis loquens: *Si,* inquit, *illi qui legem non didicerant, neq; Prophetas legerant, propter execrandam illam operationem, consumpti sunt à sulphure, quantò nos maiori digni sumus supplicio, qui legem, & prophetas, & Apostolos assiduè legimus, & deteriora facimus.* D. Anastasius q. 8.

Quod magis adhuc exaggerat Damianus opsc. 7. inquiens: *Maior effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum; quia vnusquisq; nunc tantò deteriùs delinquit, quantò & ipsa Euangelica gratia mandata contemnit.* Petrus Damianus.

Ardes ô afflicta Patria igne, qui à facie Domini exarsit: quia abijsti in via Core, dùm contra vnctum Domini, quem tibi suprema illa maiestas dominari voluit, contra Regem tuum insurgere non erubuisti: dùm contra filios Aaron, contra tuos Pastores, Christos Domini, Sacerdotes tuos, blasphemo ore murmurare ausa es, quos reuereri semper debueras: dùm contra Ecclesiam sanctam iurisdictionē tibi vsurpare præsumpsisti, nec decimas, nec census, nec cætera pia legata persoluendo; cùm tamen iure Diuino ad id grauissimè obligeris: ideo *exarsit ignis à facie Domini, & carbones succensi sunt ab eo.* Quo ergo remedio contra tam vehemens incendium vti debeas, considera. Ferunt Naturalistæ, quòd sanguis Salamandræ, si quis eo corpus suum illiniat, ab igne immunem faciat. Sed hoc contra ignem Diuini furoris minimè prodest, cùm is sulphureus sit. Pierius lib. 16. Hieroglyph. cap. 25. affirmat, oblitam alumine materiam succendi non posse: sed neq; hoc modo incendium effugies: quia ignis à facie Domini excandescens, etiam ossium medullas penetrat. Vnum tibi remedium propono, merita Diui Antonij, qui te ex grauissimis ardoribus liberare poterit; quia illi data est potestas supra indomitam

Peccata contra Reges à subditis commissa Deus grauissimè punit.

Sanguis Salamandræ ab ignis vstione præseruat.

Pierius lib. 16.

ignis

ignis actiuitatem, vt illam cõerceat.

Sed qui ignem subegit omnia voraciter helluantem, attendite quomodò etiam de finitima àëris Regione victor Antonius triumphauit. In æquata apertaq; planitie, quò magna multitudo hominum confluxerat, zelosè Diuinum verbum prædicabat Antonius: vbi illâ suâ feruenti doctrinâ, eò iam omnium animos impulerat, vt rebus humanis valere iussis, vitam & mores ex virtutis præscripto conformarent. Et ecce tibi, casune, an tartarei hostis maleuolentiâ? incertum, densissimæ nubes totum cælum obduxerunt, & diem prorsus mutantes in noctem, Cimerias tenebras sparsère. Insuper repentino tonitru fragor nubium concitari, exprimi ignium ardores, ventorum furiæ debacchari, aquarum demùm tanta copia pluere cæpit, quanta maior nec in sublime cogi, nec in terras effundi posse crederetur. Auditor intempestiua territus tempestate discessum meditabatur, hac illac diuersus abire parabat, & in fugam se se conijcere ipsâ pluuiâ fusiorem. Quid hic ageret, imò quid non ageret D. Antonius? pedem loco mouere omnibus interdixit. *Absit*, inquiens; *nemo hinc se auferat, vestigio omnes hæreant in eodem, cæteras res posteriores ponite, meam in dictionem aures intendite: haud dubium, quin vobis à cælo clementiùs, quàm putatis consulatur.* Rem stupendam! procella sæuiebat magis, multiplicabantur fulgura, tonitrua exaudiebantur, tumultuabantur turbines, nimbi in singula momenta longiores effundebantur; locus tamen, qui prædicantem Antonium, & multitudinem illam populi ambiebat, halcyonea tranquillitate fruebatur. En quomodò ipsi quoq; àëris tractus, Antonij non viribus, sed verbis studiosissimè obsequantur, & quem ille postulat, officiosissimè præstant famulatum. Equidem imperium hoc, non humani iuris, sed diuini est: Nam ex hoc, miraculo Christi Diuinitas mundo innotuit, iuxta illud Euangelistæ: *Quis est hic, cui etiam mare & venti obediunt.*

Imperium S. Antonij supra àërem.

Prædicante S. Antonio multitudini hominum eũ audientiũ vehemens tempestas nihil nocuit.

Controuertunt Philosophi æquè ingeniosè atq; subtiliter. An vnum corpus possit esse in pluribus locis simul. Et quidem naturaliter id fieri non posse, res est manifesta: quia corpora quanta habent limitatam locabilitatem, proinde non possunt naturaliter esse nisi in vno loco. De potentia diuina & supernaturali, solùm est dissensio inter DD. Et imprimis S. Thomas etiam diuinitùs negat id possibile esse. Fundamentum eius præcipuum hoc est: quia locus circumscriptiuus, cùm sit adæquatus locato, vndequaq; illud comprehendit. Ergo implicat locatum esse extra talem locum simul in alio. Antecedens est sole clarius. Consequentia non operosè deducitur: quia si locatum comprehensum ab vno loco circumscriptiuè, posset esse extra illum simul in alio, sequeretur talem locum esse adæquatum, & non esse adæquatum, quod contradictionem inuoluit: esset quippè adæquatus ex suppositione; non esset autem; quia extra illum totum locatum poneretur. Ergo implicat locatum comprehensum ab vno loco circumscriptiuè, posse esse simul in alio. At verò subtilis Doctor in 4. Dist. 10. q. 3. constanter asserit, vnum corpus supernaturaliter posse poni in duobus, aut pluribus locis etiam circumscriptiuè, ac commensuratiuè. Ratio illius fundamentalis: quia potest Deus corpus hîc annihilatum, reproducere alibi circumscriptiuè. Ergo etiam illo adhuc existente, potest: non enim impeditur per esse hîc illius corporis, quominùs ibi faciat, quod aliàs ibi facere potest. Fateor vtriq; palmam esse tribuendam: ambo enim sunt Arcades. Cæterùm hodiernum D. Antonij miraculum mouet me, ad assentiendum potiùs Scoto; quam D. Thomæ. Quomodò enim D. Antonius illas vehementes àëris commotiones sedasset, nisi in terris prædicando verbum Dei, virtus illius sanctitatis, per àëris regiones ad cælum eleuaretur, siquidem agens creatum nullatenus in distans potest

S. Thomas.

Scotus.

S. Antonius dum in terra prædicaret, simul in aëre mira operabatur.

operari, nisi passum contingat. Nam & Redemptor noster, vt aëreas potestates debellaret, quæ homini ad cælum viam præcludebant, voluit in cruce sursùm eleuari: *Ego*, inquit, *si exaltatus fuero, omnia trahàm ad meipsum.* Et Elias vt cælum tribus annis clausum reseraret, montem oraturus ascendit, vtq; aërem vitæ suæ diuturnæ fauentem redderet, curru igneo, per aëra raptus est. Proinde & Diuus Antonius, quem in terris concionantem populus auidissimè audiebat, virtute Diuinâ in aërem simul eleuatus, aëreas potestates, illas cælorum iniurias causantes profligabat, vt ad cuius sermonem populus in terris fiebat melior, aër quoq; simul ad eius imperium, tranquillus & serenus redderetur, agnoscens, quòd Deus ad sui iuris consortium eum coopta sset.

Iam ab aëre, ad elementum aquę descendamus. Quando Deus primum hominem Proregem totius vniuersi constituebat, hanc illi specialem potestatem contulerat, vt voci eius etiam pisces maris obedirent. *Replete*, inquit, *terram, & subijcite eam, & dominabimini piscibus maris.* Propterea, quòd cum piscis ex omnibus animalibus sit maximè intractabilis: nulla quippe humana arte placari, & mansuefieri potest, ex dominio supra pisces virtus & potestas Diuina facilè deprehendatur, iuxta illud Eccles. 43. *In sermone eius siluit ventus, & cogitatione sua placauit abyssum.* Hinc iam reflectite vestros animos in D. Antonium, quomodò ille piscibus maris dominabatur. Consederat aliquando hic cælestis doctrinæ præco singularis propè littus, vbi mare multiplici vndarum collisione efferuescebat, cùmq; plebem duro & immiti ingenio ad pietatem non satis emolliret, suam aliorsùm conuertit dictionem. Pisces, qui soli nesciunt inter animantes mansuescere, euocauit in littus, ad colloquium inuitans, & adhortans, vt rebus diuinis audiendis suam operam commendarent. Quis crederet aliquem ita dicendo valiturum, vt tàm rudes audi-

Piscis ex omnibus animalib⁹ maximè intractabilis.

Eccl. 53.

A tores erudiret, tàm indociles edoceret, tàm inexorabiles exoraret. Et ecce omnis subitò maris tumor sese frangit, molliter crispantur vndæ, placido æstu ripæ alluuntur; pisces ex abditissimis specubus, in quos eos natura detrusit, & compegit, foras emicant, in sum̃a aqua gregatim enatantes confertissimè densantur; suis quiq; ordinibus, vt maiores, aut minores erant, potiuntur; omnes in dicentem intendunt oculos, perpurgant aures, fauent, applaudunt, gesticulantur. Tandem fausta cum prece abire iussi, colla submittunt, pinnas explicant, hilaritudinem ostentant, obsequium pro anathemate rependunt. Deniq́ue ex conspectu moderatoris sui sensim abducuntur, manifestarijs indicijs testati, se in posterum vel minima voce euocatos tanti oratoris, vel potiùs Imperatoris iussu affuturos. Ecquid maius? ecquid glorioſius fingi poterat? considerate, si cui aliquando Duci, obæratos famulorum greges, tàm peramanter obsecutos inuenietis; quàm liberaliter D. Antonio indomitæ, & effrenes belluæ ancillabantur.

Pisces Antonium prædicantem audiuerunt.

Aqua ex omnibus elementis ad obediendũ Deo promptior.

Sciscitemini obsecro causam, quare D. Antonio ad littora maris prædicanti potiùs pisces in aquis natantes; quàm homines in terra sedentes obediuerint? Credo, non aliam inuenietis, nisi quia aqua ex omnibus elementis Deo summè obediens extitit: dùm enim aquæ post suam creationem, totam terræ superficiem occuparent, ita vt nihil illius B appareret, imperauit illis Deus, vt cederent loco suo, & terræ etiam suum relinquerent, subitò paruerunt illæ, & exactissimè iussis Domini obtemperarunt. Gen. 1. *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, & appareat arida, & factum est ita.* Vbi Oleaster super hunc locum ita moralisat: *cesserunt aquæ suo loco, vt terra posset fructificare, tibi verò non præcipitur tuum locum relinquere, sed alienum non occupare.* Ideo etiam pisces, quia naturam aquæ imitantur, facilè Deo obediunt, & ad nutum seruorum eius parent.

Gen. 1.

Oleaster.

C At ve-

At verò terra semper fuit Deo rebellis: creauit illam Deus, vt parturiret fructus dulces; *germinet terra herbam virentem.* Gen. 1. & ecce sentibus & spinis referta apparuit: Gen. 3. *Spinas & tribulos germinabit tibi*: ideo & homo: quia de terra suum principium trahit, Deo se rebellem per peccata sua exhibet. Atque hæc est causa, cur Deus post peccatum Adæ, maledixit terræ, & non maledixit aquæ, Gen. 4. *Maledicta terra in opere tuo*: quia aquâ tanquàm sibi obediente vsurus erat, ad delendum peccatum, non terrâ. vt docet S. Augustinus lib. 1. de mirabilibus scripturæ cap. 4. *Aquis*, ait, *à maledicto Ade Deus pepercit, quia per aquam diluere maledictionem parauerat, quod in diluuio est factum, & nunc per baptismum indulgetur.* Quod comprobat doctissimus Alcuinus supra caput 3. Geneseos inquiens: *Terra maledicitur, non aquis: quia homo de fructu terræ contra vetitum manducauit, non de aquis bibit, & in aquis erat peccatum abluendum, de fructu terræ contractum.* Reflectite iam animos supra vosmetipsos Catholici; hucusq; terræ affixi, hoc est; prauæ consuetudini & iniquitati, tanquàm saxa immobilia, minimè ad vocem Dei, ad concionatorum exhortationes, grauissimas Ecclesiæ sanctæ obiurgationes, quæ vos materno affectu, à turpitudine peccatorum retrahebat, flecti potuistis? quia obstinatio peccati reddit cor impœnitens peccatoris. Sed ecce D. Antonius ad littora conscientiarum vestrarum hodie considet, vt aquas pœnitentiæ de saxeo corde educat. Quare ne abutimini tanto Dei beneficio, sed erubescite iam in conspectu Dei de commissis vitijs, redeat mens errabunda ad fontem aquarum viuentium, conteratur anima multitudine peccatorum obruta, & in lachrymas pœnitentiæ liquefacta, in illis, tanquàm in balneo natet, donec penitùs, abluta & emundata, puro & contrito corde, in conspectum Dei prodeat.

Agite tandem, & ipsius terræ summam in D. Antonium obseruantiam, & studiosam seruitutem contemplemini. Non commemorabo hîc, qua facilitate D. Antonius steriles, & emaciatos agros fæcundaret, mutantis ac desidentis terræ labes coërceret; solidos montes in immensum supercilium fastigiatos, imis quateret fundamentis; terram deniq; totam suis libratam ponderibus, suis nutibus ad infimum adhærescentem, media orbis sede, si opus esset amoliretur. Vnum illud mirari satis nequeo, mortuos, quibus terra suo iure dominatur, ab eiusdem faucibus erepros, & in vitales auras, vnius Antonij imperio restitutos. Subiacebat necis periculo Pater D. Antonij, ob falsi criminis sibi impositionem. Peruenit D. Antonius in Patrian, alloquitur Iudices, mortuus iubente Diuo in medium educitur, & interrogatur: *Num à meo occisus es Parente? qui respondit se non fuisse occisum ab eo, sed potiùs eum fuisse falsò accusatum.* Audiuit D. Antonius, quendam è ciuibus Patauinis sibi confitentem, quòd calcem impegisset matri suæ. Reprehendit eum grauissimè vir Deo plenus, asserens pedem, qui tale scelus commisit, mereri, vt abscindatur. Ex illa D. reprehensione tanto dolore ille pœnitens erat permotus, vt domum rediens sibi statim pedem præscinderet. Sed vbi hoc D. Antonius inaudiuit, facta ardenti oratione ad Deum, pedem illi restituit, & ad sanitatem reduxit. Ait enim Truxillo: *Quod factum innotuit Antonio, qui iussit ad se adduci virum, & ei pedem facto cruce signo restituit.* Et vnde quæso tanta potestas D. Antonio, vt terrarum molem ita versaret, vt intus pariter ac foris imperaret, vt aheneos inferorum obices infringeret, mortuos resuscitando, & claudis gressum restituendo? Non aliunde Catholici mei, nisi quia fuit verus Prorex Dei, vt diuina peteſtate sibi communicata quicquid vellet, in terris operaretur. Hinc enim colligunt DD. Beatis Apostolis fuisse cõmunicatam virtutem miraculorum operatricem: *predicabant,*

Gen. 1. Gen. 3. Gen. 4. S. August. Alcuinus. Deus cur non aquæ sed terræ maledixit.

Terra obediebat S. Antonio.

S. Antonius mortuum resuscitauit ad perhibendum testimonium.

S. Antonius pedem abscissum suo pœnitenti restituit.

Truxillo.

bant, ait Scriptura, *vbiq; Deo cooperante, & comprobante veritatem sequentibus signis.* Quia ergo D. Antonius erat sumè conglutinatus Deo, ideo non erat mirũ, quòd tàm stupenda miracula patrare valeret. Quomodò enim ille non plenus Deo vbiq; extitit, cui in terris viuenti Christus sub specie puerili voluit præsentari, teste Truxillo. *Neq; etiam*, inquit, *Antonius propter tantam propter proximos occupationem, cessabat à meditatione & oratione: sed potiùs crebro colloquebatur cum Christo, adeò vt sæpe ei apparuerit, & cum eo collocutus fuerit, in forma formosissimi cuiusdam pueri.* Sub forma pueri ostentatur Iesvs D. Antonio, vt suum erga illum dulciorem affectum ostenderet. Quid ergo manus D. Antonij efficere non poterat, quæ Iesvm Auctorem miraculorum gestabat.

Idem.

Christus sub specie pueri frequenter S. Antonio apparuit.

Antiqui illi Heroës, dominationis suæ regiones sortiti, certis terminis claudebantur, vltra quos non licebat euagari. Daniel Babylonicæ fornacis incendium ita compressit, ita sepeliuit, vt flamma innocuo lapsu circa humeros, circa pedes ambulantis funderetur. Dan. 3. Elias ita cæli plagas in ius suum vendicauit, vt illius ad arbitrium modò cælum vernare, modò hyemare videretur. Moyses Erythræum mare ita subegit, vt cedentibus vtrinq; fluctibus, facilem sibi viam in vlteriorem ripam aperiret. Exodi 14. Saul tantum habuit in terram dominatum, vt vel è penitissimis illius visceribus Samuelis animam in apertam lucem euocaret. At verò Diuus Antonius terræ, mari, cælo, igni dominatus, omnium imperium suo hausit imperio, omnium potestatem, sua potestate superauit. Causa est Catholici: quia illum Proregem suum totius mundi omnium nationum, gentium, populorum, Deus esse voluit. Colligo hoc manifestè ex Scriptura Sacra. Minatus olim Deus mundo per Prophetam Zachariam grauissima supplicia, & pœnas iustè pro peccatis, & sceleribus perpetratis promeritas, asseuerabat se non parcitu-

Deus suis Sanctis limitatam potestatẽ confert.

Exodi 14.

A rum, aut condonaturum peccatoribus inhabitantibus terram, & protinùs recensens supplicia à se inferenda subiungit. Zachariæ 11. *Ego*, inquit, *non parcam vltra super habitantes terram, dicit Dominus; & pascam pecus occisionis, propter hoc ô pauperes gregis.* Quasi diceret: sed ego vestri causà, ô pauperes; pascam pecus & oues occisioni dedicatas, vt viuant, & incolumes seruentur. Moxque in eodem loco concludit Deus. *Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui de-* B *corem, alteram vocaui funiculum, & paui gregem.* Et vbi obsecro istæ duæ virgæ simul inueniri possunt, nisi in Religiosissimo Ordine D. Francisci, vbi floret virga insignis sanctitatis: quia cum suo Patre Francisco omnes, in cælestes Seraphinos transmutati, vitam non humanam, sed diuinam prorsus agere videntur. Floret in hoc Sacro Ordine virga summæ austeritatis: vbi enim frequentiores disciplinæ, vbi strictiora ieiunia, vbi frequentiores lucubrationes, quã C hic? dùm omnes ductu sui Patris Francisci, nimio Dei amori immersi, die ac nocte in diuinis Canticis, in cælestibus contemplationibus, ad Sacra altaria, ad diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum prostrati conspiciuntur. Floret in hoc Sacro Ordine virga eximiæ paupertatis, vt nisi diuina prouidentia, velut alteri quondam Heliæ, & Paulo in eremo latitantibus, cibum suppeditaret, famem pro amore Iesv libenter pati, parati sint. Floret in hoc Sacro Ordine vir- D ga eminentissimæ doctrinæ, vbi quot iubilati lectores, tot Scoti subtiles, & Seraphici Doctores. Ex hoc religiosissimo Ordine quatuor virgas assumpserat Deus, ad pascendam vniuersalem in toto mundo Ecclesiam, Nicolaum IV. Alexandrum V. Sixtum IV. Sixtum V. Ex hoc Religiosissimo Ordine assumpsit Deus columnas vltra 80. quibus suffulta Ecclesia firmiùs staret, quos inter Purpuratos Romæ Patres adnumerauit. Episcopos sine ordine, Scriptores in omni facultate celeberrimos, Alexandrum

Zachar. 11.

Ibidem.

S. Francisci Religionis ornamenta.

Ex Ordine Franciscanorum quatuor Summi Pontifices.

Cardinales vltra octuaginta, & Episcopi sine numero.

Scriptores omni facultate celeberrimi.

drum Alensem, Richardum, Ioannem Scotum, Aluarum Pelagium, Aureolum, Nicolaum Lyranum. Sic locum hunc Scripturæ exponit Ioachimus Abbas, relatus à Sancto Antonino Florentinorũ Episcopo. *Virgæ*, inquit, *sunt ordines mendicantium, virgæ rectæ sanctitate, exiles & graciles austeritate, percutientes doctrinæ authoritate.* Et paulò infra. *Funiculus*, inquit, *ordo minorum, quia funiculo manifestè cinguntur.* His ergo duabus virgis, Religione D. Francisci, & funiculo D. Antonij, pascere Deus voluit Ecclesiam sanctam, populum Christianum, vt incolumes seruentur.

Ioachi Abbas.

Idem.

Ergo diuinissime Antoni, qui totius orbis clauum moderaris, Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ ita prospicere velis, vt omnes Hæreticorum insultus longè abijcias, vt tuo dominatu, tanquàm virgâ ferreâ castigati, aut pertinaciam deponant, aut in sua obstinatione amplius non procedant. Populi Christiani patrocinium ne dimittas: fac ampliſſima imperia Catholica, ne vnquam ruant, diuini nominis gloria ne abolescat, pristinæ virtutis exempla ne vnquam dilabantur. Nostram verò Poloniam, in hisce grauissimis motibus ægram foue, iacentem suscipe, depositam consolare, ad aliquem felicem statum erige deploratam, vt ipsa in te felicitatis suæ fastigium collocatum esse fateatur.

DIE NATIVITATIS S. IOANNIS BAPTISTÆ, CONCIO PRIMA.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. *Matthæi 11.*

S. Ioannes Christum æmulatus est, in miraculosa conceptione, in natiuitate, in virtute, & in morte.



Bique virtus æmulum habet, sanctitas socium, perfectio imitatorem. Et in cælo enim virtutum omnium fons atq; origo, inaccessæ Deitatis maiestas, beatas illas Angelorum mentes potenter traxit, vt virtutem æmulati, Deo totis visceribus adhærerent. Et in terris mortales omnes itain ardua quæuis niti voluit virtus, vt non priùs quiescere velint, quàm in alicuius artis aut scientiæ perfectione comparata sistere videantur. Quid inter Prothogenem & Apellem, celeberrimos Antiquitatis pictores, illam excitauit æmulationem; vt cùm omninò sibi ignoti essent, & in remotis à se orbis partibus degerent; in mutuam tamen cognitionis & societatis necessitudinem venire cupierint. Sola certè perfectionis in arte pingendi præstantia? Hinc ferunt Historiæ, Prothogenem ingressum Apellis officinam, vt ipsum inuiseret: eo non offenso, lineæ subtilissimæ ab Apelle formatæ, aliam diuerso colore superinduxisse, & præcepisse domesticis Apellis, vt ei domum redeunti dicerent, ipsum quæri ab eo, qui hanc lineam suæ superimposuit. Reuersus breui post domum Apelles, & lineam intuitus; ex vngue (vt aiunt) statim leonem cognouit, & Prothogenis artificium illud esse dixit. Moxq; accepto penicillo laudis æmulus, lineam quam formauerat Prothogenes, tenuiore adhuc diuisit, non sine magno stupore astantium: cùm supra omnem

Inter Prothogenem & Apellem æmulatio.

artem videretur, posse aliam superimponi lineam, quàm quæ à Prothogene ducta fuerat. Par quoque erat inter Deum & Antiquitatis Philosophos æmulatio: qui cum summè à Deo distarent, in eius tamen notitiam venire nitebantur. Sed quia inciderant in absentiam Dei in orbe conuersantis, ducebant miro sapientiæ artificio lineam, effectus Dei repræsentantem, ex qua notitiam eius venarentur. Placuit omnipotenti Deo hæc industria, & conatus sapientum. Rediit ille postmodùm nouo Incarnationis modo in patriam domum, scilicet; mundi istius machinam, & subtiliorem huic lineæ, quæ plenius Deum monstraret, superimposuit: personam scilicet verbi æterni, naturæ humanæ tanquam crassiori lineæ. Quam certè Dei & mundi æmulationem, adumbrabat certamen illud inter Zeuxim & Parrhasium, egregios pingendi magistros. Plinius. Vbi refert Plinius, Zeuxim depinxisse puellum cum calatho vuis pleno, tàm admirandâ subtilitate, vt ad vuas carpendas, deceptæ nimiâ similitudine aues conuolarint. Laudatum erat ab omnibus Zeuxis acumen: tùm quòd vuarum similitudo aues attraxerit; tùm quòd pueri effigiem tàm artificiosè depinxisset, vt aues non absterruerit. Parrhasius. Sed non defuit tantæ laudis æmulator Parrhasius, qui tabulæ rasæ velum obduxit, cui aduenienti, & tabulam deferenti, ait Zeuxis: *Velamen amoue, vt tandem quam pinxisti figuram videam.* Cui Parrhasius: *victor*, inquit, *ego sum in certamine, mihi palma debetur: namsicut tua imago decepit volucres, mea tibi artis peritissimo imposuit.* Vuam delicatissimam fuisse incarnatum Dei Filium, ad quam depascendam totus conuolabat mundus, quis inficiabitur? sed illusus est in racemo humanitatis eius, adeò; vt propter morum & virtutum similitudinem, deflecteret ad B. Ioannem Baptistam, sciscitans Matt. 11. ex eo: *Tune es, qui venturus es, an alium expectamus.* Verùm vt hoc velamen amoueamus, natalem beatissimi præcursoris Christi celebrantes, vt mens nostra auida laudum & virtutis eius, satietur: certamen B. Ioannis Baptistæ cum Christo, & in supernaturali ac miraculosa conceptione, & in gaudiosa natiuitate, & in admirandâ puritate vitæ, prout Deus inspirauerit, diligenter considerabimus.

Triumphabat quondam Isaias, quòd eum Dominus ab vtero vocauerit in suum ministerium: *Dominus* Isaiæ 40. inquit, *ab vtero vocauit me.* Sed magis hodiè gloriari posset beatissimus Christi præcursor, qui in sublimi illa mente Dei (omnium quæ sunt & erunt archetypo, & exemplari rerum æterno) præuisus, & in præcursorem nascituro Dei Filio in terris electus, ad sterilem matris vterum vocatus est, vt prodigioso conceptu suo, cum incarnato Dei Filio, intra virginea latente adhuc viscera certaret. Certauit equidem feliciter, in admirationem totũ orbem rapiens. Nam si obstupuit vniuersa cœli & terræ creatura, cùm Christus Dominus Matre Virgine, naturâ mirante conciperetur. Attonita quoque, & in stuporem penitùs versa Iudææ montana hæserunt, cùm Zacharias & Elizabeth ætatis senectute grauidi, & procreandi liberos tempore florentissimo præterlapso, quandò iam de suscipiendâ sobole ipsa etiam vota eos deficerent: repromissione donati sunt, & annuntiante Archangelo Gabriele, nascituram Ioannem conceperunt. *Ne timeas*, inquit, *Zacharia, ecce exaudita est deprecatio tua,* Lucæ 1. *& vxor tua Elizabeth concipiet & pariet filium.* Quis hic non facilè intelligit, quòd Ioannem Zachariæ iustitia magis orando genuerit; quàm senectus Elizabeth procurando susceperit? Quis nõ agnoscit quòd Ioannem obsecratio potiùs creauerit, non voluptas? cùm enim vteri viscera materni, senectute iam frigescerent, & fessi corporis membra, omnem fœcunditatis gratiam perdidissent, contra impossibilitatem corporis, contra sterilitatem viscerum, Zachariæ precibus Elizabeth vterus intumuit, & conce-

concepit Ioannem, non naturâ; sed gratiâ.

Certauit proindè beatissimus præcursor in suo conceptu, cum Christo Domino: vt quemadmodùm Virginem Sanctissimam sine viro concipere, superueniente Spiritu S. impossibile non erat, asserente id Dei propheta: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Sic planè sterilem Elizabetham concipere impossibile non esset, diuinâ opitulante gratiâ, prædicente hoc ipsum eodem vate. *Hic mensis*, inquit, *sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit apud Deum impossibile omne verbum.*

Isaiæ 9.

Lucæ 1.

Quærunt hîc Doctores, cur Beata Virgo conceptum in vtero gestans Saluatorem, perrexerit in montana, vt grauidam inuiseret Elizabetham, Causàm humanitatis exhibendæ concedunt aliqui: cùm enim Elizabeth. cognata esset Sanctissimæ Genitrici, propterea inquiunt secesserat in montana, vt tanquàm iunior seniori ministraret in partu. Sed diuino forsan afflata spiritu, genuinam rationem ipsamet Elizabeth aperuit, aduenienti Dei Matri respondens: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Quasi diceret: agnouit præcursor suum Dominum, in tuo quoq; latentem vtero: ideoq; non contentus iam suâ matre naturali, nouam sibi quærit matrem, & de tua maternitate certat cum incorporato Christo. Vt quemadmodùm ille tuus naturalis est Filius; sic Ioannes spiritualis fiat: dùm mediante tuâ salutatione, tanquàm diuinæ virtutis instrumento, in filium Dei adoptiuum regeneratur. Causa igitur Virginis in montana abeuntis fuit, Ioannis sanctificatio. Quod non sine diuino impulsu factum est: cùm enim Christus Dominus diuinâ electione, prædestinatus esset in humani generis Saluatorem, in domum Zachariæ à matre duci voluit, vt Ioannem sanctificans, & a peccato originali liberans, possessionem muneris Saluatoris caperet. Et hoc erat Christo maximum in Ioannem incentiuum amoris. Nam sicuti Rex Assuerus maiori prosecutus est amore ciuitatem Susan, quàm reliquas suo subactas imperio; quia initium fuit regni, quod possidebat. Et sicut Rex Dauid ardentissimè amabat ciuitatem Sion, per excellentiam vocans illam vrbem suam, quòd illa prima fuerit inter omnes ab eo expugnatas. Sic planè quia Ioannes Baptista fuit prima ciuitas, quam Chtistus Dominus adhuc in virgineo latens vtero expugnauerat, & in quâ omnipotentem suam saluos faciendi ostendit virtutem, singulari amore illum prosecutus est. Vndè velut torrens inundans cœlestibus charismatibus eum impleuit, iuxta illud sacri Euangelistæ: *Replebitur Spiritu Sancto adhuc in vtero matris suæ.* Sed crediderim ego visitationis illius causam fuisse ex parte Christi Domini, similitudinem magnam atq; singularem quandam sympathiã, quæ inter Christum Dominum, & S. Ioannem reperiebatur. Siquidem experientiã satis comprobatum est illud prouerbium: *similis similem quærit.* Quid enim Achillis animum compulit ad quærendum Hectorem? Quid Prothogenem mouit, vt Apellem videndi desiderio summo arderet? Quid Platoni, Pythagoræ & Apollini efficaciter suasit, longissima confiecre itinera, ad consulendum Architam, & Hiarcham, celebres Philosophos, qua de re testis est luculentissimus D. Hieronymus, epistolâ ad Paulinũ. Profectò nihil aliud; quàm mira sympathia Achillis & Hectoris in re militari; cùm ambo essent belli gerendi peritissimi Duces. Prothogenis & Apellis in arte pingendi: quòd non haberet Antiquitas, qui illis, penicillum subtiliùs moueret. Platonis demùm & Architæ, in arcanis Philosophiæ percallendis: quòd nemo esset, qui illis abdita scientiarum profundiùs scrutaretur. Futura quoque similitudo, & æmulatio inter Ioannem & Christum Dominum ab illo prænognita, causa extitit, ob quam latens adhuc in vtero Virginis Saluator, Io-

Lucæ 1.

S. Hieron.

Mediante B. Virginis Salutatione S. Ioannes à peccato originali liberatus est.

tor, Ioannem quæritare & inuisere voluerit.

Hanc autem similitudinem non vulgarem, sed eximiam inter hosce sacros infantes exstitisse, documenta Scripturæ sacræ manifestè comprobant. Vtriusq; enim aduentum vaticinia prophetarum prædixêre? Christi quidem Domini Isaias dicens: *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Isaiæ 9. Sancti verò Ioannis Baptistæ, Malachias in hæc verba prorumpens: *Ecce*, inquit, *ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Malach. 3. De Christo Domino, vnicum pectoris eius delicium Ioannes Euangelista dicit: *Misit Deus Filium suum.* Ioan. 3. De Ioanne Baptista pariter loquitur: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* De Christo Domino ait Isaias: *Et requiescet super eum spiritus Domini.* Isaiæ 11. De Sancto Ioanne Baptista idem etiam canit Euangelicus præco: *Replebitur Spiritu S. adhuc ex vtero matris suæ.* Lucæ 1. O mira beati præcursoris dignitas! magna fuit quondam felicitas Abrahæ, cùm Deus in persona trium Angelorum ad illum descenderet. Non leuior & in Noë cecidit sors, cùm ei in sacris literis Dominus illud subscriberet. *Te*, inquit, *vidi iustum coram me ex omnibus gentibus.* Gen. 7. Dignum erat laude obsequium Moysis, quod Domino præstabat, propter quod extollitur ab ipso Deo. *An non talis*, ait, *seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei.* Num. 12. Nec minùs insignem diuinum vatem Dauid, commendat Scriptura sacra, voce Dei loquens: *inueni virum secundùm cor meum.* Quin imò & recti Iob pia simplicitas, non postremum laudis elogium meruit; quando Deus tentatorem arguens, sic de illo locutus est: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex ac rectus & timens Deum, & recedens à malo.* Iob 1.

Verùm istorum omnium laudes, grandi interuallo antecellit laus hodierna, quæ eximio sponsi cœlestis amico, & testi fideli, Beatissimo Ioanni Baptistæ, ipso præcone Christo IESV feliciter cessit, dùm inter cætera eius præconia, illud maximum incarnatus Dei Filius superaddidit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Quasi diceret veritas incarnata. Præcellit hic solus cunctis, eminet vniuersis, transcendit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere nascitur, inferior est illo. Sed mirabitur forsan quispiam, tantam Beato Ioanni à Christo concessam esse laudem. Si enim nullius natiuitas superatur ab eminentiâ S. Ioannis: Si inter natos mulierum nemo ipsi æquari potest? quomodò & ipso Saluatore maior non censebitur? Sed absit hæc opinio à cordibus Christianorum. Ioannes enim natus est mulieris; Christus natus Virginis. Ille corruptibilis vteri finibꝰ effusus est; iste verò impollutæ vuluæ flore progenitus. Atq; cùm sola Virgo sit præstantior omni muliere, & ille qui solus de Virgine nasci dignatus est, maior est Ioanne Baptista. Hoc ipsamet veritas increata discussit, inquiens: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* Matt. 11. Quasi diceret: sicut solus Dei Filius seipsum, vltra vilem naturæ humanæ abiectionem depressit, cùm homo fieri dignaretur. Sic quoque solus Beatissimi Ioannis Baptistæ dignitatem infinitis modis excedere potuit.

S. Ioannes Christo inferior, quia de muliere natus.

Sed non in sola conceptione miraculosa; verùm etiam in gaudiosa natiuitate, Christum Dominum æmulatus est, S. Ioannes Baptista. In Christi natiuitate Angelus in lætitiam mundum prouocauit, inquiens: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum.* Et certè iusta erat tunc concipiendi gaudij occasio, tùm propter desideratam pacem, toto orbe, Deo Homine in terras veniente, compositam. Ferunt enim Eutropius, Innocentius III. & S. Antonius, quòd sub tempus natiuitatis Christi Domini, Romani quicquid terrarum suo parebat imperio, securâ & lætâ pace frui animaduertentes; atque assiduis antea assueti bellis, tùm quoq; cælo-

Eutropius.

rum

Christus sub Octauiano Imperatore natus.

rum iniurijs : insperatam pacem, & insolitam vniuersi imperij quietem admirantes, id totum Octauiani Imperatoris industriæ, atque prudentiæ, in imperio gerendo, attribuebant : atq; tanto grati beneficio, illum tanquàm Deum colere, & venerari decreuerant. Sed optimus Imperator, vel hoc solo inter omnes mortales fortunatissimus, sub quo imperante Deus Homo nasci voluit; votis illorum renuebat. Vrgentibus tamen; & importunè flagitantibus, ne se inhumanum præberet; Sibyllam eo tempore in reddendis oraculis nobilem, quid sibi faciendum esset, consuluit. Pollicita responsum Sibylla, cùm intra Imperatoris ædes, tempore, quo Christus in lucem prodierat, moraretur : & quod Imperator quæsierat, attentè contemplari vellet : sublaris repentè in cœlum oculis, vidit propè Solem aureum circulum, in cuius medio intuita quoque est pulcherrimam virginem, intra brachia fouentem infantulum. Tunc

Sibylla Christum futurum omnium Dominum prædixit.

accersito Imperatore, prodigium illud, quod in cœlo spectauerat, indicauit, & infantulum illum futurum omninò Dominum, cui Reges mundi parerent, Spiritu prophetico afflata edixit. Cuius vaticinium protinùs vox de cœlo subsecuta, intonuit : *Hæc est ara cæli.* Vbi gauisus Imperator legibus cautum fecit, vt illum nemo posthac Dominum vocaret, siquidem iam, qui omnium verus esset Dominus, natus aderat. Felix certè licet Ethnicorum hominum lætitia, qui ad præsentiam Dei in terris nati, suum comprimere fastum sciebant. Qui vel hoc ipso modernis Christianis longè præferendi essent, quòd licet hi templa sæpiùs ingressi, hunc infantulum, in gremio cœlestis arcæ, Sanctissimæ scilicet Deiparæ recumbentem aspiciant; non tamen prosterni ante eum, tanquam vilissima mancipia apud suum Dominũ, sed potiùs mente impudenter efferri, minimè erubescunt. Quòd si promptè & humiliter præstarent, dubio procul, pace & tranquillitate summâ in suo imperio, non secùs, quàm olim Romani, pacatis fruerentur animis.

Verùm, & in hoc suum Saluatorem beatissimus præcursor æmulatus est. Et de illius enim natiuitate idem Archangelus Gabriel, futuram prædixerat lætitiam, inquiens : *Multi in natiuitate eius gaudebunt.* Luc. 1. Nec mirum : quòd natiuitas S. Ioannis multorum animos gaudio perfudit : quia debuit præcursor & præuius Christi, aliquid simile habere natiuitati Domini Saluatoris sui. Ad Christi natiuitatem totus lætitiâ gestiebat orbis : ad præcursoris etiam natiuitatem multi in gaudia conspirârunt; quia multorum fore patratorem miraculorum cognouerunt. Neq; mysterio caret, quod Sanctum Euangelium narrat : *Et diuulgata est fama hæc super omnia montana Iudææ.* Luc. 1. Quia sci. licet non omnes, prophetiam beatissimi præcursoris de vero Messia suscepturi erant : sed tantùm in montanis habitantes, videlicet; altâ illâ & secretâ vocatione erecti.

Refert nobilis Author Strabo apud Valerium lib. 26. fol. 500. in Ægypto Serapis in templo, se vidisse statuam prodigiosam, quam Dux exercitus Menon in montis vertice collocauerat. Hæc statua stabat vultu ad montem verso : vt non priùs die erumpente, & noctis profligante caliginem, per os illius suos traijceret radios Sol; quàm in montis eos effunderet radices, atq; vicinis illuceſceret gentibus. Insuper hæc statua, ita admirabili arte intùs fuerat exstructa, vt calor solis vrens illam suis radijs, quoddam moueret musicum statuæ inclusum visceribus instrumentum, quod velut suauissima tuba personabat. cùm verò inferiorum incolæ regionum, solis ortum spectarent, tunc auroræ filium statuam illam appellabant : eò, quòd auroræ vices agens, solis prænutiabat aduentum. Non aberraret profectò, quisquis eiusmodi statuam B. Ioannem Baptistam esse diceret. In duplici etenim tantum opere, prodigiosum artificium admiratus est terra-

Strabo.

Statua prodigiosa.

rum orbis: scilicet; cùm Christus IESVS de Virgine gigneretur, & cùm S. Ioannes de sterili fœminâ procrearetur. Dùm ille de adolescentulâ, iste iam defessâ muliere nascereturHabet proindè non parùm miraculi Præcursoris natiuitas. Nam si MARIAM suspicimus, quòd Virgo pepererit; ita in Elizabeth miramur, quòd anicula procreauerit. Quod quidem factum illud mysterij continet, vt B. Ioannes, qui veteris testamenti, & Synagogæ Iudaicæ figuram gerebat, senis mulierculæ frigido sanguine nascereturSaluator autem, qui legem gratiæ portendebat, & regni cœlestis Euangelium mundo daturus erat, de feruentis iuuenculæ flore progrederetur, Habet natiuitas S. Ioannis non parum gloriæ: nam fuit quasi nobilissima quædam statua, miro non naturæ; sed gratiæ artificio fabricata, & in monte ad orientem collocata. Natus enim est B. Ioannes in montanis Iudææ, vt in tenebris perfidiæ errantes, lumine solis gratiæ perlustraret. In lætitiam hæc statua traxit omnes vicinos: quia solis æterni radij, quorum natus beatissimus præcursor plenus erat, suauissimum quendam in illo operabantur concentum. Quo audito, ita obstupuêre spectantium animi, vt dicerent: *Quis putas puer iste erit, quia manus Domini est cum illo.* Statua illa portentosa in Ægypto, solis ortum prænuntiabat: beatissimus præcursor ceu auroræ filius, aurei syderis solis iustitiæ, non è Phosphori domo; sed è sinu Patris æterni progredientis ortum, in primo statim natali suo præcinebat. Cùm illico apertum esset os patris eius Zachariæ, & lingua diuturno soluta silentio, loqueretur benedicens Deum. Etenim Zacharias, cùm non facilè cœlesti nuntio crederet, nasciturum sibi in senectute Filium, in pœnam incredulitatis ab Angelo Gabriele, silentij taciturnitate mulctatus erat: diuq; mutus verborum dispendio, mentis secreta velauerat. Mox prodeunte in lucem Ioanne filio, cùm inter cognatos discordia esset, quo nomine vocari deberet infans, offeruntur Patri tabulæ, vt vocabulum eius, pro sui arbitrio ipse describeret; & quod non poterat verbis, literis loqueretur. Tunc mirum in modũ acceptis Zacharias pugillaribus, vt stylum figeret, linguam resoluit, atq; literas sermone præuenit, & natum sibi filium Ioannem nominandum, non testatus est; sed voce disertâ locutus.

O magnum Christi præcursoris in ipsa natiuitate meritum! vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiã reparauit. Neq; mirum: quia natus Ioannes os patris sui, quod Angelus Gabriel alligauerat, resoluit. Siquidem tunc vox clamantis in deserto nata erat, idèóq; amissam patri vocem restituit, ne â laude Dei sileret, verbi æterni præconem, cum gaudio sibi natum suscipiens. Non mirum inquam, quia os Zachariæ, quòd Gabriel Archangelus obstruxerat, paruulus reserauit. Siquidem & ipse Angelus erat, attestante id de ipso Saluatore: *Ecce*, inquit, *mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Proindè quod Angelus obstruxerat, natus quoquè in corpore Angelus resoluit. Labia quæ incredulitas vinxerat. Fides in mundum prodiens aperuit. Malach. 3.

Respicite Catholi quanta vis lateat in nomine Ioannis, cuius nuncupatio reddidit muto vocem Patri, Populo sacerdotem. Non multo ante tempore fuit Zacharias tacens linguâ, sterilis filio, priuatus officio. At vbi natus est Ioannes: Fit repentè pater Propheta, & Pontifex. Loquela vsum recipit, prolem vota suscipiunt, sacerdotem functio recognoscit. Et cuius obsecro tàm prodigiosa beati præcursoris natiuitas, linguã hodiè silere permittet. Quoniam qui natalem Ioannis laudat, eloquiũ meretur. Noñe pectoris nostri ipsum nomen Ioannis vrgebit secreta? quòd in ipsa natiuitate, os patris sui, cœlestis facundiæ rore fœcundauit. Nonne ipsa festiuitas præcursoris, silentij Christianorum resoluet arcana? vbi

Nomen S. Ioannis quanta virtus.

Lucæ 1.

vbi vox clamantis personat. Vox inquam clamantis, scilicet vt ad fidem consequendam, & pietatem instaurandam omnes incitet : vt aures obscœnis sermonibus obturatas, penetret : Concutiat hodiè vtinam resonantis huiusce vocis clamor corda maleuolorum, ad vitæ melioris renouationem. Prædicet nata vox desperantibus regnum, & resonans clamor iudicium impudicè viuentibus comminetur. Neq; enim solùm natiuitatis suæ tempore clamauit Sanctus Ioannes; quando Pharisæis annuntians Saluatorem dixit. *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Sed ad hunc vsq; diem inclamat nos omnes, & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum, vt paremus viam.

Lucæ 3.

Verùm mirabitur forsan quispiã? quam viam Domini nos parare iubet beatissimus præcursor. Equidem non aggerem itineris, sed conscientiæ puritatem. Saluator enim noster non terrenam semitam carpit; sed per secreta mentis incedit. Proindè quicquid in nobis est moribus asperum, crudelitate durum, conuersatione pollutum, hoc à beatissimo Præcursore iubemur mundare, componere, exæquare. Vt superueniens Dominus, non offendat in nobis quidpiam oculis suis indignum : sed potiùs inueniat viam ad cor hominis puritate stratam, procliuem fide, eleemosynis eminentem. Talem beatissimus præcursor viam parabat suo Saluatori : per omnia planè aduenienti Christo, tramitem vitæ suæ componens, ac dirigens. Fuit enim ieiunus, humilis, parcus, & virgo. Has virtutes eius describens Euangelista ait : *Ipse autem Ioannes vestitum habebat de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius ; esca satis exigua, scilicet ; locusta & mel syluestre.* Et quæ maior humilitas potuit esse in beatissimo Christi præcursore ; quàm contemptis mollibus vestimentis, pillorum asperitate, tanquàm duro cilicio vestiri. Quæ deuotior fides, quàm præcinctum zonâ, paratum esse semper ad omnẽ obsequium seruitutis. Quæ præclarior abstinentia; quàm spretis vitæ huius delicijs, stridulis vesci locustis, ac melle syluestri.

Matt. 3.

Sed non vacabat mysterio beatissimi præcursoris tanta vitæ austeritas ? Quid enim aliud vestimentum Ioannis asperitate camelorum contextum significabat ? nisi quòd ipse Christus aduenies, vsurus esset indumento humani corporis ; quod asperitate peccatorum densatũ erat. Quid zona pellicea aliud demonstrabat ? nisi hanc fragilem carnem nostram, quæ ante aduentum Christi dominabatur ad vitia ; post aduentum verò eius, restricta est ad virtutem. Vt quæ ante luxuriando dilatabatur ad pinguedinem, nunc abstinendo attenuaretur in pellem. Certauit proindè beatissimus præcursor in vitæ puritate cum suo Saluatore; propter quàm Angelus vocatus est à Christo, quia licet corpore terrenus esset; mente tamen cœlestis, & omninò spiritualis fuit.

Asperum S Ioannis indumentum figurabat carnem humanam â Dei Filio assumendam.

Æmulatus est deniq; Christum beatissimus præcursor, in sanguinis sui profusione. Nam sicut Christus Dominus pro hominibus liberè voluit mori; sic beatissimus eius præcursor, voluntariè pro Saluatore vitam posuit : & qui in prophetia natus erat, in veritate peremptus est: & qui nascendo annuntiabat Saluatoris aduentum, moriendo condemnauit Herodis incestum. Neq; sanè decuit Christi Prophetam ex hac vita aliter decedere. Cùm enim vir sanctus & iustus, præter communem hominum natiuitatem, ex reprimissione generatus esset, hoc quoq; de Deo potuit mereri, ne communi cùm cæteris de sæculo, morte discederet. Sed vt corpus quod Domino donante susceperat; Dominum quoq; confitendo deponeret.

Verùm quid causæ est, quòd tempore conuiuij, Christi Præcursorem psaltria interfecerit ? caput eius diabolico suasu, & impio matris suggestu, in disco sibi postulans afferri. Forsan quia luxuria semper est inimica iu-

ea iustitiæ: & iniquitas sine cessatione persequitur veritatem. Idcircò quoniam beatissimus Christi Præcursor ad illicitas voluptates præcludebat viam impudicæ fœminæ: & iniquitati iustitiam, vitio veritatem opponebat: aliter malitia fœminæ satiari non potuit, quàm sanguine innocentis Prophetæ. O quàm multi his temporibus eiusmodi reperiuntur, quibus cùm veritas Dei prædicatorum sit nimiùm grauis: & doctrinam Christi spernunt, & sanam doctrinam contemnunt, & omnem conducentem saluti admonitionem penitùs respuunt. Vt tantummodò impuræ libidini commodiùs vacare possint. Aliam tamen ego reperio causam, cur psaltria illa Herodis, necem Christi Prophetæ affectauerit sub tempus conuiuij. Nam clarum est feminas nimiùm delectari cantibus: beatissimus Christi Præcursor, vox erat viua suauissimè cantans: attestante id Euangelista: *Cantauimus*, inquit, *vobis & non saltastis*. Cantum proindè hunc appetijt impudica psaltria, quem quia beatissimus Præcursor meliùs edere non potuit, nisi moriendo tanquàm mundissimus Cygnus, mortem eius appetijt, vt dulci recrearetur cantilenâ. Sed videte quomodò seducta est diaboli suggestione, omnis origo iniquitatis scelesta fœmina. Beatissimus enim Christi Præcursor, Deum; non mundum canebat. Ideoq; fidem & vitæ puritatem ab illo debuerat affectare spurcissima mulier. Præcursor beatissimus pœnitentiam, non lasciuiam canebat: ideoq; vitam frenare, non affectus in vitia laxare debuerat. Cantus est delicatissimus beatus Ioannes, qui in prima statim natiuitate, voce suâ plurimos ad gaudia compulit. Vtinam & nunc felici morte martyrij dormiens ad iucunditatem Christianorum animos excitet, vt conscientiæ potiùs nitore; quàm malè viuendi fœce, pijssimis Deo & Ecclesiæ; quàm impuris mundi & inferni cantilenis velint recreari. Et cur nõ alio mortis genere; quàm auulsione capitis recreari voluit scelesta mulier, infernalis Megera, Stygis & Plutonis adultera? Causam hanc esse opinor, quòd impudica illa Herodis psaltria, Synagogæ Iudaicæ figuram gesserit; Ioannes verò Messiæ aduentum prænuntiabat. Caput igitur Ioannis petijt, vt illo à Iudæa separato, per quod Saluator in notitiam mundi venire voluit, & ipse Christus à Iudæis legis cultoribus separaretur. Remansit enim illis sine Saluatore lex exanimis & truncata. Nam ex eo tempore Iudæi diuina non sapiunt, ex quo sine capite Ioannis esse cœperunt. Hoc ipsemet beatissimus præcursor spiritu prophetico prædixit inquiens: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Creuit enim Christus in cruce exaltatus, diminutus autem est Ioannes capite plexus. Hinc Venerabilis Beda, ingeniosâ vtens allegoriâ, dicit: non vacat mysterio Ioannis natiuitas, quæ cùm dies decrescere, Domini autem, quandò crescere incipiunt, facta memoratur. Nam beatus Ioannes, sicut Ecclesia tradit natus est, octauo calendas Iulias, Dominus autem calendas Ianuarias. Vt scilicet Christus cum reuertente ad homines sole reuerteretur & cresceret; Ioannes verò vt cùm declinante ad occasum, abiret & minueretur. Creuit quippè Dominus, quia per totum orbem, quòd Deus esset, intonuit: Decreuit Beatus Ioannes, quia qui Christus existimabatur, & quòd non Christus, sed præco Christi esset, aperuit.

En ergo præcursoris cum Saluatore æmulationem vobis proposui. Æmulatus est Beatus Ioannes Christum in miraculosa conceptione; quia de sterilibus natus parentibus. In natiuitate: quia multi in natiuitate eius gauisi sunt: In virtute & morte: quia austeram vitam gessit. Et vos æmulemini Christi præconem, vt per gratiam Deus in vestris animis conceptus inhabitet. Vt conscientia à delictis purificata, ex Dei præsentia iucunditatem habeat, vt deniq; voluptates austeritas moderetur.

Cur sub tempus conuiuij S. Ioannes interfectus.

Matt. 11.

Beda.

retur. Et ne Christus à nobis separetur, caput beatissimi præcursoris, quod indurata malitia amputauit, debitâ veneratione amplectamur.

EODEM DIE CONCIO SECVNDA.

Ipse præibit ante illum. *Lucæ* 1.

S. Ioannes meruit in præcursorem Christi eligi ob magnanimitatem, suauitatem dicendi, & humilitatem.

QVod post Sacrosanctum Domini nostri Saluatoris diem natalem, & Augustissimæ cœlorum Reginæ ortum, nemini vsquàm mortalium concessum fuisse legimus: Hoc in Christi præcursoris B. Ioannis Baptistæ solemnitate, & agnoscimus, & veneramur. Nullius enim hominum natiuitatem, in Ecclesiâ Christi legimus celebrari; quam tamen in Beati Ioannis Baptistæ desideratissimo ortu, vniuersus orbis sanctâ colit veneratione. In alijs quidem Sanctis, & electis Dei, illum diem celebramus, quo eos post consummationem laborum, & deuictum triumphatumque mundum, in illam felicissimam & interminatam æternitatem præsens hæc vita parturiuit. In alijs consummata vltimi diei merita recolimus. In Sancto autem Ioanne Baptista, etiam primam natalis diem, & ipsa eius initia consecramus. Mouet S. Augustin. dubium hoc D. Augustinus Serm. 23. de Sanctis. vbi scisciatur, quare potiùs natalem, quo Beatus Ioannes Baptista ex vtero Sanctæ Elizabeth egressus, mundi istius lucem aspexit, in Ecclesia sancta celebramus; quàm cuiuslibet Apostoli, aut Martyris, aut Prophetæ, aut Patriarchæ. Vbi quæstionem hanc satis argutam, in hunc modum resoluit S. Doctor. *Quantum*, inquit, *mihi videtur, quantum mearum virium mediocritati occurrit, causa hæc est: quia cæteri Sancti per ætatis accessum, ad annos capacieres ad-*

A *ducti, in discipulatum assumpti fuerunt: quorum postea fides Domino adhæsit, sed nullius illorum natiuitas Christo militauit. Recordemur enim & Prophetas; recolamus Patriarchas. Nonnè isti omnes nati sunt homines? nec aliter; quàm ætatis accessu pleni Spiritu Sancto, postea Christum prophetauerunt. Beatus verò Ioannes Baptista, quia ipsâ suâ natiuitate statim Christo militauit: quando conceptum in vtero Virginis Deum Hominem, materno adhuc clausum visceribus exultans salutauit: meruit hoc, vt ipsa eius*
B *natiuitas sancta haberetur in Dei Ecclesia.* Hoc certè Angelus Zachariæ nuntians natiuitatem S. Ioannis exprimere voluit, quandò illum allocutus est. *Elizabeth*, inquit, *pariet tibi filium:* Quasi diceret: Filium tibi pariet talem, qui ipsa statim natiuitate suâ Saluatoris aduentum prænuntiabit, ne eum velut subitò insperatum mundus ignoret. Mouent hic dubium Doctores, quare Angelus solam Ioannis natiuitatem Zachariæ prædixerit; non verò conceptionem. Cùm tamen idem Angelus cœlorum Reginæ, quòd Verbi æterni futura esset parens; vtrumque, & conceptum, & ortum prædixerit? *Ecce*, inquit, *concipies, & paries Filium.* Sed ad hanc dubitationem respondet acutissimè Innocentius III. Summus Pontifex inquiens: *Ioannis non conceptum dicit; sed ortum, Iesu verò prædixit ortum pariter & conceptum: Quia Ioannes fuit conceptus in culpâ; Christus verò sine culpa: vterque verò natus est in gratiâ.* Natiuitatem igitur solam prædixit Angelus, vt illam Sancta Ecclesia omni cultu veneraretur: quoniam in eâ Beatus Ioannes, sublimem Christi præcursoris prærogatiuam obtinuit: quam an pro dignitate gesserit, paucis contemplabimur.

Lucæ 1. n. 13.

C

Ibid. n. 31.

Innocentius Papa.

D

Tria potissimùm in ijs, qui ante mundi Principes virgam curulem gestare solent, requirit Politicus. Imprimis magnanimitatem. Nam Regum pupilla grauitatem amat, & leuitatem execratur. Æternus pariter Rex Regum, & Dominus dominantium,

tium, Christus Iesvs, vt dignum in terris haberet sui præcursorem, qui auream veritatis & prophetiæ virgam portans, latentem in Christi humanitate Verbi æterni regiam maiestatem, terreno orbi monstraret: digito illum ostendens: *Hic est, qui post me venit, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere.* Quæsiuit ergo incarnata sapientia, ad tàm sublime munus virum, in quo esset vera magnanimitas. Solumq; tantæ perfectionis adinuenit Ioannem Baptistam: cui inter filios mortalium soli, testimonium magnanimitatis subscribit Angelus inquiens: *Hic erit magnus coram Domino.* Quæ certè magnanimitas, non corporalis; sed spiritualis: non opinionis; sed virtutis esse debet. Mortalium enim duntaxat oculos, hæc misera vanitas seduxit, & fascinauit, vt neminem putent magnanimum: nisi aut illustri prosapiâ ortum, aut corporis mole præcellentem, aut certè ambitione & fastu tumidum. Sed hæc magnanimitas, rectiùs pusillanimitas esset dicenda. Nam & lepus cordis magnitudine cætera animantia antecedit; vilissimum tamen animal reputatur, quòd & folij volantis sonitum procul fugiat: Sic & homo, in quo non virtutes; sed vitia præsumptionem augent; quasi puluis immundus in oculis Dei habetur. teste D. Cyrillo Alexandrino lib. 12. in Leuiticum. *Peccatum*, inquit, *hominem paruum facit, & exiguum: virtus eminentem præstat & magnum: sicut enim agritudo exile & exiguum facit corpus hominis; Sanitas verò latum reddit & validum. Ita & animam agritudo peccati humilem facit & paruam; sanitas verò interioris hominis, & virtutis opera, magnam faciunt eam & eminentem, & quantò magis in virtutibus crescit; tanto proceriorem reddit magnitudinem suã.* Quod ipsum etiam docuit antiquissimus Ecclesiæ Doctor Origenes tomo 12. in Leuiticum. Solâ proinde virtute, Beatus Ioannes Baptista fuit magnificatus apud Deum, apud quem nemo dicitur magnus, nisi qui & iustitiâ, & sanctitate magnus est. vnde S. Ambrosius super Lucæ c. 1. sic de illo scribit: *Magnus*, inquit, *fuit coram Domino, non virtute corporis, sed animi magnitudine, quia paruulus in sæculo, magnus in spiritu est.* Vbi statim distinguit duas ætates, seu magnitudines, aliam corporis, aliam animi: & illam quidem apud homines; hanc verò apud Deum numerari. Igitur qui apud Deum magnus est, probitate & sanctitate magnus est. Hypocritæ verò, vt notat ibidem Theophylactus, licet coram hominibus magni videantur; non tamen coram Deo, quia verâ animi magnitudine destituuntur. S. verò Ioannes verè spiritualiter fuit magnus. Quia Angelico testimonio approbante, Deo talis videbatur.

Magnus profectò S. Ioannes, quia adhuc in vtero materno veram suam magnanimitatem testatus est: quando intra maternam aluum, ad præsentiam cœlorum Reginæ, Christum in vtero gestantis subsilijt. Quos certè saltus, sacri expositores, volunt fuisse indicia notitiæ Regis è cælo in terram venientis. Verùm videtur mihi infantulus iste, non tantùm Regem regum in vtero virgineo demonstrasse, sed etiam peculiare quidpiam voluisse significare, quandò Saluatoris sui certior factus, inter maternorum claustra viscerum saltibus lusit. Nam S. Chryso. in explicationem huius verbi: *Exultauit*, sic scribit. *Exultando*, inquit, *tanquàm iniustam quatiebat matricem, in claustra natura insultabat calcibus, & clausis labijs, vociferabatur figuris, talia matri dicens: iniustè facis ô mater, quæ tardas Prophetam, gestas in vtero Præcursorem Christi regis, Martyrem stringis.* Quod etiam Metaphrastes apud Surium 24. Iunij recensèt. Vt enim aues caueis inclusæ, & angusti carceris impatientes, omnia pertentant, si quâ fortè in liberum euadere aërem contingat. Ita B. Ioannes, quod vsus linguæ negabat, id nihil intentatum relinquens, toto corporis gestu, & subsultatione satis indicabat; quàm inuitus

Lucæ 1.

Lucæ 1. 11, 14.

S. Cyrillus.

Origenes.

S. Ambros.

Theophyl.

S. Chryso.

Metaphrastes.

uitus illis matetni corporis circumscriberetur angustijs: & quàm vehementer ad præeundum suo Regi in lucem prodire cuperet.

Sed quomodò obsecro S. Chrysosthomus asserit B. Ioannem matrem suam tunc exultando admonuisse, quasi illum Martyrem stringeret. Vnde enim nasci potuit Martyrium Ioannis? Quis carnifex mortem illi intra vterum maternum parare & admouere potuisset? Quis tyrannus in nondum natum sæuiret? Verùm non est opus tyranno, non est opus ficario ad Martyrij palmam obtinendam: ipsa enim vicinitas boni propinqui, & non pro placito obtenti, omnem tormentorum vim excedit. Proindè verè potiùs illis saltibus B. Ioannes hoc significare matri suæ voluit, *Martyrem stringis*. Nam ad manum habere Deum, nec illo frui pro voto posse, hoc est esse Martyrem, & graue aliquid pati. Cùm non possit dari crudelius tormentum; quàm habere bonum coram se, illo tamen non posse gaudere. Vndè in vtero adhuc B. Ioannes magnus erat, quia diuinus conspectus, qui tunc de throno virgineo illum intuebatur, singularia illi conferebat virtutum omniũ incrementa. Hanc enim vim habet diuinus oculus, vt crescere faciat, quos intuetur, iuxta illud Scripturæ sacræ: *Respiciam vos & crescere faciam.* Vbi Origenes homil. 16. sic discurrit: *Tanquam si Sol*, inquit, *respiciat segetem, & afferat fructus: quam vtiq; si non respexisset, infructuosa mansisset; ita Deus segetem cordis nostri respiciens, & radijs nos verbi sui illuminans, auget nos, & multiplicat: vt vltra iam non simus paruuli; sed magni efficiamur, sicut magnus factus est Sanctus Ioannes.*

Leuit. 26. n. 9.

Origenes.

Alterum est, quod in eo qui ad virgam curulem, ante Reges portandam assumitur, requirunt politici: scilicet; eloquentia. Quia cùm Regum maiestas propter seruandam auctoritatem, responsa dare, aut palam subditos alloqui non soleat, suis præcursoribus, quasi vocibus instrumentalibus, & labijs vti consueuerunt. Christus Dominus pariter propter regalem eminentiam, vt primùm in mundi istius throno resedit, viles creaturas, & subiectos sibi populos, ne diminutionem pateretur diuina auctoritas, vt alloqueretur, haud decebat. Quæsiuit proindè sibi eloquentem præcursorem, quem inter omnes mortalitatis filios, solum Ioannem Baptistam adinuenit. *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto.* Ad perfectam eloquentiam duo principalia requirunt oratores: suauitatem, vt alliciat: & vehementiam, vt permoueat. In S. Ioanne Baptista talentum hoc vtrumq; repertum est. Fuit enim in illo summa vehementia: quia erat *lucerna ardens*: id est; Spiritus S. igne succensus, vt mundo ignorantiæ nocte possesso, lumen salutis ostenderet, & quasi inter densissimas delictorum tenebras, splendidissimum iustitiæ solem, lucis suæ radio demonstraret. Fuit in illo suauitas, quia licet in deserto clamabat, multos tamen trahebat ad se. *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto*: hoc est, in gentilium populo. Vacua enim timore Dei pectora, & Spiritu S. carentia, deserto squallentis eremi comparantur. Desertus profecto erat hic mundus ab omni culturâ fidei, & Dei timoris, atq; peccatorum spinis obsitus, squalebat tanquàm ager incultus, & nullam penitùs bonorum operum fœcunditatem attulerat, nullum imbrem gratiæ spiritualis acceperat. Missus est B. Ioannes, qui eum per propheticam annuntiationem prædicando, pœnitentiam, quasi rudem campum proscinderet, fœcundaret, & excoleret, diuini verbi seminibus impleret, & ad maturam frugem, id est; ad regenerationis gratiam præpararet. Præmissus est igitur ante IESVM Christum Beatus Ioannes, quasi testamentum vetus ante nouum: vt dies diei eructaret verbum, & sacramentorum obscura profunditas euidentioribus nouæ doctrinæ mysterijs reuelaretur. Præmissa est lucerna ante solem: seruus

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Ibidem 1.

ante Dominum : amicus ante ſponſum : præco ante Iudicem : vox ante verbum. Et ideò de ſe ipſo dixit Chriſti Præcurſor. *Ego vox clamantis.* Quid eſt, quòd B. Ioannes vocem ſe eſſe dixerit? niſi quia verbi annuntiator incarnati, & prædicator erat.

Diſcrimen verbi & vocis.

Hinc iam ſollicitè inquiramus, quid inter verbum & vocem interſit? Scripturæ ſacræ verbum eſſe definiunt, quod intra animi ſilentium mente concipimus: verbum inquã definiunt eſſe ipſam cogitationem, quæ intra conſcientiæ ſecreta retinetur. Vocem verò dicunt eſſe, per quam verbum profertur in medium. Vox inquiunt Philoſophi ſonus eſt, index cogitationis; verbum verò cogitatio ipſa. Sicut ergo quando verbum mente concipimus, neceſſaria eſt vox, quaſi quoddam vehiculum verbi: & quamuis verbum ipſum per oris ſonum ad alium transferamus; tamen illud integrum etiam intra nos, id eſt clauſum à loquente transfertur, vt in ſua ſede teneatur. Ita etiam omnipotens Pater, nobis innoteſcere volens, ſapientiam & verbum illud quod in principio erat Deus apud Deum: B. Ioannem Baptiſtam quaſi vocem, per quam ad nos verbum ſuum proferret, aſſumpſit. Quod quidem verbum de illa ſede cœleſti ita ad nos deſcendit, vt in ſinu, id eſt in profundo paterni pectoris integrum permaneret: terrena viſitans, & cœleſtia ſimul non relinquens. Magna proindè laus eſt B. Ioannis, ſumma gloria, quòd ipſiuſmet verbi æterni, quaſi os & labium factus fuerit. Percontetur hic curiosè Chriſtianus, quid ſit cauſæ, quòd B. Ioannes Baptiſta, omnes honorificos titulos reiecerit, & abiurauerit? illum ſolùm præ omnibus amplectens *Ego vox clamantis.* Rationem crediderim eſſe hanc: vt neq; ſacerdotis dignitas, neq; prophetalis auctoritas, neq; Angelica ſanctitas, in eo tantoperè attenderetur. Sed hoc vnum, quòd eſſet Dei vox. Ratus eam tantùm rationem ſufficere vt eius verbis fides, eius imperijs obedientia ab omnibus præſtaretur. Vndè rectè monet Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 4. in diuino præcepto, non tàm bonitatem, aut vtilitatem, aut honeſtatem ſpectandam eſſe; quàm, quòd diuinum ſit, ſeu ab ipſo Deo imponatur. quaſi diceret: non propterea aliquid tenendum eſt firma fide, quia bonum, honeſtum, aut vtile, ſed quia ab ipſo Deo ad obſeruandum impoſitum eſt. *Audaciam* inquit, *exiſtimo de bono diuini præcepti diſputare: neq; enim quia bonum eſt, idcirco auſcultare debemus; ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequij prior eſt maieſtas diuinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis; quàm vtilitas ſeruientis.*

Tertullia.

Idem.

In B. ergo Ioanne ſola vox clamantis principatum tenet: quia eſt diuinum quid, hoc eſt; ipſiuſmet incarnatæ diuinitatis euidens teſtimonium. Hinc perfectus Chriſtianus non faſtuoſos titulos, non ſuperbos honores appetere deberet; ſed hanc ſolam prærogatiuam, vt poſſit eſſe vox clamantis. Hoc eſt; vt voce Dei loquatur, non blanda, & aures tantùm humanas demulcentia, ſed vera, & quæ errantem intellectum perficiant. Nam loqui ad palatum hominis adulando; non autem ad mentem Dei ædificando, carnalis hominis indubitatum eſt ſignum: quemadmodùm S. Paulus ſuis Corinthijs exprobrat. *Adhuc*, inquit, *carnales eſtis.* Et vndè quæſo tàm vehemens cenſura? ſubdit ſtatim Apoſtolus: *Cùm enim ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis.* Et quis fuit iſte zelus & contentio? vt tantam poſſet Corinthijs inurere notam Gentium Doctor. Reſpondet ſtatim ad hanc tacitam inſtantiam Apoſtolus: *Cùm enim quis dicat, Ego quidem ſum Pauli: alius autem, Ego Apollo: nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo, quid verò Paulus, miniſtri eius, cui credidiſtis.* Quaſi diceret: obedientes quidem eſtis ô Corinthij, ſed cui? Paulo, & Apollo; non autem Deo. obedientia verò, quæ non Deo propter eius bonitatem;

1. Cor. 3. n. 4.

Ibidem.

tatem; sed homini propter eius præstantiam exhibetur, carnalis est, non spiritualis. Hoc vitio passim laborat humana mortalitas. Credunt plurimi quæ præcipit Sancta Ecclesia, adhærent Euangelicis Doctoribus; verùm propter quid? Quia sapientes, quia boni, quia dotibus insignes. Sed non est hoc fidelem Dei seruum esse, at potiùs amicum hominis carnalem: quia talis homo non obtemperat Deo propter amorem eius; sed potiùs vt amico morigeratur. Cùm tamen neq; D. Paulo, si descenderet nunc ad euangelizandum, obediendum & credendum esset vt Paulo; sed vt Apostolo vicem Dei gerenti. Quod ingeniosè docuit D. Chrysosthomus homil. 2. in Epistolam 2. ad Timot. vbi monens, ne quis suo Prælato tanquàm homini obediat, sic dicit: *Plus aliquid dicam, ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanum; sed Apostolo circumferenti in se Christum loquentem.* Zelant passim homines, sed quia id non faciunt ex amore diuini honoris; verùm potiùs vt Magnatibus, & Potentibus huius sæculi complaceant, ideò zelus illorum vertitur in vitium. Sanctus ergo Ioannes, vt illi de vero Messiâ annuntianti, non tanquàm homini crederet mundus; sed tanquàm instrumento Verbi æterni, vocem clamantis se appellauit, vt cùm mundus voci diuinæ in omnibus assentiatur, etiam voci prophetiæ S. Ioannis indubitanter adhæreret: propterea quòd hæc vox diuinum quid esset.

S. Chryso.

Tertium in eo, qui virgam curulem gestat, requisitum ponit Politicus, iactantiæ contemptum. Ne scilicet in magnis honoribus constitutus, aut seipsum vltra humanæ conditionis sortem efferat; aut certè leuem offensam vltra, quàm par est, vindicet. Quia vir verè magnanimus talis esse debet, vt quæ illi frequenter non ad palatum cedunt, ea quasi non videat. Hinc apud Ægyptios, in virga curuli oculus perspicacissimè videns erat infixus, cui inscriptum symbolum: *Futura & præsentia cerno.* Per quod futurus Marschalcus admonebatur, vt non tantùm omnia patriæ imminentia pericula, velut in speculo quodam prospiceret: sed etiam memor præsentium, quòd sit homo mortalis, & futurorum: quòd Deo, non vt potens, sed vt vilissimus puluis, sit de omnibus suis factis responsurus, vt non sit procliuis ad alios contemnendos, aut certè ad iniurias vlciscendas. Similiter Palestinus princeps, virgam curulem cuidam suo præcursori traditurus, priùs ipsi lemma illud inscribi curauit: INQVIETA QVÆQVE COMPONO. Significans optimi Regum præcursoris munus proprium esse, omnes discordias, & seditiones in regno componere; ita tamen, vt innocentia vim non patiatur: aut seueritas mensuram ne excedat. Et reuera, iactantiam homini ad honores ascendenti, esse summè nociuam, exemplo suo satis comprobauit Christus Dominus. qui ab omni iactantiæ specie tantùm abfuit; vt sæpè suam potentiam, & sapientiam, atque sanctitatem, non modò non ostentauerit, sed consultò occultauerit, occultauit enim imprimis Redemptor noster in terras veniens suam potentiam. Vt obseruat D. Bonauentura Serm. 3. in natali Domini. vbi dicit, Christum Dominum ideo nocte voluisse nasci, vt se melius occultaret. *Nocte*, inquit, *voluit nasci, vbi sunt qui tàm impudenter ostentare gestiunt semetipsos.* Deprecatus est aliquando Christum Dominum, vnus de turba pro filio dæmoniaco, dicens: *Si quid potes adiuua nos.* Cui Dominus respondit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* At cur non dixit, omnia possibilia sunt mihi imperanti; sed tibi credenti. Scilicet vt potentiam expellendi dæmones, non sibi arroganter assumere, sed alteri tribuere humiliter videretur. Cùm nihilominùs instaret pater pro salute filij, magnisq; clamoribus frequentem populum ad spectaculum euocaret: dicit Euange-

S. Bonau.

Marci 9. n. 22.

Ibidem n. 25. liſta : *Cùm videret ergo concurrentem turbam, comminatus eſt Spiritui immundo, & exijt ab eo.* Quaſi diceret : populo concurrenti Dominus præcurrit, & antequam plures ſpectatores confluerent, puerum ſanauit. At cur pauliſper non expectauit populum conuolare incipientem, plures ſuæ potentiæ teſtes habiturus ? Reſpondet optimè Theophylactus in catena aurea : *Nolebat eum*, inquit, *coram turba curare, vt oſtentationem fugere doceret.*

Theophyl.

Siſtitur iterum Chriſto ſurdus & mutus, vt ab eo ſanitati reſtituatur. Quid verò Dominus ? *Apprehendens eum*, inquit ſacer textus, *de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius.* At cur non in media turba miraculum patrauit ? rectè etiam Diuus Chryſoſthomus in catenâ aureâ reſpondet. *Seorſum*, inquit, *à turbâ oblatum ſurdum & mutum apprehendit, vt diuina miracula non faceret manifeſtè, inſtruens nos vanam gloriam eijcere, & tumorem. Nihil enim eſt ex quo aliquis ſic miracula operetur, ſicut ſi humilitatem colat, ac modeſtiam ſequatur.* Iam verò ſuam ſapientiã quis humiliùs; quàm Chriſtus Dominus abſcondit ? Prodijt S. Ioannes è deſerto, atq; ſuam prædicationem ab illis verbis exorſus eſt : *Pœnitentiam agite : appropinquauit enim regnum cœlorum.* Prodijt paulò poſt & Chriſtus Dominus, & ſimiliter ab ijſdem verbis ſuam prædicationem auſpicatus eſt : *Pœnitentiam agite : appropinquauit enim regnum cœlorum.* Quid hoc eſt diſertiſſimè oratorum ? Nùm certè tibi deſunt noua rerum argumenta, quibus homines ad pietatem exhorteris ? Nùm forſan ignoras reprehenſos fuiſſe à patre tuo illos Prophetas, qui alienis verbis ſuum negotium expediebant. *Qui furantur*, inquit, *verba mea vnuſquiſq; à primo ſuo.* Quid ergo eandem Domine mundo intonas cantilenam, quam vox illa clamantis in deſerto, paulò ante inſonuerat. Optimè mihi ad hanc difficultatem reſpondiſſe videtur ſubtilis Caietanus. *Aduerte*, inquit, *quòd Ieſus ab eadem materiã inchoat prædicationem ſuam, à qua inceperat Ioannes ad exemplum noſtrum; vt non dedignemur inchoata ab alijs etiam minoribus bona, proſequi.* Conſiderate hic altiùs vento ſapientes chamœleontes, eximiam Chriſti Domini modeſtiam ? Qui cùm poſſet nouos ſuæ ſapientiæ fontes aperire; maluit tamen veteres inſectari : & cùm poſſet propriâ fulminare eloquentiâ ; maluit tamen alienâ quodammodò balbutire. Noſtrum planè in exemplum, noluit Chriſtus Dominus mundo ſe oſtendere Ioanne Baptiſtâ doctiorem : ſed voluit, tanquam diſcipulus, eius doctrinam conſectari. Ne homines ab hominibus diſcere, & ex eorum eruditione proficere erubeſcant. Torquet multorum ingenia illa Chriſti Domini de extremo iudicio ſententia : *De die*, inquit, *illo vel hora nemo ſcit, neq; Angeli in cœlo, neq; filius, niſi Pater.* Quo enim pacto poteſt diem vltimum ignorare ille, in quo ſunt omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri abſconditi.

Marci 7. n. 33.

S. Chryſo.

Matt. 3. n. 2.

Matt. 4. n. 17.

Ierem. 17 n. 30.

Caietanus.

Marci 13.

Coloſſ. 2. n. 2.

Vbi literalis quidem ſenſus huius loci eſt, ignorare Chriſtum iudicij diem, quatenus hominem : ita vt iſta reduplicatio quatenus, non fiat ad naturam humanam : reuera enim etiam humana Chriſti natura, omnia futura, proindè & diem iudicij apertiſſimè cognoſcit. Sed ad cauſam cognitionis : ita vt humana natura, non fuerit illi ratio cognoſcendi, quod eſt veriſſimum. At cur obſecro Chriſtus Dominus tàm reconditos inquirebat ſenſus, vt illam poſſet ignorantiam ſimulare ? qui ſi planiùs & clariùs fuiſſet locutus, non potuiſſet non ſtatim ſuam ſapientiam aperire. Theophylus Patriarha Antiochenus lib. 1. Allegoriarum in Euangelia in to. 1. bibliot. propterea ita factum credit, vt humana ſciendi curioſitas à Chriſto præſcinderetur. *Diem*, inquit, *& horam Deus ſe tantùm ſcire, non hominem voluit : & ideò nec Filium dixit ſcire, vt improbitatem humanam in iudicij diuini curioſa inquiſitione confunderet, cùm Filium hominis*

Quo modo Chriſtus diem iudicij neſciat.

Theophyl.

hoc

hoc dixisset nescire. Cæterùm in sensu
A eximiam humilitatem in Christi Domini Præcursore B. Ioanne admiratus S. Chrysosthomus homil. 3. in Matt. *Minimum,* inquit, *de se sensisse tàm magnum est; quàm maximas res fecisse: quod si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles.* Propter hanc certè eximiam humilitatis virtutem, virgam curulem ante Christum meruit portare B. Ioannes: Quia Deus semper deponit potentes, & exaltat humiles. Meruit, vt Deus suam in eo vltra omnes gratiam augeret: Quia non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista, hoc est; qui magis Deo placetet, & abundantiùs gratiâ eius participaret. Nam si verum est illud Plinij Iunioris. lib. 5. Epist. 12. *Nescit semel incitata liberalitas stare, cuius pulchritudinem vsus ipse commendat.* Hoc præcipuè Deo attribuendum est. Nam Reges & Principes terræ, postquàm semel aliquem auxerint honoribus, videntur eo ipso excusari, ne sint posthac erga eum liberales, & magnifici: siuè quia voluntas illis deest; seu quod verius, quia deest facultas. Solus proindè Deus, cùm sit voluntatis & facultatis ad bene faciendum infinitæ; semper gradum promouet, semper adauget, semper sublimes agit, quos semel exaltare cæpit. Quod egregiè Pelagius 11. in Epistolâ ad quosdam Episcopos Italiæ to. 2. Concil. sic exponit. *Diuina,* inquit, *beneficia gradibus semper ascendunt, & quibus bona conferunt, meliora pollicentur: semper enim incrementis ad culmen ascenditur, vbi supremus fauor præstat exordium.*

Chrysosth.

Plinius.

Pelagius.

Quocirca B. Ioannes dignè præcursoris munus obijt, quia fuit magnanimus; cùm æquè pauperi, ac diuiti: æquè subdito atq; Regi: veritatem palam in os loqueretur. Vt propter hoc auctoritatis speculum, Herodes illum velut numen quoddam obseruaret, & veneraretur. Dignè obijt munus suum: quia fuit in eo summa dicendi venustas: vis eloquentiæ admirabilis, vt vox clamantis, hoc est; verbi æterni præco dici mereretur. Eluxit hæc illius facundiæ

Dan 2. n. 4. textus, *Regi Syriacè.* Quasi non proprio ac natiuo idiomate, sed obscuro & ignoto suam proderent ignorantiam, ne palam detegeretur. Denique suam sanctitatem Christus Dominus, modestiæ causâ humiliter occultabat. Frequentiùs enim in sacro Euangelio dici solet Filius Hominis; quàm Filius Dei: non ob aliam causam, nisi vt huius appellationis sanctitatem, illius cognominis infirmitate occultaret. Sic videtur sentire D. Hieronymus super illa verba Salomonis: *Gloria Dei est celare verbum.* Vbi S. Doctor in hunc modum ratiocinatur. *Gloria,* inquit, *Dei in carne apparentis est, humanitatis suæ infirmitatem magis; quàm diuinitatis æternitatẽ mortalium oculis ostendere, & se potiùs operum miraculis ac mysticis locutionibus; quàm apertis assertionibus Dei Filium fateri. Vndè multò sapiùs in Euangelio Filium se hominis; quàm Filium Dei appellare consueuit.*

Prou. 25. n. 2.

S. Hieron.

Fuit hæc profunda humilitas in B. Ioanne Baptista, quem Prophetam, Angelum, & maiorem inter natos mulierum, vel ob solam iactantiæ fugam, Christus Dominus appellauit. Nam & hic cùm ad summum illum honorem vocatus esset, vt Regi regum in terris nato Christo Domino præiret: tanto se honore haud dignatus est: *Non sum,* inquit, *dignus vt soluam corrigiam calceamenti.* Quam

Ioan 1: n. 27.

diæ ſuauitas, cùm innumeras homi- A diq; premunt : eaq; aut auferat, aut
num turbas ad Deum traheret, prædicans ilis cæleſte illud medicamentum : *Pœnitentiam agite.* Quod Sanctus Ephrem tra. de Pœnitentia to. 3.
S. Ephrem conſiderans ait : *Prædicans de Pœnitentia, ipſe pœnitentibus ſcopus euaſit, & ſpeculum, & exemplar, vt & ipſi verè pœnitentes eſſent.* Quibus enim ſtudijs occupabatur, qui ex animo pœnitens eſſe voluit? A lautioribus cibis in ipſa ſtatim infantiâ, abſtinebat : dulcia hominum commercia : molle ſtratum : delicatum veſtitum : & B quicquid carni humanæ ſuaue atque gratum eſt; id fugiebat, & refutabat. Otioſas conſuetudines declinabat : vt eam ob rem ſeceſſum ab hominibus fecerit, prædicans in deſerto : vbi cibus eius fuit locuſtæ, & mel ſylueſtre. Stratum illius, dura humus : ornatus eius ſatis aſperus : habebat enim veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos eius. Quem vitæ rigorem propterea S. Ioannes ſeruauit, vt alios facilius ad vitæ pœnitentiam permo- C ueret. Non eſt enim fortius remedium, alios ad meliorem vitæ frugem trahendi; quàm vt ipſe te illis addicas. Siquidem facilè à vita voluptatis alios abſtrahit, qui abſtinens eſt. Benè obijt munus ſuum S. Ioannes : quia fuit in illo humilitas humanâ virtute maior : perfectio Angelicâ dignior; & Deo ſummè accepta. Neq; tantùm in terris B. Ioannes Chriſto præire meruit : ſed credibile plurimi ſapientum cenſent, futurum fore, vt etiam in cœlo ſtet ante D præſentiam diuini throni, virgam curulem tenendo. Immò & in futuro mundi iudicio, præcedet Chriſtum Regem, ad iudicandum deſcendentem, cum hoc ſigno.

Verùm quia in hac virga curuli duplicem ego inſcriptionem cerno : Nam in ſummitate illius ſcriptum eſt : FVTVRA ET PRÆSENTIA CERNO. ad ima verò : INQVIETA QVÆQ; COMPONO : ad hunc cœleſtem Marſchalcum hodiè ſuſpiremus, vt ille cernat præſentia, quæ genus humanum vn-

certè in melius muret. Vt cernat ſimul futura, quæ regno Chriſtianiſſimo imminent; & ſi infortunium portendunt, illis occurrat, ne eueniant : ſi verò meliorem ſpondent fortunam, in Dei honore propagando, & Chriſtiano nomine glorificando; illis auxiliarem ſuam dexteram porrigat. Poſtulemus etiam ſimul, vt inquieta quæque & pacem Chriſtianam turbantia, in hoc orbe ſublunari componat, Seditiones tollat : & omnem ſtatum tranquillum reddat.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Erit magnus coram Domino.

S. Ioannes, nomine, natiuitate, ſanctitate, operibus, fuit magnus.

NEmini adhuc æterna illa ſapientia, tantum laudis elogium; & magnæ perfectionis pluſquàm humanum, aut homini competens encomium attribuit; quàm Beato Ioanni. Cuius hodiè ſolennem feſtiuitatem militans in terris celebrat Eccleſia : dùm eum magnum fore coram Deo nuntiat Angelus. Magna fuit Dauidis perfectio; nec tamen ſe magnum eſſe fatebatur : nec à Deo plus audiuit, quàm; *inueni virum ſecundùm cor meum.* Magnus Iob, & in ſua patientia planè inuictus; & tamen illum Scriptura ſacra magnum vocare non audet, ſed ſolùm rectum & ſimplicem. *Non enim,* inquit, *eſt illi ſimilis in terra, vir rectus, & ſimplex, ac timens Deum, & auertens ſe ab omni opere malo.* Iob 1.
Magnus Aaron in ſanctitate, quem Deus per Moyſen in Pontificem elegerat; nec tamen magni nomen coram Domino obtinuit. Solus Beatus Ioannes Baptiſta ad tantam peruenit felicitatem, & virtutum omnium plenitudinem, vt coram magno Deo, magnus fore nominaretur. Quare in hodierna ſolennitate, in magno coram Deo ſancto, Beato Ioanne, & Leuit. 8.

magnum

magnum nomen, & magnam no- A minis sanctitatem meritò considerabimus.

Dicerem S. Ioannem ideo magnum fuisse coram Domino, quia conceptio eius ab Angelo fuit prænuntiata parentibus in senectute eorum. Cùm Deus suos Angelos, nonnisi ad magnos in sanctitate viros mittere soleat. Cùm enim Zacharias sacerdotio functus, templum Domini ingrederetur, vt incensum offerret. *Apparuit illi Angelus Domini loquens: ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.* Sed non hæc est causa Catholici: etenim idem priuilegium concessum erat Samsoni, quem vxori Manue sterili quoq; Angelus prænuntiauerat, teste Sacra pagina: *Cui apparuit*, inquit, *Angelus Domini, & dixit ad eam, sterilis es, & absq; liberis: sed concipies & paries filium, & erit nazaræus Dei ab infantiâ suâ, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum.* Neque tamen ideo magnus fore coram Domino dicebatur. Igitur nec Diuus Ioannes eam ob causam magnus coram Domino vocari debet.

Lucæ 1. g. 3.

Iudic. 13.

Dicerem magnum esse coram Domino B. Ioannem, quia in vtero sanctificatus est: *Spiritu Sancto*, inquit Angelus, *replebitur ab vtero matris suæ.* Peccati enim illius originalis tàm maligna natura est, vt omnes suâ peste inficiat: quemadmodùm palam docet Angelicus Doctor asserens: errorem esse, genitum aliquem ex Adamo per seminalem generationem, immunem facere ab originali. Proindè non potest maius beneficium homini conferri; quàm ab hac peccati malignantis peste mundari. Sed neq; ideo B. Ioannes magnus coram Domino potuit esse, siquidem hoc priuilegium Hieremiæ etiam Prophetæ concessum erat: attestante id æternâ sapientiâ: *Priusquàm te formarem in vtero noui te, & antequàm exires de vulua sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.*

Lucæ 1.

S Thomas q 4 de malo art. 6.

Hiere. 1. n. 5.

Magnus igitur fuit coram Domino S. Ioannes, primò propter nomen ipsum. Quid enim aliud nomen hoc *Ioannes* denuntiat, nisi gratiam Dei, vt interpretatur D. Hieronymus de Hebraicis nominibus. Beda, Origenes, Rupertus. Quæ gratia consistit in amicitiâ, & dilectione diuinâ, vt docet euidentissimè Sapiens in Canticis. *Si dederit*, inquit, *homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Quasi diceret: non est digna ponderatio B animæ diligentis Deum, & quæ vicissim ab eodem diligitur. Quia omnis terrena substantia labilis, & caduca, dilectio autem Dei semel in animo hominis Deum timentis radicata, non facilè euellitur. Quod eodem capite statim comprobat Sapiens. *Aqua*, inquit, *multa non poterit exstinguere charitatem.* Quia vt ibidem exponit S Ambrosius, charitas adamante fortior est, & vinculum indissolubile. Nulla diluuia diuinam charitatem excludere possunt, nulC la eam acerbitatum flumina inundare valent. Sicut enim arca in illo mundi diluuio, totius orbis spatijs innocua ferebatur, ita & homo Deo acceptus, aduersùs omnium tentationum fluctus immobilis perstat. *Aqua multa non poterit excludere charitatem, & flumina non concludent eam.* Quia torrentem transit anima diligentis: nulla tempestas, nullum profundum periculum, nullus terror mortis, aut pænæ, vim charitatis intonuit. In his enim probamur, in D his beata vita est, etiamsi multis periculis inundetur. Non enim frangitur Sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis, sed etiam in ærumnis beatus manet. Neque enim aduersa corporis vitæ beatæ munus imminuunt: neq; de eius suauitate aliquid delibant. Quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo consistit, sed in conscientia pura ab omni labe peccati, & in eius mente, qui cognoscit; quia quod bonum est, hoc delectat, etiamsi asperum sit: quòd verò indecorum, etiamsi suaue,

S. Hieron. Origenes, Beda, Rupertus.

Cantic. 8.

S Ambros.

non mulcet. Sunt ergo fastigia pietatis, sunt culmina charitatis, quæ vaporem gratiæ pectoribus humanis adolere consueuerunt, vt multa aqua exstinguere, atq; excludere non queat charitatem, & flumina eam sæcularium tempestatum nulla concludant. Ideoque charitate fundatus Dauid loPsal. 118. quitur: *Torrentē pertransiuit anima nostra.* Nunquid aqua maris excludere potuit Moysi charitatem? Nempè diligens Deum tutum sibi iter credidit esse per maria: qui autem non dilexerunt Deum, hi demersi fluctibus, B dignum sacrilegij sui exitium pertulerunt.

Hinc iam non miror, magnam fuisse contentionem inter cognatos, & parentes Diui Ioannis, de isto nomine. Zachariam ipsi nominare volebant, sed reclamat mater, Ioannem vocans. Consulitur mutus senex, cuius ligata quamuis lingua responsum negat; manus tamen idem, quod mater volunt. *Et postulans pugillarem scripsit: Ioannes est nomen eius.* Luæ 1. Mirantur omnes nomen peregrinũ, C & iustè; quia ab alto missum. Non enim in terris diuina gratia nascitur, sed è cœlo venire solet: idcireò nec nomine terreno, sed cœlesti debet significari. Verùm inquiunt Latinistæ, nihil prodesse nomen hominibus, nisi simul res adsit: iuxta illud Pòëtæ.

Conueniunt suis nomina sæpè rebus.

Circumspicite quæso Catholici, magnum Christi præcursorem Ioannem, nùm eius nomini res ipsa respondeat. Nomen quod gratiam so- D nat, datum est Ioanni; sed quia priores sunt res vocibus, ipsa gratia hoc nomen antecessit. Nam adhuc in vtero matris, ad primam SS. Deiparæ aduentationem, Spiritu diuino repletus erat. Quo trutinato S. Bonauentura cap. 5. meditationum vitæ Christi: *Vide, inquit, quanta virS. Bonau. tus sit in verbis Domina, quia ad eius pronuntiationem confertur Spiritus Sanctus: sic enim abundanter ipsa erat plena, vt eius meritis ipse Spiritus S. etiam alios repleret.* Et D. Gregorius Thaumaturgus Serm. 2. de Annuntiatione. *Vox, ait, Mariæ efficax fuit, & Spiritu S. repleuit Elizabeth, ac veluti ex perenni quadam fonte, instrumento linguæ flumen charismatum per prophetiam cognatæ fuæ transfudit.* Gregorius Thaumat. Gratiam sonat Ioannes, quia ante natiuitatem sanctificatus, tantam magni in carne Dei meruit gratiam, vt ab eodem in vtero pariter Virginis immaculatæ requiescente; inuiseretur. Gratiam sonat parentibus Ioannes: nam quod maius donum à Deo concedi potest hominibus; quàm in decrescentibus annis, cùm iam ætas per virium debilitatem impotens redditur ad generandum; prolem ex gratia Dei obtinere. Gratiam sonat cognatis, quia omnes in natiuitate eius mirâ perfusi lætitiâ fuêre. Quasi aut prouecta parentum illius ætas tunc renasci videretur, aut certè ex adustis senio membris, nouus quidam vitra ordinem naturæ prodiret phœnix. Tàm gratissimus verò desideratæ prolis euentus, quomodò summum in animis cognatorum gaudium excitare non debuit?

Gratiam denique; sonat B. Ioannes magnæ dignitatis, quia fuit omnium prophetarum maximus, & vltimus, teste incarnatâ sapientiâ: *Lex, inquit, & Prophetæ vsq; ad Ioannem.* Matt. 11. hoc est; non quod lex defecerit post aduentum Ioannis, sed quia ab illius temporibus incepit euangelij sancti prædicatio. Quia verò videntur minora quasi perire, quandò potiora succedunt, ideò meritò dicitur, *lex & prophetæ vsq; ad Ioannem:* Cùm enim hæc omnia fuerint vmbræ quædam, ad lucem sancti Euangelij superuenientem exstingui debebant. Et licet quidem non defecerit vnquam à populo Dei propheta, vsq; ad necem S. Ioannis; quia tamen omnes prophetauerunt Messiam venturum tantùm inumbrando, vtpotè sub ænigmate: iam verò B. Ioannes eundem Messiam, non iam sperandum, & affuturum, sed præsentem prædicebat, adeò vt iam nulla Prophetarum oracula de illo procedere

pos-

possent, vt deducit Tertullianus lib. contra Iudæos: *Iam non visio nec Prophetes est, qui Christum nuntiet venturum.* Iurè igitur magnus est B. Ioannes, vel propter ipsum nomen tàm multa præclara significans.

Tertullia.

Magnus erat S. Ioannes, vel ob ipsum natiuitatis suæ tempus: quemadmodùm Augustinus & Beda ho 2. de natiuitate Ioannis notarunt, non vacare mysterio, quòd Ioannis natiuitas in illos dies inciderit, qui decrescere incipiunt: Christi autem Domini natiuitas euenerit, quando dies sua restaurant iucrementa, quod ipsemet S. Ioannes expressit inquiens: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Hoc est, vt exponit S. Ambro. lib. 2. super Lucam cap. 3. quia Ioannes referebat personam Iudæorum, voluit insinuare in sua diminutione, quòd oporteret minorem fieri populum Iudæorum, crescere autem in Christo populum fidelium. Duæ profectò iste natiuitates admirandæ sunt, scilicet; Christi Domini, & S. Ioannis. Christi natiuitas diebus qui crescere incipiunt euenit, quia solem æuiternæ illius lucis mundo intulit: sine cuius numine nihil est in homine, vt sic à primo suo ortu, vsque ad vltimum paternæ dexteræ gradum assurgens, toti mundo innotesceret: ne quispiam reperiretur, qui cœlestis istius lucis radio; sine quo nec vita, nec conseruatio, neq; salus haberi potest, destitutus esset. Ioannis porrò natiuitas incidit in dies, qui decrescunt, vt quemadmodùm ex lunæ defectu, Solis præstantia magis elucescit; sic quoq; ex diminutione opinionis, quæ fuit de Ioanne, quòd ille Messias esset, Christi diuinitas abundantiùs mundo innotesceret.

Augustin⁹. Beda.

Ioan. 3.

S. Ambro.

Cœlestis luna, totum lumen à sole participat, iuxta doctrinam Philosophorum; quia tamen in maiori copia, quàm cætera astra, idcò longè præstantior inter minores planetas habetur. D. Ioannes, quemadmodùm omnes alij, gratiam & sanctitatem à Deo, tanquàm à Sole accepit, sed longè in maiori copia, quàm cæteri Sancti. Nam de S. Stephano dicitur. *Plenus gratiâ, & fortitudine.* De S. Ioanne plus enuntiatur, quòd non solum gratiâ (quæ accidens est) sed Spiritu diuino repletus fuerit. Apostoli omnes repleti erant Spiritu Sancto, sed tunc primùm, cùm iam Euangelium prædicare debebant omni creaturæ: Solus B. Ioannes adhuc in vtero matris, repletus Spiritu Dei exultasse dicitur, præ ingenti diuinæ gratiæ copiâ. Luna erat empyreæ sphæræ D. Ioannes; quia cùm ille decrescere cæpisset, tunc primùm Christi diuinitas à multis credebatur. Nam cùm mitterent Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent eum: *Tu quis es*, dicit Sacrum Euangelium: *confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus.* O magnum humilitatis argumentum! in tanta omniũ reputatione, Messiæ titulum sibi non arrogare, sed præconem tantùm eius seipsum nuncupare. Quis hic non obstupescat? D. Ioannes de suprema apud Iudæos dignitate quæsitus, cuius iam singulare specimen dederat, totius vitæ austeritate, diuinâ prædicatione, & noui administratione baptismi: non frigidè & cunctanter, quasi sibi quidem arrogare nolens, videri tamen cupiens; quemadmodùm pleriq; mortalium, existimationes honorificas verecundiâ compositâ fugientes, eas ambiunt, & quærunt magis: sed clarè & constanter negat se illum esse, qui putatur. O sancta veritatis confessio! de veritate interrogatus D. Ioannes, æternam illam veritatem, sine quâ humana mendacia nequeunt sanari, omnibus credendam proposuit, se minimum, nec dignum Messiæ corrigiam calceamentorum soluere asseuerans.

Actor. 6.

Ioan. 1.

Sed propter hanc eximiam humilitatẽ, eleuatus quoq; est ad summam perfectionem, loquente idipsũ Christo Domino. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* Non surrexit inquam maior

Matt. 11.

maior in castitate, quia etiam Angelos prætergressus est. adeò, vt illum æterna sapientia, non alio, quàm Angeli nomine appellauerit. *Ecce*, inquit, *ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Non surrexit maior quoad nomen : quia soli Christo Domino, & B. Ioanni ante ipsam natiuitatem, nomina velut in cælo iam decreta, & immutabilia prædicta sunt. Non surrexit maior quoad doctrinam, quia inter tres Euangelistas primatum obtinuit, vt docet D. Augustinus de consensu Euangelistarum tom. 4. Quia tres Euangelistæ, Matthæus, Lucas, & Marcus, de Christo planè vt homine scripserunt; Beatissimus autem præcursor, digito Christum monstrans. *Hic est*, planè sicut alter ille Ioannes Euangelista, ipsam diuinitatem Christi, quâ Patri est æqualis, videtur indicasse. Nam verba illa Beati Ioannis Baptistæ. *Post me venit, qui ante me factus est*, nonne apertissimè diuinitatem pariter, atq; Christi humanitatem exprimunt. Nam factum esse, non ad diuinitatem, sed ad incarnationis pertinet naturam. Vt palam fiat immensum & incomprehensum Deũ, per sui ipsius quodammodò depressionem ad fragilitatem carnis, hominem factum esse, vtque ipsum incarnatum declararet esse, qui ante sæcula erat. Post me inquit venit, qui ante me factus est : hoc est; supra meritum meum factus est, supra meam gratiam : tempore carnis posterior, diuinitatis honore prior. Post me enim venit, temporis est : ante me, æternitatis : ante me factus, honoris est : quia incarnationis mysterium supra omnem humanam gratiam est. Vnde statim addit S. Ioannes. *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Quasi diceret : Ego creatura vilissima sum, Christus Creator, ego homo vanitati similis; Christus homo quidem, sed diuinitati vnitus : non sum proindè dignus vt ei aut in honore, aut in virtute æquiparer. Nam quæ proportio luci ad tenebras, viatori ad comprehenso-

Matt. 11.

Ioan. 1.

Ibidem.

A rem, mortali filio, ad Deum hominem. Respexit hic vt video S. Ioannes, ad illam veteris testamenti legem, vbi proximo defuncti aut fratri, copula deferebatur eius vxoris, vt semen fratris vel proximi resuscitaret; non tamẽ mulier viduata viro, aliter eius vxor potuit fieri, nisi ipsi calceamentum soluisset. Quæ lex altissima mysteria continebat : aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundùm literam sensum torqueamus, propè quidam pudor est, & hor-

B ror in verbo est, si ad commixtionis corporeæ consuetudinem, sententiam intellectumq; referamus. Verùm ista lex Iudæorum, designabat Christum secundùm carnẽ, ex Iudæis futurum, vt proximi sui, hoc est; populi Iudaici mortui semen, doctrinæ cœlestis semine resuscitaret, cui calceamentum nuptiale ecclesiæ copulandæ, præscripta legis spiritalia deferebant. Solus igitur Christus sponsus est, cui S. Ioannes calceamenta soluere non est ausus : vt illi

C veniens ex gentibus sponsa, ante inops atq; ieiuna, verùm iam Christi messe dines, nubat. quæ manipulos fœcundæ segetis, verbiq; reliquias gremio legat mentis interno; vt exhaustam illam viduam morte filij, atque inopem defuncti populi matrem, nouis pascat alimentis, non relinquens destitutam viduam, & nouos quærens. Solus Christus est talis sponsus, qui nec Synagogæ ipsi manipulos suæ messis inuidebat, ni seipsam vltro exclusisset. Solius ergo Christi calcea-

D mentum nemo soluere potuit, nisi sponsa eius Ecclesia, quam à Libano vnus ille & solus vocauit, dicens : *Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano.* Cantic. 4.

Sed difficultatem mouet non leuem facer Euangelista inquiens : *Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Quomodò ergo internatos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista? cùm plurimi ex illis sint in regno cœlorum. Verùm tripliciter Doctores Sancti docent, accipi Regnum cœlorum. Primò, pro Ecclesia triumphante, quemadmodùm

Ruth. 3.

Matt. 11.

S. Augst. Hieron. Beda. dùm illud accipiunt S. Augustinus lib. 2. contra Aduersarios legis, & Prophetarum. Hieronymus, & Beda supra Matt. 11. tunc certum est, quòd minimus Angelorum, aut etiam Beatorum, maior erat Ioanne Baptistâ: quia ille adhuc fuit viator; melior autem est conditio beati, quàm viatoris: & victoria fruentis melior, quàm in prælio adhuc decertantis. Secundò, accipitur Regnum cœlorum pro Ecclesia militante: quemadmodùm illud accipiunt, Hilarius, Euthymius, & Theophylactus super Matt 11. & S. Chrysosthomus homil. 7. in Matt. Tunc quoniam D. Ioannes pertinebat ad Synagogam, seu ad legem Mosaicam, & Iudæorum: Ecclesia verò per Christum erecta, maior est ratione status Euangelij, quàm fuerit Synagoga. Idcircò etiam minimus in Ecclesia Dei, maior erat Ioanne Baptistâ; non quidem dignitate, aut sanctitate personæ, sed conditione status: quatenùs status Euangelij longè præstantior est, statu legis scriptæ. Tertiò tandem Regnum cœlorum accipitur pro ipso Christo, in quo tota gloria Regni cœlestis, & diuinitas inclusa fuit. Idcirco meritò dicitur, qui minor est in Regno cœlorum, maior fuisse illo: quia licet Christus natus, tempore, & ætate fuit minor Ioanne Baptistâ; dignitate tamen erat maior illo, vt pote simul Deus. Præterea quia Christus Dominus natus in mundo, despicibilis & contemptibilis tunc temporis repudiabatur à superbis & inuidis Iudæis; nihilominùs fuit excellentior Ioanne Baptistâ, quem Iudæi mirum in modum efferebant. Sub his acceptionibus S. Augustinus, apertissimè explicat Regnũ cœlorum, lib. 2. contra Aduersarium legis & Prophetarum. *Aut enim*, inquit, *Regnum cœlorum eo loco appellauit Dominus, quod nondùm accepimus, & in quo nondum sumus. vnde & in fine dicturus est: venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Et quia ibi sunt sancti Angeli, quilibet in eis minor, maior est vtiq; quolibet sancto & iusto, portante cor-*

Augustin. Matt. 25.

pus, quod corrumpitur, & aggrauat animam. Aut si Regnum cœlorum in ea sententiâ illis intelligi voluit, quâ & in hoc tempore significatur Ecclesia, cuius filij sunt omnes ab institutione generis humani vsq; nunc, quotquot iusti & sancti esse potuerunt: profectò seipsum Dominus significauit, quia nascendi tempore minor erat Ioanne, maior autem diuinitatis aternitate, & dominicâ potestate. Sapien. 9.

Magnus adhuc erat B. Ioannes, ob magnam parentum suorum sanctimoniam. Elizabeth enim cùm significet Dei iusiurandum, ita fuit in seruandis Dei iuribus circumspecta, vt illa nusquàm violauerit. Zachariasquoq; significans Dei memoriam, præsentem semper habens præ oculis Deum, in tanta proficiebat pietatis perfectione, vt sacerdotio functus, alterum Aaronem repræsentaret. Idcircò licet magna parentum nomina nihil filijs conferre videantur, iuxta illud Poëtæ.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Sanctitas nihilominùs parentum, plurimum filijs confert: cùm iustitiam hominum ita Deus appretietur, vt eam spectaculum multis esse velit.

Magnus deniq; fuit coram Domino S. Ioannes in suis operibus: quia statim à prima infantia, ne gratiam, quam in ipso adhuc matris vtero diuinitùs infusam acceperat, amitteret; sese in eremum seruiendi Deo causâ contulerat. Non ita processit S. Ioannes, quemadmodùm mundi istius sectatores: iuuentutẽ illi mundo consecrandam putant, nec opus esse à teneris assuescere virtuti, sed sufficere senectutem ad piè beneque viuendum. Non credidit fallaci huic mundo S. Ioannes, sed ab ipsa statim infantiâ Deo seruire cæpit in deserto: sciens arduum esse Dei seruitium, & difficile esse, inchoare in adulta ætate, qui non cæperit in tenerâ. Ad quod pulchrè alluserit Propheta inquiens: *Si potest Æthyops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* Hierem. 13.

lum. quasi diceret: quia Ætyops, & pardus, ab ineunte ætate contrahunt, ille nigredinem, hic maculas, ideò mutari nequeunt. Sic homo quibus vitijs à prima statim ætate assuescit, firmiter illis adhæret, & difficilè ab illis abstrahitur. Idcircò Diogenes peruersum quendam senem castigans, rogatus, cur non misereretur senis, respondit: *Ætyopem*, inquit, *lauo*. Quasi diceret: iste inquit à primâ pueritiâ vitijs assuetus est, proindè velut Ætyops in sua nigredine inuariabilis, in ijsdem permanens, virtutes amplecti recusat.

Diogenes.

Cùm filius mulieris illius Sunamitis mortuus esset, venit illa ad Elizæum virum Dei in montem Carmeli, postulans vt resuscitaret filium eius. Elizæus verò misit Giezi puerum suum cùm baculo suo, vt resuscitaret à mortuis defunctum infantem. Iuit ille, & posuit baculum super faciem pueri, (vt sibi commissum habuit) & non erat vox, neq; sensus, reuersusq; nuntiauit ei dicens: *Non surrexit puer.* Tunc mæsta pueri genitrix ait: *viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te.* Tunc surrexit Elizæus, & secutus est eam, ingressusq; domũ, clausit ostium, & orauit ad Dominum: posuitq; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas, super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. Quid aliud puer ille defunctus denotabat, nisi vniuersum genus humanum, quod in Paradiso spiritaliter mortuum erat. Ad quod curandum tot Prophetæ missi fuêre, sed nihil effecerunt, quia non erat vox, neq; sensus. Venit tandem B. Ioannes Baptista in desertum ad mortuum genus humanum, vbi prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, plurimos velut à morte ad vitam, à peccato ad gratiam iterùm reduxit. *Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudea, & omnis regio circa Iordanem.* Discurrens S. Thomas super hunc locum quærit, cur S. Ioannes in deserto prædicauerit? Et quatuor

4. Reg. 4.

Matt. 4. n. 5.

S. Thomas.

causas istius rei assignat. Primò, vt quietiùs audiretur: in ciuitate enim multi criminosi eum impediuissent; in desertum verò nonnisi studiosi ibant. Secundò, quia pœnitentiam prædicabat, cui deserta loca apprimè congruunt, vt testatur Rex Dauid: *Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine.* S. autem Augustinus legit *in deserto.* At in quo deserto? vbicunque fugeris Rex Sancte, congregabunt se cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam: tu repellere non potes societatem fratrum. Miscentur tibi etiam mali, adhuc tibi exercitatio debetur. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in deserto.* In quo deserto? si forte in conscientia, quo nullus hominum intrat, vbi nemo tecum est, vbi tu, & Deus es. Sic est, ad conscientiam fugerat Dauid, ibi aliquantum desertum inuenerat, vbi requiesceret. Tale desertum incoluit S. Ioannes, scilicet conscientiam puram, de qua pœnitentiæ baptismum prædicabat delinquentibus. Tertiò, ad designandam conditionem Ecclesiæ Sanctæ, quæ per desertum significata est: *Lætare sterilis quæ non paris, quia multi filij deserta.* Quartò, ad designandam conditionem Iudææ, quæ iam à Deo derelinquebatur, teste Sacra pagina: *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta.*

Psal. 54.

Isaiæ 54.

Matt. 23.

Magnus igitur erat coram Domino S. Ioannes, vtpote vox clamantis, Iudæos ad pœnitentiam, & baptismum suscipiendum fortiter impellens: Laudet ipsemet Christus Dominus eius opera. *Si vultis*, inquit, *recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Vbi eius opera comparat cum operibus Eliæ: sicut enim Elias in locis tantùm solitarijs habitabat, vt in Monte Carmelo, & ad torrentem Carith, sic B. Ioannes à tenera ætate eremum incoluit, cui similis erat in victu. Elias à coruis pascebatur, B. Ioannes melle syluestri apum opere confecto victitabat. Similis in virginea castitate: Dicit enim S. Epiphanius in ancorato: Elias erat in virgi-

Matt. 11.

3. Reg. 17.

Epiphan.

virginitate, vt prærogatiuâ virginitatis immortalitatem mundo prædicaret. Ioannes non tantùm in eremo; sed etiam in aula Herodis illibatam virginitatem conseruauit, vt non tantùm immortalitatem; sed veram quoq; Christi diuinitatem, homines suæ castitatis prærogatiuâ edocuisset. Fuit Elias zelo prædicationis incensus: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* B. quoq; Ioannes, *lucerna ardens & lucens* à Christo appellatur. Eliæ insidiabatur Iezabel impia Regina, propter clausum cœlum ne daret pluuiam, & occisos Prophetas. Beato Ioanni pariter insidias struxit Herodias, quòd cor Herodis auerterat ab illa. Iurè meritò proindè magnus fuit S. Ioannes, quia ipso maior Eliâ. Fugit hic Iezabelem: D. Ioannes gladio Herodis martyrium subijt, tanquàm verus defensor castitatis, & præco iustitiæ; reprehensor verò seuerus, incestus Herodiani.

Ecc. 48.

Ioan. 5.

3. Reg. 18.

Matt. 14.

Quare vidimus iam D. Ioannem, meritò vocatum fuisse magnum ab Angelo coram Domino, non propterea, quòd eius conceptio prænuntiata fuerit, quia etiam idem priuilegium Samsoni datum erat. Nec ideò quia in vtero sanctificatus est: quoniam & Hieremiæ idem concessum fuisse non ignoramus. Sed magnum appellari propter ipsum nomen, quod gratiam sonat. Magnum propter natiuitatem: quia & sterilibus natus parentibus, & in ipso æstatis solstitio; quod scilicet, magno diuini amoris calore homines incensurus esset. Magnum ob sanctitatem parentum. Magnum denique propter operum perfectionem, & martyrij constantiam. Contendamus igitur acriter de Magno nostro Ioanne, vt per nominis eius inuocationem, Dei gratiam quam significat, feliciter assequamur. Imitemur in eius habitatione solitudinem; In aula ille Herodis solitariam egit vitam: inter fallentes mundi illecebras nos quoq; solitariè, id est; solum cogitando Deum, viuamus. Amplectamur doctrinam eius: ad pœnitentiam ille nos vocat, proni sequamur. Imitemur deniq; operum eius sanctitatem; fallaci ille mundo non credens, credo apud mundum noluit habere. Sed quia ipsam Christi diuinitatem clarè sibi reuelatam, hominibus cognoscendam prædicebat, eandem clariùs in cœlis visurus properauit: & nos quoq; minimè vanitati rerum mundanarum credendo, ne Deum, quem credimus amitamus, vel ipso Ioannis nomine compulsi, illi semper velimus adhærere.

A

B

C

DIE SS. APOSTOLORVM, PETRI & PAULI, CONCIO PRIMA.

Interrogauit discipulos suos dicens: quem dicunt homines esse Filium hominis. *Matth. 16.*

B. Petrus & Paulus sunt duo luminaria magna in Ecclesia Christi.

GRaue forsan quidpiam Christus Dominus, apud impiũ mundum sibi parari præsensit. Quòd scisciteturâ suis discipulis, quis rumor, quæ fama, quæ opinio, per ora mortalium de illo volitat. Non enim latebat Saluatorem nostrum, illud consilium Salomonis: *Laudet te alienus, & non os tuum.* Quasi diceret: ne quæras

D

Pr ou. 27.

ras, quanti te mundus faciat, si fortè perfectus coram Deo velis haberi. Plerumq; enim & fidem auditoribus abrogat, & apud Deum censuram subit, qui seipsum commendat. Nec satis esset ad excusationem Christi Domini, quòd non ex alienis, v. g. sæculi huius filijs ingloriè viuentibus; sed ex domesticis, probatæ fidei discipulis, virtutum suarum reputationem quæsierit. Quia tàm apud probos, quàm apud iniquos commendari velle, vitio dignum: vt docet Sapiens: *Porrò*, inquit, *à turpibus laudari æquè turpè est, ac si ob turpia lauderis: non enim est speciosa laus in ore peccatoris. Et pudendum est illis placere, quos nolis imitari, A bonis autem commendari etsi decorum est; non tamen vsquequaq; securum. Nam & ad præcipitium humana laus impellit, & plerumq; non vero prouenit iudicio. Solus enim spirituum ponderator est Dominus.* Magnum proindè aliquid Christum Dominum ad hoc impulit, vt quæreret, quidnam de illo sentirent homines. Scilicet, vtilitas populi, vt hac interrogatione suam apud homines diuinitatem probaret. Quemadmodùm censet S. Chrysosth. homil. 55. in Matt. *Non dixit*, ait, *quemnam me asserunt Scribæ & Pharisæi, quamuis crebrò etiam ipsi cum eo collocuti fuerint, & miracula nonnulla viderint: sed quem me dicunt esse homines.* Quia populi opinionem de se quærebat, vt quem Pharisæi iniq; calumniabantur, eum populus facilè Deum confiteretur. Optimum perfectò documentum, vt sicut propriæ virtutes aliquando ob humilitatem propriam occultantur; ita propter vtilitatem alienam aperiantur interdùm. Sic Dauid suas de vrso & leone victorias apud fratres & milites occultauerat; easdem tamen postea apud Saul Regem prædicauit. Nam cùm Saul eum repelleret à certamine: *Non vales*, inquit, *resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersùs eum, quia puer es: hic autem vir bellator ab adolescentiâ suâ.* Tunc primùm Dauid ad referendas suas victorias processit: *Nam & leonem*, inquit, *& vrsum interfeci egò seruus tuus.* Quare autem easdem victorias antea occultauerit Dauid, ratio hæc est: quia illas aut fratribus retulisse, aut militibus, merissima vanitas videretur: Regi autem easdem aperuisse necessitas suadebat, vt sentit expressè Sanctus Chrysosthomus de verbis Apostoli. *Dauid*, inquit, *in ancipiti constitutus, necesse habuit recensere sua præconia.* Sic planè Christus Dominus, quamdiu in teneris annis sub humana carne latere voluit, subticuit suas virtutes. Sed vbi operandæ salutis tempus aduenit, ibi primùm sua opera sanctitatis & admirationis plena, non ad ostentationem, sed ad ædificationem manifestauit Sanctis Apostolis, Petro & Paulo, quærens ex illis. *Quem dicunt esse homines Filium Hominis.* Vbi cur tantùm ex illis duobus Apostolis veritatem humanæ de se opnionis percontari voluerit, breuiter inquiremus.

Eccl. 15.

S. Chryso.

Reg. 17 n. 33.

Ibid. n. 36.

S. Chryso.

Matt. 16.

Indubitatum est, nullam defacto veritatem de Deo cognosci posse, nisi beneficio luminis, cœlitùs homini intùs affulgentis. vt fert proclamatum illud axioma: *Omnia à lumine manifestantur.* Et ratio istius axiomatis facilè deducitur ex analogia luminis naturalis. Sicut enim Philosophi docent, nisi naturale lumen concurrat ad corpoream visionem, oculum corporeum nihil posse videre, quia omne visibile debet esse aut lucidum, aut coloratum: ita planè oculus intellectus humani nihil potest de Deo videre, nisi lumen spirituale infundatur animæ, vt docet Propheta Sanctus: *In lumine*, inquit, *tuo videbimus lumen.* Christus Dominus, pariter vt suam incomprehensam diuinitatem mentibus humanis instillaret, lumine tanquàm instrumento, & medio opus habuit, quod in solis B. Petro & Paulo fulgens adinuenit. Primus enim B. Petrus ex omnibus Apostolis, ceu lumen quoddam pulcherrimum, Christi diuinitatem quasi è tenebris eductam, mundo spectabilem fecit; ore omniũ proclamans: *Tu es Christus Filius Dei viui.*

Psal. 27.

Marci 16. n. 16.

viui. Propter quod meruit summam laudem à Christo præsentibus discipulis audire : *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Quasi diceret : quia non humano iudicasti modo, sed in lumine spectasti veritatem, ideò omnibus meritò anteponi debes. Primus quoque D. Paulus, dùm oculis caligare cæpit, cœlestem veritatem cognouit, Christo de cœlo tonanti respondens. *Domine, quid me vis facere.* In cœlo nescio quo pacto duo signa Zodiaci, Pisces, & Sagittarius sese frequenter comitantur. In Christi pariter Ecclesia, Piscator, & Sagittarius, Petrus scilicet, & Paulus vnâ festiuitate recoluntur. Ille quia retia euasit sæculi, iste quia ex prædone confessor factus est. Placuit enim supremo cœli & terræ gubernatori, Christo Domino, duos in suum obsequium eligere : vnum piscatorem, alterum grassatorem. Illum vocauit ex littore ; istum terruit ex itinere. Illum accersiuit de ponto, istum de cœlo. Cùm igitur Petrus linea castra laxaret in freto ; Christus retia misit in verbo. Cæpit Christus, cæpit & Petrus. Christus discipulum, Petrus piscículum. Et dùm circumdat gentem squameam, ipse venit in retia. Piscis fuit Christus Dominus, ille qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus, cuius iecore per passionem assato fugatus est diabolus ; & per amaritudinem fellis sanatus est cæcus, & illuminatus mundus.

Actor. 9.

Versus igitur B. Petrus ad hunc salutarem piscem, de rete ad Ecclesiam : de mari ad fontem : de captura factus est factura, vt qui ante capturam latebat in salo, mox verbi diuini retia spargeret in toto mundo, & qui antea pisces capiebat, postmodùm homines sagenis spiritualibus irretiret. Paulus quoq; fidereæ vocis tubâ conterritus, elisus est audaciâ, vt non amplius furorem seminaret ; sed erectus in mundo doctrinam spargeret. Ibat Saulus furijs inuectus, duri pectoris efflabat incendium, sanctorumq; sanguinem sitiens, per totam Iudæam alienus ferebatur insaniâ, vt Christi membra laniaret in terris. Factus est vna religione crudelis, vt quæstionarius, & innocentium per campos sceleratissimi aggeris euacuatus. Vt Iudæa quæ pridem sæuierat in capite, crudelitatem exerceret in corpore. Accepit Saulus potestatem à Principibus Sacerdotum, vt homines fidei nostræ occideret, & germinantem fidei campum, manu nefariâ detruncaret. Sed ecce dùm portaret Saulus funereum contra milites Christi gladium ; illicò fulmineum accepit de cœlo testimonium. Dùm grassaretur, percussus est ; dùm Christi sanguinem persequeretur, violento radio cœlestis luminis cæcatus est : & qui aduersùs Deum erigebatur, diuinâ voce terribiliter prostratus iacuit. *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris.* Vbi caput pro membris, scilicet ; Christus Iesvs, pro suis fidelibus clamauit. Cùm enim inquietaretur mysticum corpus in terris, Christus quoq; intonuit in cœlis ; *Saule, Saule, quid me persequeris.*

Actor. 9.

Quid est obsecro, quòd cùm cæderetur fidelis populus, mugiret simul ex alto arcanum ; & contra sæuitiam Pauli, ipsa prouincia cœli conquereretur. Propterea videlicet, vt qui non crediderat resurgentem, saltem crederet in cœlis regnantem, & qui defuncto Apostolorum Domino, asseuerauerat ex sepulchro mendacium ; de cœlo quoq; acciperet viuentis testimonium. *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris.* Et ecce subitò ad hanc diuinæ vocis increpationem infixus in terram, & sæuitiam perdidit ; & conceptam deposuit feritatem, & oculorum cœcitatem incurrit, cæpitq; habere ductores, quos ante habuerat persecutores. Sed quid mirum, quòd Saulus in tantum sæuierit contra Christianos : siquidem à viperinâ illâ Iudæorum rabie, vt viuendi ; ita & laniandi consuetudinem hauserat. Parum enim erat genti eius, quòd crucifixisset Christum, nisi etiam manum in

cœlum mittere non formidaret. Expresserat patibulum, posuerat in ostia sepulchri custodes. Sed quia Christus iam ascenderat ad Patrem, ideò adhuc Sauli genitrix Synagoga non potuit carere seueritate. O Iudæa Prophetarum sanguine temulenta? Nondùm satiata es sanguine iusti Abel, vsq; ad sanguinem Zachariæ. Flumina tui sceleris spumant, & necdùm te satiant. Ab origine mundi sanguinem bibis, & adhuc sitis; necdùm tui facinoris vnda siccauit alueo tui sceleris sitim. Sed ecce prosternitur iam audacia tua, vt erigatur sanctitas. Cadit miles diaboli in acie, vt surgat signifer Christi. Mittit Petrus in sæculum retiaculum: circumfert Paulus in mundo dominicum vexillum. Et ille fit piscator hominum; & iste illuminat signo crucis gentiles.

Duorum igitur geminatam solemnitatem, agit hodiè Ecclesia Catholica, scilicet; B. Petri & Pauli: vtpotè duorum Christi nominis fundatorum. Hi enim duo principaliter electi sunt, ad duorum populorum salutem. Petrus ad Iudæorum, Paulus ad gentium. Petrus vt in Iudæâ veterem, ac desertum agrum repararet, atq; eum sub vmbra legis infructuosum, & à calore veri solis absconditum, fidei salubritate & gratiæ fœcundaret. Paulus verò ad gentes mittitur, & ad terram nouam, quæ nullam ante dederat frugem, nullum fuerat experta cultorem: qui aratro dominicæ crucis proscinderet, & in rudi campo Christi nouellam, infatigabilis operarius excitaret. Petrus itaq; vineam, vbi iam erat, reparat: Paulus vbi non erat, plantat. Petrus in Iudæis arborem ab antiqui germinis nobilitate degenerem, in radice suâ excolit: Paulus verò, in alieno fomite peregrinos ponit gentium ramos. Petrus in Iudæis terram malè fœcundam excolit: Paulus in gentibus nondùm cultam fœcundat. A Petro in Iudæa olea reparatur: à Paulo in gentibus Oleaster inseritur. Petrus in Iudæis mollit duritiam: Paulus in gentibus illuminat ignorantiam. Petrus tenebras & vitia pellit ex oculis: Paulus reddit oculos a natiuitate cæcatis. Sed video ditior in alieno solo vena; quàm in proprio agro. Iudæa enim ad Petri prædicationem refugit lumen, auget suam in Deum feritatem, excitat odia in Christum. Cæca verò gentilitas currit ad fidem, arripit humilitatem, amplectitur ad credendum obedientiam.

Mysterium profectò hic profundissimum latet: per Iudæos enim, qui primi in terris verâ Dei fidem amplexi fuêre, Christianos nobis præ oculis sistit Deus: per Petrum, petram sanctam in qua Christi Ecclesia fundata est, iuxta illud Christi Domini promissum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Per gentiles barbaros quoscunque homines, moribus incultos, crudelitate feros, vitâ belluis non dissimiles, exprimere voluit: & per S. Paulum euangelicos prædicatores nobis in conspectum producit. Quòd scilicet procliuior sit gentilis ad virtutes; quàm Christianus: barbarus ad pietatem; quàm Catholicus: Deum ignorans ad religionem; quàm in vera fide procreatus & enutritus. Clamat Petrus: Christianus es, ne violentiam feceris pauperi, neuè afflicto afflictionem addas: sed obsurdescimus ad hoc. Clamat B. Petrus, in alienam messem, ne immittas falcem: sed degener Christianitas, ceu fabulosum quid apprehendens, adhuc alienum cõmaculat thorum. Venit Petro de suorum fidelium salute desperanti, in subsidium B. Paulus, clamat & hic super Christianos: ne efferatis vos, sed memineritis, quia gratiâ Dei sumus id, quod sumus. Sed nedùm fastus detumescit. Clamat iterum B. Paulus: imitemini Christum in mansuetudine: & ecce adhuc in nobis insolentia, & crudelitas magis excitatur.

Matt. 16.

Vt proindè ipsis iam gentilibus peiores audiamus. Apud gentiles enim suum omnia tenent ordinem:

apud

apud Christianos omnia disordo possedit. Apud gentiles nefas est, vi quidpiam alicui eripere: apud Christianos pyraticas etiam prædationes exercere, sanctitas reputatur. Apud gentiles fundere innocentem sanguinem, crimen infame: apud Christianos totinsontum sanguine pollutas manus habere, potentiæ & fortitudinis cuiusdam signum est. Apud gentiles palam fornicari, morte prohibitum: apud Christianos stupra, adulteria, incestus patrare, ne dicam glorioſum; sed etiam publicum. O peruersitas! ô inuersa stupiditas! Quod apud gentiles turpe; apud Catholicos pulchrum: quod apud barbaros infame; inter Christianos sanctum: quod apud fidei orthodoxæ ignaros vetitum; inter solos Christianos liberum proclamatur. Nec iam vllum supereſt remedium, nisi vt cùm Apostolica doctrina cedit in contemptum, Christus ipse debacchantes in vitijs Catholicos è cœlo perterrefaciat. Atq; vtinam cùm illis vox diuina ita misericorditer agat; quemadmodùm cum Saulo: vt hîc eos prosternat, in æternum autem parcat. Ne cœleste fulmen, dùm super eos Dominus tonare inceperit, & animam & corpus interimat. Clementiorem enim nunc video Christum Dominum ad conniuendum peccatoribus; quàm ad puniendum. Nam hæc est causa: quòd Christus Dominus in Apocal. semel tantùm vocetur leo: *Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid.* Qui tamen in eadem Apocalypsi semel & tricies vocatur agnus. vt scilicet significetur Christum Dominum multò plura signa humanitatis; quam seueritatis solitum exhibere: & magis de mansuetudine agni; quàm de fortitudine leonis gloriari.

Apoc. 5. n. 5.

Cæterùm dùm ita est Christus Dominus misericors, ne abutimini patientiâ eius: veniet enim tempus, quando Leo iste rugiet in monte Sinai; vbi peruersè agentium audacia in timorem, spes in desperationem, ambitio in ignominiam vertetur. Rugiet Leo iste: *Saule Saule quid me persequeris.* Hoc est: quare ô homo, crudelitatem, oppressionem supra eos, qui tibi resistere non valent, exercere ausus es. Quare Doctorem gentium B. Paulum non es imitatus. Super illum sæuientem tonuit semel de cœlo vox Christi, malitiam ipsi exprobrans; & protinùs ex Saulo factus est Paulus: hoc est; ex rebelli, Deo obediens: ex Christianorum persecutore, eorundem instructor. super vestris autem execrandis criminibus toties clamat sancta Ecclesia; nec dùm illa deponitis. Nam ex prædonibus pacifici; ex laniatoribus, sanguinis innocentis defensores, nec ex tyrannis misericordes: immò vt dicam quod res est, ex prioribus ipsis barbaris, homines Christiani haud vultis effici. Quasi verò hominibus, quos affligitis, & non ipsi Deo faciatis iniuriam. O miseri! respicite tandem Christi doctrinam, quid ille vobis dicat: *Quicquid,* ait, *de minimis istis vni feciſtis, mihi feciſtis.* Dei est hæc iniuria, diuina vos quoq; manet vltio. Verùm sicut Deus Saulum in deserto persequentem tantùm terruit; non tamen quid deponere deberet, edocuit: sed ad virum iustum Ananiam misit illum, à quo de omnibus instrueretur. Ita & vos frigidi Catholici terruit quidem iam; sed nondùm puniuit. Verùm expectat tantillum, vt Ecclesiam Sanctã adeatis, vbi solũ veritas proponi solet, vt discatis ex doctrinâ Euangelicâ, quid vobis fugiendum, quid amplectendum sit.

Matt. 25.

Refert Sacra scriptura in Genesi, quòd Deus non statim initio mundi, sed quarto primùm die, luminaria duo posuerit in firmamento, vnum maius, alterum minus. Quæ obsecro istorum luminarium fuit necessitas? quoniam vt docet Pererius in Genesim, primâ statim creationis die, lux quædam sparsa fuit per cœlos, quæ omnibus creaturis sufficeret. Respondet quidem non nemo Doctorum, solem & lunam in cœlo posita esse, ad procreandam terræ fœcunditatem. Sed hæc ratio non subsistit:

Gen. 1.

Pererius.

quia etiam ante solis & lunæ produ- A ctionẽ, iam terra fructus suos ediderat. Postquàm enim dixit Deus, *germinet terra herbam virentem :* statim terra, amænissimis cooperta est floribus, produxitq; omne lignum pomiferum, & omne semen, fructum secundùm genus suum afferens. Præterea, vt ingeniosè docent Naturalistæ, astra non per solum lumen, & calorem; sed etiam per occultas influentias agunt in hæc inferiora. Sole autem & lunâ productis, adhuc isto vtroq; modo egissent astra in hæc sublunaria. Quia etiam ex se aliquantum luminis habent, quo calefacere possunt : & occultas virtutes in se continent, quibus terram humectare, atq; disponere valeant. Quid ergo sole & lunâ opus fuit ? sine quibus & terra parturire, & creaturæ commodè conseruari potuissent. Necessitatem ergo apponit sacer textus : *vt*, inquit, *præessent diei, & nocti.* Quasi diceret : potuisset quidem commodè sine sole & lunâ mundus conseruari, sed in confuso quodam modo, cùm c non esset, quod diei aut nocti præesset. Hæc est mystica ratio cur Christus Dominus in sua Ecclesia sanctâ, geminam simul festiuitatem Petri & Pauli voluerit celebrari : quia isti tantùm, duo ceu luminaria magna, Ecclesiæ Catholicæ præfulserunt. Cùm enim duplices sint in hac rerum vniuersitate homines : alij pauperes & ignobiles, tanquàm miseriæ & noctis tenebrosæ filij. Alij potentes, magnanimi, elati : auro & opibus fulgentes; velut principis astrorum D solis, nati; duplex quoq; luminare in Ecclesia Catholica debuit præfulsisse. Vnum quod in sui imitationem pauperes traheret: alterum, quod suâ præstantiâ â vitijs ad virtutes, â fastu ad humilitatem, à luxu ad continentiam, mundi licentiatos alliceret.

Beatus igitur Petrus præest pauperibus, & ignobilibus : quia & ipse pauper piscator in primatem Ecclesiæ Sanctæ idcircò assumptus est. Iste doctrinâ suâ euangelicâ, trahit inprimis omnes ad obedientiam Deo præ- A standam, quia & ipse ad vnicam Christi vocem, subitò suum Saluatorem secutus est. Vt docet sacrum Euangelium : *continuò*, inquit, *relictis retibus secuti sunt eum.* Deindè trahit omnes ad peccatorum agnitionem, vt quemadmodùm ille suum peccatum amarè defleuit, dolens quòd Christum abnegasset : ita quoque vt etiam nos omnes toto animo conteramur, quòd in conspectu Dei iniq; egerimus. Hinc fit, quòd istis temporibus, & hostis nobis terrori sit, B & quæq; mala occurrentia timorem incutiant : quia conscientia nostra peccatis aggrauata, nolens ad clauẽ Beati Petri accedere, vt resoluatur, etiam vnum phantasma in imagine relucens, horret. Cùm nihil magnũ sine formidine possit aggredi, nisi mens recta, & suæ sibi innocentiæ benè conscia, quam ne ipsa quidem mors terrere valet. Misit quondam Rex Ochozias vnum Principem quinquagenarium, ad Heliam Prophetam accersendum. Sed Helias precatus à Deo ignem de cœlo, quinquagenarium senem absumpsit. Misit deindè Ochozias alterum, quem pariter cœleſtis ignis Heliæ precibus impetratus subitò corripuit, & deuorauit. Misit tandem Ochozias tertium, qui magnâ cum fiduciâ legationem suscepit, ad propheram : immò qui Dei Prophetam ad Regem saluus & incolumis adduxit. Quid quæso rationis, & discriminis, quòd duos illos senes Propheta sanctus tàm immisericorditer tractauerit; tertio autem obediuit? vndè quæso & huic principi tanta fiducia, vt videns iam duos miserè interijsse, vltrò in manifestum rueret interitum. Nam si audiebat priores duos Principes, quod simili legatione fungerentur, cœlesti incendio depastos, cur simile sibi infortunium non timebat?

4. Reg. 1. n. 9.

Triplicem eius audaciæ causam assignat Mendoza in 1. Reg.. cap. 12. Mendoza n. 4 & 5. Primam quia cæcâ ductus obedientiâ, aut periculum non videbat; aut certè non formidabat. Alteram, quia magnam Prophetæ reuerentiam

rentiam iuit præstiturus : sicut de facto præstitit, ideòq; ab illius irâ se facilè sperabat euasurum. Tertiam, quia bonâ conscientiâ innixus, non timebat periculum, vbi peccatum non agnoscebat. Intrepidus enim est ad omnes casus, qui inculpatæ conscientiæ clypeo obarmatur: & mens sibi benè conscia recti, omne periculum videt. Sic planè, accedere vis ad Deum, ne pereas : accede cum fiduciâ, accede cum reuerentiâ, accede cum conscientiâ, pondere delictorum exonerato. Non negabit cœlestis clauiger Petrus aditum, si viderit dispositum cor. Non negabit & Christus veniam, si rectam in pœnitentibus spectauerit conscientiam.

Sanctus verò Paulus, quia ex clariori genere, & altiori prosapiâ à Christo ad Ecclesiæ Sanctæ propagationem accersitus est, præest mundi potentibus velut luminare quoddã, vt eos dirigat in moribus Christianis. Propositus est D. Paulus, sicut olim Samuel, vt Reges instruat, non tantùm verbis & suâ doctrinâ; sed etiam exemplis, illos ad patientiam & iniuriarum tolerantiam permouens. Samuel quando olim suis contemptoribus & expulsoribus de imperio parcebat; quid aliud voluit; quàm Regem Saulem ad similes iniurias patienter ferendas animare? teste Diuo Chrisosth. homil. 24. in 2. Cor.

S. Chryso. *Considera*, inquit, *sapientiam Prophetæ, quoniam videbat illos, (scilicet; Israëlitas, qui ipsum de imperio deiecerant) nulla persuasione auocare, sed incurabili morbo laborare; sic illis parcit instituitq; Regem, vt mansuetus fiat : & idcircò testem producit : neq; enim tunc illum quis iure conuenerat; neq; quis arguerat vt defensione haberet opus. Sed vt Regem faceret meliorem, hæc patiebatur.* Sic planè B. Paulus vbi tot probra pro Christi nomine pertulit, quid aliud voluit instituere, quàm vt Reges & mundi potentes discerent, non facilè ad leues iniurias excandescere debere. Malorum enim principum hæc est pessima consuetudo, vt pessimos quoq; velint habere successores, & in maiorem plorantis populi vi tributorum exhausti aggrauationem, & in condemnationem sui. Vt & subditi acerbiùs vexentur, & præcedentium iniuriæ subsequentium malefactis obtegantur. Et qui adhuc viui omnibus erant odio, iam mortui ab omnibus desiderentur : dùm scilicet malis deteriores succedunt. Quis hoc non videt in patria nostra ipsamet Polonia. Regnante Casimiro III. Regni huius non Domino, sed parente, tribus tantùm diebus in hebdomadam subditi laborabant suis dominis, reliquum tempus domesticæ necessitati, & liberis alendis impendendo. Mali tamen successores, quorum luxui, & insolentiæ, ne ipsa quidem iam paterna bona, malorum sanguine, & ingentibus curis parta, sufficiunt : inuexerunt & quartum, & quintum, & sextum diem, ita vt pauper subditus ne momentum habeat, quo aut respiret, aut saltem sibi aliquid commodi adducat. Regnante Casimiro III. qui cum suis Ciuibus, non tanquàm Rex cum subditis; sed tanquàm parens cum liberis viuebat : liberum erat subditis ante vltimam vitæ suæ periodum, de bonis labore & industriâ quæsitis disponere. Ad Ecclesias sanctas, & alia pia opera, aliquam sui laboris partem locare. Nunc verò & in bona subditi, & quod magis horrendum, etiam in animam & corpus dominium sibi vsurpant moderni successores. Sed recogitate miseri, quâm grauem Deo rationem sitis reddituri. Cur enim homines pro iumentis, subditos vestros pro mancipijs reputatis? Vt pluris iam apud vos sit canis venaticus, quàm homo, vera Dei imago, in vestrum commodum laborans. Sed ecce nimia hæc vestra oppressio, iam manifestam labenti patriæ cladem attulit? quam nisi deposueritis, & cum hominibus etiam vilissimæ sortis, humano vixeritis modo, in vltimum discrimen & præcipitium, regnum hoc deueniet. Vtinam quod Casimirus III. Sacrosanctè statuerat, hoc istius nominis modernus succes-

sor restauret, & ad perfectionem deducat.

Hoc enim optimi Ecclesiæ Sanctæ Principes Petrus & Paulus intendunt, qui ideo dati sunt in luminaria, & primates Ecclesiæ, vt optimos quosq; Principes, & mundi potentes in orbem Christianorum inuehant: vt & populus per eos in meliùs promoueatur, & bona præcedentium facta, melioribus subsequentium operibus obliterentur: & per eximias præsentium laudes, tota præteritorum memoria deleatur; nemoq; desideret illos bonos reuocare, quos habuit, quin imò se multò meliores inuenisse glorietur. S. Chrysosthomus prudentiam Samuelis mirum in modum extollit, quâ vsus est in Rege admonendo. Cùm enim sciret Samuel necessariam esse Regi admonitionem; nec tamen ignoraret Reges admonitionis esse impatientes, hac prudentiâ vsus est: neq; omninò filuit, ne populo noceret: neq; palam Regem admonuit; ne illum offenderet, sed obliq; quodam modo locutus est. *Nam cùm sciret*, inquit, *Chrysostbomus, odiosum esse Regem adhortari, atq; illi formam præscribere: quàm scilicet mansuetus esse debeat, quàm moderatus, quàm procul à munerum corruptione, vt nemini vim inferat, vt nemini sit iniustus, neq; diuitijs studeat congerendis.* Rursum sciebat etiam, quòd tacendo cunctis populis in prædam traditus fuisset: obliq; igitur sermonẽ suum dirigendo vtrumq; periculum declinauit. Et Regem docuit, cuiusmodi gubernatorem esse oporteat: simulq; vitauit odium, doctrinæ. Sic planè Christus Dominus in admonendis mundi potentibus summâ prudentiâ vti voluit, inquiens: *Quem dicunt homines Filium hominis.* Vbi potissimùm sermonem dirigit ad eos, qui in rebus temporaneis magni esse videntur. quasi diceret: isti quibus iactantia est cordi, quibus terrenæ deliciæ sunt voluptati, quibus dominium, aut rectius tyrannis in subditos est affectui; quem dicunt esse Filium hominis. Sciuntnè illum esse Deum? si sciunt: quare tàm superbè in oculis eius procedunt? sciuntne illum esse Dominum? si sciunt: vt quid vitæ, & mortis suorum subditorum se veros Dominos iactant? cùm hæc potestas soli Deo competat. Sciuntnè illum venturũ iudicem? si sciunt: quare non formidant aduentum eius? quare non deponunt vitia? Ecclesiæ Sanctæ Principem Petrum, & Doctorem gentium Paulum secuti. Ad hoc enim D. Paulus proponitur hodiè Christianis, vt omnes ex ipsomet S. Paulo audientes, ex quanto ille vitiorum cæno, ad tantum virtutum culmen ascenderit, se quoq; diuina gratiâ adiutos eodem ascendere posse minimè desperent. Quemadmodùm docet D. Chrysosth. ho. 26. de verbis Apostoli. *Ne vllus*, inquit, *peccator in malitia quantumlibet confirmatus, deinceps animum abijciat: etiamsi bellum Christo fecit, quando Paulum videt postremum omnium, quo posterior non erat alius quispiam, qui in acie Dei resistit, liberè seruatum.*

Habetis igitur Catholici duorũ Ecclesiæ sanctæ Principum festiuitatem hodiernam, ex quibus Christus Dominus intelligere voluit, quid de illo mundus sentiret. Ad ostendendum neminem de Deo benè sentire, cui Petri clauis non aperit. Neminem quoq; rectè credere, cui testimonium Pauli de Christo IESV displicet. Isti enim duo positi sunt in luminaria magna Ecclesiæ sanctæ, vt lucem diuidant à tenebris. hoc est; vitia à virtutibus; pietatem ab iniquitate; vt diuidant diem à nocte: hoc est; perfidiam à vera fide; Hæresim à Religione; cultum Dei verum à superstitione. Postulemus itaq; vt nos hæc duo luminaria illuminent: & Beatus Petrus conscientias nostras clementer resoluens, & S. Paulus suam doctrinam nobis ad palatum faciens: Dominum verò Deum obsecremus, vt qui istos duos Ecclesiæ Principes toti mundo in spectaculum & exemplar rectè viuendi proposuit. vt illi Principi nostro Serenissimo felicem & clementem regnandi

gnandi modum inspirent. Potentibus huius sæculi iustitiam, & virtutem, atque meliorem subditos tractandi humanitatem impertiantur. Omnium verò mentibus, obedientiam, fidem, & sanctitatem instillent.

EODEM DIE
CONCIO SECVNDA.

Tu es Petrus, & supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.
Matthæi 16.

Ecclesia Sancta in B. Petro & Paulo fundata est, per sapientiam, prædicationem, sanctitatem, & miracula.

COncors est Philosophorum sententia, extrema suis principijs proportionari debere, Christus Dominus, ne ab hac communi & vsitatâ doctrinâ recederet; extrema militantis Ecclesiæ, voluit in omnibus eiusdem principijs proportionata esse. Et quoniam Catholica Ecclesia, ante vltimam mundi istius desolationem, in duobus fundamentis corruet. Quæ duo fundamenta B. Ioannes in Apocalypsi describit inquiens. *Dabo duobus testibus meis.* (scilicet Enoch & Heliæ) *& prophetabunt amicti saccis.* Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes, & si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit omnes inimicos eorum; & si quis voluerit eos lædere: sic oportet eos occidi. Hi habent claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ eorum, & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere omni plagâ, quotiescunq; voluerint: Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersùs eos prælium, & vincet illos & occidet. Quoniam itaque in his duobus fundamentis, in Enoch & Heliâ, Sancta Ecclesia finem habitura est: ideò & exordium Ecclesiæ suæ Christus simile voluit haberi,

Apoc. 11.

A quando Ecclesiam militantem in hisce duobus fulcris, scilicet in Petro & Paulo fundauit. vt quasi duplici nixa basi, firmiùs aduersùs nebularum intercurrentium turbines stâret, nec vnquam concussa maneret. Ostendam igitur hodiè in hac magnorum solennitate Apostolorum, quomodò in Sancto Petro, & Paulo Ecclesia Dei sit ædificata.

Certum est inprimis in his duobus Apostolis, velut columnis quibusdam marmoreis, ædificatam esse
B Dei Ecclesiam, per sapientiam. Cùm enim Ecclesia Sancta, sit cætus hominum fidelium sub vno capite, Christi Vicario, ritu debito Deum collaudantium: non potuit ædificari, nisi per magnam sapientiam. Cùm homines præsertim in tanta fidei obscuritate, sapientiâ facilè regantur. Sanctus verò Petrus cœlestem præ omnibus sapientiam, diuinitùs sibi infusam habuit: cui præ cæteris Apostolis, per cœlestem visionem reuelata erat vocatio gentium,
C in demissione lintei. Nam cùm in oratione vidisset cœlum apertum, & quatuor initijs ligatum vas quoddam tanquam linteamen, in quo erant omnia genera quadrupedum, & ferarum, & volucrum cœli, facta est vox ad eum: *Surge, occide, & manduca.* Vbi Petrus obstupefactus dixit. Absit Domine, nunquàm manducaui commune, & immundum. Et rursùm vox Domini ad eum facta est: Quæ Deus mundauit, tu comede. Per quod oraculum illud à Spiritu S.
D didicit, ex omni gente etiam barbarâ, ferocissima, moribus inculta, vitijs instar belluarum deturpatâ, nemini præclusam esse viam ad Deum, dummodò cor suum humiliare, & Deo vocanti submittere velit. Quod manifestè post illam visionem expertus est Petrus, nam cùm secum tacitus cogitaret, quid cœleste illud spectaculum portenderet, subitò venerunt ad eum Cornelij serui, ab Angelo destinati: & ecce Spiritus Sanctus illum alloquitur: *En viri quærunt te: surge itaq; & descende, & vade cum*

Actor. 10.

cum eis nihil dubitans, quoniam ego misi illos. Quasi diceret: ne putes salutem vni tantùm nationi à Christo partam esse: neuè arbitreris Christi euangelium, aut solis Iudæis, aut solis Romanis datum esse. Sed omni creaturæ rationali, cuicunq; concessum est nasci, dummodò cum Propheta pœnitente, illud ad Deum corde contrito suspiret. *Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundùm verbum tuum.* hoc est: ego Domine per tot vitæ meæ spatia, solicitudine mundi huius, luxuriæ studio, pecuniæq; cupiditate curuatus, vulpium foueis, latibulisq; terrestribus me inclusi. Vbi adhæsi pauimento; quia me leuare non poteram, nisi me supra crucem suam Christus leuasset. Adhæsi pauimento; quia me abscondebam à Christo: quia mundi voluptates sequebar. Terra enim ista quam calcamus, meretricijs quibusdam illecebris nos capit, & quasi vultus quosdam voluptarum, corporaliumque delectationum fucis illinit, vt lateat in his veritas, & forensi quadam specie, deijciant appropinquantes. Sed cùm interiorem oculum mentis ad tempus abduxerint, postea decusso quodam velut puluere voluptatum, huiusmodi decore; quàm sit inanis gratia sæculi huius, aut corporis, facilè deprehenditur. Qui ergo cognita fallaciâ, & vanitate rerum terrenarum ad Deum confugit, vt per verbum eius incarnatum viuificetur, nec ampliùs pauimento terræ, sed soli Deo adhæreat: sit Iudæus, sit gentilis, sit barbarus, sit immanissimis plenus flagitijs, non sentiet repulsam; sed benignè in sinum Christi receptus conquiescet. Quia Christus de cœlo descendit, vt omnis qui inuocat nomen illius, & credit in eum; non pereat, sed habeat vitam æternam. Magna ergo fuit sapientia B. Petri, qui ex omnibus gentibus concurrenti populo, cœlum aperiebat spirituali instructione. Adeò enim mirificam cœlitus acceperat sapientiam, vt Scripturas sacras plenè intelligeret & explicaret: per quam sapientiæ vim primâ suâ concione tria millia; secundâ verò quinq; hominum millia conuertit. Actor. 4.

In Sancto quoque Paulo sapientia plusquàm humana fuit. Quia eam non in terra, sed in tertium cœlum raptus didicit. *Scio*, inquit, *hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsq; ad tertium cœlum.* Vbi statim addit se audiuisse in Christo, quæ non licet homini loqui. Quis obsecro in tanta rerum occultarum scientia non miretur, tantam sui ipsius ignorantiam? Dicit Beatus iste Apostolus, se ad tertium cœlum raptum fuisse, verùm vtrum in corpore, an extra corpus raptus esset, se ignorare testatus est, vt scilicet non tàm de scientia; quàm potiùs de sua ignorantia gloriari videretur. ò profunda humilitas? Iuuenis adhuc Paulus, de ineffabili scientia gloriatus non est; & non nemo senex Christianus gloriari audet: quem caduca scientia inflat. Sed quid est, quod ait Apostolus, se in illo raptu audiuisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui? Quomodò ea non licet homini loqui, quæ licuit homini audire. Si ipsi homini qui audiuit non licet loqui; quomodò ei creditum est audire, quod non permissum est loqui? Quæ ista distantia est? si alteri homini qui esset exterior: quomodò potuit homo cognoscere, quod homini non licebat audire. Causa est Catholici; voluit hic Dei Apostolus ostendere, non sibi quidem gratiam loquendi defuisse, qui tàm ineffabilia arcana in Christo audiuit: sed potiùs eis qui audirent, locum, tempus, meritum defuisse. Ille enim in cœlo audiuit: & ideò non competere iudicatum est, vt id loqueretur in terris, quod audisset in cœlo. Cùm in ipsa terra sit ista discretio, vt quòd in altera regione canitur, in altera non canatur. iuxta illud Regij vatis. *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra alienâ.* Hinc Hebræi non canebant in terra captiuita- 1. Cor. 12. Psal. 118. Psal. 136.

ptiuitatis, quod in sua patria canere consueuerant. Terra hæc quàm inhabitamus, captiuitatis est : superna patria, terra libertatis : ista peccati, illa quietis æternæ. Ergo quod Paulus in cœlo audiuit, meritò in terra noluit prædicare. Inter perfectos enim secreta sapientiæ sunt loquenda : mundus verò totus in lubrico stat, & incolæ eius nihil perfectionis habent. Deindè, dixit ea quæ audiuit, non licere sibi loqui : vt ostenderet ineffabilem illam sapientiam, quâ raptus in cœlum repletus fuit, non suam, sed diuinam fuisse, & ideò talem, cui totus mundus teneretur assensum præbere. Hinc ad Galatas scribens, fatetur se Euangelium non ab homine accepisse, & didicisse, sed per reuelationem IESV Christi, inquiens : *Notum enim vobis facio fratres, Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem. Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Nam quicquid ab ipso homine dictum est, mendacium est : & quicquid veritatis inuenitur in homine, non est ab homine, sed à Deo per hominem : quoniam. *Omnis homo mendax, solus autem Deus verax est.*

Ad Gal. 1.

Rom. 3.

Iure igitur in duobus istis fulcris, Dei Filius Ecclesiam Sanctam fundauit, quia per sapientiam ipsis comunicatam, gentes ad suam fidem conuertit. Maior erat Petrus in sua sapientia Salomone : quia hic post vias iniquitatis abijt, ille in diuina iustitia semel edoctus, semper perstitit. Felicior quoq; fuit D. Paulus Moyse, Moyses enim edoctus fuit à Deo in Monte Sinai, dùm legem scriptam acciperet. S. Paulus in ipso cœlo à Deo ita instructus est, vt eius sapientiam in literis elucentem nemo satis admirari queat. Quam ob causam D. Chrysosthomus hom. 4. de laudibus Pauli dixit : *Mare Sapientiæ purissimum, & profundissimum.*

S. Chryso.

Ædificata est secundò Ecclesia Dei, in feruenti prędicatione B. Petri, & Pauli. Prædicauit enim primò Petrus Christi Fidem Hierosolymis, in Ponto, Gallaciâ, Cappadōciâ, Bythiniâ. Cuius zelum Chrysosthomus hom. 3. in Acta Apostolorum laudat inquiens : *Quàm est feruidus, quàm cognoscit creditum sibi gregem : quàm in hoc choro Princeps est, & vbiq; primus omnium incipit loqui.* Præstitit hoc ipsum S. Paulus peragrans Siriam, Asiam minorem, Græciam, Hispaniam, vbi etiam in vincula conjectus, non cessauit prædicare teste eodem S. Chrysosthomo hom. 5. de patientiâ Iob. *Videte*, inquit, *Paulum licet in vinculis ipsis, in catenâ detentum docentem, atq; in iudicio idipsum facientem.* Vbi vinctus tremefecit Fælicem præsidem, vbi commouit Regem Agrippam. Istæ igitur sunt duæ columnæ, in quarum prædicatione ædificata Ecclesia Sancta, hucusque stat immota. de quibus meritò illud Isaiæ Prophetæ dici potest : *Qui sunt isti, qui vt nubes volant.* Volabant enim per vniuersum terrarum orbem, omnes mundi plagas suâ prædicatione laborioſa irrigando.

S. Chryso.

Idem.

Actor. 22.

Ibidem 26.

Isaiæ 60.

Fundata est tertiò Ecclesia Dei, in sanctitate BB. Apostolorum Petri, & Pauli. Magna fuit sanctitas Petri, adeò, vt expositi per plateas ægroti, solâ B. Petri vmbrâ tacti, statim conualescerent. Nec minor fuit sanctitas D. Pauli, ob quàm seipsum alijs in exemplum proposuerat : *Imitatores*, inquit, *mei estote fratres & obseruate eos qui ita ambulant, sicuti habetis formam nostram.* De quo S. Chrysosthomus apud Cornel. in procœmio epistolæ eius sic dicit : *Paulus omnium virtutum fuit arca, adeò vt etiamsi quis totum contra eum iustorum chorum sigillatim appendat, inueniat trutinam virtutum ponderibus, à Pauli parte depressam.* Neque sanè decuit alibi Ecclesiam Catholicam ædificari, (quæ est sancta, ob incomprehensam Christi sui fundatoris sanctitatem : sancta ob fidem : sancta propter salutem fidelium, & Dei cultum, ad quem principaliter instituta est : sancta ratione mediorum : media enim illius non alia sunt; quàm gratia diuina, dona Spiritus Sancti, & virtutes)

Actor. 4. & 5.

Philipp. 3.

S. Chryso.

nisi in sanctitate Petri, & Pauli; velut principalium duorum columinum. Ad Ecclesiæ sanctæ propagationem spectant miracula, per quæ non veritas credendorum: hæc enim latet obumbrata fidei ænigmate; sed credibilitas tantùm ostendatur.

Beatus Petrus plenus erat virtute miracula patrandi: teste D. Ambrosio Serm. 3. de SS. Petri & Pauli encomijs. *Non*, inquit, *aliquam partem, Orbu latere potest tanta deuotio. Siquidem in omnem terram mirabilium Petri virtus diffusa est, & in fines orbis terræ epistolarum Pauli verba penetrarunt.* Quis enim non audit, quòd primùm Petrus sedenti ad portam speciosam claudo, & ex matris suæ olim ventre iam debili, pedum restituerit firmitatem? vt quòd natura minus contulerat, Apostolica gratia repararet? Cùm enim idem claudus stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab Apostolis crederet accepturum, ait illi Petrus: *Argentum & aurum non est mihi, sed quod habeo, hoc tibi do. In nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Ineffabilis planè largitas, quæ petenti argentum quidem non contulit; sed contulit sanitatem. Magna liberalitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit; sed protulit medicinam. Felix & ille claudus, qui dùm stipem pecuniæ quæreret, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab Apostolis donatum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primùm ergò signũ mirabilium suorum fecit Petrus, claudo pedum restituendo vestigia. Nec mirum: nam scimus illum à Domino vocatum esse petram. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet; ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè inquam primùm in Christiano pedes curat, vt iam non intrepidus, nec imbecillis possit super petram Ecclesiæ; sed robustus & fortis incedere. Iam verò

A Simonem magum idem B. Petrus suâ oratione ex aëre deiecit. vt ostenderet, neminem in vanitate mundi (quæ per aërem designatur) sed in sola Ecclesiæ petra firmiter hærere posse. Act. 8.

Verùm, neq; in patrandis miraculis inferior Petro exstitit D. Paulus. Excæcauit ille Elymam Euangelio sancto resistentem: claudum ex vtero matris in pedes erexit, Euthymium adolescentem à morte suscitauit. Demùm, super languidos deferebantur eius sudaria, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Magna profectò hæc sunt lumina Ecclesiæ, magna inquam insapientia, magna in prædicatione, magna in sanctitate, magna in miraculis, magna & in martyrio. Nec enim satis erat in duabus hisce columnis ædificari Ecclesiam, nisi quoq; sanguine eorum purpurata pulchriùs ruberet. Refert historia sacra in exodo, cùm Deus in deserto per Moysen templum sibi construi vellet, duos illi principales Architectos proposuit, inquiens: *Ecce vocaui Beseleel, & impleui eum Spiritu Domini, sapientia, intelligentiâ & scientiâ in omni opere, dedique ei socium Ooliab, & in corde omnis eruditionis posui sapientiam, vt faciant cuncta, quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis, arcam testamenti, & propitiatorium.* Christus Dominus ædificare volens Ecclesiam suam in terris, vocauit etiam duos, Petrum tanquàm Principem & Paulum velut socium eius, deditq; eis omnem eruditionem, vt per illos, & in illis, Ecclesia sancta ædificaretur. Act. 13. Act. 14. Act. 20. Ibidem, 19. Exodi 31.

Illud tamen singulari mysterio non caret, cur Deus, cùm duos istos, veluti columnas, indissolubili quodam nexu secum compositas habere voluerit, eorumq; festiuitatem in Ecclesia sancta simul celebrandam instituerit; cur tamen in vno duntaxat eorum Ecclesiam suam dicit ædificatam esse, scilicet; in Petro. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vbi Christus Dominus videtur maiorem prærogatiuam attribuere

S. Ambro. Act. 3. Mat. 16. Matth. 16.

tribuere Petro; quàm alijs Apostolis. Cùm tamen S. Augustinus asserat, omnes eandem potestatem à Christo accepisse, lib. quæstionum noui & veteris testamenti. *Ipse*, inquit, *priusquam in cœlos ascenderet, imponens nomen Apostolis, ordinauit in Episcopos.* Similiter ipsemet Christus Dominus palam id fatetur apud S. Ioannem. *Sicut*, inquit, *misit me Pater, & ego mitto vos.* Et quia missio Apostolica est munus legationis cum potestate; idcircò quoniam omnes discipuli à Christo in legatione Apostolicâ missi fuêre, omnes quoq; parem iurisdictionem episcopalem, suppositâ presbyterali accipere debuerunt. Respondent ad hoc Anacletus, Hieronymus, Leo, Cyprianus, Augustinus. Omnes quidem Apostolos pares fuisse dignitate Apostolatûs, hoc est potestate iurisdictionis vniuersalis in totum orbem. Quia nullo habito discrimine, Diœcesum, Regnorum, nationum, vbiq; que, munus suæ prædicationis & Apostolatûs poterant exercere. Non tamen erant pares amplitudine actuũ istius Iurisdictionis, & modi exercendi eius. Sed solus ipse Petrus primatum habuit inter omnes. Quia dignitate & potestate à Christo sibi collatâ omnes superauit, ex eo, quòd illi soli potestas regendi vniuersam Ecclesiam concessa fuerit. Cæteris verò fuit quidem eadem potestas à Christo collatâ; sed ita, vt illi omnes essent tanquàm delegati, & subordinati iurisdictioni Petri.

S. Augst. q. 97.

Ioan. 20.

S. Hieron. Cyprian*. S. Augst.

Demonstrauit perbellè eundem Christus primatum Petri, in illis suis interrogationibus. *Petre diligis me plus his.* Vbi Christus Dominus maiorem sui dilectionẽ agnoscit in Petro, quàm in alijs Apostolis, plus autem amanti plura dari debent. Igitur & Petro, quia magis Christum dilexit, quàm alij Apostoli, maior quoq; ipsi præeminentia debebatur. Elucet secundò Primatus iste Petri, ex illis Christi Domini verbis; *Pasce oues meas.* Munus autem pascendi gregem Christi, est maximum. Igitur & dignitas atq; potestas Petri, fuit cæteris Apostolis maior; cùm nulli hoc cõcesserit Christus, nisi soli Petro. Etenim lumen ipsum rationis docet, Ecclesiam Christi debuisse ordinatissimam institui, proindè monarchicam, quæ est potior iuxta Aristotelem, quàm Aristocratica, & Democratica. Taliter autem constituta Respublica consistit in hoc, vt ab vnius præeminentiâ cæteri omnes dependeant. Igitur & Petro munus pascendi oues ideò collatum fuit, vt omnes etiam Apostoli ab eius primatu dependerent. Colligitur adhuc primatus Petri supra omnes Apostolos, ex illa Christi declaratione: *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Vbi rectè aduertit Coninch etiamsi Ioan. 20. omnibus Apostolis potestas ligandi, atq; soluendi promissa fuerit; tamen hoc loco singulariùs præ alijs promitti eandem: propterea quòd hic factâ mentione clauium, ibi non factâ promittatur. Ex quo vlteriùs sequitur, talem omninò potestatem Petro à Christo in hoc loco promitti (quantùm puro homini potuit, & Ecclesiæ gubernandæ necessarium erat) qualem Christo Deus Pater promisit Isaiæ 22. & S. Ioannes Apocaly. 3. eidem datam esse vidit. nimirùm vtrobiq; per claues significatam. Rectè igitur verba Christi prædicta apud Matthæum, diriguntur ad S. Petrum, summamq; potestatem & dignitatem eius manifestant. Vt scilicet ille solus esset, qui cœlum aperiret, doctrinam fidei explicando, leges condendo, & quæ ad Dei cultum pertinent, instituendo, atq; peccata verè pœnitentibus dimittendo. Iis verò qui contemnunt Christi, & Ecclesiæ doctrinam, vt cœlum clauderet, veniam peccatorum negando.

Matt. 16. Coninch

Matt. 16.

Ioan. 21.

Falluntur itaq; Hæretici cum Erasmo asserentes, in prædictis apud Matthæum verbis, per Petrum vnumquemq; fidelem significari, & ea ad omnes Apostolos dirigi, & per ea non conferri vllam aliam potestatem

ſpecialem, à nudâ prædicatione verbi Dei. Contra quos euidentiſſimis rationibus pugnant Bellarminus, Tannerus, Coninch Faſolus. Etenim Scriptura ſacra agnoſcit in Apoſtolis Authoritatem gubernatiuam Eccleſiæ, proinde & in Petro, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*: & illud: *Attendite vobis & vniuerſo gregi.* Sed in omni hac poteſtate eminuit Petrus, quod facilè vel ex illo ſolo deduci poteſt. quòd poteſtas Petri per clauem in Scriptura ſacra ſignificetur: nomine autem clauium ſumma poteſtas in ſacris literis deſignatur. Soli enim Eliachim in veteri teſtamento ſummo ſacerdoti, qui typum Chriſti venturi geſſit, Dominus clauem templi Dauidici legitur dediſſe. *Dabo*, inquit *Eliachim clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Sic planè Petro, qui Perſonam Chriſti in cœlo iam reſidentis ſignificabat, clauem Eccleſiæ Dominus contulerat, vt quicquid ille legitimè in terra conſtitueret; firmum apud omnes eſſet, nec reſcindi ampliùs valeret.

Bellarmin. Tannerus. Coninch.

Lucæ 10.

Actor. 20.

Iſaiæ 22.

Eluxit demùm Primatus Petri ſupra omnes Apoſtolos, in ipſa eius nominis immutatione à Chriſto factâ. *Tu es petra.* Quorum enim nomina ipſe Deus ſolet immutare; eorum quoq; ſimul maximam oſtendit præeminentiam. Immutauerat Deus nomen Abrahæ: *Non vltra vocabitur nomen tuum Abram; ſed Abrahæ.* Et ecce per hanc nominis immutationem, Abraham conſtitutus eſt pater multarum gentium. Immutauit Deus nomen vxoris illius inquiens: *Vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram.* Et ecce per hanc immutationem obtinuit Sara, vt ex illa naſceretur Filius, multarum gentium Dominus; vtq; Reges populorum orirentur ex ea. Immutauit nomen Iacob per Angelum ſuum loquens: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* Et ecce per hanc nominis immutationem, non tantùm erga Deum fortis, ſed etiam contra homines præualens factus eſt.

Gen. 17.

Gen. 32.

Sed dicet forſan quiſpiam, per hoc quòd Petrus à Chriſto vocatus fuerit Petra, non ſequi illum primatum ſuper alios Apoſtolos obtinuiſſe. Quia petra idem ſonat, quod fundamentum Eccleſiæ: alij verò Apoſtoli etiam fuerunt fundamenta Eccleſiæ, iuxta illud ſcripturæ: *Superedificati ſupra fundamentum Apoſtolorum.* Immò potiùs videtur illum fuiſſe inferiorem cæteris Apoſtolis: quia Petrus cum Ioanne ab Apoſtolis miſſus fuit in Samariam; miſſio autem ſignum eſt inferioritatis. Præterea, Iacobus in Concilio Hieroſolymitano definiuit ſententiam, & alij ſecuti ſunt ipſum. Inſuper Paulus reſtitit in faciem Petro, quod non potuit facere ſuo ſuperiori ſine culpâ; & tamen ipſe ſine pœnitentia factum hoc ſuum narrat. Ad extremùm Clemens primus, Iacobum Apoſtolum vocat Epiſcopum Epiſcoporum Verùm ſciat, fuiſſe quidem Apoſtolos fundamenta Eccleſiæ ſecundaria, ſicut & Petrum: ſed modo communi & cum dependentiâ à Petro; Petrus autem peculiari modo. Sicut olim Prophetæ omnes vocabantur fundamenta Eccleſiæ, & tamen ex hoc non ſequitur, Apoſtolos non fuiſſe ea. Rursùs, Petrus & Ioannes fuit miſſus ab Apoſtolis in Samariam; ſed precibus, & conſilio; non verò imperio, & authoritate, quod ſolùm ſignum eſt ſuperioritatis. Deindè, in Concilio Hieroſolymitano, Iacobus fuit primus in ſententia executiua tantùm; non autem in definitiuâ. Quemadmodùm ſentiunt Theodoretus & Hieronymus. Nam poſtquam Petri ſententiæ ſubſcripſiſſet Iacobus, modum executioni commodum primus ſuggeſſit. Præterea Paulus reſtitit Petro peccanti venialiter, quod licitum fuit etiam inferiori, gloriâ Dei & ſalute proximorum ita requirente. vt docet S. Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum. Deniq; Iacobus, non ideò à clemente vocatur Epiſcopus Epiſcoporum, quaſi Petro fuerit

Actor. 8.

Actor. 3.

Epheſ. 2.

Theodor. Hierony.

S. Auguſt.

ſupe

superior; sed quia fuit exemplar vitæ Episcopalis, & quia multis Episcopis præerat, quos creauerat per Iudæam.

Tanta ergo fuit dignitas Petri & præeminentia, vt eius potestati & totus orbis, & ipsi Apostoli subiacerent. Sed difficultas est, vtrum primatus iste collatus fuerit Petro, cum iure succedendi in eodem, vsque ad præsentis sæculi durationem. Atque imprimis certum est, Christum nec habuisse, nec posse habere successorem in sua potestate regendi Ecclesiam. vt expressè docent Tannerus, Valentia, Turrecremata. Deducitur idipsum euidentissimo argumento: nam quemadmodùm caput hominis, duo potissimùm munia sibi vendicat, per quæ rationem capitis sortitur in corpore humano, vt declarat Angelicus Doctor 3. p. q. 8. art. 1. & 4. primum est, quòd vim cæteris membris internam vitalem imperciatur. Alterum, quòd per sensus, & intelligentiam, membra exteriùs rectè gubernet, & dirigat. Ita Christus Dominus Ecclesiæ caput est, iuxta Apostolum, non tantùm ideò, quòd extrinsecâ gubernatione & directione, siuè docendo, siuè præcipiendo, hoc mysticum corpus dirigat; sed etiam ideò quòd internum vigorem vitalem, omnigenam scilicet gratiam subministret ipsi, iuxta illud Euangelistæ: *De plenitudine eius nos omnes accipimus & gratiam: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta.* Habuit ergo Christus Dominus supremam potestatem leges ferendi, abrogandi, noua sacramenta instituendi, vetera delendi, totumq; regimen Ecclesiæ suo arbitratu instituendi, vna cum potestate committendi vices suas alteri, in absentia suâ visibili: quam triumphaturus in cœlo, exercitaturus erat in terris. Vnde, quia successor in officio parem habere debet potestatem cum antecessore: & insuper, supponit antecessorem amisisse suam potestatem, eò, quòd sit translata, & non solum deriuata ad successorem. Quod de Christo dici non potest, propter illud Apostolicum: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Matt. 28. Ideò Christus nec habet, nec habere potest in plenitudine suæ potestatis successorem; sed solùm vicarium, in quem tantum deriuauit potestatis, quantùm iudicabat expedire, aut necessarium esse ipsi, ad commodum regimen Ecclesiæ in fide, & moribus: ipso interim corporaliter absente à terris, & Ecclesiâ militante.

Ex quo patet primatum Petri non esse extinctum cum ipso Petro, in regendâ Ecclesiâ; sed deriuatũ ad omnes eius successores. Sic expressè definitum est in Concilio Constantiensi contra Vicleffum Sess. 8. & 15. & 28. Et in Bulla Martini V. Quod deducitur ex illis Christi verbis. *Pasce oues meas.* Ioan. 21. atq; ex illis: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* Matt. 16. Sicut enim in his verbis significatur firmitas Petri, vsq; ad consummationem sæculi duratura, non in ipso Petro, vt pote mortali; sed & in omnibus eius successoribus. Ita quoq; in illis prioribus, significatur pastura, ouium & primatus Ecclesiæ, non tantùm in Petro, sed in omnibus eius successoribus. Quomodo enim Petrus illas oues vsq; ad consummationem sæculi duraturas pascere potuisset, cùm esset mortalis? tum deniq; hæc veritas manifestè conijcitur ex illis Christi verbis. *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* Matt. 28. Vbi præsentia Christi, non tantùm per internum regimen; sed etiam per externum à SS. Patribus, & Concilijs significari declaratur. Et quia præsentia corporalis, quam regimen externum requirit, defactò non est in terris ipsamet ipsius Christi, igitur debet in vicarijs ipsius esse, & quidem vsq; ad consummationem mundi. Quod Apostolus voluit exprimere scribens ad Ephesios: *Quosdam,* inquit, *dedit pastores ad consummationem sanctorum, donec occurramus omnes in virum perfectum.* Ephes. 4. Si ergo Christus constituit pastores Ecclesiæ, duraturos vsq; ad finem mundi, eò, quòd tàm diu durabit

Tannerus. Valentia. Turrecremata.

S. Thomas.

Ephes. 1. & 22.

Ioan. 1.

Concilium Constantiense.

bit Ecclesia militans, cui pastores sunt necessarij, profectò multo magis caput pastorum continuâ successione durare debet: eò quòd æquè, si non magis necessarium sit cæteris; neq; hodiè minùs, quàm in exordio Ecclesiæ. vt in tanta gentium, & morum diuersitate, ac infinitorum negotiorum occursu, per vnum caput definiendorum, vnum semper ac vniforme, & integrum ouile conseruetur. Præsertim quia Petro in vniuersam Ecclesiam potestas data est, non propter illum ipsum; sed propter Ecclesiam.

Habetis igitur Catholici duo fulcra Ecclesiæ vestræ, Petrum & Paulum, in quibus ædificata est Ecclesia per sapientiam, per prædicationem indefatigabilem, per sanctitatem, per miracula. In his columinibus state firmiter immobiles. Non prævalent inferi aduersùs Ecclesiam in his fulcris ædificatam; non prævalebunt & aduersùs vestram fidem. Habetis Principem Apostolorum Petrum, omnibus Dei charitate supereminentem, miraculis superiorem, Ecclesiasticâ dignitate primatem. Agnoscit orbis vniuersus eius primatum, deponunt Principes mitras, & Reges sua diademata: procumbunt ad oscula pedum, supremam illius excellentiam venerantes. Fit pulchrum Romæ spectaculum in hodierna festiuitate, dum Rex Hispaniarũ potentissimus, quotannis agnoscens Sedis Apostolicæ potestatem, per legatum suum, candidum equum pulchrè adornatum, hodiè in recognitionem feudi, supremo in terris Christi Vicario præsentat, & offert. Et nos certè cùm per susceptum baptisma, potestati D. Petri simus feudatarij, debemus ei hodiè omnem in terris reuerentiam: quia summum gloriæ Regem Christum Iesvm repræsentat. Debemus timorem: vt cùm potestatem aperiendi cœlum habeat, illud nobis velit reserare. Debemus obedientiam, propter illud Apostoli: *Si quis non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus, & Publica-*

Matt. 28

nus. Membra sumus, Petrus caput; adhæreamus ergo illi firmiter, vt & in terris nomen eius venerantes, in cœlis societatem habere mereamur.

EODEM DIE
CONCIO TERTIA.

Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. *Matt.* 16.

S. Petrus potestate, Paulus verò sapientiâ, mundum Christo subiugarunt.

DVobus potissimũ modis omnes Monarchias, supremus rerum omnium gubernator Deus, institui & regi voluit: scilicet; potestate, & sapientiâ. Potestate inquam, vt parendi & obsequendi vigorem induceret; sapientiâ verò, vt in moribus fidei & religionis ignarum populum erudiret. Potestas igitur Regibus orbem terrarum; sapientia Ecclesiæ Pastoribus totius vniuersi regnum inscripsit. Et licet humana potestas pusilla sit; posteaquam tamen Romano & fato, & robore vibrari cæpit; subitò magnis animis in lato regnare cupientibus, vrbes in domos, Prouincias in municipia, regna in præfecturas secuit, atq; totum cum mari & terrâ, naturæ orbem; veluti cuspide præfixum Romanis porrexit. Fragilis quoq; & imbecillus est mortalium animus: at verò vbi in directione sapientis hæsit; mox in libros, quasi in tabulas æternitatis transcripsit hanc pulcherrimam naturæ possessionem, & mortalium natos religione atque virtutibus imbuens, in veros efformauit homines. Vt proindè has solùm duas res, incredibili quadam voluptate liceat admirari: Potestatem videlicet, & sapientiam: Quarum altera rerum naturam penè rapuit; altera possedit. Non sunt tamen coæquata inter se, mundi sapientia

pientia & potestas. Nam quantumuis maximum fortunæ imperium; longissimè tamen distat à sapientiæ possessione. Quia omnis mundi potentatus, circumscriptum habet durationis terminum: sapientia verò illimitatum æternitatis spatium. Vbi enim nunc grande illud Alexandri regnum, summâ vi & potestate ad posteros transmissum? Vbi mucro ille orbis terrarum victor? quos posteros habet? quos hæredes? sola certè rubigo hæreditat illa omnia. Deletæ sunt vrbes, deiectæ arces, diruta propugnacula, inclyta decora atq; monumenta imperij solo æquata, solam posteris quæstionem in plano reliquerunt, vbinam fuerint. Quia mundana potentia citò mutabilis, nec longo tempore duratura. At verò sapientia æterna est, & sacra: quæcunque enim de inexhausto suo cornu effudit, illa omnia immortalitati dedicauit. Atq; per omnes temporum iniurias, per arcium strages, eluuiones terrarum, incendia populorum, per hominum Deorumque vias, ad nostra vsq; transmisit tempora. In sola Christi Ecclesia, inæquali lance potentia, & sapientia diuina pendent. Quibus quoniam Christi Ecclesia instituta est, & semper gubernatur, corruere nequaquam potest: tanquàm æternis & nunquam corruptibilibus nixa fundamentis. Quocirca duos ego vobis hodiè bellatores, industriâ pares, vincendi felicitate æquales, videlicet D. Petrum, & Paulum proponam. Ostendamq;, quòd alter illorum potentiâ mundum Christo subiugauerit: alter sapientiâ totum hoc vniuersum æternitati pariter consecrauerit.

Postquàm mundus peccatorum malitiâ obrutus, hostile quidpiam in Deum spirare cæpit, diuinæ per omnia refragans iustitiæ. Vbi leges æquitatis transgredi, oracula Prophetarum contemnere, crescentibus vitijs maiora in dies accumulare non erubuit: tunc fulmina quædam potentissima de manu Dei prouocauit, scilicet; Apostolos SS. in igne diuini Spiritus in orbem vniuersum dispersos, vt illi ignis naturam imitati & fulminis vim, in duriora tantùmodò, & sibi resistentia agerent: illæsisq; hominum corporibus, & vitâ, interna, solùm animæ venena absumerent. Nam si refert Plinius, consumptis non rarò fulminibus dolijs, integra stetisse vina, tenuissimâ quadam obducta membranulâ, quæ ea, ne diffunderentur, sustinebat. Et Martiæ cuidam inter Romanas Matronas Principi fœminæ, fœtum fulmine in vtero tactum interijsse, matre saluâ. Quid mirum erit, si Deus Apostolos velut fulmina quædã ignita misit? vt intactis mortalium corporibus, rebelles solum Deo affectus, animo infixos absumerent. Quoniam ad mundi expugnationem suos Deus misit Apostolos. quod ipsemet testatur: *Non veni*, inquit, *pacem, mittere, sed gladium.* Quasi diceret: Nolo vt mundus diutiùs in suis libidinibus, & voluptatum illecebris pacatè & tranquillè spatietur. Sed conturbabo homines, & per bella bona ac salutifera, pacem illorum malam destruam.

Plinius lib. 2. cap. 3.

Matt. 10.

Miratur hic doctissimus Antonius Peres, quomodo mansuetissimus Dei Filius mundum bellare voluerit? quoniam belli incitatio, seditiosos tantùmmodo & inquietos deceat homines. Et respondet cum D. Thoma 2. 2dæ q. 4. art. 1. & supra Matt. 10. bellum esse duplex, scilicet malum, & bonum. Bellum malum est illud, quod prauo iure initur, & ex peruersâ conspiratione, in direptiones, furta, vastationes, & similia: quod nulli gerere licitum est. Bellum verò bonum est, quod ista tria habet, legitimam authoritatem indicendi, iustam causam, rectam intentionem. Atq; tale bellum, scilicet bonum, mundo intulit Deus; vt iniuriam suam tàm realem; quàm personalem vindicaret, quam ei homo per inordinatum suum viuendi affectum intulerat. vt recuperaret amissã: scilicet; tot mortalium animas, iamà dæmone miserè possessas, vt aufer-

Peres.

vt auferret, & auerteret inferenda damna; quæ malitia tentatoris homines illaqueando inducere satagebat. Ac demùm, vt pacem malam è cordibus mortalium euelleret: bonam verò & in charitate Dei ac proximi fundatam stabiliret. Tale bellum intendebat ab æterno Deus, quomodò rebelles hominum mentes, suæ voluntati subiugare posset. Quomodò miseros damnationis æternæ captiuos, in æternitatis libertatem assereret: quod tandem per Beatos Apostolos feliciter executus est. Pugnabant illi tanquàm acerrimi Dei milites, Spiritu Sancto vbiq; cooperante, & adiuuante, adeò vt vim eorum ferre non possent terrarum Principes. Quemadmodùm docet Sacra pagina: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.* id est: & Iudæi, & Gentiles, quorum illi ante aduentum Christi Domini, multis oraculis, & miraculis, tanquàm diuinis quibusdam præsidijs muniti, & fortes erant. Hi verò omnibus illis munimentis destituti, & exarmati, planè erant imbecilli, expugnati sunt per Apostolos. Nam perdiderunt Iudæi suam fortitudinem, dùm lucem Euangelij Sancti recipere nolentes, magis in suâ peruersitate excæcati talparum instar, terrena & corruptibilia solùm palpant. Gentiles verò expugnati quoq; sunt; sed in sua idolatria & erroribus, dùm è cæcitate ad lumen fidei vocati sunt, lynceos inducrunt oculos, quò meliùs cœlestia penetrarent. Meritò reuera *arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.* Dùm superbis Pharisæis de suâ potentiâ corruentibus, Gentilium principatus in fide confortatus est. Vndè meritò iam Gentes illud Dauidicum Iudæis perfidis exprobrare possunt: *Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.*

Num. 4.

Num. 4.

Psal. 19. n. 9.

O prodigiosum bellum! debellat Deus infidelem mundi orbem sine marte & sanguine, vincit incredulos sine corporis læsione: conuertit nationes sine strepitu armorum: A vtitur militibus sine armis. *Neq;*, inquit, *peram neq; calceamenta, neq; virgam tuleritis in viâ.* Militibus mundi currus victualibus onusti submini-
B strantur: Apostolis neq; pera exigua gestari conceditur. Quid causæ? Fortasse ne in pugna facilè desisterent. Miles enim dùm omnibus abundat, excursiones negligit, manubia contemnit, prædam non quærit, contentus suis curribus onustis. Donec aut ab ipso hoste excitetur, aut certè euacuatis omnibus, fame tandem & siti coactus, ad quærenda alimenta cogatur. Timuit quoq; Deus, ne Apostoli peram gestantes, in illa asseruarent sibi ad quotidianum victum necessaria; sicq; militum mundi instar, (qui in extremis modoprimùm confugiunt ad Deum) militiam spiritualem negligentiùs peragerent, & prædam salutis ne in animabus hominum negligentiùs quærerent, contenti cibis in crastinum asseruatis sibi. Sed vt nihil habentes, quotidiè ad Deum panem rogaturi confu-
C giendo, plurimos hominum suo exemplo ad Deum traherent. Qui enim diuitijs abundant, non tàm frequenter Deum orant, confidentes in suis thesauris: & ignorantes se in cœlo epulaturos Sabbathum magnum cũ Deo, & nullum delicatius conuiuiũ, atq; iucunditatis plenum & tranquillitatis haberi posse, præter illud, quotidiè se ad Dominum conferre, & cum illo per orationes loqui. Non permisit Deus Apostolos gestare calceamenta, ne eos in celeriter decur-
D rendo orbe terrarum impedirent: habent enim terrenum quoddam grauamen, quod aliquantum retardat hominem. Præterea, cũ ad Deum gentes conuertere deberent, absque calceamento incedendum illis erat. Nemo enim calceamentis onustus Deum videre potest. Nam Moyses, antequàm ad rubum ardentem accederet, calceamenta soluere debuit: Et homo Christianus, qui ad Deum venire vult, soluat calceamentum oportet. hoc est: quicquid iniquitatis, quicquid sæculi, quicquid terrenum

renum habet, totum illud ab eo reij- A ciendum.

S. Ambro. D. autem Ambrosius in Psal. 18. dicit Apostolos ideò fortasse nudis pedibus missos fuisse, ne obumbraretur eorum salutifera prædicatio; sed magis eluceret. At quomodo calceamenta prædicationem Apostolorum poterant obumbrare? Fortasse quia calceamentis oculi hominum non raro capiuntur. Aspexit Holofernes sandalia Iudith, & inquit Scriptura, captus est in oculis suis. O quàm Christianis frequenter, hæc calceamenta obumbrant ad lucem gratiæ: dum miro artificio feminæ, nec minori sumptu & fastu, calceamenta sibi confici procurant: quibus oculos iuuenum capiant, ad libidinem excitent, in cogitationum turpitudinem prouocent. Magna hæc obumbratio, & summè pernicioſa Christianis, qui si cum Christi Apostolis illuminari volunt, soluere priùs calceamenta iniquitatis, & vanæ gloriæ debent.

Præcepit Deus Apostolis, ne virgam aut baculum secum ferrent: fortasse ne ab aliquo lacessiti, & vindictam affectantes, illum concuterent. Vt hoc ipso edoceret homines christianos, non debere esse cupidos vindictæ: neq; ideò arma & gladios esse excogitatos, vt in necem proximi, & tyrannidem subditorum sæuiant Principes; sed tantùm vt hostium incursus arceant, & Dei Ecclesiam atq; patriam tueantur. Quomodò igitur inermes Christi milites Beati Apostoli, cum infideli mundo pugnabant, cùm neq; baculum secum deferrent? solâ equidem prædicatione sanctâ: non enim armis secularibus; sed cœlestibus & spiritualibus, ad optatam mundi expugnationem opus erat. Quia bellum quod Christus parauerat, non euaginato ense, non bellicis tormentis, non cruoris effusione; sed linguæ tantùm adminiculo, & efficacibus euangelicæ prædicationis clamoribus, geri debebat. Admirandum erat bellum illud, quo Syriam Deus obsidione Samariæ persecutus est. Vbi solo curruũ & equorum strepitu perterritos hostes fugisse, & victoriam esse obtentam constat. Prodigiosa erat pugna, dùm muri magnæ illius & munitæ vrbis Hiericho, non explosione tormentorum, sed vocibus duntaxat & clamoribus personantibus corruerunt, dicente Sacra pagina: *Conclamauit omnis populus vociferatione maximâ, & muri funditùs corruerunt.* Hoc planè modo æternæ veritatis, & vitæ Magister Christus Dominus, suos Apostolos & primos mundi expugnatores, aduersùs potentissimum humani generis hostem, non armorum strepitu, aut bellicis machinis; non gladijs aut telis; sed vocibus solùm, & pijs sermonibus bellum gerere voluit. Quia non corpora Christi imperio subijcienda, nec arces, aut vrbes, Apostolis expugnandæ erant; sed hominum illustrandæ mentes: quæ verbo diuino docentur, quando fides ex auditu concipitur. 4. Reg. 17. Iosue 6.

Obstupescite hic mortales, puC gnam Christianorum potentem, & sapientem. Buccinæ sonitu perterruit hostem Ioab, ne Dei populum vrgeret. *Intonuit*, inquit sacer textus, *Ioab buccinâ, & stetit omnis populus, nec persecuti sunt vltra Israël.* Apostolorum quoq; Euangelica tuba dæmonem terruit, & à crudelissima strage, quam Dei Ecclesiam persequendo edebat, reuocauit. Admiremini Apostolorũ simplicitatem, quæ vt primùm personuit in orbe; subitò profana mundi sapientum loquacitas obmutuit. 2. Reg. 2.

D An non prodigij simile est? quando Deus *stulta mundi elegit, vt confunderet sapientes.* Veteres enim Philosophi mundum inani loquacitate excantabant: sed postquàm Beatorum Apostolorum simplicitatem Christianam audire cæpit, resipuit mundus, & ab illis excantationibus quibus tenebatur, se exoluit. Nugatricem illam eloquentiam, tanquàm futilem, & inualidam omnes repudiauerunt: linguam verò sanctam diuinarum legum vulgatricem, tanquàm strenuam ac validam didicerunt. Attoniti penitus 1. Cor. 1.

nitùs hærete, quibus Deus ad mundi expugnationem vsus sit instrumentis, ponderando. *Infirma*, inquit, Apostolus, *mundi elegit Deus, vt fortia confundat, & non glorietur omnis caro.* Et quomodò Apostoli pauperes, tot principes in obsequium fidei captiuârunt? Quomodò ignobiles, tot Imperatores & Reges Deo mancipârunt? Quomodò infirmi, tot potentes Christo subiugârunt? Quomodò demùm tàm pauci & inermes, totum mundum, expugnare, idololatriam & vita extirpare, & veram religionem vbiq; introducere poterant? Effecit hoc cœlitùs Apostolis collata sapientia, quæ omni terreno præsidio fortior est. Cùm enim istius belli ipsemet Christus Dux esset, Verbum incarnatum, & æterna sapientia; decebat quoq; vt suis militibus, pro insigni & præsidio sapientiam daret, Quia verbum quoq; diuinum, non aliter; quàm cœlestis sapientiæ & linguæ adminiculo, mundo potuit annuntiari. Cuius sapientiæ splendor in Apostolis relucens, efficaci Spiritus Sancti virtute adeò potens fuit, vt non solùm Iudæam, sed Hispaniam, Italiam, Galliam, & tot alias mundi Regiones, breui tempore perlustrauerit. Quod diuino afflatus spiritu prædixerat Isaias, inquiens: *Ponam in eis signum, & mittam ex eis gentes, in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam, & Græciam, ad insulas longè, & ad eos qui non audierunt de me, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus.* Erubescant hic ij, qui temerè suæ id adscribere audent industriæ, quasi regiones quasdam nouas primi adinuenerint, & fidem diuinam illos homines edocuerint. Quia in omnem terrarum orbem exiuit sonus Apostolorum, etiam ad eos homines, inquit Isaias, qui nunquàm de Deo audierant. Nulla proinde natio, nulla prouincia, nullus abditissimus terræ locus repertus est, vbi diuinæ fidei notitia prædicantibus Apostolis non peruenerit, licet deprauatis hominum moribus, & falsis corrupta doctrinis quandoque maneat.

1. Cor. 1.

Isaiæ 66.

Potentiâ igitur & sapientiâ pugnârunt Apostoli: potentiâ inquam peccata resoluendo: sapientiâ verò, Deum hominibus manifestando, virtutes atq; pietatem edocendo. Nam in Apostolis duo considerari debent, ordo, & missio. Ordo, quia eosdem Deus fecit Episcopos, vbi contulit eis potestatem spiritualem in totum orbem: vt Ecclesias regerent, pertinaces ad fidem compellerent, & conscientias hominum, peccatorum vinculis constrictas, diuinâ potestate resoluerent. Missio verò, quia voluntate Dei ordinante constitui fuêre legati, vt cum vniuerso mundo diuinæ societatis fœdera, sancirent. Legatio autem cum absq; sapientiâ absolui nequeat, ad ritè obeundum hoc munus, Deus suis Apostolis omnem sapientiam contulerat. Et quamuis omnium Apostolorum eadem fuerit militia; licet omnes apud Dominum parem sanctitatis gratiam obtinuerint; nescio tamen quo pacto Petrus & Paulus videntur præ cæteris, peculiari quadam in Saluatorem fidei virtute eminere. Quod facilè ex ipso Christi iudicio possimus conijcere: nam Petro tanquàm bono dispensatori, clauem Regni cœlestis dedit. Paulo verò tanquàm idoneo Doctori Magisterium Ecclesiasticæ institutionis contulit. Scilicet; vt quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem: & quorum corda patefecerit Paulus doctrinâ verborum, eorum animabus Petrus aperiat Regna cœlorum. Duas proindè claues Christus in Apostolos distribuit, nimirùm; sapientiæ, & potentiæ. Et cùm potentiæ clauem Petro contulerit, primatum illi in Ecclesia concedens; Paulo quoq; clauem sapientiæ tradidit. Meritò enim clauis dicenda est, quâ ad fidem peccatorum corda reserantur, mentium secreta panduntur, & quicquid intrinsecùs clausum tenetur, in apertum rationali manifestatione producitur. Clauis inquâ dicenda est, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit.

Christus duplicem clauem inter Apostolos distribuit.

Et hæc

Et hæc est puto prima causa, cur Christi Ecclesia Petri & Pauli festiuitatem simul celebrat. Quia cùm ambo claues habeant, simul quoq; Regnum cœleste aperiunt, & claudunt. Nam ambo claues à Domino susceperunt, scientiæ iste; ille potentiæ; diuitias immortalitatis ille dispensat; scientiæ thesauros iste largitur. Aliâ ego tamen causam reperio, cur simul celebretur festiuitas sanctorum Petri & Pauli in Ecclesia Dei? Quia vnum cor, & vna anima fuit in illis : quorum autem vnum est cor, & vna anima, indiuisibilia esse debent. Nam docent communiter Doctores, si homo duorum capitum nascatur, in baptismo potissimùm ad cor respiciendum esse : Si enim vnum cor est vtriusque, etiam vna anima erit. ac proindè vno nomine baptizari debet homo, duorum licet capitum fuerit. Christi Apostolorum Petri & Pauli, duo quidem capita erant, duo corpora, sed anima & cor vnum, ideoq; non licuit in Christi Ecclesia diuidi illorum virtutes, sed potiùs vnâ & eadem solennitate honorari. Vnum fuit cor eorum, quia & meritis sunt æquales : nam vtriusq; sanguine totius occidentis plaga illuminata est? Vna die ambo passi sunt, vno in loco, vnius crudelissimi tyranni toleraûere sententiam. Vno inquam in loco omnem tyrannidem perpessi, ne alteri Roma deesset. Sub vno persecutore; vt æqualis crudelitas vtrumq; constringeret. Vno tempore, ne velut in ludis Olympicis strenuè decertando, vnus altero ad laureã citiùs peruenisset. Dies igitur pro merito, locus pro gloriâ, persecutor pro virtute Sanctis Apostolis Petro & Paulo decretus est. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? in vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum. Scilicet vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis. Et vbi Gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum præsides morarentur. O felix Roma! quæ & petram illam, in qua velut in marmoreâ quadam basi, aut æneâ columnâ, ædificata est Christi Ecclesia, retines: & vas illud electionis plusquàm aureum aut adamantinum, in quo pretiosa Christi mandatorum præcepta conduntur, vas inquam speciosum, de cuius plenitudine, substantia vitæ populis semper erogatur; & tamen plenum atque inexhaustum manet. Oportebat certè duo hæc simul in vna Roma asseruari: Petram, & vasculum, vtpotè domui Sâluatoris summè necessaria. Domus enim fortitudinis petrâ construitur, vtilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem, ne labantur, sustentat populos; vas ad custodiam, ne tententur, operit Christianos. Deaurat horum Apostolorum martyrium nimiùm Romam, quorum illa sanguine elegantiùs; quam rubinis purpura rubet. Nam licet passio diuersa fuerit, cruciatus varij, genera tormentorum exquisitissima, mors omni crudelitate acerbissima; æquali tamen gratiæ sanctitate referta. Nam D. Petrus crucis, quemadmodùm Saluator ipse, exitum tulit, & à Dominicæ deuotionis similitudine, nec morte discretus est. Scilicet, vt quem imitabatur fide, eundem quoque imitaretur passione. De sacrata autem Beati Pauli ceruice, cùm eam crudelissimus tyrannus, & vltra belluinam feritatem sæuiens, gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda; quàm sanguinis : & mirum in modùm Sanctum Apostolum, baptismi gratiâ in ipsâ cæde exstitisse splendidum potiùs, quàm cruentum. Quod in S. Paulo non est tantoperè suspiciendum? Quid enim mirum si in ipsa suâ cæde abundat lacte, cùm sit nutritor Ecclesiæ? vt ipsemet testatur Corinthijs loquens : *Lac vobis potum dedi, non escam.* Hanc certè fæcundam suæ Ecclesiæ terram promiserat olim Deus, inquiens : *Dabo vobis terram fluentem lac & mel.* Vbi non de hac vulgari terrâ locutus est, quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutumq; permiscet. Sed de puriore illa terra D. Pauli, quæ iugiter lac purum

Actor. 4.

Homo cũ duobus capitibus natus quo modo baptizari debet.

S. Petrus & Paulus eodem tempore loco, & sub eodem persecutore martyrium passi sunt.

1. Cor. 3.

Exodi 3.

purum ſuaueq; diſtillat. Quæ enim Pauli epiſtola non melle dulcior? lacte candidior eſt? omnia ſiquidem illius ſcripta, tanquàm vbera matris Eccleſiæ, fideles omnes enutriunt ad ſalutem. Lac manabat de ceruice Pauli: quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. idcircò Diuus Paulus ſanguine voluit manare, & in terris adhuc poſitus, in regni cœleſtis ſubſtantiam meruit transformari, ne ſanguis regnaturum impediret.

Ecce igitur vobis potentia Apoſtolorum mundi expugnatrix: ecce ſapientia gentium illuminatiua. Ecquis iam hodiè licet infirmus, & imbecillus, de victoria ſuorum hoſtium deſperabit? cùm Deus per infirmos Apoſtolos vniuerſum mundum debellauerit. Infirmis enim ille vires adhibet, fortibus eripit: vt hi per illos confundantur; neutri verò glorientur. Non infirmi, quia fortitudinem acceperunt. Non fortes: quia amiſerunt. Hac crebrò viciſſitudine Deus inſtruit fortes, vt timeant: infirmos autem, vt ſperent. Sic olim potentiam Ægyptiorum per ciniphes, ranas, locuſtas, & quæuis alia inſectilia, atque viliſſima animalia, ſubegit, vt palam habetur in Sacro textu. Vbi doctiſſimus Rupertus l. 1. cap. 38. ſic diſcurrit. *Ecce*, inquit, *quales inſtruxit acies ex huiuſmodi cohortibus, totas contra fortes Ægyptios compoſuit legiones. Singuli milites ſecundùm ſe breues quidem & infirmi: verùm pro exercitibus Pharaonis fatis valentes fuère duce imperio Dei. Nempè quod multus hominum exercitus facere non potuiſſet, iſte phalanges locuſtarum, ſtrenua peregerunt militia.*

Exodi 10

Rupertus

Verùm, vtquid Deus per tàm viliſſimas creaturas, omne robur Ægyptiorum confregit? Perpendite myſterium: quia culpæ pœnam proportionari neceſſum erat. Aquæ fluminis verſæ ſunt in ſanguinem apud Ægyptios; vt fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, authoribus ſceleris, poculum ſanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali, cæde maculauerant, potando ſentirent. Diffuſi ſunt per campos Ciniphes. Animal hoc pennis quidem ſuſpenditur per aera volitans; ſed adeò ſubtile eſt & minutum, vt oculi viſum niſi acutè cernentis eludat: corpus tamen cùm inſederit, acerbiſſimo tenebrat ſtimulo. Ita vt quem volantem videre quis non valet, ſentiat ſtimulantem. Hoc ergo genus animalis adumbrabat artem vanæ Philoſophiæ, & Hæreticorum calliditatem: quæ minutis & ſubtilibus verborum ſtimulis animas tenebrat, & tantâ fraude circumuenit, vt deceptus quiſq; nec videat, nec intelligat, vnde decipitur. Producta eſt cynomya, id eſt, muſca canina, ad vindictam de ijs ſumendam, qui ad reliquas deceptionis ſuæ improbitates, etiam voluptatem & libidinem, ſummum prædicabant bonum. Quoniam ergo per hæc ſingula priùs deceptus fuit Ægyptius populus, meritò Deus huiuſcemodi correptionibus illum arguebat, vt ex qualitate pœnarum, qualitates proprij agnoſceret erroris. Abſumpta ſunt poſthæc apud Ægyptios pecora, in quo vecordia eorum ſtultitiaq; arguebatur: qui tanquàm irrationabilia pecora, cultum & vocabulum Dei impoſuerant figuris, non ſolùm hominum; ſed etiam pecorum. Vnde iuſto iudicio factum eſt, vt in quibus cultum Ægyptij credebant ineſſe diuinum, in his viderent miſeranda ſupplicia. Quid plura? Poſt tàm atrocia ſuppliciorum genera, venerunt ab alto voces, & tonitrua, & grando, & ignis! diſcurrens in grandine. En diuinæ correptionis temperamentum? Non cum ſilentio verberat Deus, ſed dat voces, & doctrinam cœlitùs mittit, per quam poſſit mundus caſtigatus culpam ſuã agnoſcere. Dat grandinem, per quã tenera adhuc vaſtentur naſcentia vitiorum. Dat ignem, ſciens eſſe ſpinas & tribulos peccatorum, quos debeat ignis ille depaſcere, de quo dicit Dominus: *Ignem veni mittere in terram:* per hunc enim incentiua

Lucæ 12.

volu-

voluptatis, & libidinis consumuntur. Nec dùm satis: introductæ sunt in Ægyptum adhuc locustæ, animalia dente noxia. Per quod genus plagæ, aut detrahentis, aut semper à se discordantis, humani generis inconstantia designabatur. Locusta enim Prou. 30. cùm regem non habeant, sicut Scriptura testatur, vna acie ordinatum ducit exercitum. Homines verò cùm rationabiles à Deo facti sint, neque semetipsos regere potuerunt: neq; Dei Regis patienter moderamina pertulerunt. Secutæ tandem post locustas tenebræ, vt mentis Ægyptiorum cæcitas argueretur: vt intelligerent, diuinæ dispensationis, & prouidentiæ obscurissimas esse rationes. Quas dum superbi audacter & temerè perscrutari cupiunt, in crassas & palpabiles errorum deuoluuntur tenebras.

Si ergò per locustas, superbos & Deo resistentes Ægyptios, Deus quondam debellauit: desperandum-ne erit aliquando Christianitati contra immanissimos, & potentissimos hostes? Nequaquam: sint illi sanè infirmi; sed Christi & eius Apostolorum præsidio muniantur: dubio procul nulla sæculi potentia eis resistere poterit. Hoc consilium dat antiquissimus Origenes de Elcana: *Sis*, Origenes. inquit, *indutus armis Dei, sis scuto fidei munitus, galeâ gratiæ obarmatus, loricâ charitatis, gladio Spiritus accinctus, & certus esto, quia arcus contra te potentium infirmabuntur, præmunimentis talibus.* Hoc consilium & Apostolus præbet, suos Ephesios ad supernaturalium studia virtutum exhortans. *Vt possitis*, inquit, *omnia tela nequissimi extinguere, induimini virtutum armaturâ.* Ephes. 6.

Quare & nos in hodierna Beatorum Apostolorum festiuitate, agnoscamus beatissimi Principis Apostolorum Petri potestatem, quam habet in vniuersas mundi Ecclesias. Et illius felici imperio in suo Successore moderno duranti obsecundemus, quantum ad animæ salutem necessum est. Agnoscamus & sapientiam D. Pauli: omnia, quæcunq; ille diuino Spiritu nobis seruanda proposuit, volentes adimplere. Quòd si debitâ veneratione tantam festiuitatem peregerimus, certi simus; quia & peccatorum nexibus conscientias nostras ligatas, potestate sibi traditâ hic in terris, Princeps Apostolorum resoluet, & omnes Christiani nominis hostes feliciter comprimet. Diui verò Pauli sapientia, & in terris nos omnem religionis perfectionem edocebit, & in cœlum, cum suo passionis & potestatis socio Petro, aditum patefaciet.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HAC PARTE ELVCIDANTVR.

Prior numerus paginam, posterior columnam, litera locum columnæ indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Caput. 1.

ET Spiritus Domini ferebatur super aquas. 526. 1 B. 561. 1. C.

Factumq; est vespere & mane dies vnus. 122. 1. D.

Fecit Deus duo luminaria magna. 488. 2. D.

Et vidit Deus quòd esset bonum, benedixitque eis. 370. 1. C.

Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram. 71. 1 B. 581. 1 A. 599. 1 B.

Caput 2.

Et benedixit diei septimo & sanctificauit illum. 30. 2. A.

Caput 3.

Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. 205. 1. B.

Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. 222. 2. D.

Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. 213. 2. A. 233. 1. A.

Caput 4.

Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 483. 1. B.

Caput 7.

Ego pluam super terram 40. diebus, & 40. noctibus. 211. 1. C.

Caput 12.

Perrexitq; Abraham vadens, & videlicet progrediens ad meridiem. 441. 1. C.

Caput 18.

Vbi est Sara vxor tua. 141. 1. B.

Caput 22.

Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac. 74. 1. C.

Caput 48.

Mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere. 53. 2. D.

EXODVS.

Caput 14.

Quid clamas ad me? loquere filijs Israel, vt proficiscantur. 476. 1. B.

Caput 20.

Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. 123. 1. A.

Caput 23.

Si videris asinum inimici tui iacentē, non præteribis, nisi prius alleues eum. 343. 2. B.

Mittam Angelum meum, qui præcedat te. 206. 2. B.

Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes. 571. 2. D.

Caput 24.

Ascende ad me in montem. 441. 2. A.

Cumq; ascendisset Moyses, operuit nubes montem. 293. 2. B.

Caput 32.

Ponat Vir gladium super femur suum. 296. 2. C.

Caput 33.

Dimitte me vt irascatur furor meus, & deleam eos. 482. 1. B.

Caput 39.

Ignis, grando, fames, & mors, ad vindictam creata sunt. 611. 2. C.

LEVITICVS.

Caput 10.

Egressusq; ignis à Domino, deuorauit eos. 398. 2. C.

NVMERVS.

Caput 12.

Locuta est Maria & Aaron contra Moysen. 102. 2. D.

Caput 16.

Terra aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis. 201. 2. D.

Caput 17.

Caput 17.

Quem ex his elegero, germinabit virga eius. 47. 1. D. 408. 1. D.

Caput 20.

Aaron colligetur, & morietur ibi. 241. 1. B.

DEVTORONOMIVM.

Caput 21.

Radet cæsariem, & circumcidet vngues, & deponet vestem 167. 2. D.

Caput 26.

Benedic populo tuo Israël, & terræ quam dediſti nobis. 386. 2. B.

Caput 33.

Quasi primogeniti tauri fortitudo eius. 379. 1. B.

LIBER I. REGVM.

Caput 2.

Non est sanctus, vt est Dominus 456. 1. D.

Caput 4.

Duo quoq; filij Heli mortui. 72. 1. D.

Caput 16.

Erat adolescens rufus, & pulcher aspectu. 208. 2. A.

Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis. 163. 1. D.

LIBER II. REGVM.

Caput 6.

Michol filia Saul, prospiciens per fenestram, vidit Regem Dauid subsilientem atq; saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo. 231. 1. A.

LIBER III. REGVM.

Caput 2.

Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos. 66. 2. D.

Caput 12.

Auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. 572. 1. B.

LIBER IV. REGVM.

Caput 6.

Da filium tuum, vt comedamus eum hodie. 360.

Caput 20.

In diebus illis ægrotauit Ezechias vsq; ad mortem. 194. 1. C.

Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues. 52. 2. C.

TOBIAS.

Caput 3.

Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram. 190. 1. B.

IOB.

Caput 1.

Circuiui terrã & perambulaui eã. 456. 1. D.

Caput 11.

Vtinam Deus loqueretur tecum, vt intelligeres. 399. 1. D

Caput 13.

Ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio. 585. 1. A

Caput 19.

Vsquequo afflligitis animam meam, & atteritis in sermonibus. 189. 2. C

Caput 40.

Si habes brachium sicut Deus, aut simili voce tonas. 495. 2. B.

Caput 41.

Non est potestas in terra, quæ valeat ei comparari. 444. 1. C

PSALMI.

Psalmus 6.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. 447. 1. C

Psalmus 16.

Satiabor cũ apparuerit gloria tua. 388. 2. A

Psalmus 18.

In Sole posuit tabernaculum suũ. 498. 1. D

Iustitiæ Domini rectè lætificantes corda. 571. 1. B

Psalmus 21.

Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me. 259. 2. A 260. 1. C

Psalmus 37.

Contribulasti capita draconis in aquis. 457. 1. A

Psalmus 39.

Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. 8. 1. A

Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi. 414. 2. C

Psalmus 40.

Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. 279. 2. C

Psalmus 43.

Exurge Domine, quare obdormis. 418. 2. A

Psalmus 45.

In spiritu vehementi, conteres naues Tharsis. 578. 2. C

Psalmus 49.

Psalmus 49.
Immola Deo sacrificium laudis. 78. 2. A
Psalmus 50.
Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. 305. 1. D
Psalmus 54.
Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo. 526. 1. D
Psalmus 56.
Filij inquit hominum dentes eorum, arma & Sagittæ. 572. 2. D
Psalmus 64.
Sanctum est templum tuum, mirabile in iustitia. 590. 1. D
Psalmus 72.
Flagellatus sum tota die, & castigatio mea in matutinis. 227. 1. D
Psalmus 81.
Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. 94. 1. D
Psalmus 84.
Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. 355. 1. A
Psalmus 95.
Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno. 462. 2. D
Psalmus 102.
Similis factus sum pelicano solitudinis. 317. 1. C
Psalmus 103
Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. 341. 1. D
Psalmus 118.
Exquisiuit me zelus domus tuæ. 323. 2. B.
Psalmus 129.
A custodia matutina vsq; ad noctem, speret Israèl in Domino. 287. 2. B
Psalmus 147.
Confortauit seras portarũ tuarũ. 458. 1. C

PROVERBIA.

Caput 8.
Nondum erant abyssi, & ego Iam concepta eram. 153. 2. C
Caput 9.
Sapientia ædificauit sibi domum. 29. 2. B
Caput 14
Domus impiorum delebitur, tabernacula verò iustorum germinabunt. 517. 1. B
Caput 21.
Eijce de concilio pestilentem, & exibit cum eo omnis contentio. 484. 2. A
Caput 22.
Ciuitatem fortium ascendit Sapiens, de struxitq; locum fiduciæ eius. 456. 2. C.
Caput 23.
In nouissimis mordebit vt coluber, & vt regulus venena effundet. 531. 2. D
Caput 25.
Aufer iniquitatem à vultu Regis, & iustitia firmabitur thronus eius. 194. 2. C
Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit potum da illi. 346. 2. C
Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. 363. 1. A
Caput 30.
Tria mihi sunt difficilia, & quartum penitus ignoro. 595. 2. D

CANTICA.

Caput 2.
Similis est dilectus meus capreæ. 79. 2. B
Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. 160. 1. D
Caput 3.
In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea. 309. 2. B
Caput 4.
Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. 163. 1. D 429. 2. D
Caput 5.
Ego dormio & cor meum vigilat. 65. 2 D
Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum. 75. 2. D
Caput 7.
Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis. 68. 1. A
Omnia poma noua & vetera dilecte miseruaui tibi. 152. 1. C
Veni dilecte mi commoremur in villis. 366. 1. B
Caput 8.
Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. 81. 2. C

SAPIENTIA.

Caput 1.
Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis. 133. 2. B
Caput 9.
Per sapientiam sanati sunt, quicunq; tibi placuerunt ab initio. 105. 1. B
Caput 10.
Sanauit iterum sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans. 451. 1. D

ECCLESIASTICVS.

Caput 5.

De propitiato peccato, noli esse sine metu. 532. 1. A

Caput 24.

Ego ex ore altissimi prodiui. 182. 1. B

Caput 27.

Sicut vasa figuli probat fornax, sic homines iustos tentatio tribulationis. 123. 1. C

ISAIAS.

Caput. 1.

Restituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & consiliarios tuos. 387. 1. C

Caput 3.

Non sum medicus, nolite me constituere Principem. 45. 2. D

Caput 4.

Et apprehendent septem mulieres virum vnum. 21. 1. B

Caput 6.

Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. 103. 2. D

Caput 9.

Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. 343. 1. A

Caput 14.

Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. 161. 2. C

Caput 21.

Custos quid de nocte, custos quid de nocte. 164. 1. D

Caput 23.

Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. 409. 2. A

Caput 35.

Oblatus est, quia ipse voluit. 354. 1. B

Caput 39.

Cùm venerit, quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit. 466. 1. A

Caput 40.

Exsiccatum est fænum, & cecidit flos. 137. 1. B

Caput 50.

DominusDeus aperuit mihi aurē. 66. 1. C.

Caput 53.

Propter scelus populi mei percussi eum. 256. 2. D.

Caput 55.

Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus. 354. 1. D.

Quomodò imber descendit de cœlo, sic erit verbum meum. 482. 1. C.

Caput 62.

Vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur. 79. 1. C.

Caput 63.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra. 13. 1. D.

Caput 65.

Secundùm dies ligni erunt dies populi mei. 459. 1. D.

HIEREMIAS.

Caput 7.

Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam. 233. 2. B

Caput 11.

Mittamus lignum in panem eius. 451. 2. D

Caput 14.

Quare colonus factus es in terra. 549. 1. B

Caput 18.

Descende in domum figuli, ibi audies verba mea. 92. 2. D

Caput 23.

Nunquid non verba mea quasi ignis sunt. 319. 2. D

THRENI.

Caput 1.

Sacerdotes mei, & senes mei in vrbe consumpti sunt. 279. 1. C

Caput 4.

Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs. 84. 2. D

EZECHIEL.

Caput 1.

Quatuor facies vni. 598. 1. D

Caput 12.

Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israèl. 400. 1. D

Caput 17.

Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile. 461. 2. D

OSEAS.

Caput 2.

Ego lactabo eam. 503. 2. A

Caput 4.

Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ. 530. 2. C

Caput 13.

Dabo eis Regem in furore meo. 467. 2. D

IOEL.

Caput 1.

Argentum meum & aurum tuliſtis; & deſiderabilia mea. 101. 1. C

AMOS.

Caput 9.

Qui ædificauit in cœlo aſcenſionem ſuam. 432. 2. C

IONAS.

Caput 1.

Melior eſt mihi mors, quàm vita. 404. 2. A

MICHÆAS.

Caput 2.

Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem. 367. 1. D

Caput 5.

Et erit iſte pax. 458. 1. D

Nunc vaſtaberis filia latronis. 37. 1. B

Caput 7.

Filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam. 190. 2. C

HABACVC.

Caput 2.

Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo; iuſtus autem in fide ſua viuet. 518. 1. B

Caput 3.

Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. 244. 1. D

ZACHARIAS.

Caput 1.

Aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, alteram funiculum. 616. 2. A

Caput 14.

Non erit mercator in domo Domini. 133. 1. D

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆVS.

Caput 1.

NOli timere, quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. 122. 1. B

Caput 2.

Intrantes domum inuenerunt puerum, cum Maria matre eius. 39. 1. D

Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera. 41. 2. B.

Caput 4.

Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ. 42. 1. A

Caput 8.

Dómine puer meus iacet in domo paralyticus. 411. 1. B

Caput 10.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. 87. 1. D

Non veni pacem mittere, ſed bellum. 340. 2. C

Caput 11.

Tollite iugum meum ſuper vos. 86. 2. D

Nemo nouit filium niſi pater, nec Patrem quis nouit, niſi Filius. 522. 1. A

Caput 12.

Ecce pluſquam Salomon hic. 179. 2. D

Caput 16.

Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam. 297. 1. C

Quem dicunt homines eſſe filium hominis. 337. 1. A

Vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi 405. 2. D

Cùm veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt accipere panes. 425. 1. D

Caput 24.

Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo. 211. 2. D

Caput 26.

Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. 381. 2. D

An putas quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam 12. legiones Angelorum. 4. 2. B

Tanquàm ad latronem exiſtis, cum gladijs & fuſtibus comprehendere me. 219. 1. C

Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei. 267. 1. B

Caput 27.

Ita, vt miraretur præſes vehementer. 191. 1. A

Non hunc, ſed Barabbam.

Nihil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum per viſum propter illum. *21. 229. 2.* A.

Si Filius Dei es, deſcende de cruce. 452. 1 C

Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti 239. 2. C

Inſufflauit, & dixit eis, accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. 285. 2. B

Caput 28.

Caput 28.

Ecce terræ motus factus est magnus'. 306. 1. B

Vespere autem Sabbathi, venit Maria Magdalene videre sepulchrum. 299. 1. B

MARCVS.

Caput 9.

Non enim sciebat, quid diceret. 367. 2. C

Caput 14

Cœpit pauere, & tædere. 218. 2. D

Cœperunt conspuere, & velare faciem eius'. 257. 2. B

Caput 16.

Sedet à dextris Dei. 496. 2. D

Caput vltimum.

Et nubes suscepit eum ab oculis eorum. 504. 1. B

LVCAS.

Caput 1.

Ecce eris tacens, & non poteris loqui. 139. 2. B

Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius'. 138. 1. B

Ne timeas Maria. 150. 2. C

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. 76. 2. B

Caput 2.

Pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio. 71. 2. D

Caput 11.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat. 323.

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. 76. 1. B

Caput 15.

Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. 43. 2. A

Fac me, sicut vnum de mercenarijs tuis. 86. 1. C

Caput 22.

Qui non habet sacculum, vendat tunicam suam, & emat gladium. 297. 1. A

Apparuit ei Angelus de cœlo, confortans eum. 218. 1. C

Iuda osculo Filium hominis tradis'. 187. 2. D

At ille negauit eum dicens: mulier non noui illum. 195. 2. C

Egressus foras Petrus, fleuit amarè. 198. 1. D

Caput 23.

Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum. 207. 2. C

Hodie mecum eris in paradiso. 239. 2. D

Reuertebantur percutientes pectora sua. 455. 2. B

Caput 27.

Si Filius Dei es, descende de cruce. 242. 1. B

IOANNES.

Caput 3.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. 494. 2. D

Caput 4.

Ego sum via veritas & vita. 434. 2. C

Caput 5.

Non possum à meipso facere quidpiam, sicut audio, iudico. 80. 1. C

Caput 6.

Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis. 16. 2. D

Panis quẽ ego dabo, caro mea est. 164. 2. D

Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam. 171. 1. C

Caput 8.

Ille à principio homicida erat. 503. 2. D

Caput 10.

Qui non intrat per ostium in ouile ouium, fur & latro est. 382. 2. B

Caput 11.

Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. 455. 1. C

Caput 13.

Si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. 174. 1. A

Caput 14.

Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 521. 1. C

Caput 15.

Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. 404. 2. D

Caput 17.

Rogo Pater, vt sint vnum, sicut & nos. 371. 1. B

Sermo tuus veritas est. 508. 2. D

Clarifica me Pater ea claritate, quam habui. 391. 2. A

Caput 18.

Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum. 185. 1. A

Ego sum. 248. 2. B

Tunc es Rex Iudæorum. 272. 1. D

Vnus assistens ministrorum, dedit alapam IESV. 25.

Nobis non licet interficere quenquam. 253. 2. D

Caput 19.

Ecce homo. 258. 1. B. 175. 1. B
Mulier ecce filius tuus. 208. 2. B
Tolle tolle crucifige eum. 230. 1. C
Consummatum est. 240. 1. D
Et inclinato capite tradidit Spiritum. 241. 2. B
Dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. 310. 1. D
Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. 500. 1. B
Nisi videro fixuram clauorum &c. non credam. 427. 2. C

ACTVS APOSTOLORVM.

Caput 1.

Possedit agrum de mercede iniquitatis. 115. 1. D

Caput 3.

In nomine IESV Christi Nazareni surge & ambula. 44. 1. B

Caput 5.

Non es mentitus hominibus, sed Deo. 44. 2. C

Caput 6.

Ecce video cœlos apertos. 107. 2. D

Caput 9.

Saule Saule quid me persequeris. 281. 1. B

EPISTOLA AD ROMANOS.

Caput 1.

Qui prædestinatus est Filius Dei, in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. 289. 1. C
Inuisibilia eius opera quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. 431. 1. C

Caput 4.

Qui contra spem in spem credidit. 309. 1. C

Caput 5.

Christus pro impijs mortuus est. 436. 1. A
Diffusa est gratia in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum. 522. 2. B

Caput 8.

Spiritus Dei postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 525. 2. D

Caput 11.

Si gratia iam non ex operibus, alioqui gratia iam non esset gratia. 547. 2. D

Caput 12.

Principes non sunt terrori boni operis, sed mali. 514. 1. B

Caput 13.

Abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. 347. 1. D

AD CORINTHIOS. I.

Caput 1.

Prædicamus Christum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia. 516. 2. D
Qui factus est nobis sapientia, à Deo, iustitia, sanctificatio, & redemptio. 306. 1. D

Caput 2.

Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 537. 1. D

Caput 5.

Pro Christo legatione fungimur. 407. 2. B

Caput 8.

Cui laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. 126. 1. C

Caput 9.

Ego castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. 412. 2. A

AD CORINTHIOS. II.

Caput 11.

A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. 202. 2. D
Despondi vos vni viro. 115. 2. D

AD GALATAS.

Caput 1.

Licet Angelus de cœlo euangelizet vobis. 106. 2. D

AD EPHESIOS.

Caput 1.

Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. 161. 1. D 388. 2. D
Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius. 397. 1. D

Caput 4.

Captiuam duxit captiuitatem. 502. 1. D
Dedit dona hominibus. 507. 2. D

AD PHILIPPENSES.

Caput 2.

Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. 3. 1. B.

AD COLOSSENSES.

Caput 1.

Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. 286. 1. C

Ipse est caput corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis. 190. 1. C

AD TIMOTHEVM. I.

Caput 1.

Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. 389. 2. D

Caput 2.

Ego veni vt vitam habeant. 577. 1. C

Deus vult omnes homines salnos fieri. (515. 2. C

Caput 3.

Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 403. 1. C

Caput 4.

Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. 399. 2. D

Caput 6.

Radix omniũ malorũ est cupiditas. 484. 2. C

AD TITVM.

Caput 2.

Ore confitentur se nosse Deum, sed factis negant. 390. 2. C

AD HEBRÆOS.

Caput 2.

Peccatores rursum crucifigentes, Filium Dei in semetipsis. 278. 2. A

Caput 10.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. 210. 2. C

Caput 11.

Moyses negauit se esse Filium filiæ Pharaonis. 390. 1. D

APOCALYPSIS.

Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. 3. 91. 1. D

Foris canes, foris impudici. 21. 317. 7. 2. C



INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

Aaron ante mortem denudatus vestibus. 241. 1. C

Abimelech septuaginta fratres suos interfecit. 477. 1. D

Abraham 99. annorum circumcisus. 14. 1. C

Abusus legum, est causa calamitatum in regno. 96. 1. B

Penes Academiæ Professores summa docendi potestas est. 48. 1. D

Adam in paradiso vocali musica vtebatur. 364. 1. C

Adę possessio ad Christũ deuoluta. 233. 1. B

S. Adalberti caput cur palo transfixum. 408. 1. A

S Adalberti corpus, vnde post mortem ieuitatem habuit. 412. 1. D

Adulatores & ambitiosi Principibus grati. 194. 1. B

Aer attractus quomodò cor refrigerat. 96. 2. D

Agilitas beatorum in duobus consistit. 411. 2. C

Ambitio nouo mortis genere punita. 201. 2. D

Amicitia vera inter homines interit. 520. 2. C

Amicitia cum Deo in baptismo contrahitur. 585. 2. C

Amoris diuini simulachrum. 547. 1. A

Angeli certi singulis creaturis præsunt. 225. 1. A

Angeli in via habuerunt fidem in Christum. 124. 2. D

Angelus semel in peccatum superbiæ lapsus, cur non pœnituit. 347. 2. D

Angelus cur lapidem à sepulchro reuolnit. 308. 1. B

Angelus cur Ioseph in somnis apparuit. 121. 2. D

Anima corporis Physici triplex. 403. 2. B

Animalia quædã reiuuenescunt. 444. 1. C

S. Antonij Patauini lingua, cur incorrupta. 604. 2. D

Eius patrocinijũ omnibus cõmune. 606. 2. B
Eius dominium supra elementa. 611. 1. A
Infantem in medijs flamis seruat ibid. 2. B
Eius prædicationẽ pisces audiunt. 614. 2. A
Resuscitat mortuum. 615. 2. C
Pedem abscissum homini restituit. ibid.
Christꝰ ei sub specie pueri apparet. 616. 1. B
Apostoli duplici auxilio egebant. 530 1. C
Aquilæ amore erga pullos. 375 1. C
Arbor scientiæ in paradiso cur sic dicta. 169. 2. D
Arbor Nabuchodonosori in somnis ostensa. 193. 1. C
Artis opera stupenda. 501. 1. C
Asinus laboriosus & vtilis. 49. 2. C
Athenienses cur ignotum Deum colebant. 26. 1 C
Athaliæ quanta crudelitas. 478 1. C
Auaritia Principum certissima subditorum & ipsorum ruina. 409. 2. C
Auarꝰ inter omnia fœda turpissimꝰ. 199. 1. A
Aula semper Deo infensa. 198. 2. A

B.

Babylon 37. milliariũ spatio ampla. 98. 1 C
Babylonis murorum latitudo. 500. longitudo. 200. cubitorum. Ibidem. Eius turrium & artificum numerus. Ibidem.
Balsamum è Cypro stillat. 162. 1. D
Baptismi trina mersio quid significet. 586. 1. A
In baptismo cur accensa candela detur. 333 1. D
Bellorum origo: meum & tuum. 138. 2. A
Belluæ sunt vitiorum signa. 193 2. D
Benedictiones quadruplici modo fieri possunt. 134. 2. D
Tres benedictiones ad salutem consequendam homini necessariæ. 135. 2. C
S. Benedictus in solitudine per monachum sustentatur. 133 2. A

C.

Calceamenta sunt signa libertatis. 68. 1. A
Canes venatici ab inuestigandis feris odore florum impediuntur. 186. 1. A
Caprea auribus spirat. 79. 2. B
Carolus Imperator die S. Matthiæ natus, coronatus, & victor factus. 93 1 D
S. Catharina Senensis fœtorem peccati ferre non potuit. 121. 1. D.
Ceruus halitu suo serpentes de cauernis extrahit. 331. 2. D
Christus cur ex Virgine nasci debuit. 114. 1. D
Christi conceptio cur Spiritui Sancto tribuitur. 124 2. D
Christi conceptus & partus diabolum latebat. 125. 2. B
Christi natiuitas cur primò pastoribus annuntiata. 45. 1. A
Christus quinq; de causis circumcisus. 2. 2 A & 13. 2. C
Christi paupertas est nostrum patrimonium. 98. 2. D
Christus remotionem calicis sub conditione postulauit. 184. 2. B
Christus quare flos dictus. 185. 2. B
Christus cur Iudã proditorẽ elegit. 188. 2 D
Christi manus ob insolentiam primi hominis ligatæ. 192. 2. C
Christus à milite alapa percussus patienter tulit. 200. 2. C
Christus ignominiosè mortuus propter ambitionem humanam. 202. 1. D
Christus in cruce cur soli Ioanni virginem commendauit. 208 2. D
Christus tribus de causis alapam sibi infligi permisit. 269. 2 C
Christus cur Iudæ osculum non denegauit. 250. 1. A
Christus quam ob causam ad Herodem ductus fuit. 234. 1. D
Christus vltra voluntatem Pilati flagellatus. 227. 1. B
Christus in flagellatione quot vulnera susceptit. 228. 1 B
Christus omnia patiebatur vt homo, non vt Deus. 238 1. A
Christus cur de cruce noluit descendere. 242 1. D
Christum simpliciter & absolutè non fuit necesse pati. 277 1. D
Christus quare ingemuit, cum manus eius cruci affigerentur. 359. 2. D
Christus cur in cruce sitiens bibere noluit. 385. 2. A
Christi corona duplex. 28. 2. B
Christus cur non peccator sed peccatum dicitur pro nobis factus. 222. 2 C
Christus cum suis fidelibus mutuò patitur. 281. 2 B
Christus vt homo omnia a Deo accepit. 289. 1. B

Christus in frequenti turba non inuenitur. 309. 2. D
Christus à mortuis resurgens cur in specie hortulani apparuit. 287. 1. C
Christi resurrectio quomodò causa nostrę 334. 1. C
Christus quodnam cœlum, & in qua parte conscendit. 498. 1. D
Christus nũ in cœlo stet, an sedeat. 499. 1. D
Christi regnũ in tres partes diuisũ. 494. 1. C
Christus figuratus Melchisedech. 369. 1. C
In Christo gloria quadruplex fuit. 391. 2. C
Christus quare successorem in sua potestate habere non potest. 397. 2. B
Christ⁹ quomodò sol⁹ bon⁹ pastor. 402. 2. C
Christus Petri vices aliquando sustinuit. 338. 1. C
Christianus sanguis pro leuissima Iudæorum offensa crebrò funditur. 280. 2. B
Circumcisio ad quid instituta. 1. 2. C
Cur octauo die fieri solita. ibidem. 1. D
Circumcisionis quis minister. 17. 1. C
Clauis paradisi triplex. 420. 2. C
Codri Regis amor in patriam. 332. 2. A
Cœlũ & terra in humilitate fundata. 161. 1. C
Cœlis cur musica tribuitur. 362. 2. A
Cogitationes maximè cor hominis torquent. 123. 2. B
Columbę proprietates admirandæ. 525. 1. A
Cometæ quid portendant. 35. 2. B
Constantinus Magnus Summum Pontificem maiorem se agnouit. 339. 1. D
Conuiuia funesta. 53. 1. D
Creatura pro peccato suo mortali satisfacere non potuit. 330. 1. D
Crux ad abolendam ignominiam apud Romanos decreta. 461. 2. B
Crux S. 326. annis in terra latuit. 467. 1. A

D.

Dare affluẽter, & simpliciter quid sit. 61. C
Dei species impressa dari nõ potest. 33. 1. C
Dei filiatio in quo consistat. 95. 1. C
Dei Filius à Virgine Matre pulchritudinem mutuauit. 75. 2. D
Dei Filius cur in Nazareth voluit incarnari 137. 1. D
Ad Dei amicitiam duplex accessus. 438. 2. C
Dei dilectio dupliciter cõsideratur. 514. 2. A
Deus concurrendo cum homine ad actum peccaminosum, nõ est author peccati. 96. 1. D
Deus nonnisi præmissa tribulatione consolatur hominem. 122. 1. D
Deus ob irreuerentiam templi orationes pro Iudæis exaudire noluit. 233. 2. C
Deus in creaturis septem modis potest esse, 236. 1. C
Deus pro Iudæis rogari se prohibet. 280. 2. B
Deus mysteria fidei in tribus casibus immediatè per se proponere solet. 356. 2. D
Deus per feminas multa stupenda operatus est. 417. 1. C
Deus propter peccata obdormire solet populo. 418. 2. D
Deus trib⁹ modis glorificari potest. 473. 2. D
Deus per sanctitatem maximè discrepat a creatura. 476. 1. C
In Deo voluntas duplex: antecedens & consequens. 515. 2. D
Diuinarum personarum 5. principales⁹ proprietates. 597. 1. D
Diogenis Philosophi auarum conspuentis audacia. 199. 1. A
Doctores vocantur Angeli. 106. 2. B
Dominium super vna re, quomodò simul duobus possit competere. 609. 2. D

E.

Ecclesia humeris S. Thomæ fulcitur. 105. 1. D
Ecclesia triplex. 389. 1. A
Elephanti sanguine & rubro colore accenduntur ad prælium. 214. 2. A
Elephantorũ prudentia in bello. ibid. 1. D
Emblema Christum & Mariam adumbrans. 30. 1. A
Epirum piscem ignis non lædit. 271. 2. B
Episcopatum desiderare quid sit. 403. 1. C
Eua ante peccatum fuit virgo. 144. 2. C
Eucharistia significat bonam gratiam tribus de causis. 164. 2. C
Eucharistiæ Sacramentum cur sub speciebus panis & vini institutum. 168. 1. D
Eucharistiæ indigna sumptio, morbos & mortem inducit. 178. 1. A
Eucharistiæ virtus in sustentanda vita humana. 427. 1. A

F.

Femina cur domus habitatrix dicta. 294. 2. C
Ex præsentia feminę certus interitus. 197. 2. B
Festa præsentationis, conceptionis, Angeli custodis, Trinitatis, & fidelium defunctorum, vnde. 541. 2. D

Fides Theologica in duobus maxime articulis consistit. 575. 1. C
Fides regnante Miecislao in Polonia propagata. 98. 1. A
Filij Heli licet pessimi, quia tamen in custodia Arcæ occisi, salutem consecuti sunt. 71. 1. D
Filius prodigus domum rediens humilitate patrem placauit. 43. 1. D
Flumina quanta damna afferunt. 226. 1. A
Fluxus & refluxus maris, vnde causatur. 387. 2. B
Fontes admirandi. 366. 2. A
Franciscana Religio quot Pontifices & Cardinales habuit. 616. 2. D
Fratricidæ sunt bestiæ. 280. 1. C

G.

Gabriel Angelus cur ad Mariam Virginem missus. 138. 1. A
Fuit ex ordine Seraphinorum. 140. 1. A
Fuit custos B. Virginis. 148. 2. D
Galli cantus Basiliscum fugat. 271. 1. D
Gratia gratis data potest impio tribui. 436. 2. C
S. Gregorius indicio igneæ columnæ ad pontificatum assumptus. 90. 1. D
Gryphi portentosa species. 505. 2. A

H.

Halcyonis partus mare tranquillum reddit. 349. 2. A
Helena octogenaria crucem sanctam inuenit. 466. 1. D
Heli sacerdos vtrum sit damnatus. 176. 1. A
Henoch & Elias fructu ligni vitæ sustentantur. 168. 2. D
Herodes ob repudiatam Dosidem perpetuas rebelliones passus. 370.
Homo omnibus belluis & ipsis dæmonibus ferocior. 216. 1. D
Homo tripliciter vnitur cum Ecclesia. 389. 2. B
Homo in senectute, potest per artem reiuuenescere. 444. 2. C
Hominis natiuitas triplex. 446. 1. B
Hominis similitudo ad Deum in quo consistat. 581. 1. D
Non omnes homines morientur. 114. 2. D
Humanitas Christi tripliciter sanctificatur. 590. 1. A
Hymnum illum: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, puerum docuit Angelus. 478. 2. C
Humilitate apud Deum nulla virtus pluris æstimatur. 77. 1. A

I.

Iesu nomen à solo Deo inuentum, & impositum. 18. 2. D
Iesu nomen & humanitatem & diuinitatem significat. 19. 1. D
Iesu nominis efficacia. 20. 1. D
Ignis tres proprietates. 322. 2. A
Ignis quibus de causis aliquando deorsum fertur. 523. 2. C
Ignobilitas duplex: vera & apparens. 28. 1. B
Inuidia sæua bestia tres ordines dentium habet. 215. 2. B
S. Ioannes cur Eliæ spiritum habere dictus. 487. 2. D
Iosephi quatuor celebres. 120. 2. A
Iosue mors Christi mortis figura. 261. 1. D
Iudas Christo infensus, quia peruersè de illo sentiebat. 5. 2. D
Iudas singulis peccatis proportionatas pœnas luit. 90. 2. D
Iudas in eo loco, vbi Christum tradidit, suspensus est. 24. 2. B
Iudaismus ex duobus summè culpabilis. 278. 2. D
Iudæi Chrium non cognouerunt, quia pauperem videbant. 24. 1. D
Iudæi cur faciē Christi velabant. 200. 1. B
pud Iudæos in puniendo, non licuit quadragenarium plagarum numerum excedere. 202. 2. D
Iudæorum milites cur ad vocem Christi retrorsum ceciderunt. 248. 2. D
Iudæi ob Christi necem grauissimis pœnis subijciuntur. 249. 1. C
Iudæi cur genimina viperarum dicti. 214. 2. D 232. 1. B
Iudæi Sacro die Paschæ expugnati & cur. 300. 1. D
Iudæi cur non comedunt carnes, quibus nerui accrescunt. 383. 2 B
Iudæi cur Christum ad mortem postulauerint. 450. 1. D
Iudex sciens certò, accusatum esse innocentem, non debet ad sententiam mortis procedere. 275. 2. A

Iudicij extremi tristis apparatus, 212. 1. A
Iustificatio hominis duplex. 578. 1. C
Iustitia propriè sumpta, cur inter Deum & hominem non detur. 510. 2. A

L.

Labores ad honores ducunt. 83. 1. B
Latro bonus exauditus est, quia æterna petijt. 3. 2. D
Leo incedens vngues occultat. 186. 2. D
Leo cur nunquã dormire dicatur. 378. 1. B
Leuiatã piscis magnitudo & robur. 221. 1. D
De ligno vitæ nec Adam, nec Eua comederunt. 169. 1. D
Lilij virtus contra Serpentes. 97. 2. D
S. Lucas imaginem B. V. pinxit. 126. 1. B
Lumina cœli cur moriente Christo obscurata fuêre. 209. 2. D

M.

Magi de mysterio Trinitatis & incarnationis, plenè à Virgine Deipara fuerunt instructi. 41. 1. B
Manna omnes sapores in se continebat. 110. 2. C
Manus Dei quam horrenda. 214. 2. C
Masculi ter in anno ad templum venire obligati. 292. 2. A
Mare ob quam causam salsum. 222. 1. B
MARIA Virgo per fluuium paradisi significata. 71. 2. C
MARIA Virgo ex humilitate legem purificationis impleuit. 75. 1. D
MARIA Virgo in templo Salomonis inter pauperes Hebræas flectebat. 78. 1. C
MARIA V. dupliciter mater Christi. 79. 1. B
Ad MARIAM Virginem, cur non homo, sed Angelus missus. 148. 1. D
MARIA Virgo media nocte fuit ab Angelo salutata. 136. 1. D
Qui in laudem MARIÆ Virginis laborant, magno præmio afficiuntur. 126. 1. D
MARIA Virgo tempore passionis Christi à longe stabat. 79. 1. D
MARIA Virgo pacem & concordiam conciliat. 80. 2. C
Media consequendæ gloriæ æternæ tria. 491. 1. A
Michæas Propheta ob liberam Regis admonitionem alapa percussus. 17. 1. D
Michol in vxorem Dauidi malo fine data. 231. 1. C
Militum quanta insolentia. 226. 1. B
Monumenta Sanctorum, ad quid post mortem Christi aperta. 303. 2. D
Mulierum diuagatio pernicioſa. 291. 2. A
Mundus duplex aureus & ferreus. 610. 1. C
Mundi quatuor querelæ de Deo. 30. 2. C
Munera accipere Iudicibus periculosum. 572. 1. D
Mures ruinam domus præsentiunt. 52. 1. D
Musica ad depellendum mœrorem idonea. 362. 2. D

N.

Necessitas ad salutem duplex. 170. 1. D
Nomina multa vnde Deo conueniunt. 394
Nubere apud Romanos Mense maio non licuit, & cur. 113. 1. D

O.

Oblatio Isaaci cum Christo confertur. 74. 2. B
Oculi Basiliſci & mulieris quantum virus emittant. 271. 1. C
Opera antecedentia fidem, non prosunt iustificationi, secus sequentia fidem. 518. 2. B
Opus bonum & Deo placens, quale esse debet. 562. 2. C
Osculi consuetudo antiquissima. 191. 2. A

P.

Palma pondere non premitur. 463. 1. D
Pascha quare post plenilunium à Catholicis celebratur. 301. 1. D
Pastoris officia. 395. 2. A
Pastor debet consulere Principi, ne populum nimium grauet. 400. 2. B
Sancti Pauli caput amputarum, ter nomen IESV protulit. 21. 2. D
Pauperes à Magistratu repulsi. 27. 2. C
Pauperes feliciter regnant. 27. 2. D
Patri æterno templum Hierosolymis fuit ædificatum. 541. 1. A
Peccatum originale voluntarium. 394. 2. C
Peccatum duo maxima mala in nobis operatur. 529. 2. D
Ex peccato quatuor mala descendunt. 307. 1. D
Peccator quilibet est prodigus filius. 43. 2. B
Pelicanus pullos suos mortuos, sanguine proprio viuificat. 317. 1. D

Persecutiõ religionis Christum iterum crucifigit. 281. 1. B
S. Petrus defenditur à peccato negans Christum. 195. 2. D
S. Petrus vniuersali iurisdictione Apostolis maior. 335. 1. D
S. Petrus cur ad sinistram, Paulus vero ad dextram pingitur. 497. 1. B
Petrę cur Christo moriente scissæ. 370 1. B
Phœnicis & Pelicani mirabilis natura. 330. 1. A
Pilatus fuit spurius, homicida, & omnibus sceleribus inquinatus. 228. 2. C
Pisces naues destruentes. 465. 1. D
Polonia sub tempus belli suetici miserrima. 279. 1. C
Polonorum Regum, obedientia & pietas erga summum Pontificem. 340. 1. A
Porci præ fœtore dæmonum se in mare præcipites dederunt. 221. 2. A
Platonicorũ opinio de Spiritu S. 550 1. D
Prædicatio exterior sine interna Spiritus S. illuminatione nihil valet. 174. 1. D
Prælatorum Ecclesiæ quadruplex diuisio. 467. 2. C
Principes iniuriarum obliuisci debent. 365. 1. D
Principes mundi in prosperitate amicorum obliuiscuntur. 369. 2. B
Principes Christianos pro vindicandis Iudæis non decet sœuire in subditos. 568. 1. D
Principũ gratia facilè mutabilis. 163. 2. B
Principum vitia, & ipsis & regnis perniciosa. 480. 2. B
Principia inscientijs naturalibus triplicia. 575. 1. D
Puritas quomodo augetur in reb⁹. 69. 1. C

Q.

Qui ab infantia statim virtutibus floruerunt. 175. 1. D
Quinam Imperatores & Reges sibi nihil iuris in Ecclesiam & Ecclesiasticos vsurpare volebant. 339. 1. D

R.

Regna propter contemptum Regum vastari solent. 37. 2. B 612 2. B
Regna propter irreuerentiam templorum corruunt. 134. 1 B
Regnorum vicissitudines. 602. 2. D
Regum vitia subditis pernicioſa. 194. 1. C & 418. 2. B
Remediũ in desperata ægritudine. 97. 1. B
Resurrectio est argumentum diuinitatis Christi. 288. 2. D
Rhinocerotis odium & pugna cum elephanto. 156. 2. A

S.

Sacerdotis sex requisita. 23. 1. A
Sacerdotalis dignitas regia maior. 488.
Saliua ieiuni hominis serpentes enecat. 199. 1. C
Salomon significat pacificum, & Deo amabilem. 180. 1. A
Salomonis annulus auream & spineam coronam habens, Christi diuinitatem & humanitatem figurabat. 257. 1. B
Salutationis Angelicæ magna virtus. 145. 2. D.
Samson ex ieiunio inuictus euasit. 422. 2 C
Sancti & fideles duplici de causa tales dicuntur. 552. 1. A
Sanctorum inuocatio ad quid necessaria. 605. 2. B
Sanguinis fluxu laborantes, non debent rubrum colorem aspicere. 214. 2 C
Sapientia Dei filia. 24. 2. D
Sapientes si desint leges nutant. 109. 1. D
Saul cur repudiatus à Deo. 66. 2. C
Saul cur Ariolos sustulit. 567. 1. D
Sara magnæ pudicitiæ & humilitatis. 141. 1 C
Sara 90. annorũ Isaacũ peperit. Ibid. 2. C
Sepulchrum Christi annulo summi Concilij obsignatum fuit. 295. 2. C
Seruitus omnium grauissima. 34. 1. C
Seruitus Dei & mundi in quo discordant. 83. 2. A
Sessio ad dextram patris quid sit. 509. 2. C
Sichem quibus conditionibus cum Dina sponsalia contraxit. 10. 2. D
Sibyllarum oracula de Christo. 27. 1. B
Solemnitas Paschalis cur diei nomine appellari debeat. 300. 1. C
Cur maxima ex omnibus solemnitatibus Ibidem.
Somnus est imago mortis. 223. 2. D
Sortibus quando licitum vti. 88. 2. A
Quali sorte vsi sunt Apostoli in electione Matthiæ. 89. 2. A
Spinea Christi corona maximè ad patientiam mouet. 407. 2. C

Spiritus Sancti missionis quæ necessitas. 450. 2. C
Spiritus Sanctus quatuor de causis missus. 537. 1. D
Spiritus S. quomodo missus sit. 528. 2. B
Spiritus S. pacem & concordiam gignit. 533. 1. D
S. Stanislaus tripliciter à Deo glorificatus 475. 1. D
S. Stanislaus Polonis apparuit pontificali habitu. 489. 2. A
Stella cur intrantibus Hierosolymam Magis disparuit. 25. 2. D
Stratagema capiendi Rhinocerotem. 157. 1. C
Summus sacerdos in veteri lege nunquam ægrotabat. 46. 1. C
Synagoga Iudæorum monstrum horrendum. 232. 1. C

T.

Theodosij Imperatoris stupenda humilitas. 568. 2. D
Terra & in morte, & in resurrectione Christi tota contremuit. 306. 1. B
Terræ magna pars tẽpore diluuij in aquas conuersa. 138. 2. D
S. Thomæ doctrina non deficiet in æternum. 111. 1. C
Contra D. Thomam, vel aliter ab illo sentire impium est. 102 2. C & 111. 1. D
A Diuo Thoma vitia procul exulabant. 106. 1. B
Thoma Apostolus dubitans quomodo Christum iterato pari compulit. 359. 1. A

V.

Valentis Imperatoris quanta inuidia & tyrannis. 215. 2. B
Vasa templi Hierosolymitani Romam translata. 368. 2. D
Veritas hominibus odiosa. 566. 2. D
Vermis indicus mirabilis. 313.
Via ad salutem ardua arcta, & aspera. 432 1 B
Viduitas est operosior Virginitate. 50 1. D
Vir quare de terra, & femina de costa viri formata sit. 56. 2. D
Virga signũ potestatis iudiciariæ. 282. 1. A
Virgo Deipara toti passioni Christi præsens adfuit. 238. 1. D
Virginis Mariæ prærogatiua quadruplex. 235. 2. B
Virginis Beatæ maior gratia, quam omniũ beatorum.
Vnicornis solitudinem amat. 607. 2. D
Voluntas antecedens & consequens quid sit. 516. 1. A
Vxoris culpa in maritũ redundat. 143. 1. C

Errata corrige.

Pagina.	Col.	Locũ Col.		
16.	1.	B.	menerent	manerent.
28.	1.	D.	cum	eum.
38.	1.	A.	duere	dicere.
46.	1.	D.	minorari	minori.
79.	1.	A.	recederent	recederet.
172.	1.	C.	felicitate	fæditate.
172.	1.	D.	noſtram	ſuam.
172.	1.	B.	inſtituere	reſtituere.
178.	2.	B.	efficiunt	afficiunt.
195.	2.	A.	implebant	implebat.
196.	2.	B.	nimirum	mirum.
235.	1.	D.	flugit	fluit.
259.	2.	B.	agit	ait.
290.	2.	C.	dominum	dominium.
338.	2.	D.	S. Petri Vicarium	Succeſſorem.
355.	2.	A.	oners	oneris.
358.	2.	D.	fractus	fructus.
362.	1.	C.	aſſecutum	aſſecutus.
398.	2.	A.	famæ	fame.
431.	2.	A.	monerare	monſtrare.
471.	1.	A.	exæquantur	exequantur.
544.	2.	C.	pare delicto	par delicto.
577.	2.	D.	Spiritus	Spiritu.

4000
K



